SC.19.Pl.5.

Digitized by Google

Digitized by Google

43
7 F
17

Digitized by Google

Digitized by Google

DE RE
SACRAMENTARIA
CONTRA PERDUELLES HÆRETICOS
LIBRI DECEM
QUATUOR TOMIS COMPREHENSI:

Quibus omnia, & singula Legis Evangelicæ Sacramenta Consensione, Universitate, Perpetuitate, adstruuntur, defenduntur, vindicantur: simul & graviores Quæstiones ad Disciplinam, & Moralem pertinentes; itemque Theologorum præcipuæ contentiones Scholarum methodo

AD MENTEM PRÆCEPTORIS ANGELICI

EXPENDUNTUR, DISCUTIUNTUR, EXPLICANTUR

CURA ET STUDIO R. P. F.

RENATI HYAC. DROUVEN

Doctoris Sorbonici Ordinis Prædicatorum.

EDITIO QUARTA.

CUM NOTIS ET ADDITIONIBUS

P. F. JOANNIS VINCENTII PATUZZI

Ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Professoris.

TOMUS QUARTUS.

VENETIIS MDCCLXXXIX.

Apud Thomam Bettinelli

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi. Deuteron. Cap. xxxii, vers. 7.

Digitized by Google

INDEX

QUÆSTIONUM, CAPITUM &c.

TOMI QUARTI.

QUÆSTIONES LIBRI OCTAVI.

PARS PRIMA.

Quæstiones de Sacramento Ordinis in communi.

Quæstio prima. *Utrum Ordo verum & proprie dictum sit Sacramentum.* Pag. 1
Sacræ ordinationis varia nomina, & definitio explicatur. 2
§. primus. *Sacram ordinationem verum esse & proprie dictum legis Evangelicæ Sacramentum, argumentis certissimis demonstratur.* 3
Probatio prima. *Ex scripturis.* ib.
Probatio secunda. *Ex eo quod verum in nova lege sacrificium sit.* ib.
Probatio tertia. *Ex traditione.* 5
Probatio quarta. *Ex præscriptione.* 6
§. secundus. *Solvuntur quædam objectiones.* 7
Quæstio secunda. *De numero ordinum.* 9
Caput primum. *de Latinorum ordinibus.* ibid.
§. primus. *Ostenditur in Latina Ecclesia, septem ab antiquo ordines celebrari, ostiariatum, lectoratum, exorcistatum, acolythatum, subdiaconatum, diaconatum, & presbyteratum.* ib.
§. secundus. *Diluuntur objectiones.* 11
Caput secundum. *De numero ordinum in Ecclesia Græca & Orientali.* 14
§. primus. *Ostenditur, e septem memoratis ordinibus, quatuor tantum a Græcis & Orientalibus observari, presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum, & lectoratum.* 15
§. secundus. *Solvuntur objectiones.* 17
Caput tertium. *Utrum omnibus ordinibus ratio Sacramenti ex æquo conveniat?* 21
§. primus. *Ostenditur, subdiaconatum, & minores ordines, si in origine spectentur, divinæ institutionis esse, eaque ratione vera Sacramenta dici posse: secus vero, si spectentur formaliter & divisim.* ib.
Probatio I. partis. ib.
Probatio II. partis. 22
§. secundus. *Solvuntur contrariæ objectiones.* 24
Quæstio tertia. *De ordinationis materia.* 28
Generatim ostenditur, nullum esse ordinem, cui propria non sit addicta materia. ib.
Quæstio quarta. *De forma ordinationis.* 29
Solvuntur quædam difficultates. 31
Quæstio quinta. *De sacræ ordinationis Authore.* 32
Ostenditur primo diaconatum & presbyteratum a Christo immediate esse institutos. ibid.
Probatio prima. *Ex comparatione antiquæ & novæ legis.* ib.
Probatio secunda. *Ex eo quod sacrificium novæ legis, fuerit a Christo immediate sancitum.* ib.
Probatio tertia. *ex ipsa sacerdotii, & ministerii sacri natura.* 33
Probatio quarta. *ex scripturæ auctoritate.* ibid.
Ostenditur *secundo ordines diaconatu inferiores, si in radice spectentur unde præcisi sunt, immediate a Christo sancitos: mediate vero, si formaliter in se, & divisim sumantur.* ib.
Quæstio sexta. *De sacræ ordinationis ministro.* ib.
Caput primum. *De ministro ordinario sacræ ordinationis.* 34
§. primus. *Ostenditur, solos Episcopos, ordinarios esse sacræ ordinationis ministros.* ibid.
Probatio prima. *ex scripturis.* ib.
Probatio secunda. *ex traditione.* ib.
Probatio tertia. *ex theologica ratione.* 36
§. secundus. *Diluuntur objectiones.* ib.
Caput secundum. *De extraordinario sacræ ordinationis ministro.* 39
Articulus primus. *De presbyteratu, utrum ab alio quam ab Episcopo, extra ordinem conferri possit?* ib.
§. primus. *Ostenditur presbyterum simplicem non posse presbyteratus extraordinarium esse ministrum.* ib.
Argumentum primum. *ex scripturæ & traditionis silentio.* ib.

Digitized by Google

Argumentum secundum. *ex affirmantibus & expreſſis ſanctorum ſententiis.* 40
Argumentum tertium. *Pro Græcis & Orientalibus ſpeciale.* ib.
Argumentum quartum. *ex ſacræ ordinationis effectibus.* 41
§. secundus. *Solvuntur objectiones.* ib.
Articulus secundus. *De diaconatu, utrum ab alio quam ab Epiſcopo poſſit extraordinarie conferri?* ib.
§. primus. *Oſtenditur, ſolum Epiſcopum ita eſſe diaconatus miniſtrum, ut ab alio extra ordinem conferri nequaquam poſſit.* 44
§. secundus. *Diluuntur quædam difficultates.* ibid.
Articulus tertius. *Oſtenditur, ſimplicem presbyterum, Eccleſia ſic volente, ſubdiaconatus & inferiorum ordinum eſſe miniſtrum.* 46
Caput tertium. *De miniſtro legitimo ſacræ ordinationis.* ib.
§. primus. *Oſtenditur, non a quolibet Epiſcopo, licet catholico, ſed a proprio tantum ordinationem legitime recipi.* ib.
§. secundus. *ſolvuntur variæ quæſtiones.* 47
Q. 1. *Cum vel a loco ubi quis temporaliter natus, vel ab eo in quo ſpiritualiter ex aqua & Sp. Sancto renatus fuerit, origo ſoleat æſtimari; an perinde utravis ratio valeat, ut aliquis proprius & legitimus Epiſcopus cenſeatur.* ib.
Q. 2. *Utrum ne ſemper Epiſcopus loci in quo quis natus eſt, proprius cenſeatur?* 48
Q. 3. *Epiſcopus domicilii quis ſit? quidve requiratur, ut quis hoc titulo legitime gaudeat?* ib.
Q. 4. *Utrum ad domicilii titulum, ita decennalis habitatio requiratur, ut breviori mora, nullo caſu, valeat comparari?* ibid.
Objectio. ibid.
Q. 5. *An ubique vigeat titulus domicilii.* 49
Q. 6. *Quæ cauſa Galliarum Epiſcopis ſit, ab admittendo domicilii titulo abſtinendi?* ibid.
Q. 7. *Quorſum titulo beneficii proprius Epiſcopus cenſeatur, in cujus diœceſi beneficium poſſidetur?* ib.
Q. 8. *Quale & quantum beneficium eſſe debeat, cujus titulo proprius cenſetur Epiſcopus, in cujus diœceſi beneficium ſitum eſt?* 50
Q. 9. *Quid ſi ab aliquo beneficium fraudulenter fuerit impetratum, ut proprii Epiſcopi declinaret auctoritatem, & examen eluderet?* ib.
Q. 10. *Utrum in praxi tutum ſit, clericum ratione beneficii, in aliena diœceſi obtenti, ibidem, poſthabito originis Epiſcopo ordinare?* ib.
Objectio. 51
Q. 11. *Utrum regulares non ſecus ac cæteri clerici, a proprio Epiſcopo debeant ordinari?* 52
Q. 12. *Regularium quis proprius Epiſcopus ſit?* ib.
Objectio. 53
Q. 13. *Utrum ita quilibet a proprio Epiſcopo debeat ordinari, ut non poſſit aliquando ab alieno ordines legitime ſuſcipere?* ib.
Q. 14. *Utrum compelli poſſit Epiſcopus proprius in foro exteriori, ad conferendam laico tonſuram clericalem, aut clerico ſacram ordinationem?* 54
Caput quartum. *De illegitimo ſacræ ordinationis miniſtro.* ib.
§. primus. *Oſtenditur, ordinationem a miniſtro illegitimo factam validam eſſe.* 55
Corollarium primum. *Valida eſt ordinatio, ab hæretico facta.* ib.
Corollarium secundum. *Valida eſt, a ſchiſmatico facta.* 56
Corollarium tertium. *A depoſitis & excommunicatis accepta, valida eſt.* 57
Corollarium quartum. *Data ordinatio ab intruſis & invaſoribus valet.* 58
Corollarium quintum. *A ſimoniacis facta ordinatio vera eſt.* ib.
Corollarium sextum. *Valet ordinatio ab Epiſcopo non proprio facta.* 59
§. secundus. *Variæ diſcutiuntur objectiones.* ibid.
Objectio prima, nolentium ordinationem ab hæreticis factam, validam eſſe. ib.
Objectio ſecunda, opponentium invalidam eſſe ordinationem a ſchiſmaticis factam. ibid.
Objectio tertia contendentium ordinationes a depoſitis & excommunicatis factas, invalidas eſſe. 64
Objectio quarta, volentium invalidas eſſe ordinationes, ab intruſis & invaſoribus factas. 69
Objectio quinta, dicentium invalidas eſſe ordinationes, a ſimoniacis factas. 73
§. tertius. *quâ & quatenus certum ſit, valere quantum ad ſubſtantiam ordinationes, a miniſtris illegitimis attentatas.* 75
Proponitur *quæſtio quædam.* 76
§. quartus. *Utrum & qua conditione a miniſtris illegitimis ordinati, ad ſuorum ordinum functiones olim admitterentur, & etiamnum admittantur.* 77

Appen-

Appendix. *De Ordinationibus Anglicanis an nempe rata, ac valida hodiedum sit apud Anglos Episcopos Ordinatio?* 79
Quæstio septima. *De effectibus sacræ ordinationis.* 83
Caput primum. *Utrum per sacram ordinationem gratia conferatur?* ib.
§. primus. *Ostenditur per sacram ordinationem, gratiam sanctificantem conferri.* ib.
Probatio prima. *ex Sacramenti conditionibus.* ibid.
Probatio secunda. *ex Ecclesiæ precibus.* ib.
Probatio tertia. *ex Theologica ratione.* 84
§. secundus. *Diluuntur quædam objectiones.* ibid.
Caput secundum. *Characterem genuinum esse ordinationis effectum demonstratur.* 85
Quæstio octava. *De subjecto sacræ ordinationis.* 87
§. primus. *Ostenditur, mulieres valide ordinari nulla ratione posse.* 88
Probatio prima. *ex comparatione veteris & novæ legis.* ib.
Probatio secunda. *ex auctoritate scripturæ.* ibid.
Probatio tertia. *ex traditione.* ib.
Probatio quarta. *ex auctoritate & ratiocinio S. Thomæ.* 89
§. secundus. *Diluuntur objectiones.* ib.
Quæstio nona. *De dispositionibus ordinationi præmittendis.* 95
Caput primum. *De ordinationis impedimentis.* ibid.
§. primus. *De irregularitate ex crimine.* ib.
I. *Impedimentum ex infamia.* 98
II. *Impedimentum ex mutilatione & illicito homicidio.* ib.
Q. 1. *Utrum qui alterum ob propriæ vitæ defensionem, ac velut necessitate compulsus occiderit, debeat pro irregulari haberi.* 99
Q. 2. *Quid necessarium sit, ut quis aggressorem, ad propriæ vitæ defensionem interimens, irrregularis non censeatur.* ib.
Q. 3. *Utrum qui ad honoris, famæ, aut temporalis supellectilis tutelam aliquem occiderit, sit ab irregularitate immunis.* 100
Q. 4. *Quid si aliquis patris, filii, conjugis, aut alterius consanguinei aggressorem, dum eos aliter juvare non potest, interimat.* ib.
Q. 5. *Utrum ex fortuito homicidio irregularitas contrahatur.* ib.
Q. 6. *Qualis mutilatio esse debeat, ut in irregularitatem inducat.* 101
Q. 7. *In dubio utrum homicidium aut mutilatio, voluntaria aliquatenus fuerint, quid agendum.* ib.
III. *Impedimentum ex hæresi.* 102
IV. *Impedimentum ex indebita susceptione, vel executione ordinis.* ib.
V. *Impedimentum ex iteratione baptismi.* ib.
§. secundus. *De irregularitate ex defectu.* 103
I. *Impedimentum ex defectu animi.* ib.
II. *Impedimentum ex defectu corporis.* 104
III. *Impedimentum ex defectu natalium.* 105
IV. *Impedimentum ex defectu ætatis.* 107
V. *Impedimentum ex defectu libertatis.* ib.
VI. *Impedimentum ex defectu Sacramenti.* 108
Q. 1. *Utrum impedimento bigamiæ, omnes generatim detineantur, qui nuptias duplicarunt, sive ante baptismum, sive suscepto baptismo bigami fuerint.* 111
Q. 2. *Utrum eos solum qui proprie, propter duplicatum matrimonium bigami fuerint, hoc impedimentum astringat.* ib.
Q. 3. *utrum bigami ad omnibus omnino ordinibus, tam minoribus, quam majoribus arceantur.* 113
Q. 4. *Utrum quisquis nuptias duplicat, vel cum vidua matrimonium contrahit, absolute & sine restrictione pro bigamo & irregulari habendus sit?* ib.
VII. *Impedimentum ex defectu perfectæ lenitatis.* 114
Objectio. 115
Q. Utrum omnes generatim ac sine exceptione fiant irregulares, qui mortis alteri inferendæ causa vel occasio sunt. 116
§. tertius. *Quædam dubia resolvuntur.* 117
Q. 1. *Utrum ab ipsa criminis gravitate irregularitas ex delicto petenda sit?* ib.
Q. 2. *Utrum ad irregularitatem ex crimine contrahendam, ejus admittendi voluntas sufficiat.* 118
Q. 3. *Utrum irregularitas sive ex delicto, sive ex defectu contracta, non tantum ab ordinibus susceptis aut suscipiendis, sed etiam a beneficiis amotionem importet.* ibid.
Q. 4. *Utrum irregularitas quælibet, sive ex crimine, sive ex defectu, humana dispensatione tollatur?* ib.
Q. 5. *Utrisnam facilius dispensatio concedenda, ex delicto, aut ex defectu irregularibus?* ibid.
Q. 6. *Utrum per solam dispensationem quælibet irregularitas auferatur?* 119
Q. 7. *Penes quos auctoritas sit, super irregularitatibus dispensandi?* ib.
Objectio. 120
Q. 8. *Utrum occulti criminis reum, talis ni-*

Digitized by Google

nimirum, ut juridice probari non possit, & ordinari volentem, Episcopus ad sacrum ministerium admittere teneatur? 121

Objectio. ib.

Caput secundum. *De dotibus & conditionibus, ad ordinationem necessario afferendis.* 122

§. primus. *De necessitate divinæ vocationis.* ib.

§. secundus. *De necessitate doctrinæ.* 124

§. tertius. *De probitate morum, ad sacros ordines afferenda.* 127

LIBRI OCTAVI

Pars Secunda.

Sectiones de singulis in specie ordinibus.

Sectio prima. *De tonsura Clericali.* 128

1. *Definitio primæ tonsuræ.* ib.
2. *Dispositiones ad tonsuram afferendæ.* ib
3. *Primæ tonsuræ quis minister?* 129
4. *Primæ tonsuræ ritus.* ib.
5. *Clericorum nomen.* ib.
6. *Clerici ad dimittendum patrimonium non obligantur.* 130
7. *Tonsura clericalis cur in modum coronæ disposita.* 131
8. *Tonsuræ antiquitas.* ib.
9. *Superpelliceo quid significetur?* 133
10. *Clericorum quæ vestis propria.* ib.
11. *Conferendæ tonsuræ locus & tempus.* ib.
12. *Qua ætate prima tonsura conferri possit.* 134
13. *Tonsuræ clericalis effectus.* ib.
14. *Quid beneficium Ecclesiasticum, quæve ejus origo sit?* 135
15 *Beneficiorum divisio multiplex.* 136
16. *Beneficia utrum, & quatenus plura ab uno & eodem haberi possint.* 137

Sectio secunda. *De ordinibus minoribus.* 142

1. *Minorum ordinum nomen.* ib.
2. *Minorum ordinum in Ecclesia Latina numerus, & antiquitas.* 143
3. *Græcorum & orientalium disciplina diversa reprehensibile nihil habet.* ib.
4. *Minores ordines qui & quatenus Sacramenta dici possint:* 144
5. *Ostiariatus quid sit, & quæ ejus officia.* ibid.
6. *Lectoratus, & ejus officia.* ib.
7. *Exorcistatus, & ejus officia.* 145
8. *Acolythatus & ejus officia.* ib.
9. *Acolythi nomen quid significet.* 146
10. *Minorum ordinum conferendorum minister, locus, & tempus.* ib.
11. *Utrum & quanti temporis interstitia inter minores ordines observanda.* 147
12. *Interstitia ab Episcopis, aut eorum vices gerentibus, justis de causis remitti possunt.* 148
13. *Quatuor minorum ordinum exercitium usumque restitui, Ecclesia in votis maxime habet.* ib.

Sectio tertia. *De Subdiaconatu.* 149

1. *Quæ apud Græcos materia subdiaconatus, & forma?* ib.
2. *Quæ subdiaconatus materia & forma apud Latinos?* 150
3. *Traditio libri Epistolarum in ordinatione subdiaconi, non de antiquo more suscepta.* 151
4. *Quæ vestes sacræ subdiaconorum propriæ?* ibid.
5. *Subdiaconorum officia.* 152
6. *Subdiaconatus antiquitas.* ib.
7. *Majores & sacri ordines a minoribus & non sacris quì differant?* ib.
8. *Subdiaconatus in Latina Ecclesia nunc est ordo sacer, non semper fuit.* 153
9. *Subdiaconorum obligationes.* 154
10. *Obligatio tituli.* ib.
11. *Obligatio castitatis.* 155
12. *Græcorum & Orientalium de hac re disciplina exponitur.* 158
13. *Obligatio divini officii recitandi.* 161
14. *Quantum temporis intervallum, inter postremum gradum ordinum minorum, & subdiaconatus susceptionem debeat intercedere?* 163
15. *Quæ ætas ad subdiaconatum, & alios majores ordines requisita?* ib.
16. *Quo tempore subdiaconorum ordinatio celebranda?* 164
17. *Quo in loco subdiaconatus conferendus?* ibid.
18. *Ad præcedentem sectionem, contra recentiores hæreticos, de cœlibatu clericorum appendix.* ib.

Caput primum. *Latina Ecclesia ab hæreticorum calumniis vindicatur: ostenditur nimirum sacri ordinis cœlibatum, etsi juris divini non sit, habere tamen in sacris litteris Apostolorum exemplis, ipsaque ratione certissimum fundamentum.* 165

Solvuntur hæreticorum objectiones. 169

Caput secundum. *Ostenditur hæreticos clericorum continentiæ subversores, Græcorum & Orientalium consensione immerito gloriari.* 175

Solvuntur objectiones. 176

Diluuntur quædam quæstiones. 179

Q. 1. validum ne foret matrimonium, a clerico majore contractum. ib.

Q. 2.

Q. 2. *ergo mulieres clericorum poſtquam ad ordines majores promoti ſunt, quid obſervandum.* 180
Sectio quarta. *De Diaconatu.* ibid.
1. *Diaconorum officia.* ibid.
2. *Diaconatus veri Sacramenti naturam habet.* 182
3. *Quædam objectiones diluuntur.* 183
4. *Diaconatus tradendi ritus.* 187
5. *Sola manus impoſitio orationi conjuncta eſſentiam Diaconatus conſtituit.* 188
6. *Stola quid ſignificetur.* 190
7. *Diaconi quo numero ordinandi.* ibid.
8. *Archidiaconus a Diacono quid differat.* ibid.
Sectio quinta. *De Presbyteratu.* 191
1. *Presbyteratus conferendi ritus.* ibid.
2. *Non omnes presbyteratus conferendi ritus ex æquo ad ejus eſſentiam pertinent.* 192
3. *Scholaſticorum oppoſitiones diluuntur.* 194
4. *In quæſtione de materia & forma Sacramentorum quo criterio utendum?* 198
5. *Presbyterorum excellentia & officia.* 199
6. *Virtutes Presbyterorum propriæ.* 200
7. *Quæ veſtis propria Sacerdotum.* 201
8. *Presbyterorum diverſi gradus.* 202
9. *Solvuntur quædam difficultates.* 205
Sectio ſexta. *De Epiſcopatu.* 209
1. *Ritus conferendi Epiſcopatus.* ibid.
2. *An & quo jure Epiſcopi ſimplicibus presbyteris ſint ſuperiores.* 211
3. *Oſtenditur Epiſcopos jure divino, dignitate & poteſtate, ſimplicibus presbyteris eſſe ſuperiores.* ibid.
Probatio prima, *ex auctoritate Scripturæ.* 212
Probatio altera, *ex traditione.* 213
4 *Solvuntur hæreticorum objectiones.* 215
Quorumdam Theologorum, Sanctum Hieronymum proditæ veritatis accuſantium temeritas & imprudentia redarguitur. 217
Sancti Hieronymi mens indagatur, ſimulque argumentum ex illius auctoritate petitum refellitur. 218
I. *Oſtenditur, juxta Sanctum Hieronymum Epiſcopos ſimplicibus presbyteris, jure divino præcellere.* ibid.
II. *Reſpondetur ad argumentum ex Sancto doctore petitum.* 220
5. *Sit ne Epiſcopatus verum novæ legis Sacramentum?* 226
6. *Epiſcopatus vere eſt ac proprie Sacramentum, a Sacerdotio, nova conſecratione, diſtinctum.* ibid.
Probatio prima, *ex Scripturis.* ibid.
Probatio ſecunda, *ex Græcorum ac Latinorum ritualibus.* 227
Probatio tertia, *ex Sanctis Patribus.* ibid.
Probatio quarta, *ex Theologica ratione.* 228
7. *Diluuntur ſcholaſticorum objectiones.* ib.
8. *Materia Epiſcopatus in ſola manuum impoſitione conſiſtit.* 230
9. *Forma Epiſcopatus oratio eſt, per quam ab Epiſcopo conſecrante, dum ordinando manus imponit, gratia Sancti Spiritus invocatur.* 232
10. *Quis Epiſcopatus miniſter.* ibid.
11. *Epiſcopus a quibus & quatenus eligendus.* 233
12. *Epiſcoporum officia ac virtutes.* 237
13. *Epiſcoporum veſtes & inſignia.* 238
14. *Epiſcoporum gradus diverſi.* 239
Sectio ſeptima & ultima. *De Choreipiſcopatu.* 240
1. *Chorepiſcopatus antiquitas.* ibid.
2. *Chorepiſcopatus numquam pro vero ordine aut Sacramento habitus eſt.* 241
3. *Oſtenditur Chorepiſcopos aliquando quidem ac velut per accidens veros Epiſcopos, communiter vero ſimplices presbyteros fuiſſe.* 242
4. *Chorepiſcoporum quæ officia propria forent.* 243
5. *Quæ cauſa fuerit Chorepiſcopos abrogandi.* 244
Canones Tridentini, de Sacramento ordinis. 245

QUÆSTIONES LIBRI NONI.

De Contractu Matrimonii.

Præfatio. 246
Quæſtio prima. *De eſſentia matrimonii.* ibid.
I. *Recenſentur varia nomina, quibus contractus matrimonii ſolet inter homines ſignificari.* ibid.
II. *Natura ac definitio matrimonii explicatur.* 248
§. Primus. *Quæ ſit cauſa efficiens matrimonii.* ibid.
Concluſio. *Mutuus contrahentium conſenſus, verbis, aut nutibus, aut alio quovis ſigno de præſenti expreſſus, eſt cauſa efficiens matrimonii.* ibid.
Probatio primæ partis. 249
Argumentum I. *Ex Scriptura.* ibid.
Argumentum II. *Ex decretis Eccleſiaſticis.* ibid.
Argumentum III. *Ex ratione.* ibid.
Probatio ſecundæ partis. 250
Solvitur quædam difficultas. ibid.
Probatio tertiæ partis. ibid.
Solvuntur objectiones. 251

Pro-

Proponitur & resolvitur gravis quædam quæstio. 253
Afferuntur argumenta volentium, matrimonium de quo est quæstio, esse validum. ibid.
Proponuntur eorum argumenta, qui sentiunt matrimonium de quo quæstio est, invalidum esse. 254
Fertur de utraque opinione judicium. 255
Diluuntur duæ objectiones. ibid.
§. Secundus, *quæ sit causa formalis matrimonii.* 257
Conclusio, *causa formalis matrimonii est, obligatio, vinculum, & nexus mutuus, ex consensu interno, & pactione externa inter virum & mulierem resultans.* ibid.
Solvitur quædam objectio. ibid.
§. Tertius, *quæ sit matrimonii causa materialis?* ibid.
§. Quartus, *matrimonii quæ causa finalis?* 258
Conclusio, *consummatio matrimonii non est de ejus essentia.* ibid.
Probatio prima, *ab exemplo Virginis Deiparæ, & Beati Patriarchæ Joseph.* ibid.
Probatio secunda, *ab exemplo Adami & Evæ innocentium.* 259
Probatio tertia, *ex matrimonii definitione.* ib.
Probatio quarta, *ex discrimine quod inter dominium, & usum Dominii intercedit.* 260
Corollaria præcedentis doctrinæ. ibid.
Solvitur objectio I, volentium sine carnali copula matrimonii essentiam constare non posse. 261
Solvitur objectio II, negantium, Beatissimæ Virginis & S. Joseph verum matrimonium fuisse. 262
Respondetur cuidam quæstioni. 269
Quæstio secunda. *An matrimonium sit res bona & licita.* 270
Caput primum, *nuptiarum bonitas ac sanctitas contra Manichæos asseritur.* ibid.
Probatio prima, *ex eo quod nuptiæ auctorem & institutorem Deum habeant.* ibid.
Ostenditur I, *ab ipso mundi ortu nuptias divinitus institutas.* ibid.
Ostenditur II, *nuptias fuisse a Deo in lege Mosaica confirmatas.* 271
Ostenditur III, *fuisse matrimonium in lege gratiæ decreto novo sancitum.* ibid.
Probatio secunda, *ex patrum traditione.* 272
Probatio tertia, *ex universalis Ecclesiæ contra Marcionitas & Manichæos consensione.* 273
Probatio quarta, *ex nequitia Manichæorum sibi ipsi mentiente.* 274
Diluuntur objectiones. 275
Caput secundum, *contra Pelagianos ostenditur, sic nuptias esse bonas, ut tamen concupiscentia mala sit.* 279
Probatio prima, *ex auctoritate Scripturæ.* ibid.
Probatio secunda, *ex fide peccati originalis.* 280
Descriptio brevis status innocentiæ, & status peccati. ibid
Probatio tertia, *ex concupiscentiæ definitione.* 281
Probatio quarta, *ex ratione.* 282
Solvuntur Pelagianorum objectiones. 283
Caput tertium, *contra Jovinianum demonstratur, meliorem nuptiis esse virginitatem, aut continentiam pro Deo susceptam.* 287
Probatio prima, *ex sacris Scripturis.* ibid.
Probatio secunda, *ex sanctis Patribus.* 288
Probatio tertia, *ex ratione.* 289
Joviniani oppositiones refutantur. ibid.
Quæstio tertia. *De unitate matrimonii.* 293
Caput primum, *utrum cum vero matrimonio polygamia simultanea stare possit?* ibid.
Origo polygamiæ & progressus. 294
§. Primus, *diversis conclusionibus veritas stabilitur.* ibid.
Conclusio I. *Polygamia simultanea unius uxoris cum multis viris, juri naturali & fini nuptialis contractus plane repugnat.* ibid.
Conclusio II. *Polygamia simultanea unius viri cum multis uxoribus, jure naturali & divino illicita est.* 295
Conclusio III. *Non ita uxorum pluralitas lege naturali aut positiva vetatur, quin aliquando licitum, Deo dispensante, fuerit plures habere.* 296
Conclusio IV. *Christus in Evangelica lege, omni abrogata dispensatione, & prisca Dei conditoris lege postliminio revocata, matrimonium in viri & mulieris unitate constituit.* 298
Probatio prima, *ex Evangelio.* ibid.
Probatio secunda, *ex Apostolo.* 300
Probatio tertia, *ex perpetuo Ecclesiarum & patrum consensu.* ibid.
§. Secundus, *diluuntur objectiones.* 301
§. Tertius, *nonnulla dubia explicantur.* 309
Q. 1. *Quo primum tempore antiquis Patriarchis concessum, inculpate plures simul uxores habere?* ibid.
Q. 2. *Utrum indulgentia hæc ad omnes promiscue homines, etiam qui de Abrahami prosapia non essent, extenderetur?* ibid.
Q. 3. *Si quis ab infidelitate ad Christum, plures habens uxores, conversus fuerit, qua ratione cum illo agendum?* ibid.
Ca-

Caput secundum, *de Polygamia successiva, utrum sit matrimonii naturæ contraria?* 310

§. Primus, *demonstratur polygamiam successivam, bis, ter, quater & amplius repetitam, nihil habere juri divino, aut matrimonii naturæ contrarium.* ibid.

Probatio prima, *ex novo Testamento.* ibid.

Probatio secunda, *specialius ostenditur polygamiam successivam nihil habere juri divino contrarium.* 311

Probatio tertia, *ex traditione & perpetuo Ecclesiæ usu.* ibid.

§. Secundus, *refelluntur objectiones.* 312

Quæstio quarta. *De indissolubilitate matrimonii.* 318

Caput primum: *Utrum matrimonii rati & consummati vinculum indissolubile sit?* 319

§. Primus, *ne adulterii quidem causa, conjugii rati & consummati vinculum abrumpi posse monstratur.* ib.

Probatio prima, *ex scripturis.* ib.

Probatio secunda, *ex traditione.* 320

Probatio tertia, *ex ratione.* 321

§. Secundus, *solvuntur objectiones.* 322

Diluitur I. argumentum ex scripturæ auctoritate petitum. ib.

Expenditur & resolvitur objectio altera ex antiquorum auctoritate petita. 325

§. Tertius, *utrum matrimonii vinculum nullo casu, quoad vivunt conjuges, rumpi possit?* 328

Dic. 1. *matrimonii rati & consummati vinculum, ita firmum & inviolabile esse, ut nulla penitus causa, nisi mortis naturalis interventu dissolvi queat.* ib.

Dic. 2. *Matrimonium legitimum & consummatum, etiam quantum ad vinculum solvi posse, si alterutro ad fidem converso], nolit alter ei cohabitare, aut commorari renuat sine injuria creatoris, veræque religionis blasphemia.* ib.

Diluuntur quædam objectiones. 329

§. Quartus, *quædam dubia explicantur.* 331

Q. 1. *Utrum hoc ipso matrimonii vinculum dirimatur, quo conjugum alter fidem amplectitur, altero in infidelitate relicto?* ibid.

Q. 2. *Utrum secunda conjuge mortua, possit vir fidelis priorem a qua propter infidelitatem recesserat sine novo contractu resumere?* ib.

Q. 3. *Utrum conjux ad fidem conversus teneatur cum infideli consorte manere, si iste consentiat cohabitare pacifice, & sine injuria creatoris?* ib.

Caput secundum: *de solutione matrimonii rati & consummati, quantum ad thorum & cohabitationem.* 333

§. Primus, *ostenditur matrimonium ratum & consummatum, quantum ad thorum & cohabitationem dirimi posse.* ib.

§. Secundus: *hæreticorum oppositiones excutiuntur.* 334

§. Tertius: *quædam dubia diluuntur.* 335

Q. 1. *Ita ne certum sit, in causa fornicationis matrimonium dirimi, ut nullam regula hæc patiatur exceptionem?* ib.

Q. 2. *Utrum teneatur vir uxorem adulteram, & vicissim uxor adulterum virum dimittere?* ib.

Q. 3. *Utrum conjux innocens ad adulteram recipiendam adigi possit, saltem quando resipiscit, & pœnitentiæ signa dat?* 336

Q. 4. *Utrum jus divortii pariter ad conjugem utrumque pertineat?* ib.

Q. 5. *Utrum separatio quoad cohabitationem, privata conjugum auctoritate fieri queat?* 337

Q. 6. *Utrum propter animi, corporisque defectus, sit conjugum separatio permittenda?* ib.

Caput tertium: *Utrum matrimonium ratum non consummatum, quantum ad vinculum solvi possit?* ib.

§. Primus, *ostenditur matrimonii rati, non consummati alterutrius monastica professione, etiam altero repugnante, vinculum solvi.* ib.

Probatio prima, *ab exemplis sanctorum.* 338

Probatio secunda, *ex decretis summorum Pontificum.* ib.

Probatio tertia, *ex antiquo Ecclesiæ more.* ibid.

Probatio quarta, *ex Theologica ratione.* 339

§. Secundus, *solvuntur hæreticoram objectiones.* ib.

§. Tertius, *quæstiones variæ resolvuntur.* 344

Q. 1. *Utrum voto simplici amplectendæ religionis obstrictus, si postea contraxerit matrimonium, ante ejus consummationem profiteri vitam monasticam teneatur?* ibid.

Q. 2. *Quid si simpliciter castitatem vovisses, de amplectenda religione non cogitans?* 345

Q. 3. *Cur voto simplici continentiæ, matrimonium ratum, non consummatum, non dirimatur?* 346

Q. 4. *Utrum statim a susceptione monastici habitus matrimonium non consummatum solvatur.* ib.

Q. 5. *Numquid saltem ordinis sacri susceptio-*

ptio-

ptione, matrimonium non consummatum dirimi queat? ib.
Q. 6. *Utrum propter aliam quamlibet gravem causam, matrimonium ratum, non consummatum, saltem auctoritate Pontificia solvi possit?* ib.
Quæstio quinta. *De solemnitatibus ad contractum matrimonii requisitis.* 347
Caput primum, *de sponsalibus.* ib.
Q. 1. *quid sint sponsalia?* ib.
Q. 2. *Utrum mos ab antiquo acceptus sit, sponsalia matrimonio præmittendi?* ib.
Q. 3. *Quæ causæ sint sponsalia matrimonio præmittendi?* ib.
Q. 4. *Utrum sponsalia nuptiis absoluta necessitate sint præmittenda?* 348
Q. 5. *In contrahendis sponsalibus quæ forma tenenda?* ib.
Q. 6. *Ad sponsaliorum solemnitatem quid observandum?* 349
Q. 7. *Qua ætate iniri sponsalia possint?* ibid.
Q. 8. *Valida ne sint sponsalia impuberum, non propria ipsorum, sed aliena parentum aut tutorum voluntate facta?* 350
Q. 9. *Utrum sponsalia pariant obligationem matrimonii contrahendi?* ib.
Q. 10. *Utrum expediens sit, eos qui celebratis sponsalibus inire matrimonium renuunt, ad illud compelli censuris Ecclesiasticis?* ibid.
Q. 11. *quæ causæ possint esse legitimæ sponsalium solvendorum?* ib.
Q. 12. *Utrum ita generaliter verum sit sponsalia mutuo consensu resolvi, ut hujus regulæ nulla exceptio sit?* 351
Q. 13. *Utrum ad dissolutionem sponsalium satis sit, supervenire aut detegi circumstantiam aliquam, quæ si præscita fuisset, fides futurarum nuptiarum data non esset?* ib.
Q. 14. *Utrum hoc ipso quod ex parte unius solvuntur sponsalia, dirimi ex parte alterius necessarium sit?* ib.
Q. 15. *Utrum voto simplici castitatis sponsalia dirimantur?* 352
Q. 16. *Cum in præsenti materia, ubi agitur de conflictu voti castitatis, & contractus sponsalium, possint diversi casus occurrere, quibus regulis debeant resolvi?* ib.
Q. 17. *Utrum sponsalia nequeant, nisi sententia judicis interveniente resolvi?* ib.
Q. 18. *Possint ne ante matrimonii celebrationem, sponsus & sponsa in eadem domo cohabitare?* ib.
Caput secundum, *de bannis, sive proclamationibus matrimonii.* 353
Q. 1. *Bannorum nomine quid significetur?* ib.
Q. 2. *quid antiquitatis disciplina hæc habeat?* ib.
Q. 3. *Bannorum sive proclamationum quis scopus sit?* ib.
Q. 4. *quid si vagi homines matrimonio jungi petant?* ib.
Q. 5. *quid erga eos parochus agere debeat, qui matrimonio jungi volunt, & eamobrem petunt fieri proclamationes?* ib.
Q. 6. *Utrum qui impedimentum aliquod matrimonio subesse cognoverint, ad ejus revelationem teneantur?* ib.
Q. 7. *quid si subesse impedimentum juridice probari non possit, numquid eo casu est revelandum?* 354
Q. 8. *quid si ex occulti impedimenti revelatione, boni nihil sperandum, gravissima mala timenda sint?* ib.
Q. 9. *quid si per confessionem Sacramentalem impedimentum cognitum fuerit?* ib.
Q. 10. *Utrum proclamationum defectu, irritum sit matrimonium?* ib.
Q. 11. *Utrum factis proclamationibus liberum sit, matrimonium in plures menses differre?* 355
Q. 12. *Ad quem pertineat super proclamationibus dispensare?* ib.
Q. 13. *Utrum in Episcoporum arbitrio sit, a matrimonii denunciationibus indifferenter, & sine causa legitima dispensare?* ibid.
Q. 14. *Quæ dispensandi causæ legitimæ sint?* 356.
Q. 15. *Utrum nullo casu possit matrimonium sine præviis proclamationibus contrahi, non obtenta ab Episcopo dispensatione?* ib.
Quæstio sexta & ultima. *De matrimonii impedimentis.* 357
Caput primum: *in ponendis impedimentis quid natura, quid lex civilis, quid Ecclesia valeat?* ib.
§. Primus, *ostenditur olim Ecclesiam potuisse, posse etiamnum constituere impedimenta matrimonium dirimentia.* 358
Probatio prima, *ex præscriptione.* ib.
Probatio secunda, *ex traditione.* 359
Probatio tertia, *ex theologica ratione.* 363
Adversariorum effugia præcluduntur. ib.
§. Secundus, *expenditur quid sæcularis auctoritas valeat, in impedimentis matrimonii statuendis.* 365
Caput secundum, *de impedimentis dirimentibus.* 366
§. Primus, *de impedimento erroris.* ib.
Diluuntur objectiones. 367

§. Se-

Digitized by Google

§. Secundus, *de impedimento conditionis.* 368
Diluuntur quæsita quædam. 369
Q. 1. *Utrum servus possit, nesciente vel invito Domino, inire matrimonium?* ib.
Q. 2. *Fuerit ne semper licitum servis, etiam invitis Dominis, inire matrimonia?* ib.
Q. 3. *Quanto tempore lex illa viguerit?* 370.
§. Tertius, *de impedimento voti.* ib.
Q. 1. *quid sit votum?* ib.
Q. 2. *quotuplex sit votum?* ib.
Q. 3. *quomodo inter se comparentur votum simplex & votum solemne?* 371
Q. 4. *an votum quodlibet, sive sit privatum aut publicum, simplex aut solemne, matrimonium dirimat?* ib.
§. Quartus, *de impedimento cognationis.* ib.
Sectio prima *De cognatione naturali.* ib.
Sectio secunda. *De cognatione legali.* 375
Sectio tertia. *De cognatione spirituali.* ib.
§. Quintus, *de impedimento criminis.* 378
§. Sextus, *de impedimento disparitatis cultus.* 379.
§. Septimus, *de impedimento violentiæ.* 380
§. Octavus, *de impedimento ordinis.* 381
§. Nonus, *de impedimento ligaminis.* ib.
§. Decimus, *de impedimento honestatis.* ib.
Q. 1. *ad quem gradum publicæ honestatis impedimentum extendatur?* 382.
Q. 2. *Utrum dissolutis mutuo consensu contrahentium sponsalibus, quæ valida ab initio fuerant, honestatis impedimentum cesset & evanescat?* ib.
Q. 3. *Numquid saltem hoc impedimentum morte tollatur?* ib.
§. Undecimus, *de impedimento affinitatis.* 383
§. Duodecimus, *de impedimento raptus.* 384
§. Decimustertius, *de impedimento matrimonii clandestini.* 385
Proponitur & resolvitur quæstio de parentum consensu; utrum sit nuptiis necessario præmittendus 386
Dico 1. *Matrimonia a filiis familias invitis aut insciis parentibus contracta, communi omnium judicio illicita esse.* ib.
Dico 2. *Nec jure naturali, nec lege Dei positiva irrita esse matrimonia, quæ filii familias invitis aut inconsultis parentibus ineunt.* 387
Dico 3. *posse, olimque potuisse Ecclesiam canonem condere, quo irrita fierent matrimonia filiorum familias, inconsultis vel invitis parentibus copulata.* 388
Dico 4. *Hujusmodi canonem condendum non judicasse Concilium Tridentinum: atque adeo matrimonium quantum ad substantiam validum esse, in iis saltem provinciis, ubi decreta Sanctæ Synodi ad disciplinam spectantia promulgata sunt.* ib.
§. Decimusquartus, *de impedimento impotentiæ.* 390
Caput tertium, *de impedimentis impedientibus.* ib.
I. *Ecclesiæ vetitum.* 391
II. *Tempus feriatum.* ib.
III. *Catechismus.* ib
IV. *Sponsalia.* 392
V. *Votum.* ib.
Caput quartum, *utrum; & a quo, & quatenus possint nuptiarum impedimenta laxari?* ib.
Q. 1. *quid sit dispensatio super matrimonii impedimentis.* ib.
Q. 2. *Utrum omnia quæ recensuimus matrimonii impedimenta possint sine discrimine relaxari?* ib.
Q. 3. *unde probetur posse Ecclesiam impedimenta a se constituta laxare?* ib.
Q. 4. *utrum quacumque de causa possint hæ dispensationes concedi?* ib.
Q. 5. *quandonam necessitas aut utilitas notabilis exigat dispensandi facilitatem?* 393
Q. 6. *Utrum dispensationum in causa matrimonii exempla antiqua sint?* ib.
Q. 7. *cui competat auctoritas super impedimentis matrimonii dispensandi?* ib.
Q. 8. *Utrum cuicumque petenti debeant dispensationes indiscriminatim concedi?* 394
Q. *Ultimo, utrum valida dispensatio sit, falso prætextu extorta?* ib.

QUÆSTIONES LIBRI DECIMI.

De Sacramento Matrimonii.

Quæstio prima. *Utrum possit matrimonio Sacramenti veritas asseri?* 395
§. Primus, *ostenditur matrimonium in Evangelica lege gratiam ex opere operato producere, adeoque omnes veri Sacramenti conditiones habere.* ib.
Probatio prima, *ex præscriptione.* ib.
Probatio secunda, *ex Græcorum Euchologiis & ritualibus Latinorum.* 398
Probatio tertia, *ex traditione.* 399
§. Secundus, *diluuntur Hæreticorum objectiones.* 400
Quæstio secunda. *Quis sit Sacramenti matrimonii minister necessarius & legitimus?* 405
§. Primus, *ostenditur solum sacerdotem Sacramenti matrimonii legitimum esse ministrum.* 406

Pro-

Digitized by Google

Probatio prima, *ex consensu omnium ætatum & Ecclesiarum.* ib.

Probatio secunda, *ex Ecclesiæ & Patrum decretis.* ib.

Probatio tertia, *ex theologica ratione.* 408

§. Secundus, *diluuntur objectiones.* 410

Quæstio tertia. *De materia & forma Sacramenti matrimonii.* 414

Dico 1. materiam Sacramenti matrimonii esse matrimonium ipsum, quatenus contractus civilis est & legitimus. ib.

Dico 2. formam hujus Sacramenti esse, verba sacerdotis : ego vos in matrimonium conjungo, in nomine patris &c. *vel similia juxta peculiarem cujusvis Ecclesiæ morem* : *ad quorum valorem nihil interest, sive absoluta sive deprecativa sint.* 415

Quæstio quarta. *De effectibus Sacramenti matrimonii.* ib.

Dico, gratiam quam matrimonii Sacramentum ex opere operato producit, iis malis afferre remedium, quibus proto-parentum peccato vitiatæ nuptiæ erant. ib.

Quæstio quinta. *De ritibus matrimonii conferendi.* 417

§. Primus, *describuntur cæremoniæ inter Latinos solemnes.* ib.

§. Secundus. *De Græcorum cæremoniis.* ib.

§. Tertius, *immerito matrimonii cæremonias hæretici reprehendunt.* ib.

Concilii Tridentini decretum de Contractu & Sacramento matrimonii. 418

L I-

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS.

De Sacris ordinationibus deinceps, Deo juvante, dicturi, præcipuam aggredimur rei Sacramentariæ controversiam. Divinæ namque, quam profitemur, Religionis solidissimum fundamentum est ordo, sine quo nec verum corporis & sanguinis Christi sacrificium, nec potestatem peccata dimittendi, nec confirmationis, nec unctionis extremæ, nec nuptialis Benedictionis legitimum exercitium, & ne baptismi quidem ipsius ordinarium ministerium Ecclesia habitura esset. Ex quo enim illam Deus, homo factus acquisivit sanguine suo; semper & ubique creditum est, nonnisi ab hominibus Divino cultui, & procurandæ aliorum saluti specialiter consecratis, posse tam sublimia mysteria veraciter dispensari: adeoque ordinem sacrum diruere, idem esse ac ipsam funditus Ecclesiam demoliri. Itaque præsentis libri meta una est, unus scopus, constituta Sacrorum ordinum veritate, omnia Jesu Christi Sacramenta stabilire, asserere, & ab adversariorum insultibus vindicare. Quoniam vero patet quæstio ista latissime, & pleraque tum de ipso ordine generatim, tum de singulis in speciali ordinationibus discutienda occurrunt; ut via procedamus ac methodo, dicemus,

1. De Sacramento Ordinis in Communi.
2. De singulis in specie ordinibus.

Sit igitur

PARS PRIMA.

De Sacramento ordinis in communi.

Erunt hujus primæ partis quæstiones quæ sequuntur: 1 Utrum ordo verum sit ac proprie dictum Sacramentum? 2 De numero ordinum: 3 De materia eorumdem: 4 De forma: 5 De Auctore: 6 De Ministro: 7 De effectibus: 8 De subjecto: 9 De dispositionibus ordinationi præmittendis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum ordo verum & proprie dictum sit Sacramentum?

ORdinationem Sacram Legis Evangelicæ Sacramentis annumerari, Orientis & Occidentis perpetua consensio fuit. Primi omnium Lutherus, ejusque sequaces, Sacramentum Ordinis Ecclesiæ Christi incognitum, inventumque Papisticæ Synagogæ esse, impudentissime more suo calumniando, commenti sunt. Nec mirum: cum enim seditiosæ postremorum temporum hæreses maxime ab odio Clericalis ordinis, &

turpi adverſum Laicos, quorum favorem ambiebant, aſſentatione prodierint, temperare ſibi novi, ſi ſuperis placet, prophetæ non potuerunt, quin Sacram Hierarchiam ſubvertentes, Laicos cum legitimis miniſtris confunderent, quaſi utrorumque diſcrimen aut uullum eſſet, aut ab hominum nutu & arbitrio totum penderet.

Calvinus quamquam ordinationes in Eccleſia fieri ſolitas ſæpe deriſerit, & expunxerit ex albo Sacramentorum, duo tantum cum Lutheranis ſymbola Sacra admittens, baptiſmum & Euchariſtiam; veritate tamen ipſa cogente, Sacerdotium verum eſſe novæ legis Sacramentum aliquando confeſſus eſt. „ Quantum, *inquit*, (*lib.* 4 *inſtit. c.* 19 *n.* 28) ad verum presbyterii munus attinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum; libenter eo loco habeo, (*Sacramenti nimirum.*) Illic enim cæremonia eſt, primum ex Scripturis ſumpta; deinde quam non eſſe inanem nec ſupervacuam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum, teſtatur Paulus. Quod autem tertium in numero non poſui, (*poſt baptiſmum & Euchariſtiam*) eo factum eſt, quod non ordinarium nec commune eſt apud omnes fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus ".

Lutherani & Calviniſtæ, etſi parum ſibi in hac controverſia conſtent, modo aſſerendo, modo negando, ordinem Sacramentum eſſe; communius tamen Lutheri impietati & errori conſentiunt: quin ne ii quidem ipſi qui Sacramentum eſſe affirmant, quod ore confitentur revera tenent. Nam nec materiam nec formam ordinationis obſervant, ſine quibus ordo conſiſtere, ex divina inſtitutione non poteſt. Cumque Epiſcopos aut omnino nullos, aut ſine ſucceſſione & legitima origine, adumbratos & adulterinos habeant; miniſtros Sacros ex conſequenti habere non poſſunt, quos a ſolis poſſe Epiſcopis ordinari, divina pariter ſanctio eſt. Itaque eorum presbyteri ac miniſtri, non aliam niſi quam a Magiſtratu & populo, eamque temporariam auctoritatem exercent: quo fit, ut hodie inter illos plerumque Laicus ſit, qui heri presbyter vocabatur, & qui heri Laicus, hodie munus Evangelii explicandi uſurpet, plebis infimæ ipſarumque muliercularum ſuffragio miniſter Sacer renuntiatus. Non magis itaque verum Sacerdotium, quam ſacrificium & Euchariſtiam arrogare ſibi poſſunt.

Sacræ Ordinationis varia nomina, & definitio explicantur.

Hicque eorum palmaris eſt error in præſenti confutandus, ſi prius diverſa nomina receuſuerimus, quibus ſolet hoc Sacramentum exprimi a Græcis & a Latinis, & veram ejus attulerimus definitionem, ne quem deinceps vocum ambiguitas, aut rei ipſius de qua tractatur, ignorantia remoretur.

Ad Latinos quod attinet, duobus jam inde ab initio nominibus inſignitur: aliquando enim *Ordo*, aliquando *manuum impoſitio* appellatur.

Ordo, inquam, dicitur: cujus vocis triplex in primis ex uſu linguæ ſignificatio commendatur.

1. Ordo eſt, debita & conveniens diſpoſitio, qua fit, ut ſuis quæque locis aptentur.

2. Eſt, fixa & ſtabilis multorum conditio: quomodo in republica tres vulgo ordines diſtinguuntur, Eccleſiaſticus, nobilis & plebejus.

3. Actio eſt, & Sacra cæremonia, qua quis ad Sacrum miniſterium promovetur, & rebus divinis agendis conſecratione myſtica deputatur.

Quæ quidem ſignificationes in illud quod vindicare proponimus Sacramentum, aptiſſime quadrant.

1. Enim per Sacram ordinationem ſuis fideles ſinguli locis collocantur. Illa enim fit, ut ſubditi ſuperioribus, oves paſtoribus, fideles doctoribus pareant: ejusque hoc proprium eſt, ut longam miniſtrorum ſeriem complectatur, quorum alii templum luſtrent purgentque, fores occludant aut reſerent, indignos arceant, dignos admittant; alii ſcripturam divinam publice legant; alii cereos accendant: alii Sacram menſam insternant, panem & vinum offerenda adornent; alii Sacerdotem, ad quem unum Sacrificii offerendi pertinet auctoritas, comitentur & juvent, eidem proxime hæreant & obſequantur: alii denique venerabili miniſtrorum corona cincti, terram inter & cælum velut medii, incruento ſacrificio Deum totius majeſtatis glorificent, ſibique & populo fideli placabilem reddant.

2. Eſt etiam ordinis Sacramentum, fixa & ſtabilis multorum conditio, qui a populo peculiari vocatione ſegregati, & deſtinati ad Sanctum miniſterium, legum Sacrarum fœdere inviolabili conneſtuntur, nec poſſunt ſine facinore deſerere ſuſceptum munus: præſertim cum ordinatio Sacra unctos Domini indelebili charactere inſigniat, & in æternum conſecret Deo.

3. Denique ordinem eſſe cæremoniam Sacram, qua quis ad divinum miniſterium deputatur, ex ipſa ejus definitione inferius afferenda evidens erit.

Apud eoſdem Latinos ordinatio, ut prædiximus, appellatur, *impoſitio manuum*: cujus qui-

Digitized by Google

quidem vocis origo non aliunde quam ab ipsa hujus Sacramenti materia, manuum scilicet impositione repeti debet.

Quem Latini, *ordinem*, Græci ἱερωσύνην dicunt, duoque illi propria nomina solent assignare, modo χειροτονίαν, modo ο χειροθεσίαν appellando: quæ voces nihil habent difficultatis, si modo quis audiverit, (1) χειροτονίαν & χειροθεσίαν, idem ac Latine esse, manuum impositionem & extensionem: habent & singuli in specie ordines propria quibus notantur Epitheta, quæ suis quæque locis explicabuntur.

Jam Sacræ generatim ordinationis definitio est, *Sacramentum, quo spiritualis potestas traditur ordinato, ac ad ea quæ tum divini cultus sunt, tum ad animarum salutem pertinent, exequenda*.

Sacramentum dicitur, *res nimirum sensibus subjecta, ex divina institutione, sanctitatis & justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habens*. Cæteris particulis virtus per Sacram ordinationem collata significatur, potestas nimirum incruentum Missæ Sacrificium offerendi, prædicandi Evangelium, dimittendi peccata, & plures alias functiones exercendi. Unde evidens est, definitionem hanc ad Sacerdotium præcipue pertinere: qua autem ratione inferiores presbyteratu ordines complectatur, in posterum ostendere nostrum erit. Hoc porro in præsenti agitur, ut prædicta definitio vindicetur. Quapropter sit

§. PRIMUS.

Sacram Ordinationem verum esse & proprie dictum legis Evangelicæ Sacramentum, argumentis certissimis demonstratur.

Doctrina hæc fidei est, in Concilio Trid. contra novam Lutheri hæresim definita: *cum Scripturæ testimonio*, inquit, (*Sess. 23, c. 3*) *Apostolica traditione, & patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, ordinem esse vere & proprie unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis: inquit enim Apostolus: admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis & sobrietatis . . . .* (*ibid. can. 3*) *Si quis dixerit, ordinem, sive Sacram ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum: anathema sit.*

Tridentinis patribus præluserat *Eugenius IV* Pontifex Max. in suo post Concilium Florentinum, pro Armenorum instructione decreto, ordinationem Sacramentis novæ legis annumerando.

Confecta res erit, si ex Scriptura Sacra & traditione ostenderimus, ordinem tres conditiones habere, quibus Sacramentum proprie dictum necessario constare, nec ipsi diffitentur Hæretici, scilicet ritum externum & sensibilem esse, gratiæ importare promissionem, divino denique mandato ac institutione inniti.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

De Sacris ministris in Novo Testamento multiplex, sæpeque repetita mentio est.

Lucæ 22, 29, post Eucharistiam institutam: *hoc facite*, ait Dominus Jesus, *in meam commemorationem*.

1 Cor. 11, 24, & seq. *hoc facite in meam commemorationem . . . Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem*.

Act. 6, 6, de 7 primis Diaconis author Sacer sic loquitur: *hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*.

Ib. cap. 13, v. 2, & seq. de Saulo & Barnaba sic habetur: *ministrantibus autem illis* (Apostolis) *Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*.

Ib. c. 14, v. 22, *cum constituissent* (Paulus & Barnabas) *per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt*.

Ib. c. 20, 28, Paulus vocatis ad se majoribus natu Ecclesiæ: *attendite vobis*, inquit, *& universo gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*.

Ephes. 4, 11, *ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores: ad consummationem San-*

(1) *Vox Chirotoniæ in duobus novi Testamenti locis occurrit, & in omnibus adhibetur Græcorum Euchologiis Scriptisque Patrum, si Pseudodionysium excipias, qui alias voces adoptat.*

ctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti.

1 Ad Tim. 4, 14, *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.*

Ib. c. 5, v. 22, *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.*

2 Ad Tim. 1, 6, *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Ep. ad Titum c. 1, v. 5, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.*

Inde ſic informatur argumentum:

Ad verum legis novæ Sacramenta tria requiruntur, abundeque ſufficiunt: 1 ut ſit cæremonia ſenſibilis: 2 ut in ipſius uſu & exercitio gratia non ponentibus obicem infallibiliter conferatur: 3 ut ſit divinitus & permanenter inſtitutum; atqui ex Scripturarum auctoritate ordinatio Sacra tres illas conditiones importat.

1. Cæremonia ſenſibilis eſt. Nam quod manus alicui imponatur, & publice ſuper eum effundatur oratio, opus ſenſibile eſt, cum ſub oculis tranſigatur; atqui Sacra ordinatio in impoſitione manuum & oratione conſiſtit: *hos ſtatuerunt*, inquit, *ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus..... Tunc orantes, imponentesque eis manus, dimiſerunt illos....manus cito nemini impoſueris, &c.* ergo &c.

2. Per Sacram ordinationem, gratiam non ponentibus obicem infallibiliter conferri, aperte clamant Apoſtoli verba modo laudata: *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum presbyterii . . . admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Harum enim ſententiarum aut nullus ſenſus futurus eſſet, aut ſi quem haberent, falſum haberent; niſi manuum impoſitio, gratiæ influendæ, inſita divinitus virtute polleret.

3. Sacram ordinationem eſſe divinitus, perpetua lege ſancitam, ex iiſdem Scripturis planum eſt. Numquid enim iſta humanum quid ſapiunt: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Sp. Sanctus poſuit Epiſc. regere Eccleſiam Dei?* Numquid hominum conſtitutio iſta eſt: *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti?* Numquid non ab ipſo Chriſto dictum: *hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem?* Quod denuo confirmans Apoſtolus: „ (1 *Cor.* 11, 23, & *ſeqq.*) ego, *inquit*, „ *accepi a Domino quod & tradidi* vobis: quo„ niam Dominus Jeſus in qua nocte tradeba„ tur, accepit panem, & gratias agens fregit „ & dixit: accipite, & manducate, hoc eſt „ corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc „ facite in meam commemorationem. Similiter „ & calicem poſtquam cœnavit, dicens, hic „ calix Novum Teſtamentum eſt in meo ſan„ guine: hoc facite quotieſcumque bibetis in „ meam commemorationem..." Ne vero quid deeſſet ad ſacerdotii plenitudinem, quibus pridie mortis ſuæ offerendi in corpore & ſanguine ſuo Sacrificii fecerat poteſtatem, iiſdem poſt reſurrectionem peccata remittendi miniſterium in perpetuum contulit. *Accipite*, inquit, (*Joan.* 20, 22) *Sp. Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt.*

Inde ſic inſtauratur argumentum:

Iis verbis ex Evangelio & Apoſtolo recitatis Chriſtus Apoſtolos inſtituit ſacerdotes: rurſum quibus ſacerdotium contulit, ejuſdem in poſteros propagandi plenam dedit auctoritatem. Nec enim ad eos ſolos hæc dicta putanda ſunt, quaſi ad eorum ſucceſſores non pertinerent: cum in Apoſtolorum perſona, Eccleſiæ per eos fundandæ atque ædificandæ, in perpetuum proviſum eſſe voluerit: atqui Apoſtoli Eccleſiæ miniſtros inſtituendo & ordinando, manuum impoſitionem tamquam externum ſignum adhibebant, quo ſpiritualis gratia miniſterii ſignificaretur. Ergo ritum hunc eis fuiſſe divinitus imperatum, niſi infideles volumus eſſe, credendum eſt.

PROBATIO SECUNDA.

Ex eo quod verum in nova Lege ſacrificium ſit.

„ Sacrificium & ſacerdotium ita Dei ordi„ natione conjuncta ſunt, *inquit Concilium Tri„ dentinum*, (*ſeſſ.* 23, *c.* 1) ut utrumque in „ omni lege extiterit. Cum igitur in Novo „ Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium „ viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Ec„ cleſia acceperit; fateri etiam oportet, in ea „ novum eſſe viſibile & externum ſacerdotium, „ in quod vetus tranſlatum eſt. Hoc autem ab „ eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum „ eſſe; atque Apoſtolis eorumque ſucceſſori„ bus in ſacerdotio, poteſtatem traditam con„ ſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & „ ſanguinem ejus, nec non & peccata dimit„ tendi & retinendi, ſacræ litteræ oſten„ dunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper „ docuit".

Ita

Ita S. Synodus, ad cujus mentem sic informo argumentum: in Ecclesia Christiana verum est, externum, ac visibile Sacrificium. In ea quippe quod a Propheta fuerat prædictum, impletur: (*Malach.* 1, 11) *ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*: ergo in eadem ordinem ministrorum esse oportet, a quibus hoc sacrificium offeratur: hæc enim duo sic esse conjuncta, ut uno posito, necessario aliud sit ponendum, unoque sublato alterum auferri necesse sit, naturæ ipsius anticipatio est: nulla namque fuit unquam, sive vera, sive falsa Religio, quæ legi sacrificandi, sacrificiorum ordinem non conjunxerit, quos ritu solemni ad Divinam, sive quæ talis putabatur, rem peragendam inaugurabant: habuerunt cultores idolorum Pontifices, suos sacerdotes, & victimarum immolandarum ministros, quibus, ceu numine divino afflatis, honores quos poterant maximos deferebant: habuit veteris Testamenti, Deo Authore, a Moyse fundata religio, ut ex Levitico, cæterisque sacris libris notissimum est. Jam sic subsumo:

Atqui in falsis quæ terram antiquitus contaminaverunt Religionibus, sacerdotium pro vero Sacramento habitum est, quo perversi homines, non tam rebus sacris, quam sacrilegis, Diabolo suadente dedicabantur; in antiqua vero lege, quæ sola verum Deum colebat, revera Sacramentum fuit, magno rituum apparatu consecratum, & gratiam, si non ex opere operato, saltem ex fide & meritis dantium & suscipientium influens: ergo ut in nova lege veritas figuram impleret, quemadmodum Typicis sacrificiis successit sacrificium corporis & sanguinis Christi; ita Ordini & Sacramento Aaronico, debuit Ordo ministrorum succedere, qui Christi, summi secundum Ordinem Melchisedech sacerdotis, vices visibiliter implerent, & rebus divinis agendis præficerentur: indeque est, quod Lutherani & Calvinistæ conculcato sacerdotio, sacrificium ipsum, potestatem ligandi atque solvendi, & cæteras sacri ministerii functiones, errore necessario abstulerunt.

PROBATIO TERTIA.

Et traditione.

Deinde. Veritatem constanti traditione acceptam conculcare, summa perfidia est: *quod enim universa tenet Ecclesia*, ait sæpe laudatus S. Aug. (*libr. 4 contr. Donat. c. 24*) *nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Porro non tradiderunt Apostoli, nisi quod a Christo acceperant: atqui sacram ordinationem tota retro antiquitas velut Sacramentum a Christo institutum suspexit. Nam

1. Patres ordinem divina esse auctoritate dispositum crediderunt: sic S. Ignatius Martyr, *omnes*, inquit, (*in Ep. ad Smyrnenses*) *Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium, ut Apostolos: Diaconos reveremini, ut ex Dei præcepto ministrantes ....* „ similiter S. Chrysostomus: sacerdotium ipsum, „ *ait*, (*lib. 3 de sacerd.*) in terra quidem „ peragitur; sed in rerum cœlestium classem, „ ordinemque referendum est: atque id perquam „ merito: quippe non mortalis quisquam, non „ Angelus, non Archangelus, non alia quævis „ creata potentia; sed ipse Paracletus ordinem „ hujusmodi disposuit".

2. Ordinem ritu quodam externo perfici non secus ac alia Sacramenta, Sanctis Doctoribus semper fuit persuasum: ab antiquo enim solemne fuit, ordinationem, χειροτονίαν, seu, manuum impositionem vocare; sic S. Hieronymus in c. 4 Isaiæ, χειροτονίαν, *manuum impositionem* interpretatur. S. Ambrosius, sive quisquis est author libri *de dignitate sacerdotali*, c. 5, *quis* inquit, *dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio: Deus; sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera*. Pariter auctor commentarii in Ep. S. Pauli sub Ambrosii nomine: „ gratiam, *inquit*, (*in c. 4, 1 ad Tim.*) dari significat „ per prophetiam, & manuum impositionem. „ Propheta est, qua eligitur, quasi Doctor futurus idoneus: manus vero impositionis verba sunt mystica quibus confirmatur ad hoc „ opus electus accipiens auctoritatem, ut audeat vice Dei, Domini sacrificium Deo offerre".

3. Per sacram ordinationem gratiam conferri, ad unum omnes tenuerunt; sic inter cæteros S. Gregorius Nyssenus, ejus efficaciam expendens: " verbi Christi vis, *inquit*, (*orat. in* „ *baptism. Christi*) sacerdotem augustum & honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum: cum enim heri „ ac tempore superiori, unus e multitudine ac „ plebe esset; repente redditur præceptor, præses . . . eaque contingunt ei, cum nihil vel „ corpore, vel forma mutatus sit, sed quod ad „ speciem externam attinet, ille sit qui erat, „ invisibili quadam vi ac gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens...." Pari sensu apud Sozomenum, (*hist. lib. 7, c. 10*)

Digitized by Google

10) legitur hæc *Martyrii* cujusdam ad Nectarium sententia: *tu o Beate, recens baptizatus ac purificatus, & mox insuper sacerdotio auctus es: utraque autem hæc peccatorum expiatoria esse Deus constituit* . . . nec minus expressa hujus veritatis declaratio in Concilio Œcumenico Chalced. an. 450. " Si quis Episcopus, *inquiunt Patres*, (*Can.* 2) per pecuniam ordinationem fecerit, & pretio redegerit Sp. Sancti gratiam quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet de his qui cognominantur in clero promoverit, ... qui hoc attentare probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit, &c."

Unum juvat e pluribus addere S. Aug. qui multis locis ordinationem baptismo æquiparat, & Sacramentum appellat, & effectum ei spiritualem attribuit: sic contra donatistas disputans qui baptisma per hæresim non deleri confitebantur, sed dandi baptismi potestatem sacerdotio annexam penitus auferri existimabant: *nulla*, inquit, (*lib.* 2 *cont. Parmen. c.* 13) *ostenditur causa, cur qui baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit; utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur . . . ipsi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti: si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, & istud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est*..... quorum similia alibi repetens: (*lib.* 1 *cont. Donat. c.* 1) *Sacramentum baptismi est*, inquit, *quod habet qui baptizatur: & Sacramentum dandi baptismi est, quod habet qui ordinatur; sicut autem baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi baptismi non amittit: nulli enim Sacramento injuria facienda est: si discedit a malis, utrumque discedit: si permanet in malis, utrumque permanet. Sicut ergo acceptatur baptismus, quem non potuit amittere qui ab unitate discesserat; sic acceptandus est baptismus, quem dedit ille qui Sacramentum dandi, cum discederet non amiserat. Nam sicut redeuntes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur; ita redeuntes qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur: sed aut administrant quod administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postulat: aut si non administrant, Sacramentum ordinationis suæ tamen gerunt: & ideo eis manus inter laicos non imponitur*.

¶ Hanc etiam ævo suo fuisse Ecclesiæ fidem pro certo habet S. Leo M. Ep. 1, alias 87, ad Episcopos Mauritaniæ c. 3, dum de sacra Ordinatione loquens ait: *quis dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* Et Ep. 11, alias 81, ad Dioscorum: *cum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Sp. Sancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus, ut intelligamus quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*. Porro S. Pontificem loqui de Sacramento Ordinis, ex iis, quæ Dioscoro subjicit satis liquet: inquit enim: *& ideo pie, & laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus preesse te voluit, etiam ipse servaveris*.

Certum itaque ex traditione est, ordinationem verum esse Sacramentum a Christo Domino institutum.

PROBATIO QUARTA.

Ex præscriptione.

Cui argumento, ex præscriptione invictum robur accedit: illud enim pro vero Sacramento habendum est, quod esse sacrum conferendæ specialis gratiæ signum, tota per Orientem & Occidentem Christiana Ecclesia profitetur, semperque professa est; atqui quotquot hodie in Oriente & in Occidente, (demptis Lutheranis & Calvinistis) Christiano nomine censentur, sacram ordinationem in Sacramentorum numero collocant; eademque præcedenrium ætatum fides fuit, ita ut ejus exordium non possit nisi ab Apostolicis temporibus repeti.

De Occidentalibus sive Latinis hodiernis non necesse est dicere, quorum, si novis hæreticis credimus, crimen & prævaricatio est, quod ordinem, contra Christi institutionem fecerint Sacramentum. Quid si ostenderimus in eadem Græcos omnes & Orientales damnatione esse? eos enim sine exceptione, pari ac Latinos reverentia, ordinationem Sacramentis Evangelicis accensere argumentum convincentissimum est, forma Hierarchica quæ ubique in his tam diversis regionibus sine discrimine viget: habent Constantinopolitani, Antiocheni, Alexandrini, Hierosolymitani Patriarchas, Episcopos, Presbyteros, Diaconos suos, & inferiores ministros, nec putant quemquam posse Episcopatu, Presbyteratu, aut Diaconatu defungi, qui non fuerit secundum canonicam disciplinam rite promotus, & per Episcopalem manuum impositionem cum adjuncta oratione ordinatus: ne vero putet aliquis, ab iis solis disciplinam hanc observari, qui sedi Apostolicæ fidei & unitatis communione junguntur: eadem Nestorianorum,

Ja-

Jacobitarum, Coptorum, Armenorum, Æthiopum norma ac regula est. In tam diversis sectis ac factionibus plena concordia reperitur; quæ sane convictio est, fidem hanc ab ea unitate descendere, in qua omnes primitus Ecclesiæ jungebantur, & unde hæreses omnes ac schismata, pravis opinionibus scissa sunt: edant, si potis est, Protestantes exemplum aliquod aut testimonium, unde constet aliquem in Oriente officia Ecclesiastica, Eucharistiam consecrandi, ligandi peccatores atque solvendi, aliasque functiones sacras sine prævia per manum Episcopi, ordinatione, probante Ecclesia, usurpare. Quin e contra si quid sapiunt, & si qua eos propriæ salutis cura premit, ubique gentium errorem suum esse profligatum vere & humiliter recognoscant: ex quo enim Lutheranorum Augustana confessio, in Orientem pervenit, Græcorum omnium & Orientalium authenticis testimoniis declaratum est, septem esse legis Evangelicæ Sacramenta, a Christo summo Legislatore sancita; & in eo numero sacrum ordinem contineri: extant etiamnum de hac re, nulla unquam oblivione delenda, Jeremiæ Patriarchæ Constantin. *in responsion. ad Theologos Wittembergenses*, Gabrielis Philadelphiæ Metropolitani, *in tract. de Sacramentis*, Meletii Piga Patriarchæ Alexandrini, Gregorii Coressii, Gregorii Proto-syncelli, *in Synopsi Sacramentorum*, confessionis orthodoxæ, Meletii Syrigi, *in refutatione confessionis Cyrilli*, omnium Orientis Patriarcharum, & diversarum denique Synodorum decreta ac documenta: contra hæc tanti ponderis testimonia fidem Græcorum in dubium mittere, summæ dementiæ, & profligatæ impudentiæ fuerit.

Quod autem hæc Græcorum ac Latinorum, non de novo suscepta, sed ab antiquo accepta professio sit, præter auctoritates adductas, & alias quæ numero majore afferri possent, luce clarius demonstratur ex omnibus qui ubique in Oriente & in Occidente extant Ritualibus & Pontificalibus libris: ibi enim sacri ritus in ordinatione servandi accuratissime præscribuntur, manuum impositio ab Episcopo facienda, & preces fundendæ notantur, quarum sensus unus est, una vox, ordinationem verum esse Sacramentum, quippe quæ gratiam ministerii, offerendi sacrificii potestatem, ligandi auctoritatem atque solvendi, verbi Dei annunciandi jus, dispensandi Sacramenta facultatem, & characterem indelebilem conferat: nec est quod de horum librorum auctoritate, quasi recentius scripti fuerint, dubium ullum excitetur. Nam præterquam quod eorum propalare novitatem, Lutheranorum & Calvinistarum interest, quod hactenus non potuerunt: extant in diversis Ecclesiarum archiviis primitivi antiquissimi codices, quibus detrahere fidem, idem est ac meridie diem esse negare. Ergo ordinem divinis Sacramentis annumerari negari non potest: *quod enim apud multos unum invenitur*, ait sæpe laudatus Tertull., *non est erratum, sed traditum.*

§. SECUNDUS.

Solvuntur quædam objectiones.

Quæ contra opponi possunt argumenta pene universa præoccupavimus l. 1 de Sacramentis in genere, q. 2, & 5, ubi de numero, & ministris Sacramentorum fuse est disputatum. Quod e re sua erit, inde Theologus studiosus exquirat: unum hic quod facere contra certitudinem præscriptionis videtur, juvat expendere.

Græcos, inquiunt, Sacramentis Evangelicis ordinationem non computare, *Cyrillus Lucar* Patriarcha Constantinop. proxime elapso sæculo, non suo tantum, sed Græcorum omnium nomine publice contestatus est: sic enim loquitur in confessione fidei, an. 1629, & an. 1633, cura Genevensium promulgata: *credimus*, inquit, (*c.* 15) *Evangelica Sacramenta ea esse, quæ in Evangelio Christus nos docuit: eaque duo esse*, (Baptismum & Eucharistiam:) *totidem enim accepimus, nec plura divinus legislator præscripsit.* Ergo ordinem esse Sacramentum consensione omnium non probatur.

R. concesso ant. n. conseq. hominem insigniter nefarium *Nectarium* fuisse, nullius fidei, Sycophantam vaferrimum, Ecclesiæ Grææcæ Apostatam, nec Calvinianæ factionis cui in speciem gratificabatur, tenaciorem, alibi diximus. Hoc unum in præsenti reponimus, in hoc suæ confessionis capite, uti & in cæteris mentitum impudentissime esse, & neque sibi, neque Græcis anterioribus, nec coætaneis consensisse.

Sibi, inquam, ipsi in illa confessione contrarius est repertus: si enim ordinis Sacramentum vere putabat humanum esse commentum, Evangelicæ veritati repugnans, debebat Patriarchatum Constantinopolitanum quem subdole & malis artibus invaserat, abdicare, ut facta fidei responderent: quid enim detestabilius est, quam Episcopatum exercere, eumdemque hoc ipso tempore ordinem divinitus institutum negare? atqui Nectarius eodem tempore quo perfidam fidei confessionem clanculum Calvinianis Pseudo-ministris, suis ut commodis faveret, subministravit, publice volebat videri Episcopus, Patriarchica munia adimplebat, ordinationes præscriptis temporibus faciebat: & ne quid impietati deesset, Episco-

pa-

patus, & Metropoles nundinatione sacrilega negotiabatur: duplicis prævaricationis convictus; tum quod volens & sciens auctoritatem exerceret, quam contra verbum divinum usurpatam contendebat; tum quod eamdem numerata pecunia venderet. Ille vero homo est, cujus testimonio Calvinistæ gloriantur.

Jam quod a Græcis prædecessoribus suis recesserit, notius est quam ut probatione nova indigeat. Ordinem enim vere esse Sacramentum, paulo antea *Jeremias* Patriarcha confessionem Augustanam refellendo, totius Græcæ Ecclesiæ nomine, & probante clero universo propugnaverat: eadem *Simeonis Thessalonicensis*, ante Concilium Florentinum, sententia fuerat: *septem sunt*, inquiebat, *dona Sp. Sancti*, *sicut Isaias dicit*: *septem pariter Sacramenta Ecclesiæ*, *quæ Sanctus Sp. operatur: videlicet baptisma*, *unctio Chrismatis*, *sancta communio*, *ordinatio*, *matrimonium*, *pænitentia*, *& oleum sanctum* (*in tract. de Sacram.*). Idem, *Joannes Palæologus* Constantinopoleos, Imperator, Andronici secundi filius publice professus fuerat: *Credo*, inquiebat, (*in profess. fid.*) *id quod S. Romana Ecclesia tenet & docet*, *septem esse Ecclesiæ Sacramenta*, *baptismum*, *unctionem Chrismatis*, *pænitentiam*, *Eucharistiam*, *ordinationem*, *matrimonium*, *& extremam unctionem*.

Denique a coætaneis suis, & ab iis qui deinceps secuti sunt, Cyrillus dissensit; & ab omnibus una voce damnatus est. *Anathema Cyrillo*, ait Synodus Constantinop. an. 1638, a Cyrillo Berrœensi coacta, *nova dogmata fabricanti*, *septem Ecclesiæ Sacramenta esse neganti*, *duoque tantum a Christo instituta in Evangelio mentienti*, *baptismum & Eucharistiam:* par alterius Synodi, an. 1642, celebratæ sententia fuit: Quodque notatu dignissimum, *Cyrillus* tantæ, si Calvinianis credimus, auctoritatis præceptor, nemini Græcorum, neque dum viveret, neque post mortem, suam sententiam persuasit, nisi misero cuidam laico, *Joanni Caryophillo*, perditissimo, nulliusque religionis homini, quem *Callinicus* Patriarcha, an. 1691, solemni decreto damnavit, & *Dositheus* Patriarcha Hierosolymitanus data opera confutavit: *si quis dixerit*, Inquit, (*in tractat. cont. Joannis Caryophilli hæreses an.* 1694 *edito*) *septem novi Testamenti Sacramenta non fuisse a Jesu Christo Domino nostro instituta*, *& esse plura aut pauciora quam septem*: *anathema sit*. *Si quis dixerit*, *hæc septem non esse vere & proprie Sacramenta*: *anathema sit*.

Nihil itaque contra argumentum præscriptionis, *Cyrilli*, *& Caryophilli*, aberratio facit; quomodo nec vim ejus Lutheranorum, & Calvinistarum error infringit.

Inst. Græcos, & Orientales ordinationem pro vero Sacramento non habere, non Lutherani tantum & Calvinistæ, sed & nostrorum plerique scripto mandarunt: quam sæpe enim violati ordinis accusati sunt, tum ab iis qui de diversis Orientalium sectis & Religionibus scripserunt, tum a Missionariis, tum a scholasticis Theologis qui Græcos ordinationum nec materiam nec formam legitimam observare, serio & graviter disputarunt? quid quod hujus rei tanta persuasio fuit, ut sæpe contigerit Presbyteros, & Episcopos Orientales, quando in Ecclesiæ Romanæ sinum redibant, a nostris Episcopis iterum ordinari? Ergo Græcorum cum Latinis in hoc capite consensio nulla est.

℞. Dato per omnes partes antecedente, n. conseq. de Græcorum enim & Orientalium fide, non ex præjudicatis quorumdam opinionibus, neque ex privatis quibusdam factis, sed ex publicis & authenticis instrumentis judicium esse debet: quod sæpe ante monuimus. Porro ordinationem Evangelicis Sacramentis eos accensere, certissima testimonia sunt in disciplina Orientali, in Euchologiis, & Pontificalibus libris, & in dogmaticis eorum scriptis, ubi ordinatio cæteris Sacramentis æquiparatur: quidquid itaque in contrarium historici, Missionarii, & scholastici dixerint, tamquam a vero alienum contemni debet ac rejici, prout revera ab Ecclesia Catholica & Romana contemptum est: constat enim:

1. Nullam umquam Græcis & Orientalibus de hac re litem ab Ecclesia intentatam.

2. In Concilio Florentino, Græcorum ordinationes pro veris ac legitimis agnitas: ibi enim eorum Patriarchis, Episcopis, & Presbyris honos, non secus ac nostris est habitus: nec ulla de sacris gradibus, an vere in Oriente reciperentur, contentio fuit.

3. Pontifices Maximos, nominatim vero *Leonem* X, & *Clementem* VII, decretis solemnibus Græcorum ritus approbasse, & expresse prohibuisse, ne in regionibus ubi Latinis subditi sunt, ulla eis, occasione hac, molestia inferretur.

4. *Urbani* VIII Pontificis Max. temporibus, cum Theologi plerique contenderent, ordinationes Græcorum & Orientalium irritas esse, eosque iterum ordinandos, qui reverterentur in unitatis Ecclesiæ gremium, quæstionem hanc, ejusdem Pontificis jussu, maturo examine fuisse discussam, & Græcorum ordinationes pro veris ac legitimis habitas.

Contra hanc tanti ponderis auctoritatem, quid possunt historici, de iis quæ nesciebant, & fal-

& falso rumore acceperant, plerumque locuti? quid Missionarii, pii illi quidem, & Dei æmulationem habentes, sed non secundum scientiam; quippe in antiqua disciplina, aut nihil, aut parum versati? quid denique scholastici, non ex regula antiqua, sed ex scholarum opinionibus ac novellis placitis, de Sacramentis eorumque veritate sententiam mentientes; quibus si mordicus acquiescere propositum fuerit, Conciliis & sum. Pontificibus contrarii erimus? jam quod aliquando repetita Græcorum ordinatio fuerit, dolendum hoc quidem, quia contra regulam factum; sed non pro argumento sumendum. Inde enim non potest jus statui, ubi juris manifesta infractio fuit.

De prima quæstione sat dictum. Erit quæ sequitur paulo gravior.

QUÆSTIO SECUNDA.

De numero ordinum.

IN Ecclesia præter sacerdotium alios ordines esse, dogma fidei est, confirmatum a Concilio Trid. (*sess.* 23, *can.* 6) *Si quis dixerit*, inquit, *præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur: anathema sit.*

Et vero illud est necessario admittendum, quod ab ipsis legis Evangelicæ primordiis, numquam interrupta traditione retentum est. Porro ordinum numerum ac diversitatem, a primis ipsis temporibus admiserunt majores nostri. Quod ut manifestum fiat, dicemus, 1 de Latinæ, 2 de Græcæ & Orientalis Ecclesiæ ordinibus: deinde de iis inquiremus, utrum omnes & singuli veri Sacramenti naturam habeant? Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

De Latinorum Ordinibus.

SÆculo 16 constans Ecclesiæ Latinæ sententia erat, septem qui inibi celebrantur ordines disciplina antiquissima constitutos. Doctrinam hanc primi impugnare cœperunt Lutherani & Calvinistæ. Contra eos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, in Latina Ecclesia, septem ab antiquo ordines celebrari, ostiariatum, lectoratum, exorcistatum, acolythatum, subdiaconatum, diaconatum, & presbyteratum.

In iis quippe admittendis summa Patrum veterum consensio est, quod argumenta sequentia demonstrabunt.

1. Medio 3 sæculo *Cornelius* Pontifex Max. in Ep. ad *Fabium* Antiochenum, quam refert *Eusebius*: (*Hist. lib.* 6, *c.* 43) „ ille Evangelii vindex, *inquit de Antipapa Novatiano loquens*, ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat, presbyteros quidem esse 44, septem autem diaconos, totidemque subdiaconos, acolythos 42, exorcistas, & lectores cum ostiariis, 52 "

Hinc sic instruitur argumentum: an. Christi circiter 250 Sum. Pontifex septem ordines recenset, quales etiamnum Romana Ecclesia celebrat: recens institutos, aut ad majorem sacri ministerii splendorem inventos non dicit: eos e contra velut sua ætate notissimos, & in Occidente per ora omnium pervulgatos enumerat: supponit ergo illam ordinum distinctionem primitus in Latina Ecclesia viguisse.

2. Concilium Carthaginense IV, an. 398 coactum, de Presbyteris Can. 3, de diaconis can. 4, can. 5 de subdiaconis, 6 de acolythis, 7 de exorcistis, 8 de lectoribus, & 9 denique de ostiariis diserte pronuntiat; horumque graduum conferendorum ritum & formam præscribit.

„ Presbyter cum ordinatur, *inquit*, (*Can.* 3) Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manum suam juxta manum Episcopi super caput illius teneant. "

Diaconus (*Can.* 4), *cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.*

Subdiaconus (*Can.* 5) *cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero archidiaconi, urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.*

Acolythus (*Can.* 6) *cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat; sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: accipiat*

& urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi.

Exorcista, (Can. 7) *cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.*

Lector, (Can. 8) *cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium: post hæc spectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum: accipe, & esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverunt.*

Ostiarius, (Can. 9) *cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari; ad suggestionem Archidiaconi, tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: sic age, quasi redditurus Deo rationem, pro his quæ his clavibus recluduntur.*

3. Versus finem sæculi sexti *S. Gregorius Magnus* in Sacramentario, explicat qua ratione debeant ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, & presbyter ordinari.

4. *Ordo Romanus*, quem antiquissimum nemo dubitat, eosdem enumerat ordines.

S. *Isidorus Hispalensis*, ineuntis 7 sæculi Scriptor: *generaliter clerici nuncupantur*, inquit, (*lib. 7 Originum, cap. 12*) *omnes qui in Ecclesia Dei deserviunt, quorum gradus & nomina hæc sunt: ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus, diaconus, presbyter, & episcopus.*

6. *Alcuinus*, qui 8 desinente sæculo & 9 ineunte floruit: *ex ipsis*, inquit, (*de divinis officiis, cap. 32*) *erant ostiarii, & hi erant in 1 & inferiori gradu: in 2 lectores: in 3 exorcistæ: in 4 acolythi: in 5 subdiaconi: in 6 diaconi: in 7 presbyteri: in supremo & excellentiori gradu Episcopi.*

7. *Isidorus Mercator*, quem eadem ætate vixisse communis opinio est, in sua canonum collectione Concilium quoddam Romanum inseruit, sub Sylvestro Rom. Pontifice, ut quidem fertur, temporibus Nicæni I Concilii, 4 sæculo celebratum, cujus canone 3 hæc legebat: *postea Sylvester Sum. Pontifex fecit gradus in medio Synodi, ut non Presbyter adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolythus adversus Subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam.*

Hujus vero Synodi canones, quamquam merito pro suppositiis habeantur; inde tamen certo infertur, Isidori ætate de septenario ordinum numero dubium nullum fuisse.

8. Ejusdem numeri meminerunt, 9 sæculo *Amalarius Fortunatus*, l. 2 de divinis officiis: *Rhabanus Maurus*, l. 1 de institutione clericorum; *Anastasius Bibliothecarius*, in vita *Caji* Papæ, & in vita *Sylvestri* summi pariter Pontificis.

9. *Ivo Carnotensis* sæculi 12 Scriptor in serm. *de excellentia sacrorum ordinum*: *Clericorum officia*, inquit, *septem gradibus sunt distincta. Primus gradus est ostiariorum, inde promoventur ad officium lectorum: 3 sequitur ordo exorcistarum: 4 loco accedunt acolythi: 5 loco ordinantur subdiaconi: diaconorum ordo est in 6 loco: presbyterorum 7 est.*

10. Eodem sæculo eamdem doctrinam tenuerunt, *Stephanus Eduensis*, tract. de Sacramento Altaris, c. 1. *Hugo Victorinus*, l. 2 de Sacramentis, 3 parte, c. 5. *Petrus Lombardus*, lib. 4 sentent. dist. 24.

11. Sæculo 13 eidem veritati suffragatur *Innocentius* IV Pontifex Max. in Ep. ad *Othonem* Episcopum Tusculanum.

12. Ejusdem ætatis *S. Thomas: dicendum*, inquit, (*in suppl. qu. 37, art. 2 in corp.*) *quod ordinis Sacramentum ad Sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est Sacramentum Sacramentorum, ut Dionysius dicit: sicut enim templum, & altare, & vasa, & vestes, ita & ministri qui ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent; & hæc consecratio est ordinis Sacramentum: & ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas ordinis, aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo: sic est ordo Sacerdotum: & ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane, accipientes potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Christi: cooperatio autem ministrorum est, vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes: si primo modo: sic est tripliciter. Primo enim est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso Sacramento, quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus Sacerdos facit: & hoc pertinet ad Diaconum: unde in littera,* (in textu scilicet Magistri sentent.) *dicitur, quod ad Diaconum pertinet ministrare sacerdotibus, in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Christi; unde & ipse Christi Sanguinem dispensat. Secundo est ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius Sacramenti: &*

hoc

hoc pertinet ad Subdiaconum, unde dicitur in littera, quod vasa Corporis & Sanguinis Domini portant, & oblationem in altari ponunt: & ideo accipiunt Calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cum ordinantur: tertio est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam Sacramenti: & hoc competit acolytho: ipse enim, ut in littera dicitur, Urceolum cum vino & aqua præparat: unde accipit urceolum vacuum: sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum, non potest esse, nisi super immundos; quia qui mundi sunt, jam sunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum, secundum Dionysium: quidam enim sunt omnino infideles, credere nolentes: & hi totaliter, etiam a visione divinorum, & a cœtu fidelium arcendi sunt: & hoc pertinet ad ostiarios: quidam autem sunt, volentes credere, sed nondum instructi, scilicet Catechumeni: & ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum: & ideo prima rudimenta doctrinæ fidei, scilicet vetus testamentum eis legendum committitur: quidam vero sunt fideles & instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni: & ad hoc ministerium est ordo exorcistarum: & sic patet ratio & numeri, & gradus ordinum.

13. Hujus rei argumentum est, omnium sine exceptione Theologorum consensio.

14. Denique hoc ipsum adstruit omnium Occidentis Ecclesiarum disciplina, Pontificalibus libris & ritualibus attestata.

Merito igitur Concilium Trident. antiquam Latinæ Ecclesiæ de septenario ordinum numero doctrinam & praxim confirmans: *cum divina res sit sancti sacerdotii ministerium*, inquit, (*Sess.* 23, *cap.* 3) *consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione, plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent: ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores adscenderent, nam non solum de sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt; & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris, & ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a Patribus & sacris Conciliis refertur: in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legimus.*

§. SECUNDUS.

Diluuntur objectiones.

Opponunt hæretici. Ut septenarius ordinum numerus auctoritate traditionis defendi possit; tria necessario probanda sunt.

1. Sanctos Patres & Scriptores Ecclesiasticos non plures admisisse, quam septem:

2. Pauciores non admisisse:

3. Eos ipsos qui septenario numero ordines concluserunt, nullum eorum prætermisisse, qui modo in Latina Ecclesia recensentur:

Atqui nec primum, nec secundum, nec tertium potest ex Patribus Latinis & scriptoribus Ecclesiasticis adstrui. Ergo septenarius ordinum numerus auctoritate traditionis defendi nequit.

R. 1. Nego maj. propositionem quantum ad 1 partem: ut enim septenarium ordinum numerum adstruamus, necesse non habemus probare, plures ab antiquis non esse recensitos quam septem: aliud quippe est dicere, septem esse ordines: aliud, affirmare quod plures non sint: septem esse negant hæretici recentiores, eaque de causa Ecclesiam Romanam accusant, quasi novam & antiquis incognitam disciplinam invexerit: quamobrem a Concilio Trid. pro merito sunt confixi, & auctoritate majorum, mendacii & temeritatis convicti: an autem septem tantum, vel plures debeant ordines numerari, nihil ab Ecclesia definitum, eaque Theologis relicta disputatio: unde etiam si probes Episcopatum, cantoratum, primam tonsuram, & alia quædam Ecclesiastica officia veros ordines esse; contra nos nihil profeceris, quo causa Hereticorum juvari possit: si enim octo, vel novem, vel etiam plures sunt, a fortiori sunt septem: quod præfracte hæretici negant.

℟. 2. Negando minorem.

Inst. 1 probando min. quantum ad 1 partem, scilicet ostendi non posse, ab antiquis scriptoribus 7 tantum ordines numeratos: eamque in rem plurima congerunt argumenta.

1. Sancti Patres Episcopatum verum ordinem esse tradiderunt; sic *Cornelius* Pontifex Max. in Ep. ad Fabium Antiochenum superius laudata Ecclesiasticos ordines recensendo, primo loco ponit Episcopatum, qui primus in Ecclesia gradus est: eadem est Concilii IV Charthag. Gregorii M. Isidori Hispalensis, Alcuini, Isidori Mercat. Rhabani Mauri, & aliorum doctrina: & merito quidem: cui enim potest illa arridere opinio, qua ordinibus accensentur ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus; dum interim Episcopatus, nobi-

Digitized by Google

lissimum videlicet Ecclesiæ ministerium sacro numero expungitur?

2. Clericorum ordini cantores ab antiquis annumerantur, de illis enim *S. Hieronym.* Ep. 2, Ordo Romanus, *Rhabanus Maurus*, & alii quos recensere longum esset, honorificentissime loquuntur. Porro cantoris officium ab iis quos numeravimus septem ordinibus longe diversum est.

3. Fossarii, ii scilicet qui *Tobiæ* exemplo sepeliendis mortuis operam impendunt, clericorum ordini ab antiquis Scriptoribus aggregantur: ut videre est apud S. Aug. Ep. 62, & lib. 3, contra Cresconium c. 29, & apud S. Hieronymus Ep. 49, eidemque opinioni edicta imperatoria suffragantur: quid porro cum cæteris ordinibus commune, munus fossarii habet?

4. Si juris canonici Doctores audimus, novem omnino fatebimur ordines admittendos: quodque ludicrum satis, qui in numero conveniunt, in rebus numeratis plerumque dissident; alii enim septem pervulgatis ordinibus, Episcopos & cantores adjiciunt: alii, alterutro repudiato, ut numerus constet, primam tonsuram ordinem faciunt.

5. Quæ enim vero causa est, cur prima tonsura ab ordinibus arceatur, cum in illa definitio ordinis superius tradita bene quadret? est enim, ut inquiebamus, ordo, Sacramentum, quo spiritualis potestas traditur ordinato, ad functiones Ecclesiasticas obeundas, atqui per primam tonsuram potestas illa confertur. Ergo verus ordo est: adeoque sunt plures quam septem.

℟. 1. Generatim, contra nos hæc argumenta tanto studio conquisita nil facere: ut enim prædiximus, hoc unum nobis est in præsenti propositum, septem ordines vindicare, quos Calvinistæ contemnunt, & antiquitus Latinæ Ecclesiæ incognitos impudenter asseverant: negant Calviniani, Ostiariatum, lectoratum, exorcistatum, acolythatum, subdiaconatum, veros ordines esse: sacras, inquam, esse actiones inficiantur, per quas, ritu solemni spiritualis potestas confertur; sacras functiones in ordine ad divinam Eucharistiam exercendi: ad hunc autem errorem tuendum nihil proficit, plures quam septem ordines propugnare: immo hac disputandi ratione id ipsum quod negatur, eo melius stabilitur.

2. Majoris perspicuitatis gratia ad argumenta opposita respondeo sigillatim.

Ad 1. Quod spectas de Episcopis, ex professo parte 2 hujus libri dicturi sumus. Interim

℟. 1. concesso ant. n. conseq. Hic enim agimus tantum de ordinibus Episcopatui subjectis, quos septem, nec plures in Latina Ecclesia esse contra recentiores hæreticos propugnamus: aliunde vero Episcopatum verum ordinem verumque Sacramentum esse contendimus, quippe qui plenitudinem sacerdotii habeat, & primum locum teneat in Ecclesiastica Hierarchia, de qua a Concilio Trid. sic constitutum: (*Sess. 23, Can. 6*) *si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris; anathema sit.*

R. 2. ad eorum mentem, qui in scholis negant Episcopatum esse ordinem distinctum a Sacerdotio, hoc ideo esse, quia, *inquiunt*, diversitas ordinum æstimari debet ex diversa ad Eucharistiam habitudine; atqui quantum ad Eucharistiæ consecrationem, eadem Episcoporum & presbyterorum simplicium est potestas. Ergo ordine proprie ac stricte sumpto non differunt; quamquam aliunde Episcopi gradu suo, eminentia, & jurisdictione sint Presbyteris jure divino superiores: de hac vero quantum ad gradum & jurisdictionem præcellentia censent vulgo scholastici intelligendos esse Sanctos Doctores in objectione laudatos: quid de hac opinione sit judicandum, tum responsione prima subnotavimus, tum suo loco plenius expendemus.

Ad 2. dist. ant. clericorum ordini cantores ab antiquis Scriptoribus aggregantur, *ratione officii & ordinis improprie dicti*, conc. quia ex eorum mente a cæteris *ordine proprio* discernuntur, n. ant. & conseq.

E. R. Aliud, ordo proprie dictus, aliud, Ecclesiasticum officium est: ordo, ex ordinatione, sive actione sacra Episcopi; officium ab arbitrio superioris dependet, qui sive sit Episcopus sive Presbyter, nihil interest in præsenti. Porro hujusmodi functionem esse cantandi, multa momenta evincunt.

1. Ex Concilio IV Carthag. petimus, (*ann.* 398) Can. 10 sic statuente: *Psalmista, id est, cantor, potest absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi; dicente sibi Presbytero: vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod ore credis, operibus comprobes.*

2. Ex *Rhabano Mauro*, lib. 1 de institutione clericorum affirmante, cantandi officium vulgo lectoribus demandari.

3. Ex *Amalario Fortunato*, l. 3 de divinis officiis sic loquente: *septem gradus sunt ordinatorum: octavus cantorum: nonus & decimus auditorum utriusque sexus: cantores ergo ex ejus mente ab ordinibus distinguuntur.*

4. Ex *Gilliberto*, Lunicensi in Hybernia Episcopo, de usu Ecclesiastico ad Episcopos Hyber-

Digitized by Google

berniæ sic loquente: *quia quilibet de clero, sola jussione Presbyteri, potest officio Psalmistæ fungi .... in numero graduum Ecclesiæ non ponimus.*

5. Ex *Durando*, l. 2 rationalis, c. 1 & 3, docente Psalmistatum non esse ordinem, sed merum officium, primæ tonsuræ certis in locis annexum. *Prima tonsura*, inquit, *quæ apud nos vocatur Psalmistatus, non est ordo, sed tantum dispositio ad ordines.*

6. Ex eo quod antiqui varios ordines recensendo, quibus veluti gradibus ad Episcopatum pertingitur, cantoratus mentionem nullibi, vel levem injecerint.

7. Denique ex ritualium omnium, & Pontificalium librorum silentio: si enim pro vero ordine cantoratus habitus esset, ejus conferendi ritus, non secus ac aliorum præscriberetur.

Ad 3. dist. maj. Fossarii a Patribus in clericorum ordine reponuntur, quia clericis vulgo committebatur hoc caritatis officium, *conc.* quia ad illud per veram ordinationem promovebantur, *neg.* distinguo pariter min. Munus fossariorum cum cæteris ordinibus nil commune habet, propter ordinationem aliquam, quam propriam vindicet, *neg.* si spectetur præcise ratione officii, *conc.*

E. R. Fossariorum munus numquam pro ordine peculiari habitum esse, multis modis suadetur.

1. Enim si propria quædam eorum ordinatio fuisset, ejus alicubi aut in ritualibus, aut in historicis monumentis memoria esset; atqui altissimum de hac re tum in antiquis ritualibus, tum in historia Ecclesiastica silentium est. Ergo &c.

2. Nullibi recensetur fossariorum officium, inter ordines Episcopatui præmittendos, aut Sacerdotio.

Si hoc loco positum aliquando foret, non in pœnam, sed ad honorem, non secus ac alii ordines impositum esset; atqui Concilii IV Carthag. decreto sancitum est, curam sepeliendi mortuos, partem pœnitentiæ publicæ esse debere: *pœnitentes*, inquit, (*Can.* 81) *mortuos Ecclesiæ afferant, & sepeliant*; itaque fossarii, vel clerici omnino non erant; vel si clerici erant, peculiarem ex officio ordinem non constituebant.

Ad 4. Respondemus, frustra canonistarum opponi judicium: tum quia in ordinibus recensendis ipsi inter se non consentiunt: tum quia augendi sacri numeri, nec rationem afferunt solidam, nec auctoritatem.

Ad 5. negamus, primæ tonsuræ definitionem propriam ordinis convenire: concessa itaque majore, negamus min. Potestas enim quam prima tonsura affert, mere passiva est, in eo consistens, ut reddat clericum habilem ad ordines suscipiendos, & beneficia Ecclesiastica obeunda. Porro potentiam, quam vera ordinatio tribuit, activam esse debere, manifestum est, diversos sigillatim ordines expendenti.

Inst. 2. probando minorem propositionem argumenti principalis, quantum ad 2 partem, scilicet Sanctos Patres non tot ordines admisisse, quot modo in Latina Ecclesia celebrantur.

1. *S. Hieronymus* (*comment. in c.* 19 *Isai.*) clericorum ordines tres tantum distinguit, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum: quibus fidelium & Catechumenorum duas aggregat classes: atque ita in quinque ordinibus totam includit Ecclesiam.

2. Author commentarii in Ep. S. Pauli, sub *S. Ambrosii* nomine, quinque dumtaxat numerat: (*comment. in c.* 4 *Epist. ad Ephes.*) Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Lectorum, & Exorcistarum: de subdiaconis acolythis, & ostiariis, nec verbum facit.

3. *Optatus Milevitanus*, trium tantum meminit: *extendistis*, inquit, (*lib.* 2 *contr. Donat.*) *manum, & super omne caput mortifera velamina prætendistis: & cum sint, sicut supra dixi, quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium; nec uni parcere voluistis.* Ergo &c.

R. ad 1. dist. ant. S. Hieronymus tres tantum distinguit ordines clericorum, *nomen hoc improprie sumens*, quatenus certum vitæ Christianæ statum præcise significat, conc. *stricte hoc nomen accipiens*, quomodo intelligitur in præsenti, n. ant. & conseq.

E. R. Præter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, fidelium & Catechumenorum duos ibidem ordines S. Doctor distinguit: quis porro sapiens dixerit, Catechumenatum, & statum hominis baptizati, in veris ordinibus a Sancto Hieronymo comprehensos? Pariter ergo dicendum, Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum, pro certo quodam vitæ Christianæ statu hic accipi: quod ne gratis dictum putes, attende quæ fuerit S. Doctori sic loquendi occasio: nimirum hoc loco Prophetiam Isaiæ interpretatur: *in die illa*, inquit, (*Isai. c.* 19, 18) *erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum.* Quas quidem civitates de iis interpretatur, qui veri Dei cultum in Christiana Religione profitentur: quorum proinde, ut adæquetur numerus numero, quinque ordines distinguit, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, fidelium, & Catechumenorum: nomine videlicet Diaconorum, mini-

ministros omnes inferiores intelligendo. Nam quod aliunde Subdiaconatum, & minores ordines S. Doctor in Ecclesia esse agnoverit, clarissimis ejus testimoniis demonstratur; sic Ep. 91 aperte meminit subdiaconorum: Ep. 2 acolythorum: exorcistarum vero, lectorum, & ostiariorum, commentario in cap. 2 Ep. ad Titum; ubi, *non solum Episcopi*, inquit, *Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum conversatione præcedant; verum & inferior gradus, exorcistæ, lectores, & omnes omnino, qui domui Dei deserviunt*.

Ad 2. dist. ant. Author commentarii in Ep. S. Pauli quinque duntaxat numerat ordines, quia de iis tantum hoc loco se præbet loquendi occasio, *conc.* quia subdiaconos, acolythos, & ostiarios a vera ordinatione excludit, *neg.* antec.

E. R. De ordinibus Ecclesiasticis ex instituto non tractat prædictus auctor, sed ex occasione, & veluti aliud agendo, mentionem eorum aliquam facit: interpretatur nimirum hæc verba Apostoli: (*Ephes.* 4, 11) *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas; alios autem pastores & Doctores*: quæ quidem a S. Paulo memorata officia, quinque ordinibus sic accommodat; ut Apostolorum nomine, Episcopos; Prophetarum, Presbyteros; Evangelistarum, Diaconos; Pastorum, Lectores; Doctorum, exorcistas interpretetur. Nihil ergo contra nos argumentum facit.

Ad 3. Respondeo distinguendo: *Optatus Milevitanus* trium tantum ordinum meminit, quia sub nomine Diaconorum, alios inferiores ministros generatim complectitur, *conc.* quia existimat præter Diaconos, in gradu inferiori nullos esse, n. ant. & conseq.

E. R. Vox Græca *διάκονος*, idem quod Latina, minister, significat: eoque sæpe nomine ab Ecclesiasticis scriptoribus appellantur non solum quos specialiter Diaconos dicimus, sed ii omnes generatim, qui sacerdoti sacrum facienti, in quovis tandem gradu ministrant: dicimus itaque eo loci S. Doctorem, ministros omnes generali Diaconorum nomine comprehendere: ille enim subdiaconos, Acolythos, &c. ab ordinum numero non excludit, qui præter Diaconos, alios quamplures agnoscit inferiores ministros; atqui *Optatus Milevitanus* præter diaconos, esse alios inferiores ministros agnoscit: *quid commemorem laicos*, ait in eodem contra Donatistas tractatu, (*lib.* 1) *qui in Ecclesia, nulla fuerunt dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid diaconos, in tertio, quid presbyteros, in secundo sacerdotio constitutos?*

Inst. 3. Probando min. primi argumenti, quantum ad 3 partem, scilicet inter eos qui septenarium ordinum numerum adstruunt, de rebus ipsis in hoc numero concludendis non convenire: quidam enim, ne *Episcopatus* & *Cantoratus* ordinum titulo excidant, excludunt sacro Catalogo *Acolythos* & *Exorcistas*: idemque alii, pro suo quisque arbitrio, de cæteris vel admittendis, vel propellendis decernunt: in hac porro opinionum varietate, quid sequi, quidve respuere convenit? aut quomodo potest certum aliquid statui, ubi tanta discrepantia est? falsum igitur est, septenarium ordinum numerum ex antiqua doctrina constare: nec immerito a Calvino Romanæ Ecclesiæ ritus ridente dictum videri potest: (*instit. l.* 4, *c.* 19, §. 24) „ quæcumque de minutulis suis „ ordinibus balbutiunt, (*Catholici*) conflata „ sunt ex inscitis insulsisque mendaciis . . . . „ nobis hic propositum est, pugnare contra „ novitium illud inventum de septemplici Sa„ cramento in ordinibus Ecclesiasticis, de quo „ nusquam alibi, quam apud ineptos istos Rabulas Sorbonistas, & Canonistas legitur. “

R. Nego, quod in assignando ordinum numero varie senserint antiqui doctores: id quod si non ex adductis testimoniis est apertum, nihil deinceps certum evidensque futurum est: si autem aliqui, iique in aliorum comparatione paucissimi, de septem memoratis ordinibus subobscure locuti sunt, vel etiam eorum aliquem ex albo ordinum expunxerunt; nihil hinc contra communem latinæ Ecclesiæ sensum, & observatam ab antiquissimo tempore disciplinam inferri potest: non enim quærimus, quæ unius aut alterius opinio sit, sed quid fuerit ab omni retro memoria in Occidente servatum: neque in paucorum aberratione, sed in omnium, aut saltem pene omnium consensione veritatem inquirimus: quocirca Calvinus non impietatem modo suam, sed & supinam ignorantiam propalavit, septenarium ordinum numerum ad recentiores scholasticos & Canonistas, contra apertissimam antiquitatis doctrinam referendo.

CAPUT SECUNDUM.

De numero ordinum, in Ecclesia Græca & Orientali.

SEquitur altera de Græcis & Orientalibus controversia, quæ non inter Catholicos tantum & hæreticos agitatur; sed & ipsos ab invicem Catholicos distrahit, aliis volentibus, negantibus aliis, in Ecclesia Græca & Orientali ordines, æque ac in Latina, septenario nu-

numero definiri: ut autem certa ab incertis distinguamus:

Notandum 1 de Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu, & Lectoratu, neminem ambigere quin vere in Græcorum Ecclesia vigeant: in his enim celebrandis plenam eorum nobiscum esse consensionem, ex modo dicendis manifesto constabit: in hoc ergo tota est difficultas, utrum Acolythatum, Exorcistatum, & Ostiariatum in ordinum numero collocent.

Notandum 2 eadem ministeria, quibus in Ecclesia Latina funguntur Ostiarii, Exorcistæ, & Acolythi, Græcos olim habuisse, & etiam num exercere: illud quoniam ex historia Ecclesiastica compertissimum est, & ipsa Sacræ Liturgiæ ratio exigit, nemo in dubium vocat: verum, cum ut superius præmonuimus, hæc duo longe diversa sint, ordo, & officium, ad probandum in Ecclesia Græca septenarium ordinum numerum observari, parum est ostendere, inibi esse Ostiarios, Exorcistas, & Acolythos; nisi legitima auctoritate probetur, ad hæc ipsa officia, per actionem aliquam sacram ministros promoveri, sine qua nequit verus ordo consistere. Jam sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, e septem memoratis ordinibus, quatuor tantum a Græcis & Orientalibus observari; presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, & Lectoratum.

Quod quidem demonstratur,

1. Ex consensu omnium Euchologiorum, quæ ab annis ad minus octingentis descripta sunt: in iis enim lectoris quidem, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri gradus exprimuntur; & sigillatim ritus notantur in eorum consecratione observandi: Ostiarii vero, Exorcistæ, & Acolythi, ne verbo quidem designantur, inde sic argumentum conficitur:

Eos solum ordines Græci olim agnoverunt, & etiam num admittunt, quorum conferendorum instituta, & cæremonias præscriptas habent; atqui in Græcorum Euchologiis, de Presbyteris quidem, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, qua ratione debeant ordinari fuse tractatur: de cæteris vero nec obiter mentio est: ergo &c.

Major certa est: qui enim accidere potuit, ut si tres illos ordines pari cum cæteris loco habuerint, in suis ritualibus tanta negligentia prætermiserint? casu ne id contigit, aut meditato consilio? primum, sana ratio respuit: quod enim casu & præter institutum contingit, raro contingit; sed nec secundum suspicari licet, a Græcis nimirum consulto hos ordines occultatos; cum nihil inde emolumenti, detrimenti plurimum accepturi essent, & ordinem pacemque Ecclesiæ, in levioris momenti materia graviter perturbaturi.

2. Ex Canonibus & constitutionibus Apostolicis: qui duo libri etsi Apostolis, & S. Clementi Romano ex criticorum sententia immerito adscribantur; antiquissimam tamen habent auctoritatem.

Porro canon Apostolicus 42 & 43, ubi de singulis ordinibus mentio est, solum presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, & Lectorem memorat: *Episcopus*, inquit, *aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe communione privetur: subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur: similiter etiam laicus.*

Author vero constitutionum Apostolic. l. 8, c. 16, & seqq. de ministris sacris fuse disserit, formam præscribit, & ritum quo debent ordinari Presbyteri, Diaconi, hypodiaconi, & Lectores: de Ostiariis & Acolythis altum silet: meminit quidem Exorcistarum; sed ut moneat, ordinibus non annumerari: *Exorcista*, inquit, *nusquam ordinatur: hoc enim munus, spontanea est divinæ benevolentiæ & gratiæ erga homines concessio.*

Cum igitur canonum & Constitutionum Apostolicarum magna olim fuerit apud Græcos auctoritas; merito inde infertur tres illos ordines, Ecclesiæ Græcæ fuisse incognitos, sexto ineunte sæculo, quo primum tempore ab Orientalibus Canones Apostolici approbari & legi cœperunt.

3. Hoc ipsum probatur ex veteri Liturgia *S. Marco* attributa, in qua pro universis cleri ordinibus preces funduntur, his verbis: *memento etiam Domine ubique degentium Orthodoxorum Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Monachorum, viduarum, Laicorum*: quorsum vero Acolythi, Exorcistæ, Ostiarii in tanta oblivione jacerent, si numero clericorum adscriberentur?

4. Ex *Justiniani*, 6 sæculo Imperatoris edictis; novella enim tertia omnes & singulos clericorum ordines enumerans, quos in majore Ecclesia Constantinopolitana sacro ministerio fungi debere decernit: *sancimus*, inquit, *non ultra 60 Presbyteros in sanctissima majore Ecclesia esse: diaconos autem masculos 100, & 40 fœminas: Subdiaconos autem 90, Lectores autem 110: Cantores 25: ita ut sit omnis numerus Reverendissimorum Clericorum Sanctissimæ majoris Ecclesiæ, in 425: & insuper centum existentibus his, qui vocantur Ostiarii*: ita Imperator: hic vides de Acolythis

this & Exorcistis mentionem nullam fieri: equidem de Ostiariis, quo debeant numero esse decernitur: sed extra Reverendissimorum Clericorum ordinem collocantur.

Novella 123: *Presbyteros, ait, & Diaconos, & Subdiaconos, cantores & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes, habere sub sua potestate præcipimus.*

Ideo Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Lectoribus, res quomodolibet partas possidere permittitur, quia Clerici sunt & appellantur: non ergo in clero reputantur Acolythi, Exorcistæ, & Ostiarii, quorum Imperator in lege non meminit.

Nec minus in ejusdem *Justiniani* codice lex altera evidens est, his verbis concepta: (*lib.* 1, *tit.* 3, *lex* 45) *sacris canonibus, neque Deo amantissimis Presbyteris, neque Reverendissimis Diaconis, aut Subdiaconis, nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus, sed solis Reverendissimis Psaltis & Lectoribus, id concedentibus &c.* . . . hinc sic enascitur argumentum:

Imperator a lege Cœlibatus per sacros Canones sancita, solos Lectores & Cantores dicit esse immunes: censet ergo in Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Cantoribus, & Lectoribus clerum universum contineri.

5. *S. Joannes Damascenus* 8 sæculi scriptor in dial. contra *Manichæos* explicans varios sensus quibus vox illa (*principium*) potest accipi: *principium*, inquit, *insuper de ordine quoque dicitur: prima dignitas, Lector est; deinde Subdiaconus, post Diaconus; post Presbyter: atque ita demum Episcopus dicitur*: sane qui ponit in Lectoratu Ecclesiastici ministerii principium, & ab illo immediate ad Subdiaconatum, deinde ad Diaconatum, Prsebyteratum, & Episcopatum ascendi affirmat; alium quemvis ordinem non agnoscit.

6. Accedit Conciliorum auctoritas.

Concilii *Sardicensis*, (*ann.* 347) can. 13, legitur: „ Osius Episcopus dixit: & hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratore Episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante & Lectoris munere, & officio Subdiaconi, Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus: & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus: potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, quave modestia, qua gravitate, & verecundia: & si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur . . . universi dixerunt placere sibi hæc . . . " plane hic, ut vides, *Osius* ordinum principium in lectoratu, fastigium in Episcopatu reponit: medium nullum præter Subdiaconatum, Diaconatum, & Prebyteratum admisit.

Synodus 8 generalis, quæ est Constantin. IV (*ann.* 869) contra Photium coacta, sess. 10, Can. 5 statuit: „ quod si quis nulla suspicione ambitionis, vel nulla honoris expectatione, sed recta honestaque Christi disciplina inductus, in clericum & monachum attonsus est; perque omnes gradus Ecclesiasticos definitis temporibus, vitam agendo inculpatam, transisse reperiatur: ita ut in Lectoris munere, annum, in Subdiaconi, duos, in Diaconi, tres, in sacerdotii, quatuor annos expleverit: ad Episcopatus honorem evehatur. "

Ad ejusdem concilii mentem *Nicetas* in vita S. Ignatii Constantinopolitani sic scribit: „ primum quidem lector (Ignatius) sacrarum litterarum præco sanctus, deinde Hypodiaconus, tum Diaconus, ac deinceps sacerdos, ordine ac lege Ecclesiasticorum ordinum consecratur. " De Photii vero ordinatione in ejusdem Ignatii vita sic habet: „ erat vero cernere, ut fertur adagio, extemporalem, fictitiumque, seu personatum sanctum; nam primo die monachus ex laico, altero lector, tum Hypodiaconus, ac Diaconus, deinde Presbyter: sexto denique qui fuit Christi natalis, sacerdotalem conscendens thronum, pacem populo, nihil vera pace dignum cogitans nunciavit. "

Jam ex his historicis monumentis argumentum effloresciṫ, quo vix aliud in præsenti controversia potest efficacius reperiri: Octava enim Synodus præcipue contra Photium habita est, qui Ignatio per vim Constantinopolitana sede depulso, ejus locum fraudulenter invaserat: exauctoratus patrum sententia est Photius, non quod aliquem ex ordinibus Ecclesiasticis prætermisisset; sed quod raptim & præcipiti cursu, e Laico Episcopus sexta die creatus, novus subito homo in throno Constantinopoleos comparuisset: totis 20 annis quibus causa ejus agitata est, nec a Synodo, nec a sum. Pontificibus *Nicolao I* & *Adriano II*, nec ab Orientalibus aut Occidentalibus patribus, exprobratum ei est, quod numerum ordinum violasset: (quæ tamen gravissima & æquissima accusatio futura erat, si in hac re sanctos canones infregisset) in hoc uno gravissime reprehensus, quod in unoquoque ordine tempus ab Ecclesia constitutum non complevisset, quo velocius ambitionem qua æstuabat impleret, in dignitatem Patriarchicam, deturbato Ignatio prorumpendo: Synodus ipsa VIII, can. 5 laudato, non alios recensuit ordines, præter eos qui a

Pho-

Digitized by Google

Photio ſuſcepti fuerant: hocque unum de his decrevit, quantum temporis in unoquoque conſiſtendum foret, & Eccleſiaſtici miniſterii tyrocinium ponendum: denique Nicetas, Photium cum Ignatio conferendo, hoc unum utriusque (quod ad præſentem materiam ſpectat,) diſcrimen ponit: quod alter ſtatuta in ſingulis ordinibus interſtitia tranſegiſſet; alter nulla mora facta, confeſtim Epiſcopus viſus eſſet, qui paucis ante diebus laicus vixerat: ergo &c.

§. SECUNDUS.

Solvuntur objectiones.

Opponitur: non eſt numerus adæquatus, qui non complectitur omnes ordines, ex antiqua diſciplina, a Græcis ſolitos celebrari; atqui numerus quaternarius quem aſſignavimus, eos omnes non complectitur quos Græci uſu antiquo admittunt: cujus rei multiplex probatio eſt.

1. *S. Ignatius* Martyr Apoſtolici temporis & meriti Epiſcopus, in Ep. ad *Antiochenos* eosdem pene ordines numerat, quos Latinam Eccleſiam primitus obſervaſſe, præcedenti cap. demonſtravimus: *ſaluto*, inquit, *ſanctum presbyterium*, . . . *diaconos* . . . *ſubdiaconos* . . . *lectores*, *cantores*, *oſtiarios*, *laborantes*, *exorciſtas*, *confeſſores* . . . *janitrices* . . . . *virgines* . . . *viduas*.

2. *S. Epiphanius* 4 ſæculi ſcriptor, in *expoſitione fidei* cap. 21, poſtquam Epiſcopos, presbyteros, diaconos, & diaconiſſas enumeravit: „ poſt illos deinceps, *inquit*, exorciſtæ „ ſequuntur, & linguarum interpretes, tam „ in lectionibus, quam in concionibus: ſequun„ tur laborantes, qui mortuorum corpora cu„ rant: tum janitores, & reliqui diſciplinæ „ cauſa ordines conſtituti. „

3. Concilium *Laodicenum*, 4 pariter ſæculo celebratum, non presbyteros tantum, & diaconos, ſed & miniſtros, lectores, cantores, exorciſtas, & oſtiarios ponit in numero clericorum: *non oportet*, inquit, (*can.* 24) *clericos ſervientes*, *a presbyteris usque ad Diaconos*, *& deinceps ordinis Eccleſiaſtici omnes*, *usque ad miniſtros*, *aut Lectores*, *aut pſalmiſtas*, *aut exorciſtas*, *aut oſtiarios*, *aut etiam eos qui in propoſito continentiæ ſunt*, *tabernas intrare*.

4. *Joannes* VIII Pontifex Max. *Adriani II* ſæculo 9 ſucceſſor in Ep. ad Græcorum imperatores meminit acolythatus: „ volumus, „ *inquit*, ut talis promoveatur, per ſingulos „ gradus Eccleſiaſticos probatus, ut ſit pri„ mum lector, deinde acolythus, poſtea dia„ conus, tum presbyter, poſthæc Epiſco„ pus . . . . hoc modo decet veſtros patriar„ chas promoveri; non repente percipere ſin„ gulos gradus: ut in domo Dei nihil inve„ niatur incompoſitum, aut inordinatum. "

5. *Gabriel Philadelphienſis*, in libro de Sacramento ordinis, 7 in Eccleſia Græca ordines eſſe teſtatur: *ſeptem*, inquit, *ſunt ordines ſacerdotii*: *primus eſt janitorum & acolythorum*: *ſecundus*, *exorciſtarum*: *tertius*, *lectorum*: *quartus*, *ſubdiaconorum*: *quintus*, *ſacrorum diaconorum*: *ſextus*, *presbyterorum*: *ſeptimus*, *Epiſcoporum*.

Ergo ordines longe plures quam quatuor Græci habent.

℞. Conceſſa maj. nego min. ad probationem,

℞. 1. Generatim admiſſis auctoritatibus, diſt. conſeq. numerus ordinum quem aſſignavimus, omnes Græcorum ordines non complectitur: ordines, inquam, ſive proprie, ſive improprie dictos, conc. proprie dictos, nego.

E. R. Fatemur, jam inde ab initio, præter ſacerdotes, diaconos, ſubdiaconos, & lectores, fuiſſe plures alios in Eccleſia Græca miniſtros, janitores videlicet, exorciſtas &c. ſed negamus, ordinibus proprie dictis annumeratos: ordo proprie dicitur, ut ſupra monuimus, qui ab Epiſcopo per actionem ſacram, cum habitudine ad divinam Euchariſtiam confertur: ordo improprie appellatur, officium quodlibet, ſive miniſterium Eccleſiaſticum, juſſu Epiſcopi aut presbyteri, a clerico quolibet, quin & interdum a laico ſuſceptum: jam vero diſtinctionem hanc inter Græcos olim uſu communi receptam, multis modis demonſtratur.

Sic enim *S. Baſilius* in Ep. canonica ad *Amphilochium*, (*can.* 51) tria diſtinguit genera clericorum; primum, eorum qui ſunt in gradu: deinde, duo eorum qui ſunt in miniſterio, eo quod duplex miniſterium ſit; alterum, quod datur per manuum impoſitionem; alterum, quod ſine manuum impoſitione confertur: *quod adverſus clericos ſtatutum eſt*, inquit, *canones indefinite ediderunt*: *unum in iis qui lapſi ſunt*, *ſupplicium decerni jubentes*, *motionem ſcilicet a miniſterio*, *ſive ſint in gradu*, *ſive etiam in miniſterio*, *quod non impoſitis manibus datur*.

Paris ſenſus eſt Concilii Œcumenici *Chalcedonenſis* (*ann.* 450) canon 2: „ ſi quis Epi„ ſcopus, *inquit*, propter pecunias ordinave„ rit Epiſcopum, vel chorepiſcopum, vel pres„ byterum, vel diaconum, vel aliquem eorum „ qui in clero annumerantur: vel propter pe„ cunias promoverit œconomum, vel defenſo„ rem . . . . vel omnino aliquem ex canone, „ turpis lucri gratia: qui hoc tentaſſe convi-

Digitized by Google

„ ctus fuerit, de proprio gradu in periculum „ veniat; & qui est ordinatus, ex ordinatio- „ ne, vel promotione, quæ instar mercato- „ rum venumdatur, nihil juvetur: sed sit ab „ officio, & dignitate, vel curatione alienus, „ quam pecuniis adeptus est . . . “ ita patres Chalcedonenses, ordinationem a promotione, & dignitatem Ecclesiasticam a simplici officio accurate distinguentes.

Eademque Græcorum posteriorum sententia fuit: sic enim e.c. *Balsamon* in supplemento: (*vide apud Goar. pag.* 379) *officia Ecclesiastica*, inquit, *abusive gradus vocantur: est enim proprie gradus sacerdotum*, *diaconorum*, *subdiaconorum*, *& lectorum*: *officia autem sunt*, *honores*, *& victus subministrationes*.

His jactis fundamentis, nulla superest difficultas in conciliandis patrum testimoniis, quæ videntur nobis esse contraria. Ignatius enim, Epiphanius, & Patres Laodiceni, omnes sine discrimine recensent ministros, qui canoni Ecclesiastico quavis ratione inscripti erant, sive propter veram ordinationem, sive propter officium, ad tempus susceptum; atque hoc ipsum confirmat series ordinum qui in his testimoniis recensentur: nam præter exorcistas, & ostiarios, alios plerosque interserunt, quos ne Latini quidem pro veris ordinibus habent, laborantes nimirum, confessores, linguarum interpretes, diaconissas, virgines, viduas, monachos &c. imo S. Epiphanius, quasi non omnes enumerasset, alios longe plures debere subintelligi, in hoc ipso testimonio significat: *& reliqui*, inquit, *disciplinæ causa ordines constituti*.

Fatemur igitur, his auctoritatibus probari, in Græca quondam Ecclesia, præter memoratos quatuor ordines, diversa officia viguisse; quod negare nemo potest, nisi historiæ Ecclesiasticæ rudis & imperitus: sed per veram ordinationem data fuisse inficiamur: hæcque ad testimonia patrum generalis esto responsio, quæ sufficere poterat, nisi singula viderentur speciales, difficultates habere: quas ut expediamus,

R. 2. Speciatim ad singula.

Ad primum ex S. Ignatio, 1 dato, & non concesso Epistolam ad *Antiochenos* genuinam illius esse, nego conseq. hinc enim hoc unum sequitur quod ultro fatemur, in Ecclesia Orientali fuisse olim ministros, sicuti & hodie sunt, qui Ostiariorum & exorcistarum officio fungerentur: quod vero ad hæc officia obeunda, vera ordinatione promoverentur, si quis hoc testimonio probare vellet, idem ageret, ac si propter S. Ignatii verba contenderet, janitrices, viduas, laborantes, & confessores, per veram ordinationem olim esse consecratos: iis enim omnibus salutem sine discrimine impartitur.

2. Nego Epistolam ad *Antiochenos* verum S. Ignatii fœtum esse: hoc enim jure merito inficiantur peritissimi nostræ ætatis critici quos consulere poterit studiosus Theologus: nos enim hujusmodi controversias prosequi pro instituto non possumus: satis fuerit in præsenti, cur Epistola hæc *Ignatio* denegetur, duas breviter afferre causas 1 ex veterum scriptorum silentio petitur, qui etsi cæteras sanctissimi Martyris Epistolas summa cum laude citaverint; de hac prorsus tacuerunt: (*Eus. hist. Eccl. lib.* 3, *cap.* 36, *S. Hieron. in l. de scrip. Eccles.*) *Eusebius*, & *S. Hieronymus*, septem, nec plures numerant: ad *Ephesios* scilicet, ad *Magnesianos*, ad *Trallenses*, ad *Romanos*, ad *Philadelphienses*, ad *Smyrnenses* & unam ad *S. Polycarpum*: de iisdem passim loquuntur *S. Irenæus*, *Origenes*, *S. Athanasius*: de Ep. ad *Antiochenos*, altum silent: 2 est, quod in hac Ep. de pace Ecclesiæ Antiochenæ restituta, nec minima mentio sit: unde certo constare videtur, Ignatium ejus non esse authorem; nam in cæteris, ad *Ephesios*, *Magnesianos &c.* de sedata tempestate sæpe loquens, *Ephesios*, aliosque enixe rogat, ut nomine suo Antiochenis felicitatem hanc gratulentur: quis porro crediderit, non idem facturum Ignatium, si hoc ipso tempore, eam quæ nomine ejus circumfertur Epist. ad *Antiochenos* scripsisset? itaque cum incerta auctoritas sit, de ordinibus Græcorum nequit fidem certam facere.

Ad 2, ex S. Epiphanio, quoniam eamdem præfert difficultatem, admissa authoritate, n. conseq. hic enim omnes passim ordines enumerat S. Doctor, sive qui proprie, sive qui improprie hoc nomine appellantur; atque adeo quemadmodum inferri ex verbis ejus non potest, diaconissas, linguarum interpretes, & laborantes, veram ordinationem habere, ita nec potest inferri de ostiariis & exorcistis.

Tertium, ex Concilio Laodiceno quatenus resolvi debeat, ex dictis est manifestum.

Ad 4, ex *Joanne* VIII dist. ant. meminit ille acolythatus in Epistola ad Græcorum Imperatores, hoc nomine subdiaconatum intelligens, conc. intelligens ordinem proprium Latinorum, a subdiaconatu diversum, n. subdiaconatum enim in hac Epistola non nominat summus Pontifex, & in ejus locum substituit acolythi nomen: unde facile est judicare, unum pro altero appellatum: quis enim crediderit a *Joanne* VIII ordinem sacrum, in Græca Ecclesia omnium sæculorum disciplina notissimum, fuisse velut inutilem prætermissum, ut in ejus locum subrogaretur acolythatus quem Græci non noverant, cujusve conferendi ritum in suis Euchologiis non habebant? eaque responsio ad scopum summi Pontificis attendenti debet esse certis-

certiſſima: hanc enim ad Imperatores Epiſtolam ſcripſit, pari ſenſu quo ab octavo generali concilio paucis ante annis contra Photii præſumptionem ſancitum fuerat, neminem debere ad honorem Epiſcopatus aſſurgere, niſi prius per omnes gradus Eccleſiaſticos, definitis temporibus tranſiiſſe reperiretur: cum igitur in ſupra memorato concilii Canone nulla acolythatus mentio ſit, ſubdiaconatus vero ſecundo loco ponatur: ratio & æquitas poſtulat, ut a Pontifice Max. acolythum pro ſubdiacono nominatum intelligamus: cum enim Græci, ut bene obſervat *Morinus*, (*de Sacris ordinat. exercit.* 14, *c.* 1, *n.* 6) omnia pene officia quæ noſtris Acolythis committuntur, ſuis ſubdiaconis attribuerent; nihil mirum ſi nomine acolythatus ſubdiaconos indicaverit.

Ad 5, ex *Gabriele Philadelphienſi*, conceſſo ant. nego conſeq. junior enim hic ſcriptor eſt, ut poſſit auctoritate ſua infringere, quæ ex Euchologiis Græcorum, conſtitutionibus & canonibus Apoſtolicis, Liturgia S. Marci, Juſtiniano Imperatore, S. Joanne Damaſceno, & 8 Synodo adduximus argumenta: quæ ſane niſi illud quod erat propoſitum evicerunt; nihil in Theologia erit, quod ex antiqua diſciplina & majorum præſcriptionibus certa ratione probari poſſit: igitur dicendum, vel *Gabrielem* ordines proprie & improprie dictos eodem numero concluſiſſe; vel receſſiſſe a communi Græcorum doctrina, ut Orientalem diſciplinam cum Occidentali conciliaret: quod parum feliciter auctori ſuo ceſſiſſe, facile judicabit quiſquis attenderit:

1. *Gabrielem*, Oſtiariatum cum Acolythatu confundere: ait enim, in primo gradu eſſe janitores & acolythos: 2 exorciſtas, ſupra acolythos: 3 lectores ſupra exorciſtas collocare: qua ſane ordinum perturbatione, nec bene de Græcis meritus eſt, quibus hi gradus hactenus incogniti ſunt, nec de Latinis, qui oſtiarios in infimo loco, in 2 lectores, in 3 exorciſtas, in 4 acolythos ponunt.

Inſt. 1 Saltem acolythatus in numero ordinum Eccleſiæ Græcæ admitti debet: ergo &c.

R. Nego ant. nam 1 in antiquis Græcorum monumentis non magis de acolythatu, quam de exorciſtatu & oſtiariatu fit mentio: 2 de acolythatu altius ſilentium eſt, quam de cæteris: oſtiarios enim & exorciſtas aperte nominant, author Epiſtolæ ad Antiochenos, S. Epiphanius, & Concilium Laodicenum, ut ex eorum teſtimoniis eſt evidens: acolythos vero ne nomine quidem appellant.

Inſt. 2 Ordo ab Epiſcopo ſolo, per manuum impoſitionem collatus, eſt ordo proprie dictus; atqui acolythatus apud Græcos a ſolo Epiſcopo per manuum impoſitionem confertur: ideo enim acolythi in latina Eccleſia ordinantur, ut ſacerdoti ſacrum facienti, & diacono ad Sancti Evangelii lectionem cereos præferant; atqui ad hoc ipſum officium inferiores aliquos miniſtros olim fuiſſe in Eccleſia Græca ab Epiſcopis conſecratos, Euchologia Græcorum teſtantur: ſic apud *Morinum* (*de ſacr. ordinat. part.* 2, *pag.* 82) in veteri quodam rituali, ab annis 700, & amplius ſcripto, legitur: *oratio ſuper ceroferario & deputato*: item in altero codice, ſed manus recentioris, legitur: (*ibid. pag.* 117) *ordo obſervandus in promotione ceropbori & deputati*: eodem *Morino* teſte, (*ib. pag.* 119) Simeon Theſſalonicenſis in tract. de Sacramentis hæc habet: *duæ ſunt extra ſanctuarium manuum impoſitiones, lectoris, & hypodiaconi; ſunt & aliæ, officiorum videlicet, & deputati, ſive, ut ita dicam, ceroferi; quæ ante lectorem celebratur*: ne vero quis dubitet ordinationem hanc pro vera & proprie dicta reputari, χειροτονία in quodam apud Goarium (*pag.* 237) Euchologio appellatur, quod nomen Sacramenti proprium eſſe, ſupra notavimus: ergo &c.

R. Conceſſa maj. *n.* min. ad probat. conceſſa iterum maj. diſt. min. hujuſmodi miniſtri in Eccleſia Græca olim ordinabantur, ordinatione improprie dicta, conc. proprie dicta, n. min. & conſeq.

E. R. Ea ceroferariorum & deputatorum ordinatio apud Græcos nuda & ſimplex benedictio fuit: nec in contrarium adduci aliquid poteſt, quo ab hac ſententia dimoveamur: nam

1 Si quid Ritualium auctoritas probet, ubi habetur: *Ordo obſervandus in promotione cerophori ac deputati*: oratio ſuper ceroferario & deputato, &c. mirum in modum creſcet numerus ordinum: in iiſdem enim Ritualibus legitur: *Ordo in promotione magni œconomi*: *ordo obſervandus, ut aliquis fiat Archidiaconus*: *ordo obſervandus, in ordinatione*, χειροτονίᾳ, *œconomi monaſterii, vel cellarii*: *ordo obſervandus in promotione abbatis* &c. quemadmodum igitur hi & alii quamplures miniſtri ſimplici cæremonia & precatione ad ſua, apud Græcos, officia promoventur; idem dicendum de ceroferariis, quos aliunde conſtat ordinibus ex diſciplina veteri, numquam fuiſſe annumeratos.

2. Lectoratum, in ordinum numero apud Græcos primum eſſe conſtat ex patribus ſupra citatis, quorum magna auctoritas eſt: *prima dignitas*, ait S. Jo. Damaſcenus, *eſt Lector*: idemque alii aperte declarant: igitur in ſerie ordinum ceroferarii locum habere non poſſunt, quos Græci in infimum locum detrudunt, & infra lectores reponunt: ait enim *Simeon Theſ-*

salonicensis, ceroferarii sive deputati ordinationem, ante lectorem celebrari.

3. *Simeon* ipse deputatos & ceroferarios ab ordinibus aperte hoc ipso loco distinguit, & inter simplicia officia numerat: imo hujus ministerii nullum apud suos usum manere testatur.

4. *Joannes*, Cithri, prope Thessalonicam Episcopus, ne in officiorum quidem numerum, deputatos & ceroferarios referri permittit: sic enim loquitur L. 5 *juris Orientalis*: (*apud Morinum pag.* 225) *vigiles, deputati, & camisati* (*ceroferarii*) *non sunt officia, sed ministeria circa sacrum altare, ipsis convenienter tributa: ergo &c.*

Inst. 3. Atqui apud Græcos acolythi olim ordinabantur ordinatione proprie dicta: ergo &c. probat. subs. proprie dicta ordinatio est quæ fit per manuum impositionem; atqui acolythorum ordinatio olim apud Græcos per manuum impositionem fiebat; sic enim testatur *Simeon Thessalonicensis*, paulo ante citatus: & ejusdem rei fidem facit *Goarius*: (*in Ritual. Græco pag.* 237) ergo &c.

R. Nego subs. ad probationem

R. 1. *Morinus* concessa maj. negat min. negat, inquam, in acolythorum promotione manuum impositionem vulgo fuisse adhibitam: huicque sententiæ egregie favent Ritualia Græcorum pene omnia, in quibus de manuum impositione prorsus siletur: quod vero ceroferariorum promotionem *Simeon Thessalonicensis* manuum extensione, sive χειροθεσία fieri dicat; nihil hinc sententiæ nostræ præjudicatur; quandoquidem se ipsum in eodem loco interpretatur, deputatos sive ceroferarios a veris ordinibus secernendo: sed nec movere nos debet Euchologii a *Goario* transcripti auctoritas, in quo legitur: *Oratio in deputati* & ceroferarii χειροτονίᾳ, sive ordinatione habenda: ut enim advertit ipse *Goarius* Græcorum rituum diligentissimus observator, hoc unum e multis Euchologiis reperire potuit, in quo de ceroferariorum ordinatione mentio fieret: *Græcorum*, inquit, (*pag.* 238) *tam antiqua, quam recentiora Euchologia, satis superque declarant, ut* χειροτονίας *& legitimos ordines, solos lectoris, subdiaconi, diaconi, & presbyteri gradus, eos agnovisse; quorum proinde promovendorum ritum, cæremonias, instituta, & orationes præfixas exhibent: aliorum, excepta ceroferarii, ex uno solo Euchologio superius transcripta benedictione, ne verbo quidem attingunt.*

R. 2. Dist. maj. proprie dicta ordinatio est, quæ fit per manuum impositionem, *consecratoriam*, conc. per manuum impositionem, *quæ mera benedictio sit*, n. maj. & eadem distinctione ad min. data, n. conseq. solutio ex dictis patet, magisque infra patebit.

Inst. 4. *Dionysius* vulgo Areopagita, lib. *de Eccles. Hierarchia*, c. 3, tacite videtur ostiarios, exorcistas, & acolythos ordinibus aggregare: *ministrorum*, inquit, *alii quidem ad januas templi consistunt: alii vero aliud quid proprii muneris exequuntur*: ergo &c.

R. Dionysium eo loci varios ministros perturbatim & confuse citare; aperte nullum: *quis autem ministrorum appellatione*, inquit Goarius, (*ib. pag.* 239) *lectorem, subdiaconum, diaconum, aut cuilibet officio extra veram ordinationem præpositum, non queat intelligere?*

Inst. 5. *Eusebius Cæsariensis* historiæ Ecclesiast. l. 6, c. 43, septenarium ordinum numerum, prolatis singulorum nominibus diserte recenset, Latinis in hac parte plene consentiens.

R. *Eusebium* legenti luce clarius apparere, eum non ex propria, neque ex Græcorum mente loqui, sed de solius Romanæ Ecclesiæ consuetudine agere: hic enim Epistolam recitat *Cornelii* Pontificis Max. *ad Fabium* Antiochenum, de qua dictum est capite præcedenti.

Inst. 6. *Innocentius IV*, sæculo 13 Pontifex Max. in Ep. ad *Othonem* Episcopum Tusculanum, sedis Apostolicæ in Regno Cypri legatum: *volumus*, inquit, *& expresse præcipimus, ut Episcopi Græci septem ordines, secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant; cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, & prætermisisse dicantur*.

R. 1. *Goarius* his verbis: (*ib. pag.* 238) *eos solummodo hoc præcepto devincit sum. Pontifex, quos Latinorum ditioni, & suo legato sciebat esse subjectos*.

R. 2. Hoc argumento nostram conclusionem firmari potius quam everti: nam illo decreto *Innocentius* declarat, 1 ostiariatum, exorcistatum, & acolythatum a Græcis antehac fuisse neglectos ac prætermissos: 2 præcipit ut Græci, septem in posterum ordines conferant, non secundum antiquam Orientis disciplinam, sed secundum morem Romanæ Ecclesiæ.

Inst. 7. Concilium *Laodicenum* can. 26 statuit, *non debere exorcizandi onus assumere, ab Episcopis non provectos*: supponit ergo exorcistatum verum esse, & diversum ab aliis ordinem.

R. Concesso ant. n. conseq. *exorcistæ enim*, inquit Goarius, (*ib. pag.* 239) *apud Græcos, ex antiqua traditione sunt sacerdotes soli: atque adeo ex hoc canone solum eruitur, eum qui sacerdos est, etiam exorcistæ munere posse fungi*.

Ratum itaque sit & constitutum, septem quos memoravimus ordines, in Latina, & ex iis quatuor tantum, ab antiquo in Græca Ec-

clesia

Digitized by Google

clesia viguisse: Græcorum vero nomine non eos tantum intelligimus, qui Græci vere sunt & appellantur; sed & alias Christianæ professionis sectas, quæ Syriam & remotissimas Asiæ partes, aut Ægyptum latissime occupant: quæque sub generali Orientalis Ecclesiæ nomine continentur: eorum enim omnium in quaternario ordinum numero retinendo, cum Græcis plena consensio est. (1)

Excipiendos forte putaverit aliquis *Syros Maronitas*, qui in suo quodam Rituali sic statuunt: „ novem ordines Angelorum in cœ„ lis fecit Deus: novem ordines sacerdotii in „ medio Ecclesiæ, ut laudent eum: qui por„ ro ordines sunt psaltæ, lectores, subdiaco„ ni, diaconi, archidiaconi, presbyteri, ar„ chipresbyteri, chorepiscopi, & Episcopi. “

Verum propius inspicienti patebit, eos vocetenus ab aliis orientalibus Ecclesiis dissentire; nam 1 exorcistas, ostiarios, & acolythos una cum Græcis excludunt: 2 cum psalmistæ, archidiaconi, archipresbyteri, & chorepiscopi, numquam apud Græcos pro veris ordinibus habiti sint, a lectoratu, diaconatu, presbyteratu, & Episcopatu diversi: facile Maronitæ conciliantur cum cæteris, dicendo (quod verum est) eos uno numero ordines tum proprie, tum improprie dictos concludere.

Sequitur

CAPUT TERTIUM.

Utrum omnibus ordinibus ratio Sacramenti ex æquo conveniat?

Ponimus tamquam certum, presbyteratui & diaconatui rationem Sacramenti vere & proprie convenire: hoc enim suo loco, secunda hujus libri parte, de ordinibus in speciali, ratione & auctoritate demonstratum lector reperiet. Itaque in præsenti de solo subdiaconatu, & quatuor ei subjectis ordinibus quæritur, an & quomodo Sacramentis debeant accenseri? Qua de re cum nihil ab Ecclesia definitum sit; in varias Theologi opiniones distracti sunt; aliis contendentibus, rationem Sacramenti proprie non habere, sed esse Sacramentalia quædam, ad sacerdotium disponentia eique subservientia: aliis e contra volentibus, naturam Sacramenti, non secus ac diaconatum & presbyteratum habere.

Quam quæstionem priusquam pro modulo resolvamus, rogamus lectorem ut diligenter advertat, subdiaconatum eoque inferiores ordines, posse spectari vel in radice scilicet in diaconatu, qui fons & origo est totius ministerii sacerdotibus exhibendi; vel formaliter, quatenus actione aliqua sacra singuli, divisim a diaconatu traduntur. Quo posito sit

§. PRIMUS.

Ostenditur subdiaconatum & minores ordines, si origine spectentur, divinæ institutionis esse, eaque ratione vera Sacramenta dici posse: secus, si spectentur formaliter & divisim.

Bipartita assertio est: adeoque distinctis probationibus adstruenda.

PROBATIO I PARTIS.

Ad 1 quidem quod attinet: illi ordines in origine sumpti, divinæ institutionis sunt, qui in diaconatu tamquam in radice continentur, & ab illo velut rivuli a fonte manant: cum enim diaconatus divina, quod nemo ambigit, institutio fuerit; ejusdem excellentiæ aliquatenus participes esse oportet ordines, ab illa præcisos; atqui subdiaconatus & quatuor minores ordines, in diaconatu tamquam in radice continentur, & ab illo velut rivi a fonte manant: in illo enim residet plenitudo sacri ministerii sacerdotibus exhibendi: hinc Apostoli solos diaconos, non subdiaconos, eisque inferiores clericos ordinasse leguntur: hinc etiam primis temporibus, quando ministrorum copia propter fidelium paucitatem haberi facile non poterat, qui diaconus ordinabatur ex laico, simul censebatur ordinatus ad officia omnia quæ ministris inferioribus decursu ætatis sunt attributa: crescente enim vero fidelium multitudine, diaconorum munera in plures

(1) *Aliæ Ecclesiæ Christianæ, quæ per Orientem dispersæ sunt, ad hasce tres ferme revocantur*, Coptitarum *nempe, sive ut alii vocant*, Jacobitarum Ægyptiorum, *quod in Ægypto maxime vigeant*. Nestorianorum, *&* Syro-Maronitarum. *Quoad* Coptitas *attinet, hos Lectorum, Subdiaconorum, Diaconorum, ac sacerdotum, non autem cæteros minores Ordines agnoscere, probant Morinus & Martenius ex eorumdem* Rituali *ab Athanasio Kirkero in latinum verso, in quo de illorum duntaxat ordinationibus sermo fit. Idem ostendunt laudati Morinus, & Martenius de* Syro-Nestorianis *ex horum pariter Rituali desumpto argumento. An vero idem judicandum sit de aliis Syris, qui aut* Jacobitæ *nominantur, aut Græcæ Ecclesiæ adhærent, incerta res est: alii quippe tres, alii plures ordines enumerant; nec satis liquet, an omnibus veri Sacramenti rationem adjudicent. De Syro-*Maronitis *satis disserit N. A.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

res ac diversos ministros distribui oportuit: merito itaque Concilium Trid. divinæ Hierarchiæ dignitatem commendans, ministrorum nomine utitur: *Si quis dixerit*, inquit, (*sess.* 23, *can.* 6) *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris: anathema sit*: insinuare quippe hac voce voluit, subdiaconatum & inferiores ordines, qui ex diaconatu decerpti, ejus sunt velut propagines, divinæ Hierarchiæ posse accenseri, quatenus cum illo in unum veluti Sacramentum coadunantur: ergo subdiaconatus eoque minores ordines in origine spectati, divinæ institutionis dici possunt ac debent: eademque ratione nihil obstat quominus Sacramenta, analogice nimirum & connotative dicantur; quia radix unde excisi sunt, Sacramenti naturam vere ac proprie continet; si enim radix sancta, & rami.

PROBATIO II PARTIS.

Quod autem divisim in se & formaliter considerati, quatenus diversis actionibus conferuntur, & per illos ad Diaconatum progressus fit, Sacramenta dici non possint: argumentis validissimis demonstratur.

Sacramentum enim quod vere huius nominis est, divinam debet institutionem habere: hæcque regula generalis est, nullam admittens exceptionem: unde quemadmodum non potuerunt ab Ecclesia, ullave humana potestate, alia Sacramenta sanciri; ita nec potuerunt, nisi a Deo, ordines præscribi, quibus vera & propria ratio Sacramenti conveniret; atqui subdiaconatus & quatuor minores ordines formaliter in se & quantum ad distinctionem sumpti, non divinæ sed Ecclesiasticæ institutionis sunt: nam

1. Altum de illis in scriptura silentium est, ubi tam frequens de Episcopis, presbyteris, & diaconis mentio occurrit, eorumque ordinandorum ritus, verbis tam expressis describitur: lege Actus Apostolicos, B. Pauli & aliorum Epistolas omnes revolve, Episcopos inter, presbyteros, & Diaconos sacrum ministerium divisum ubique reperies: de subdiaconis, acolythis, cæterisque, nec minimum verbum fieri deprehendes: constat ergo non posse hos ordines, scripturæ auctoritate Sacramenta monstrari; quorum ne existentia quidem probatur.

2. Cum divinum verbum, aliud sit scriptum, aliud traditum, paremque habeat, ut sæpe dictum est, utrumque auctoritatem; deberet, scriptura tacente, ex divina & Apostolica traditione sententia illa defendi; atqui non magis ex traditione, quam ex scripturæ subdiaconatui & quatuor minoribus ordinibus divina asseritur institutio; nam cum illud censeatur ex divina & Apostolica traditione descendere, quod semper & ubique summa consensione retentum est, ut docet S. Aug. (*lib.* 4 *cont. Donat. c.* 24) illud e contra non debet pro divina & Apostolica traditione haberi, quod non fuit semper & ubique retentum; atqui subdiaconatus & quatuor minores ordines non fuerunt semper & ubique inviolabili religione servati: nam

Primo: de ostiariatu, exorcistatu, & acolythatu constat, quod eos Græci nec olim habuerint, nec modo habeant in numero ordinum.

Secundo: subdiaconatum & minores ordines fuisse ab Ecclesia decursu temporum institutos, testantur scriptores multi, quorum summa in præsenti materia auctoritas est.

Sic author commentarii in Ep. S. Pauli sub Ambrosii nomine, ab *Amalario* citatus: (*lib.* 2 *de offic. Eccles. c.* 6) *non convenit demirari*, inquit, *si neque subdiaconorum, neque lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur: illis enim gradibus functionum, qui in Ecclesia necessario habentur, isti postea sunt adjecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium, per alteros postea impleri debere, necessitas flagitavit: unde nec ordinationem ante altare assequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur.*

Similiter *Amalarius* ipse 9 sæculi scriptor: *tres*, inquit, (*ib. cap.* 13) *superiores ordines Episcopatus, presbyteratus, & diaconatus ab Apostolo recensentur .... cæteri ordines his adjecti sunt: crescente Ecclesia crevit officium Ecclesiasticum: ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio præpositorum.*

Celebre de hac re est *Urbani* II Pontificis Max. in concilio *Beneventano* (*ann.* 1091) effatum: *nullus*, inquit, *in Episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus Religiose vivens fuerit inventus: sacros autem ordines dicimus diaconatum & presbyteratum: hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia: super his solis præceptum Apostolicum habemus.*

Par *Gratiani* in *Decreto* sententia est: *Levitas*, inquit, (*dist.* 21) *ab Apostolis ordinatos legimus: subdiaconos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.*

Idem tradit *Magister Sentent. cum omnes ordines*, inquit, (*lib.* 4, *dist.* 24) *spirituales sint & sacri: excellenter tamen canones, duos tantum sacros ordines appellari censent, diaconatus scilicet & presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse .... le-*

vitas

Digitized by Google

vitas enim ab Apoſtolis ordinatos legimus ... ſubdiaconos vero & acolythos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.

Petrus Bleſenſis: *notandum occurrit*, inquit, (*Serm.* 47) *quia productior eſt aſcenſus ad Sacerdotii gradum nunc, quam in primitiva Eccleſia, in qua qui tantum fidelis erat, Diaconus fiebat, vel Sacerdos. Introducti poſtea ſunt quidam minoris ordinis gradus, per quos aſcenditur ad Sacerdotium.*

Idem denique affirmant, *Ivo Carnotenſis* (*par.* 5 *Decreti cap.* 72) *Hugo Victorinus*, (*lib.* 2 *de Sacrament.* 3 *par. c.* 13) & alii quos recenſere longius eſſet. Ergo ſubdiaconatus & 4 minores ordines non fuerunt ſemper & ubique obſervati: adeoque divinam inſtitutionem non habent.

Tertio, ſi patres exiſtimaſſent, inferiores Diaconatu ordines divinam inſtitutionem habere, per eos conferri gratiam Sp. Sancti, alicubi docuiſſent; atqui nullus ex tota antiquitate laudari poteſt, qui dixerit per ſubdiaconatum, & minores eos ordines dari gratiam ſanctificantem. Hinc Latina Eccleſia in ſubdiaconatus & minorum ordinum celebratione numquam manuum impoſitionem adhibuit, quam Sacramenti Ordinis materiam eſſe, Scripturæ & patrum doctrina eſt. Hinc etiam Concilium Trid. probat Sacram ordinationem eſſe Sacramentum, quia in ea dicitur: *Accipe Sp. Sanctum. Si quis dixerit*, inquit, (*Seſs.* 23, *can.* 4) *per Sacram ordinationem non dari Sp. Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: accipe Sp. Sanctum ... anathema ſit ...* Porro in ſubdiaconorum & miniſtrorum inferiorum ordinatione non dicitur: *Accipe Sp. Sanctum*: ergo &c.

Quarto, ſi ſubdiaconatus & minores ordines divinæ inſtitutionis eſſent, numquam paſſa eſſet Eccleſia Diaconatum & presbyteratum, cæteris prætermiſſis conferri, nec abrogari permiſiſſet inferiorum ordinum exercitium. Atqui ex hiſtoria Eccleſiaſtica certum eſt:

1. Multos fuiſſe Diaconos & presbyteros conſecratos, qui minoribus ordinibus initiati non fuerant. Sic *Georgius* Patriarcha Alexand. *Metaphraſtes*, *Caſſiodorus*, & alii qui *S. Joannis Chryſoſt.* vitam ſcripſerunt, eum lectorem primum a *Zenone* Tyri Epiſcopo, tum Diaconum a *Meletio* Antiocheno, tandem presbyterum a *Flaviano* Meletii ſucceſſore creatum docent; nulla ſubdiaconatus aut aliorum facta mentione. Sic S. *Epiphanium* primo Diaconum ordinatum, invitum licet ac reluctantem, deinde presbyterum & Epiſcopum, cum ad ordinationem effugiendam, ſumma vocis contentione clamaret, ſeque Clericum non eſſe proteſtaretur, refert ejus vitæ ſcriptor apud *Surium* (*die* 12 *Maji*). Sic *Epiphanius* ipſe, *Paulinianum* Monachum, S. Hieronymi fratrem, comprehenſum & ore compreſſo, ne repugnaret, omiſſis cæteris ordinibus, Diaconum & presbyterum ordinavit, ut teſtatur ipſe apud S. Hieronymum (*Ep.* 60).

2. Certum eſt, ut prædiximus, Eccleſiam Græcam & Orientalem, ſolo excepto lectoratu, minores ordines non habere: quod convincens eſt argumentum, eorum inſtitutionem non putari eſſe divinam.

3. Nec minus quotidiano experimento certum eſt, in Latina Eccleſia, quatuor minores ordines ab omnibus quidem Clericis ſuſcipi, ſed a pauciſſimis exerceri. Quis enim hodie Oſtiarii officio communiter fungitur, præter conductitios quoſdam de plebe miniſtros? Nulla Lectorum, nulla Exorciſtarum functio viget; eorum ſcilicet qui ſint ad hæc officia ſpecialiter ordinati. Nam Exorciſmos presbyteri faciunt. Onus autem & honor legendi, Diaconis indifferenter & ſubdiaconis, quin & ipſis Laicis demandatur. Communior quidem Acolythatus functio eſt, ſed plerumque a perſonis ſæcularibus, aut ſimplicibus abſque ordinatione Clericis exercetur. Denique & ipſius ſubdiaconi quædam officia iis interdum committuntur, qui nullateous in Clericorum ordine ſunt: ergo &c.

Quinto denique, ſi ſubdiaconatum & quatuor minores ordines formaliter in ſe ſumptos credidiſſet Eccleſia divinam inſtitutionem habere, vereque eſſe Sacramenta; numquam permiſiſſet ut ab aliis quam ab Epiſcopis conferrentur. Habent enim Sacramenta miniſtros proprios a Chriſto determinatos, quos mutare non eſt in Eccleſiæ poteſtate. Porro Epiſcopos conferendæ ordinationis ſolos miniſtros eſſe legitimos, conſtans eſt & perpetua doctrina Eccleſiæ; quam Concilium Trid. novo decreto confirmans: *ſi quis dixerit*, inquit, (*Seſs.* 23, *can.* 7) *Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem ... anathema ſit. Jam ſic ſubſumo:*

Atqui ſubdiaconatum & minores ordines conferendi facultas olim conceſſa eſt ſimplicibus Chorepiſcopis & presbyteris: id quod multis in poſterum exemplis oſtendetur. Ergo non exiſtimavit Eccleſia ſubdiaconatum & quatuor minores ordines, formaliter in ſe ſumptos, divinam inſtitutionem & veri Sacramenti rationem habere.

§. SE-

§. SECUNDUS.

Solvuntur contrariæ objectiones.

Quæ quidem sententia, quamquam validissimis septa munimentis, plerosque, ut verum fatear adversarios habet, quibus pene pro fidei doctrina est, subdiaconatum, & minores ordines, non secus ac presbyteratum ac Diaconatum, formaliter & divisim esse Sacramenta: quo fit ut contrarium sentientes, velut novatores passim traducant, & inclementius exagitent. Quod judicium quam præceps ac temerarium sit, tum ex adductis probationibus satis, ni vehementer fallimur, manifestum est; tum ex argumentorum quæ opponuntur, refutatione magis patebit.

Objectio prima.

Ac primo quidem, inquiunt, plurimum temeritatis habet nostra sententia. Ergo non est admittenda.

℞. Nego ant. ut enim jure merito temeritatis argueretur, deberent vel ex scriptura, vel ex traditione momenta proferri, quibus aperte aut saltem tacite monstraretur, subdiaconatum & 4 minores ordines Sacramentis novæ legis, divisim & formaliter in se sumptos annumerari. Atqui nullum hujusmodi argumentum Scriptura aut traditio suggerit: imo contrarium persuadet, hinc quidem Sacrarum Litterarum silentium, illinc vero numerus auctoritatum quas ex antiquis Scriptoribus in probationem adduximus: ergo &c.

Inst. 1. Prob. ant. temerarium est, a communi Ecclesiæ & Theologorum doctrina recedere. Atqui sententia affirmans subdiaconatum & minores ordines, divisim & formaliter sumptos, vere esse Sacramenta, communis Ecclesiæ & Theologorum doctrina est. Ergo temeritatis notam non effugit, qui ab hac doctrina recedit.

℞. Concessa maj. n. min. quantum ad utramque partem.

Communem enim Ecclesiæ doctrinam dicimus, quæ de scripturæ & traditionis fonte suscepta est, quam Concilia & Pontifices Maximi, vel expresse vel saltem implicite definierunt, quam Sancti patres commendarunt, quæ denique Theologorum consensione pene unanimi roboratur; atqui opinio affirmans subdiaconatum & minores ordines formaliter & divisim esse Sacramenta, de Scripturæ & traditionis fonte non venit, nullius Concilii, nullius Summi Pontificis decreto defenditur: immo in contrarium quædam Sum. Pontificum & Conciliorum sanctiones aperte facere videntur: qualis *est Urbani* II in Concilio Beneventano sic statuentis: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in Sacris ordinibus Religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus Diaconatum & presbyteratum: hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. Subdiaconos vero, quia & ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus: si tamen spectatæ sint Religionis & scientiæ ..* Ita *Urbanus* II, cui concinens *Innocentius* III (*cap.* miramur *de servis non ordinandis*) declarat, *subdiaconatum in Ecclesia primitiva, non fuisse Sacrum ordinem reputatum, & non annumerari inter Sacros gradus, nisi secundum moderna tempora*. Ergo &c. Jam quod ad patres attinet, non puto quemquam afferri posse, qui subdiaconatui & interioribus gradibus rationem Sacramenti tribuerit. Ex eorum quidem auctoritate probabitur, præter presbyteratum & Diaconatum, alios in Ecclesia ab antiquo ordines esse, prout contra Calvinianos capite primo probatum est. Sed non ideo consequens erit, quod debeant, pro veris, divisive ac formaliter, Sacramentis haberi. Denique doctrina quam impugnamus, non potest dici Theologorum communis esse: nam præter eos quorum auctoritates attulimus, alii scholarum omnium, numero magno laudari possent, qui hoc ipsum verbis apertissimis, paucis contradicentibus, & absque temeritatis accusatione senserunt: haud me equidem fugit Scholasticis Theologis, iis nimirum qui auctoritate nihil, solisque ratiunculis omnia metiuntur, doctrinam illam non arridere: verum illis malumus displicere, quam a veritate recedere.

Inst. 2. Probando min. Concilium Trid. sess. 23, cap. 2, septem ordines expresse recenset: ibidem can. 2 sic statuit: *si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur: anathema sit* .... Denique ib. can. 3 sic definit: *Si quis dixerit, ordinem sive Sacram ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum ... anathema sit.*

Inde sic assumitur argumentum: Concilium definit ordinem esse vere & proprie Sacramentum: 7 porro ordines numerat, nullo inter eos, quantum ad Sacramenti rationem, discrimine facto: igitur 7 ordines divisim & formaliter vere esse Sacramenta, communis doctrina Ecclesiæ est, Concilii Trid. decreto roborata.

℞. Auctoritatem admitto, & concesso ant. n. conseq. his enim decretis S. Synodus ea tantum

tum

Digitized by Google

tum voluit stabilire quæ proterve negabant hæretici, quæstiones inter Catholicos innocue controversas in medio relinquendo. Porro hæretici hæc duo negabant, ordinem esse Sacramentum, & plures ordines esse. Utrumque dogma Concilium vindicavit, anathema iis dicendo, qui ordinem Sacramentum non esse, nec plures ordines esse contenderent. Nec vero ita sunt hi duo canones conjungendi, quasi ex eo quod septem ordines sint, ex mente patrum Trid. 7 esse ordinis Sacramenta consequens sit: etiamsi enim e 7 ordinibus, solum Sacerdotium Sacramentum foret: verum nihilominus esset, ordinem esse Sacramentum, & 7 ordines esse: quia alia est Sacramenti, alia ordinis ratio: ordines, multiplicato populo fideli, augere Ecclesia potuit: condere Sacramenta, quod est soli Christo homini Deo eximium, temporis successu non potuit.

Inst. 3. Ordo generatim est Sacramentum. Ergo Concilium Trid. 7 esse ordines statuendo, singulis Sacramenti rationem adscripsit.

℟. Dist. ant. ordo generatim est Sacramentum, ordo, inquam, a Christo præscriptus, *conc.* ordo ab Ecclesia institutus, *subdistinguo:* Sacramentum est, si in origine spectetur, *conc.* si formaliter & divisim, *n.* Solutio ex prædictis plana est.

Inst. 4. S. Thomas in 4 sentent. dist. 24, subdiaconatum & minores ordines Sacramenta esse affirmat. Ergo præceptori Angelico contradicimus.

Respondet Dominicus Soto celeberrimus S. Thomæ discipulus his verbis: *Profecto inquit,* (*in 4 sent. dist. 24, qu. 1, art. 4*) *non arbitror, quod si S. Thomas ad hunc locum in summa pervenisset, in hac perstitisset opinione, quam in 4 libro sent. vulgus secutus tenuit.* Ita prædictus scriptor, cujus eo notabilior responsio est, quod Concilio Trid. interfuerit. Intelligebat ergo controversiam hanc de Ordinibus, utrum singuli rationem Sacramenti vere importent, non esse a S. Synodo definitam. Alioquin enim non deseruisset doctrinam affirmantem singulos ordines Sacramenta esse, nec imperiti vulgi opinionem esse dixisset. Jam quod ad S. Thomam spectat, quam merito suspicetur *Dominicus Soto*, eum, si summam Theologicam absolvisset, id quod junior senserat retractaturum, inde patet, quod alibi S. Doctor, nimirum opusculo 34, diserte pronunciet, subdiaconatum & minores ordines, ab Ecclesia esse institutos: adeoque Sacramenta non esse: scripsit hoc opusculum S. Thomas contra *Guillelmum a S. amore*, S. Dominici ordinis infensissimum adversarium. Contendebat iniquus homo non potuisse ab Ecclesia novum erigi ordinem, cui specialiter officium prædicandi committeretur. Hunc, præter cætera, exemplo subdiaconatus & quatuor minorum ordinum, quos Ecclesia de novo instituit, Doctor Angelicus refutat. *In primitiva Ecclesia, inquit, fuerunt soli duo ordines Sacri, scilicet presbyteri, & Diaconi. Et tamen postea Ecclesia minores sibi ordines instituit, ut Magister sentent. dicit.* Itaque nec S. Thomæ contrarii sumus, nec ei injuriam facimus, si id quod obiter, nondum plene discussa quæstione, in libros sententiarum, *vulgus sequendo* dixerat, non amplectimur (1).

Inst. 5. Atqui subdiaconatum & minores ordines esse Sacramenta, non opinio, sed certa res est: ergo &c.

Prob. subs. ubicumque est ritus externus, materiam & formam propriam habens, & effectum spiritualem ex opere operato producens, verum est & proprium novæ legis Sacramentum; atqui subdiaconatus & quatuor minores ordines, divisim & formaliter sumpti, materiam & formam propriam habent, ac præterea effectum spiritualem ex opere operato producunt. Ergo certum est esse Sacramenta.

℟. Nego subs. ad probationem,

1. Nego 1 partem majoris. Nego, inquam, ubicumque reperitur ritus externus, materiam & formam propriam habens, necessario esse Sacramentum. Nam in Ecclesiasticis institutis, ut in benedictione Abbatis, vel in receptione Canonici, res & verba occurrunt, quæ materiæ ac formæ rationem aliquam exterius habent. Numquid ideo dicturi sumus hujusmodi, & quamplures alias cæremonias, quas Græci

(1) *Dubium hac in re fuisse Sanctum Præceptorem colligit Benedictus XIV lib. 7 de Synodo &c. cap. 24, num. 11, postquam enim sententiam retulit Magistri Sententiarum ajentis:* Canones duos tantum sacros Ordines appellari censent, Diaconatus scilicet, & Presbyteratus... Subdiaconos vero, & Acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit, *subdit:* „ *Et, quod magis est, S. Thomas, qui aliis in locis singulis Ordinibus veri Sacramenti a* „ *Christo Domino instituti excellentiam asserit, in* c. 3 Ep. I ad Timot. lect. 2, *Magistrum se-* „ *quutus:* in primitiva Ecclesia solum erant tres Ordines, Episcoporum, Presbyterorum, & „ Ministrorum: & non dividebantur per diversos gradus: sed omnes erant in uno Ordine pro- „ pter paucitatem Ministrorum, & propter novitatem Ecclesiæ. *Ex quo colligitur dubiam* „ *saltem fuisse hac in re Angelici Præceptoris mentem* ".

Digitized by Google

ci & Latini observant, vere esse Sacramenta? Ut ergo aliquid vere gaudeat titulo Sacramenti, requiritur ut materiam & formam habeat, ex divina institutione præscriptas, quod sane minoribus ordinibus, & subdiaconatui non convenit.

2. Concessa, ad sensum primæ responsionis, majore, nego 2 partem minoris: ut enim sæpe dictum est, vim spiritualis effectus producendi elemento sensibili solus Deus dare potest, nec valet ulla creata potestas hoc sibi jus arrogare: cum ergo subdiaconatus & minores ordines divisive sumpti, fuerint ab Ecclesia instituti, virtutem illam non habent: adeoque quidquid spiritualis gratiæ ex eorum susceptione percipitur, ex opere operantis, non ex opere operato, habetur.

Inst. 6. Probando min. character est effectus spiritualis, proprius Sacræ ordinationis; atqui subdiaconatus & quatuor minores ordines imprimunt characterem: indeque est, quod iterari non possunt: *Dixerunt aliqui*, ait S. Thomas, (*Suppl. q. 35, art. 2, in c.*) *quod in Sacris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc nihil est, quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis, ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem. Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur: cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, & numquam iterantur: & hæc est . . . opinio communior*: &c.

℞. Concessa maj. n. min. ad probat. nego, ex eo quod minores ordines & subdiaconatus iterari non possint, inde sequi quod imprimant characterem: hoc enim argumentum si valeret, idem de prima tonsura dicendum foret, quæ juxta Ecclesiæ disciplinam, semel suscepta, non iteratur: ideo itaque ab Ecclesia constitutum, non debere subdiaconatum & minores ordines repeti; non quod per illos crediderit imprimi characterem; sed quia per quandam consecrationem conferuntur. Porro hæc natura est consecrationis, ut tamdiu maneat, quamdiu res consecrata non perit: quia quod Deo semel est consecratum, semper est consecratum.

Ad auctoritatem D. Thomæ, idem quod ad præcedentem objectionem Responsum esto, hoc scilicet dictum a S. Doctore, dum junior commentaria in Magistrum sentent. dictaret; eamque haud dubie opinionem revocaturum, si summam Theologicam, quæ postremum ejus opus fuit, ad finem perduxisset.

Inst. 7. saltem subdiaconatus veris Sacramentis debet adscribi: ordo enim Sacer & major, si non habet rationem Sacramenti, nulla causa est cur in Sacramentorum numero ordo ponatur, atqui subdiaconatus in sacris & majoribus ordinibus locum habet. *Subdiaconatus*, ait Concilium Trid. (*Sess. 23, cap. 2*) *ad majores ordines a patribus & Sacris Conciliis reservatur*: ergo &c.

℞. Nego ant. ad probat. dist. maj. ordo *ex divina institutione major & Sacer*, veris Sacramentis debet adscribi, conc. ordo Sacer, *ex sola Ecclesiastica lege*, n. maj. & eadem distinctione ad min. data, n. conseq.

E. R. Equidem in Latina Ecclesia a 500 circiter annis, subdiaconatus in majorum & sacrorum ordinum serie collocatur. Verum unde probatur majorem esse, Sacramentum non esse ostenditur. Nam si ex divina institutione Sacris & majoribus ordinibus annumeraretur, par esset ejus in tota Ecclesia honoris & excellentiæ gradus; atqui in Ecclesia Orientali, neque olim fuit computatus, nec modo in Sacro Catalogo locum habet. Ergo divino-jure prærogativam illam non possidet.

Deinde, quod constat ab Ecclesia constitutum, Deo velut immediato authori acceptum referri nequit; atqui certum est, subdiaconatum Sacri ordinis titulo ab Ecclesia esse donatum: ut ex *Urbano* II, & *Innocentio* III dictum est: ergo &c.

Quæ autem causa Latinæ Ecclesiæ fuerit, subdiaconatum majoribus ordinibus accensendi dicetur parte secunda commodius, ubi de subdiaconatu in speciali agemus.

Objectio secunda.

2. Sic arguunt: præter cæteras, ad contrariam sententiam adstruendam, rationem istam attulimus, quia, *inquiebamus*, ex historia Ecclesiastica certum est, fuisse quosdam diaconos & presbyteros consecratos, qui subdiaconatu & minoribus ordinibus initiati non fuerant; atqui non valet hæc ratio. Constat enim ex historia Ecclesiastica, fuisse aliquos presbyteros consecratos, qui antea Diaconi ordinati non fuerant: quin etiam certum est, aliquos ad Episcopatum evectos, licet Sacerdotes antea non fuissent; atqui inde non sequitur, diaconatum & presbyteratum non esse vera & proprie dicta legis Evangelicæ Sacramenta: pariter ergo ex eo quod neglecti aliquando fuerint subdiaconatus & minores ordines, minime sequitur non habere veram & propriam Sacramenti rationem.

℞. Concessa maj. n. min. ad cujus probat. n. maj. certum enim est, nec in Orientali, nec in Occidentali Ecclesia, majores unquam ordines fuisse prætermissos: in Ecclesia quidem Orientali, Concilii Sardicensis can. 15

san-

Digitized by Google

sancitum est, *ut non prius ordinetur Episcopus, nisi antea lectoris munere, & officio diaconi & presbyteri fuerit perfunctus; & ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus* .... In eadem Ecclesia damnatus est *Ischyras* S. Athanasii calumniator & impius accusator, qui ementita ordinatione Episcopus creatus fuerat, cum antea presbyter non fuisset.

In Ecclesia vero Latina, constat ex variis Summ. Pontificum, *Siricii*, *Innocentii*, *Zosimi*, *Cœlestini*, *Gelasii*, & aliorum decretis, eos quidem minorum ordinum, & ipsius Diaconatus, omissionem interdum permisisse, expresse tamen prohibuisse, ne quis fieret sacerdos vel Episcopus, qui Diaconatum ante non accepisset.

Inst. 1. Probando maj. variis exemplis. Narrat *Theodoretus*, (*in histor. Religios. cap.* 13) *Macedonium* Monachum sanctitatis fama celebrem, a *Flaviano* Patriarcha Antiocheno accersitum, cum Missæ solemniis interesset, ab Episcopo non antea monitum, reique nescium, presbyterum ordinatum. Quod cum audisset, astantes omnes ipsumque *Flavianum* injuriis multis affecit, & præceps in solitudinem remigravit.... Narrat idem scriptor, (*ib. c.* 15) quemdam solitarium, cum instare mortis suæ diem prædixisset, ab Episcopo suo presbyterum ordinatum; protestatumque esse, se ideo impositioni manu consentire, quod prævideret vitæ & Sacerdotii onere quantocyus se esse solvendum: cujus vaticinii veritatem probavit eventus. Sed multo mirabilior est *Salamani* cujusdam ibidem relata historia: (*ib. cap.* 19) sanctam ille degebat vitam in cellula sic occlusa, ut nec fenestriculam, nec portam ullam haberet: novitate prodigii commotus finitimæ civitatis Episcopus, accurrit, ut ejus non tam hospitiolum, quam tumulum visitaret. Murum malleo disrumpit ac dividit, extensas per fixuram manus imponit *Salamani*, eumque presbyterum consecrat: cumque adduci nulla prece, nulla arte potuisset *Solitarius* ad loquendum; hoc magis obstupefactus Episcopus, clauso muro, in Ecclesiam suam reversus est. Ergo ex historia certum est, aliquos, Diaconatu prætermisso, presbyteros ordinatos.

℟. 1. Multa in hoc volumine contineri, quæ fidem omnem superant, & merito a viris doctis vocantur in dubium: adeoque certum inde argumentum peti non posse.

℟. 2. Admissis exemplis, n. conseq. quæ ut vera foret, constare ex historia deberet, prædictos Sanctos, non ante recepto Diaconatu, presbyteros ordinatos. Non hoc porro Theodoretus affirmat: tantumque meminit presbyteratus eis collati, nulla Diaconatus mentione facta. Admodum itaque credibile est, eos in ejusdem cæremoniæ decursu, Diaconos primum, dein presbyteros consecratos: quod ne frustra dictum videatur, affero ejusdem rei exempla duo.

Primum est *S. Epiphanii*, qui cum sæpius Episcopo suo contestatus esset, se nondum esse Clericum, in ejusdem Missæ solemniis, Diaconus primum, dein presbyter, & postea Episcopus ordinatus est. *Eum itaque*, inquit author vitæ ejus, (*apud Surium die* 12 *Maji*) *ordinat Diaconum: & rursus dat ei pacem, & ipsum ordinat presbyterum: rursum fit Missæ continuatio, & eum ordinat Episcopum*. Alterum est *Pauliniani*, S. Hieronymi fratris, de quo sic loquitur *Epiphanius*: (*Ep.* 60 *inter Ep. S. Hieron.*) *ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus .... & primum Diaconum ordinavimus .... & cum ministraret in Sanctis Sacrificiis, rursus cum ingenti difficultate tento ore ejus, ordinavimus presbyterum*.

Constat igitur, aliquando in ejusdem Missæ solemniis Diaconatum & presbyteratum esse collatos: adeoque in iis Diaconatus præcessisse debet intelligi, de quibus narratur quod fuerint presbyteri consecrati. Veritati enim certo cognitæ, non potest quorumdam nocere silentium; atqui ex antiqua Ecclesiæ disciplina certissimo constat, diaconatum & presbyteratum sic necessarios fuisse existimatos; ut semper prohibitum fuerit, ne quis ad Episcopatum sine prævio presbyteratu promoveretur. Aliundeque non minus est certum, plerisque, subdiaconatu & minoribus ordinibus prætermissis, majores ordines fuisse collatos. Quod sane non leve est argumentum, ordines Diaconatu minores pro veris Sacramentis habitos non fuisse.

Inst. 2. In actibus Apost. & in Ep. S. Pauli quorumdam Episcoporum mentio est, *Timothei*, scilicet, *Titi*, *Barnabæ* &c. atqui videntur illi confestim, sine presbyteratu aut Diaconatu prævio, Episcopi consecrati: ergo &c.

℟. 1. Data, & non concessa minore nego conseq. Si quid enim in his Ecclesiæ primordiis, speciali dispensatione, & suggerente Sp. Sancto, præter legem communem Apostoli fecerint, trahi in exemplum non debet.

℟. 2. Nego min. debemus enim Scripturæ silentium ex perpetuo Ecclesiæ usu interpretari, quo constat numquam hujusmodi ordinationes licitas fuisse existimatas: credendum itaque Apostolos Diaconatum & presbyteratum, in his, quos Episcopos ordinabant, non omisisse.

QUÆSTIO TERTIA.

De ordinationis materia.

De materia singulorum in specie ordinum, parte secunda plene dicetur: interim ut consueta methodus teneatur

GENERATIM OSTENDITUR

Nullum esse ordinem, cui propria non sit addicta materia.

Ordo enim, quisquis ille sit, vel est a Christo immediate institutus, adeoque verum in se & formaliter Sacramentum est: vel auctricem Ecclesiam ab ipsis primis temporibus habet, & ex Diaconatu totius ministerii fonte decerptus est: & ideo debet instar Sacramenti conferri: cum itaque Sacramento cuilibet sit essentiale materiam aptatam habere, nec aliter Sacramentum intelligatur, aut sit, nisi quatenus verbum ad elementum accedit: necessario confitendum, sine propria materia constare ordinationem non posse.

De presbyteratu quidem ac Diaconatu dubitatio nulla est; quin manuum impositione tradantur; quæ sensibilis materiæ loco est: perspicua enim de hac re, locis supra memoratis scripturæ scriptio est. (*v. supra quæst.* 1, §. 1, *Prob.* 1) Deinde quod semper & ubique fuit summo omnium consensu servatum, non humanum inventum, sed dogma divinitus traditum est existimandum: atqui sacram presbyterorum & Diaconorum ordinationem, semper & ubique per manuum impositionem conferre, solemne fuit, ut ex antiquissimis Ecclesiæ canonibus, Sacramentariis, Euchologiis, & Pontificalibus manifestum est, quæ apud Græcos & Latinos olim in usu fuerunt & etiamnum observantur. Ergo &c. nec est quod pueriliter aliquis cavilletur, impositionem manuum, materiam non esse obtendens: ut enim libro primo, & alibi sæpe monstratum est, ubi de Sacramentis agitur, materiæ nomen non ita debet intelligi, quasi necessario substantiam physicam & elementarem significet, sed sufficit ut aliquid externum, & sensibile significet, quod adjuncta verborum forma, ad spiritualem effectum, Christi institutione sit comparatum: quod quidem manuum impositioni bene convenit.

Quod vero spectat ad ordines Diaconatui subjectos, & ab eodem, ut prædiximus, derivatos, cum præscripta materia tradi solitos, evincunt antiquissimi Canones.

In subdiaconatu tradendo, non eadem a Græcis atque Latinis materia usurpatur: quod argumentum non leve est, verum in se & formaliter Sacramentum non esse; omnia enim legis Evangelicæ Sacramenta, materiam ex institutione Christi immutabilem & inviolabilem habent. Græci porro & Orientales sola manuum impositione subdiaconos, non secus ac Diaconos & presbyteros consecrant: apud Latinos e contra ordinandis subdiaconis manum imponi vetitum est: unde vice materiæ, patenæ vacuæ & calicis vacui, ab Episcopo, ab Archidiacono vero Urceolorum cum vino & aqua, & linteolo quo manus absterguntur, traditio fit. *Subdiaconus cum ordinatur*, ait Concilium IV Carthag. (*can.* 5) *quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi, Urceolum cum aqua, & mantile & manutergium.*

Acolythatum, ut prædiximus, Græci nec hodie habent, nec antiquitus habuerant. Hujus ordinis, in Latina Ecclesia, materia duplex; ceroferarii nimirum cum cereo, & Urceoli vacui traditio: quæ quidem olim ab Archidiacono fieri consueverat, hodie vero ab Episcopo ordinante fieri debet. *Acolythus cum ordinatur*, ait Concilium Carthag. IV (*can.* 6) *ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat; sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & Urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.*

Exorcistatum pariter, pro ordine peculiari Græci non admittunt: apud Latinos materia ejus est, porrectio libri Exorcismorum: sive, ex hodierna disciplina, Missalis traditio. *Exorcista cum ordinatur*, inquit eadem Carthag. Synodus, (*can.* 7) *accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi.*

Lectoratum Græci cum Latinis communem habent, sed materia discrepant: Græcis enim sola manuum impositio, ut in cæteris ordinibus; Latinis, sacri codicis porrectio, materiæ locum tenet. „ Nullus efficiatur Lector, in- „ quit Synodus Œcumenica VII (*can.* 14), „ absque Episcopi manus impositione: hoc ip- „ sum etiam in Monacho servetur. Lectoris „ autem manuum impositionem licet in pro- „ prio Monasterio, etiam soli Monasterii præ- „ fecto facere, si ipsi præfecto, ab Episcopo „ manus est imposita. Similiter & ex antiqua „ consuetudine Chorepiscopo, Episcopi per- „ missu, oportet per manuum impositionem „ Lectores creare . . . Orientalis Ecclesiæ di- „ sciplinam laudatus Canon exhibet: " Occidentalis vero, præscribit Concilium Carthag. IV. *Lector cum ordinatur*, ait, (*can.* 8) *faciat de*

de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium: post hæc spectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est.

Postremus omnium est, Ostiariatus, Græcis pariter incognitus, non aliam in Latina Ecclesia, præter porrectionem clavium Ecclesiæ, materiam habens. *Ostiarius cum ordinatur*, ait sæpe memorata Carthag. Synodus (*can.* 9) *postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi, tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ, de Altario.*

Nullus ergo ordo est, cui propria materia non respondeat.

QUÆSTIO QUARTA.

De forma ordinationis.

IDemque de forma dicendum, quæ est pars Sacramenti præcipua, materiæ dans vigorem, quæque nisi ad elementum accederet, frustra elementum ipsum adhiberetur. Itaque quo argumento probatur, nullam sine propria materia ordinationem esse; eodem evincitur, formis peculiaribus singulas ordinationes debere constitui: in hoc summa Græcorum & Latinorum consensio est; quamquam in ordinibus Diaconatu inferioribus, ut materia differunt, sic discrepent forma. Jam ut de singulis paulisper dicamus.

In Latina Ecclesia Episcopus presbyteros ordinans: *Oremus*, inquit, *dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet .... Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster: & super hos famulos tuos Benedictionem Sancti Sp. & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem: ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris .... Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus ... Da quæsumus in hos famulos tuos presbyterii dignitatem, innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis .... Sint probi cooperatores ordinis nostri, & luceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur &c.*

In ordinatione Diaconorum. *Oremus, dilectissimi, Deum patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos quos in Sacrum ordinem dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat ... Exaudi Domine preces nostras, & super hos famulos tuos Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cælesti munere ditati, & tuæ gratiam possint majestatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere ... Adesto quæsumus omnipotens Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorum dispositor ... Emitte in eos, Domine, quæsumus, Sp. Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur &c.*

In ordinatione subdiaconi: exhibeatur, (*inquit Sacramentarium Gregorii M.*) in conspectu Episcopi patena & calix vacuus; & dicat Episcopus: *vide cujus ministerium tibi traditur: & ideo si usque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodo debes esse assiduus: si usque nunc somnolentus, amodo vigil: si usque nunc ebriosus amodo sobrius: usque nunc inhonestus, amodo castus ... ideo te admoneo, tu talem te exhibe, ut Deo placere possis .... Oremus Deum ac Dominum Deum nostrum, ut super servos suos ... quos ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem & gratiam suam .... Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos, quos ad subdiaconatus officium eligere dignatus es: uti eos sacrario tuo sancto strenuos sollicitosque cælesti militia instituas, & sanctis Altaribus fideliter subministrent: & requiescat super eos spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: repleas eos spiritu timoris tui, & eos ministerio divino confirmes, ut obedientes facto, atque dicto parentes, tuam gratiam consequantur &c.*

In ordinatione Acolythorum: *Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Jesum Christum filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, & ejusdem passionis mysterio redemisti: benedicere digneris hos famulos tuos, quos in Acolythi officium consecramus, poscentes tuam clementiam, ut eorum mentem & lumine scientiæ illustres, & pietatis tuæ rore irriges; ut ita perceptum ministerium peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur, &c.*

In ordinatione Exorcistæ: Episcopus tradens ordinando Exorcismorum libellum: *accipe*, inquit, *& commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manum super Energumenum, sive baptizatum, sive Catechumenum.... Deum Patrem Omnipotentem supplices deprecamur, ut hos famulos suos ... benedicere dignetur in officium Exorcistæ ... Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos ... in officium Exorcistæ, & ad impositionem manuum, & oris officium eos eligere digneris, ut imperium habeant Spirituum immundorum coercendorum,*

Digitized by Google

rum, & probabiles sint medici Ecclesiæ, curationum virtute confirmati &c.

In ordinatione Lectoris, Episcopus tradens ordinando codicem de quo lecturus est, dicit: *accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, par tem cum his qui verbum Dei ministraverunt... Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos, in Officium Lectoris, ut assiduitate Lectionum .... & agenda dicant, & dicta opere compleant, & in utroque Sanctæ Ecclesiæ consulant, &c.*

In ordinatione Ostiarii, Episcopus tradens ordinando Ecclesiæ claves: *sic age*, inquit, *quasi redditurus Deo rationem, pro his rebus quæ his clavibus recluduntur .. Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecamur, ut hos famulos suos .... benedicere dignetur, quos in officium ostiarii eligere dignatus est .... Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos.... ostiarios &c.*

Ex Sacramentario Gregorii M. excerpta sunt quæcumque hic descripsimus: hodiernam Latinæ Ecclesiæ disciplinam, a parte commodius ex Romano Pontificali exponemus, de singulis in specie ordinibus disserendo.

In Græca vero Ecclesia Episcopus presbyterum ordinans, clara voce enunciat: *divina gratia quæ semper infirma curat, & quæ desunt supplet, promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia Sanctissimi Spiritus .... Deus qui es sine principio, & fine cares, qui omnem creaturam senio superas, qui appellatione presbyteri eos ornasti, qui in hoc gradu digni facti sunt, qui verbum tuæ veritatis administrent: tu Domine omnium, secundum beneplacitum tuum velis, ut iste quem tibi placuit a me promoveri, suscipiat in irreprehensibili conversatione & firma fide, magnam hanc gratiam Sp. Sancti tui: & perfectum ostende servum tuum, in omnibus tibi acceptabilem, & digne conversantem, ut dignitas hujus Sacerdotalis honoris, a tua præcognitiva potentia ipsi donati requirit: quoniam tuum est imperium, & tuum est Regnum, & potentia, & gloria, Patris, & Filii, & Sp. Sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum... Deus qui magnus es in potentia, & inscrutabilis in prudentia, qui mirabilis es in consiliis præ filiis hominum: tu Domine, & hunc quem voluisti ut subiret gradum presbyteri, imple dono Sancti tui Sp. ut fiat dignus qui assistat sine querela Sanctuario tuo, prædicet Evangelium tui Regni, administret verbum tuæ veritatis, offerat tibi dona & sacrificia spiritualia, renovet populum tuum per Lavacrum regenerationis: ut & ipse occurrens in secundo adventu magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, unigeniti filii tui, recipiat mercedem bonæ administrationis proprii gradus in multitudine bonitatis tuæ, quoniam benedictum & glorificatum est honorabile ac magnificum nomen tuum, Patris, & Filii, & Sp. Sancti &c.*

In ordinatione Diaconi: Pontifex imposita manu sic precatur: " Domine Deus noster qui
,, præcognitione tua iis præbes auxilium tui
,, Sancti spiritus, qui a tua investigabili poten-
,, tia sunt destinati, ut fiant ministri, & in-
,, servire debeant immaculatis tuis mysteriis:
,, tu Domine, & hunc quem voluisti, ut a me
,, promoveretur in ministerium diaconatus, in
,, omni honestate conserva, habentem myste-
,, rium fidei in pura conscientia: dona ei gra-
,, tiam, quam largitus es Stephano Proto-Mar-
,, tiri tuo, quem etiam primum vocasti ad o-
,, pus ministerii tui: & dignum fac eum se-
,, cundum beneplacitum tuum, qui curam ha-
,, beat gradus a tua bonitate illi donati: qui
,, enim bene inservierint, bonum gradum sibi
,, ipsi acquirunt: & perfectum servum tuum
,, ostende: quoniam tuum est regnum, &
,, potentia, & gloria Patris, & Filii, & Sp.
,, Sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæ-
,, culorum... Deus Salvator noster, qui incor-
,, rupta tua voce Apostolis tuis legem sanxi-
,, sti, & primum eum prædicasti, qui opus
,, ministri exequitur, sicut scriptum est in
,, sancto tuo Evangelio: *qui vult inter vos es-*
,, *se primus, sit minister vester*: tu Domine
,, omnium, & hunc servum tuum, quem di-
,, gnum fecisti, ut munus subiret diaconi, im-
,, ple omni fide, & caritate, ac potestate, &
,, sanctificatione, adventu Sancti & vivifici tui
,, Spiritus: non enim in impositione manuum
,, mearum, sed in præstatione copiosarum mi-
,, serationum tuarum datur gratia iis, qui te
,, sunt digni: & fac ut ab omni peccato liber,
,, in tremendo die tui judicii sine reprehen-
,, sione tibi se sistat, & mercedem infallibi-
,, lem tuæ promissionis recipiat. Tu enim es
,, Deus noster, Deus qui misereris & salvas;
,, tibique gloriam offerimus Patri, & Filio, ac
,, Sp. Sancto, nunc & semper, & in sæcula
,, seculorum ".

In ordinatione Subdiaconi, Pontifex ter obsignans ejus caput, & imponens manum... Hanc recitat orationem: " Domine Deus no-
,, ster, qui per unum atque eumdem Spiritum
,, dividis Chrismata unicuique eorum quos ele-
,, gisti, qui Ecclesiæ tuæ varios ordines largi-
,, tus es, in ea quoque gradus ministerii con-
,, stituisti, in administrationem Sanctorum &
,, immaculatorum tuorum mysteriorum: qui &
,, inef-

Digitized by Google

„ ineffabili tua præcognitione determinaſti „ hunc ſervum tuum, ut eſſet dignus qui fa„ mularetur Eccleſiæ tuæ Sanctæ: tu Domi„ ne irreprehenſibilem eum in omnibus con„ ſerva: da ei ut amet decorem domus tuæ, „ ut aſſiſtat foribus templi Sancti tui, accen„ dat lampadem Tabernaculi gloriæ tuæ: & „ planta eum in Eccleſia Sancta tua, velut „ olivam fructiferam afferentem fructum juſti„ tiæ: & eum oſtende perfectum ſervum tuum „ tempore adventus tui, qui retributione eo„ rum, qui tibi placuerunt, fruiturus ſit. Quo„ niam tuum eſt regnum & potentia, & glo„ ria Patris, & Filii, & Sp. Sancti, nunc & „ ſemper, & in ſæcula ſæculorum„.

In ordinatione Lectoris, Pontifex ejus caput ter ſignat, impoſitaque manu, ſic precatur: „ Domine Deus omnipotens, elige ſervum tuum „ hunc, & eum ſanctifica: da ei cum omni ſa„ pientia & prudentia, ut divina eloquia tua „ exerceat ac legat, conſervans eum in irre„ prehenſibili converſatione, miſericordia, & „ miſerationibus, ac benignitate Unigeniti Fi„ lii tui, cum quo es benedictus, una cum „ Sancto, bono, ac vivifico tuo Spiritu, nunc „ & ſemper & in ſæcula ſæculorum„.

Itaque ordinatio quælibet, ut materiam, ita formam præſcriptam habet.

Solvuntur quædam difficultates.

Chriſtus Dominus, dicet aliquis, in ultima cœna Apoſtolos novæ legis ſacerdotes conſtituit; atqui ſola ſuprema voluntate hoc fecit, materiam nullam, nullam adhibendo formam: de utraque enim Scriptura & traditio altum ſilent: ergo nec materiam nec formam propriam ſacra ordinatio habet.

℟. Diſt. maj. Chriſtus Apoſtolos ſacerdotes conſtituit, per ordinationem quæ eorum reſpectu Sacramentum non fuerit, *conc.* per ordinationem Sacramentalem, *n. maj.* & conceſſa min. *n.* conſeq.

E. R. Non qui ſibi legem imponeret, Chriſtus Sacramenta inſtituit: ut enim in iis ſanciendis habuit excellentiæ poteſtatem: ita, ſine illis potuit ipſe, quoſcumque voluit ſanctificare, & effectu Sacramentali donare: potuit ergo Apoſtolos ſolo imperio voluntatis, omnique exteriori ritu neglecto, ad ſacerdotii novæ legis dignitatem evehere. Cum itaque alia legiſlatoris, alia ſubditorum poteſtas ſit; contra ordinationes Sacramentales ab initio in Eccleſia fieri ſolitas, præpoſtera eſt, ab exemplo Chriſti petita illatio; eoque magis, quod Apoſtoli ab ipſo Chriſto, hujus Sacramenti mandatum acceperint: accepiſſe enim, inde evincitur, quia in ipſo ſuæ prædicationis exordio obſervarunt. Nec enim fas eſt credere, eos in tanti momenti negotio, proprio aliquid arbitrio præſumpſiſſe, & aliter quam a ſummo Magiſtro audiverant, attentaſſe.

Quod ne gratis dictum videatur, exemplo aliorum Sacramentorum adſtruitur. Sic enim confirmatio verum novæ legis eſt Sacramentum, ſpeciali materia, & forma propria definitum; atqui, inquit S. Thomas, (3 *par. qu.* 72, *ar.* 2, *ad* 1) *Chriſtus poteſtate excellentiæ quam habet in Sacramentis, contulit Apoſtolis die Sacra Pentecoſtes, rem ſeu effectum hujus Sacramenti, id eſt plenitudinem Sp. Sancti, ſine Sacramento: in quantum Apoſtoli. primitias Sp. Sancti acceperunt*. Pœnitentia pariter, & extrema unctio vera Sacramenta ſunt, ritus proprios & effectus habentia. Porro ut hos largiretur effectus, Chriſtus nulla ritus externi obſervatione egebat, qui peccatores multos expiavit, multoſque ſolo imperio ſanavit ægrotos: pariter ergo potuit Apoſtolis rem ſive effectum ſacræ ordinationis, ſine Sacramento conferre, cujus divina virtus a nullo creato inſtrumento dependet.

Inſt. Quibuſdam Hiſtoricis factis probatur, fuiſſe aliquos ſacerdotes conſecratos, licet abſentes, & non parum a ſuis Ordinationibus diſſitos. Sic S. *Gregorius Niſſenus* in vita S. *Gregorii Thaumaturgi* narrat, eum licet trium dierum itinere diſtantem, a *Phædimo* Amaſeenſium Epiſcopo, Epiſcopum ordinatum. Memoriæ pariter proditum a *Metaphraſte* in vita *Danielis Stilitæ*, eum, licet abſentem, a *Gennadio* Patriarcha Conſtantin. presbyterum conſecratum; ita ut, fundente preces Archidiacono, & populo per publicam acclamationem gratulante, Deus ei, licet abſenti, manus per Gennadium impoſuerit: ergo &c.

℟. 1. Miraculoſas hujuſmodi, ſi quæ fuerint, ordinationes, in exemplum trahi non debere, & legem de manibus imponendis rituque externo, in præſentia ordinandi ſervando, firmare potiùs quam infringere: qui enim mandatum edidit Deus, non ideo putandus eſt revocare, quia ad ſuam omnipotentia exhibendam, præter modum præſcriptum quandoque agit.

℟. 2. Ad 1 exemplum, cum diſtinctione: *Gregorius* Thaumaturgus, licet trium dierum itinere diſtans, a *Phædimo* Epiſcopus ordinatus eſt, id eſt, ad Epiſcopatum electus, *concedo*: id eſt abſens licet, eſt conſecratus, *nego*: reſponſionem ib. *S. Gregorius* Niſſenus inſinuat, addens Thaumaturgum noluiſſe Epiſcopatum obire; *priuſquam quæ fieri ſolent legitima, ſolemniter in eo peracta forent*: unde manifeſtum eſt, primam ejus ordinationem, meram electionem fuiſſe.

Ad 2 exemplum dico: vel in facto erraſſe Meta-

Metaphraſten, quo non ſemel vitio laboravit: vel debere ejus verba de electione intelligi, quæ ſummo omnium plauſu, tum a *Gennadio*, tum a Conſtantinopolitana plebe facta fuerit, *imponente Deo per Gennadium manus*, id eſt electionem approbante.

QUÆSTIO QUINTA.

De Sacræ ordinationis authore.

PResbyteratum & Diaconatum, a Subdiaconatu & cæteris inferioris gradus ordinibus, magno intervallo diſtingui, ex prædictis facile intelligitur: quæritur utrum omnes inſtitutione æquales ſint? quæ difficultas ut reſolvatur

OSTENDITUR PRIMO

Diaconatum & presbyteratum a Chriſto immediate eſſe inſtitutos.

PROBATIO PRIMA.

Ex comparatione antiquæ & novæ Legis.

Quanto enim fœdus novum antiquo excellentius eſt, tanto majorem debuit Deus ejus habere curam, quam veteris: atqui in antiquo Iſraelitici populi fœdere Deus ſacerdotes, & levitas, quibus noſtri presbyteri & Diaconi ſucceſſerunt, immediate per ſe inſtituerat: cujus rei teſtimonia ubique in ſcripturis occurrunt. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen*, ait in Levitico Sp. Sanctus, (*Levit.* 8, 1, *& ſeqq.*) *dicens: tolle Aaron cum Filiis ſuis, veſtes eorum, & unctionis oleum .... & congregabis omnem cœtum ad oſtium tabernaculi: fecit Moyſes, ut Dominus imperaverat: congregataque omni turba ante fores tabernaculi, ait: iſte eſt ſermo, quem juſſit Dominus fieri: ſtatimque obtulit Aaron & Filios ejus: cumque laviſſet eos, veſtivit Pontificem .... tulit & unctionis oleum .... quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum & conſecravit. Filios quoque ejus oblatos veſtivit tunicis lineis, & cinxit balteis, impoſuitque mitras, ut juſſerat Dominus .... Obtulit & filios Aaron ... aſſumenſque unguentum & Sanguinem qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta ejus, & ſuper filios illius ac veſtes eorum: cumque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo, præcepit eis dicens ... die ac nocte manebitis in tabernaculo, obſervantes cuſtodias Domini, ne moriamini: ſic enim mihi præceptum eſt: feceruntque Aaron & filii ejus, cuncta quæ locutus eſt Dominus per manum Moyſi.*

De Leviticis vero ſic legimus conſtitutum: (*Nu.* 1, 48, *& ſeqq.*) *locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filii Iſrael: ſed conſtitue eos ſuper tabernaculum teſtimonii, & cuncta vaſa ejus, & quidquid ad cæremonias pertinet: ipſi portabunt tabernaculum, & omnia utenſilia ejus: & erunt in miniſterio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur: cumque proficiſcendum fuerit, deponent Levitæ Tabernaculum: cum caſtrametandum, erigent: quiſquis externorum acceſſerit, occidetur ...... Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria; ne fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſrael: & excubabunt in cuſtodiis Tabernaculi teſtimonii.*

Pariter itaque confitendum in nova lege ſacerdotium, & Leviticum ordinem, Deum immediatum habere Authorem.

PROBATIO SECUNDA.

Ex eo quod ſacrificium novæ Legis, fuerit a Chriſto immediate ſancitum.

Deinde: cujus eſt ſacrificium inſtituere, ad eumdem pertinet, de miniſtris a quibus offerri debeat legem ferre: hæc enim duo ſic natura conjuncta ſunt, ut uno poſito, alterum poni neceſſe ſit, unoque tranſlato, debeat & alterum transferri, ut teſtatur Apoſtolus: (*Hebr.* 7, 11, *& ſeq.*) indeque eſt, quod in lege naturæ, & in lege ſcripta, ſicut propria Deus ſacrificia habuit; ſic eorum offerendorum poteſtas, certis hominibus, qui res ſacras curarent, divina auctoritate tributa eſt: atqui Chriſtus in nova lege immediatus fuit ſui ſacrificii inſtitutor: ergo quæ ad ejus miniſtros ac miniſterium pertinerent, debuit ipſe per ſe immediate diſponere. *Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus*, ait S. Synodus Trid. (*Seſſ.* 22, *cap.* 1) *etſi ſemel ſeipſum in ara Crucis, morte intercedente, Deo patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem ſacerdotium ejus extinguendum non erat: in cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, ſacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerent*

Digitized by Google

rent præcepit, per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem: *uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.*

PROBATIO TERTIA.

Ex ipsa Sacerdotii & ministerii Sacri natura.

Tertium argumentum inde petitur, quod Sacerdotium divina res sit; sive ipsius sacrificii, & eorumquæ ad ejus oblationem pertinent; sive populi fidelis qui ministrorum curæ committitur, ratio habeatur; Ordinis enim potestas non solum consecrandæ Eucharistiæ potestatem continet: sed ad eam accipiendam hominum animos præparat, & ideoneos reddit, cæteraque omnia complectitur, quæ ad Eucharistiam quovis modo referri possunt: debuit ergo potestas illa a Christo immediate institui: quod ni Deus ipse faceret, nullibi potestas ipsa reperiretur: *omnis Pontifex ex hominibus assumptus*, inquit Apostolus, (*Hebr.* 5, 1 *& seqq.*) *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis ... nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te: quemadmodum & in alio loco dicit: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: sicut ergo Christus a Deo Patre Sacerdos immediate est constitutus; ita oportuit, ab eo immediate Sacerdotium visibile, & omne ministerium ei adjunctum institui: cujus rei ex sacris Litteris testimonia præclara & gravissima sunt: inquit enim Dominus: *sicut misit me pater, & ego mitto vos: accipite sp. Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt ... amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.*

PROBATIO QUARTA.

Ex Scripturæ auctoritate.

Idem denique evincunt novi Testamenti auctoritates, quibus constat 7 Diaconos ad opus ministerii, Saulum & Barnabam, Timotheum, Titum, & plerosque alios ab Apostolis ad Sacerdotium consecratos: inde enim evidens est, presbyteratum & diaconatum a Christo immediate institutos; nisi, (quod sæpe refutatum est) malit aliquis contra rationem, & auctoritatem contendens dicere, in iis quæ tanti momenti erant, quidquam sibi Apostolos proprio judicio, & contra quam a Christo audiverant, arrogasse.

OSTENDITUR SECUNDO

Ordines Diaconatu inferiores, si in radice spectentur, unde præcisi sunt, immediate a Christo sanctitos: mediate vero, si formaliter in se, & divisive sumantur.

Qua enim ratione Sacramenta sunt, divinam Institutionem habent: atqui, ut dictum est secundæ quæstionis c. 3, minores Diaconatu ordines in radice sunt Sacramenta, sive, ut clarius loquamur, Sacramentum est Diaconatus unde decerpti sunt: eo itaque sensu divinam & immediatam vindicat institutionem.

Non idem tamen de iisdem separatim sumptis possumus affirmare: gradus enim quos constat ab Ecclesia, successione temporis fuisse distinctos, immediate a Christo non sunt instituti: atqui subdiaconatus & minorum Ordinum gradus formaliter in se sumptos Ecclesia procedente ætate disjunxit, & a Diaconatu decerpsit, quo melius ac facilius necessitatibus diversis, & divini Officii decori consuleret: in Evangelicæ enim prædicationis exordio parvula adhuc & latitans, paucis indigebat ministris: crescente autem fidelium multitudine, & amplificato Ecclesiæ Patrimonio, cum soli Diaconi ministeria omnia implere non possent; diversa officia diversis sunt distributa: contigit nimirum Ecclesiæ quod hominibus solet, qui dum tenues habent facultates, uno servo contenti sunt: si vero redditus augeantur, servorum etiam crescit numerus, eoque magis, quo locupletiores evadunt: ordinum itaque Diaconatu minorum institutio, tum antiquissima est, ut prædiximus, tum suggerente Spiritu Sancto facta: in Christum tamen ceu immediatum auctorem, nisi in radice, refundi non potest.

QUÆSTIO SEXTA.

De sacræ Ordinationis ministro.

Minister Sacramentorum, ut sæpe diximus, alius ordinarius, alius extraordinarius: rursum, vel legitimus est, vel illegitimus: legitimum intelligimus, qui non valide tantum, sed etiam licite Sacramenta conficit: illegitimum, qui valide licet, illicite tamen & contra voluntatem Ecclesiæ Sacrum ministerium usurpat.

Quatuor itaque in præsenti discutienda: 1. Quis

Digitized by Google

1. Quis sit sacræ ordinationis minister ordinarius:
2. Quis extraordinarius:
3. Quis legitimus.
4. Quis illegitimus.

Quapropter sit

CAPUT PRIMUM.

De Ministro ordinario sacræ Ordinationis.

INter varios quos recentiores Hæretici disseminarunt errores, perniciosissimus ille fuit, quo Episcopatum concultantes, jus non eligendi tantum, sed & instituendi atque ordinandi quoscumque Ecclesiæ ministros penes politicum magistratum esse, asserere non erubuerunt: contra quos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, solos Episcopos ordinarios esse Sacræ ordinationis ministros.

Dogma fidei est, a Concilio Trid. assertum & vindicatum: *si quis dixerit*, inquit, (*Sess.* 23, *can.* 7) *Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem .... anathema sit ....* (*Ib. in Doctrina de Sacr. ord. c.* 4) *declarat sacrosancta Synodus, præter cæteros Ecclesiasticos gradus Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, a Sp. sancto regere Ecclesiam Dei: eosque presbyteris superiores esse, ac Sacramentum confirmationis conferre; ministros Ecclesiæ ordinare: atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent* .... idem fuerat ab *Eugenio IV* Pontifice Max. in decreto pro instr. Armenorum ante declaratum.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

1. Argumentum scriptura Divina suppeditat.

Actuum 6, v. 6, Electi a multitudine Diaconi, statuuntur ante conspectum Apostolorum, & ab iis ordinantur.

Ib. c. 13, v. 3, Saulus & Barnabas, ab iis qui præerant Antiochenæ Ecclesiæ, jubente Sp. Sancto, ad sacrum ministerium segregantur, & manuum impositionem accipiunt.

Ib. c. 14, v. 22, Paulus & Barnabas presbyteros per singulas Ecclesias constituisse leguntur.

1 Ad Tim. 4, v. 14, & 2 ad eumdem, c. 1, v. 6, monet Discipulum suum Apostolus, ut non negligat, sed resuscitet gratiam Dei, quam per impositionem manuum suarum acceperat.

Quam vero a Christo habuerant Apostoli potestatem, deinceps non nisi Episcopis a se constitutis communicarunt: *manus cito nemini imposueris*, ait Paulus ad Tim. (1 *Timoth.* 5, 22) *neque communicaveris peccatis alienis*; & ad Titum: (*cap.* 1, *v.* 5) *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.*

Hinc sic formatur argumentum: ille est ordinariæ sacræ ordinationis minister, cui soli in scriptura tribuitur conferendæ ordinationis potestas: atqui soli Episcopo scriptura potestatem hanc asserit: ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Traditione.

Sententiam hanc niti divina & Apostolica traditione, multis argumentis evincitur.

Primum petitur ex omnium ætatum & Ecclesiarum consensione, Ritualibus Latinorum & Græcorum Euchologiis attestata, ubi Sacræ ordinationis officium, solis Episcopis commendatur.

Secundum hinc ducitur, quod in hæreticorum & schismaticorum numero habiti semper fuerint, qui doctrinam contrariam tenuerunt: exempla plurima sunt.

1. Ex Alexandrino Concilio, sub S. *Athanasio* habito (4 *Sæculo*) celeberrimum est, ubi factæ contra S. Patriarcham expostulationes discussæ sunt: accusabatur *Athanasius* quod eo instigante *Macarius*, Ischyram quemdam presbyterum, ut ajebant, dum sacrum perageret, dirissime mulctasset, & calicem confregisset, per vim de manibus ejus ereptum: porro in hac Synodo, quam generalem S. Athanasius appellat, quippe ex Ægypto, Thebaide, Lybia, & Pentapoli coactam, post maturum instrumentorum examen: 1 factum ipsum quod Athanasio opponebatur, negatum est: 2 declaratum, *Ischyram* nec esse, nec fuisse unquam presbyterum, quippe qui a *Colluthο*, non vero, sed imaginario Episcopo manuum impositionem accepisset. *Hic est ille toties rumoribus jactatus Ischyras*, inquiunt Patres, (*in Epist. Synodica ad omnes Episcopos*). *qui neque ab Ecclesia ordinatus est presbyter, neque*

Digitized by Google

neque cum a Meletio *constitutos presbyteros* Alexander *in Ecclesiam recepisset, in eorum numero unquam habitus fuit ... unde ergo presbyter est Ischyras? aut a quonam est ordinatus? utrum a Collutho? hoc enim restat: atqui Colluthum in presbyteratu mortuum esse, & omnem ab illo factam manuum impositionem irritam, omnesque quos in schismate ordinaverat ille, ad Laicorum gradum redactos, & inter Laicos in Ecclesia congregari notum est, nec ulli omnino dubium.*

2. Est in *Aerio*, quem sæculo 4, tacito consensu Ecclesia universa velut hæreticum damnavit; eo quod simplicibus presbyteris, tum alia quæ Episcopalis officii sunt; tum præsertim jus ordinandi tribueret: quem errorem *S. Epiphanius* inde potissimum refutat, quod ad Episcopos pertineat patres Ecclesiæ, per sacram ordinationem spiritualiter generare, cum simplices presbyteri nequeant procreare nisi filios per Baptismum. *Ordo Episcoporum*, inquit, (*Hær.* 75) *ad gignendos patres præcipue pertinet: hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio; alter, cum patres non possit, filios Ecclesiæ, lotionis regeneratione producit; non tamen patres, aut magistros: quinam enim fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum, manuum imponendarum jus nullum habet?*

3. Est in *VViclefo*, quem sæculo 15 Concilium Constantiense, (*ann.* 1414) sess. 8 velut hæreticum damnavit, tum propter alios multos errores, tum speciatim quia clericorum ordinationem ad solos Episcopos non spectare docuerat: hic enim, præter cæteras, proscripta hæc ejus propositio est: *confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, Ecclesiarum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis propter lucrum.*

4. Est *Lutheri*, cujus impudentiam sæculo 16 boni omnes, & fidei aliquem sensum habentes exhorruerunt: ille enim eo insaniæ & temeritatis progressus est, ut, cum simplex presbyter esset, Episcopum sacrilegis manibus attentaverit ordinare.

His præmissis, sic contraho argumentum: si præter Episcopum alius esset ordinarius sacrarum ordinationum minister, neque damnari possent ut hæretici, qui jus illud simplicibus presbyteris arrogarent, nec negari posset aliquem esse presbyterum, eo præcise quod non foret a vero Episcopo ordinatus: atqui Ecclesia Aerium, Wiclefum, Lutherum annumeravit hæreticis, eo quod vellent simplicibus presbyteris jus ordinandi cum Episcopis esse commune: judicavit pariter Ischyram non esse presbyterum, quia a Collutho, non vero, sed imaginario Episcopo manuum impositionem acceperat: ergo solum Episcopum sacræ Ordinationis esse ordinarium ministrum, dogma est in traditione fundatum.

Tertium ex eadem traditionis doctrina argumentum sic propono: nisi olim in Ecclesia creditum fuisset, nullius esse roboris ordinationes ab alio quam ab Episcopo factas; qui extra Ecclesiam Catholicam supremos gradus ambiebant, sive simplices presbyteros, sive Episcopos, (idem namque foret) ad extorquendam ordinationem indifferenter subornassent: atqui e contrario qui dignitates Ecclesiæ, schismate facto prensabant, hoc maxime attendebant ut sibi ab Episcopis ordinatio conferretur: cujus fraudis famosum habemus in Antipapa *Novatiano* exemplum: (3 *Sæculo*) " Novæ sectæ inventor, *inquit Cornelius Pontifex Max. in Ep. sæpe laudata ad Fabium Antiochenum* .... quando Episcopatum, a Deo certe minime donatum, vi arripere nitebatur, duos sibi socios de sua ipsorum salute prope desperatos adjunxit, ut eos in exiguam aliquam partem, & minimum quasi Italiæ angulum mitteret; indeque Episcopos tres, homines agrestes, rudes ac simplices, in fraudem inductos abduceret ... Episcopi igitur Romam adventant: iste cum circiter horam decimam ebrios & crapula oppressos cerneret, vi coegit, imaginaria quadam & vana manuum impositione Episcopatum sibi tribuere: ergo &c.

Quartum denique petitur ex selectis Sanctorum patrum auctoritatibus.

1. Se offert testimonium Canonum Apostolorum: *Episcopus*, inquiunt, (*can.* 1) *a duobus aut tribus Episcopis ordinetur* ... (*can.* 2) *presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui clerici.*

Eodem sensu constitutionum Apostolicarum scriptor: *potestatem non damus presbyteris*, ait, (*lib.* 3, *cap.* 11) *ordinandi Diaconos .... vel lectores, vel ministros, sed solis Episcopis.*

S. Hieronymi decantatum effatum est: (*Ep.* 85 *ad Evagrium*) *quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?*

S. Epiphanius de Aerio loquens qui presbyteros, ut prædiximus, Episcopis adæquabat: ait, (*Hær.* 75) *illius dogma supra hominis captum, furiosum & immane: quanam, inquit, in re presbytero Episcopus antecellit? nullum inter utrumque discrimen est: est enim amborum unus ordo, par & idem honor ac dignitas: manus imponit Episcopus, imponit & presbyter: baptizat Episcopus, idem facit & presbyter: Divinum omnem cultum administrat Episcopus, non minus id facit & presbyter: Episcopus in Throno sedet, sedet &*

Digitized by Google

presbyter: hic, inquam, error est, quem S. Doctor furiosum & immanem appellat.

S. Joannes Chrysost. *sola ordinatione*, inquit, (*Hom. 11 in 1 Ep. ad Tim.*) *Episcopi superiores sunt, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur*.

Inde sic efformatur argumentum: illi censent Episcopum esse ordinarium sacræ ordinationis ministrum, qui statuunt ordinationes non nisi ab Episcopo fieri debere, qui hoc uno pene officio Episcopum a simplici presbytero differre affirmant; qui denique dogma contrarium, furiosis & immanibus commentis accensent: atqui hæc est doctrina patrum quos laudavimus, & aliorum quos poteramus afferre: ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione.

Et vero sententiam hanc apprime esse consentaneam rationi ultro fatebitur qui adverterit Ecclesiam a Divino legislatore Christo, instar bene moratæ Reipublicæ fuisse fundatam: porro in Republica sapienter constituta, quæ ad regimen pertinent, majoris momenti negotia, non omnibus promiscue committuntur, nec passim geruntur ab omnibus, sed ab iis solum qui in ejus administratione præcipuum locum occupant: par ergo fuit, ut ordinationis conferendæ auctoritas, solis Episcopis, præcipuis videlicet magistratibus deferretur: *& ideo*, inquit S. Thomas, (*Suppl. quæst. 38, art. 1, in C.*) *ad Episcopum pertinet in omnibus divinis mysteriis alios collocare: unde ipse solus .... in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, & vasa quibus uti debent, eis determinat sua consecratione: sicut & officia sæcularia in civitatibus distribuuntur ab illo qui habet excellentiorem potestatem, sicut a Rege*.

§. SECUNDUS.

Diluuntur objectiones.

Opponunt auctoritatem Apostoli: *noli negligere*, ait Timotheo, (*1 Timot. 4, 14*) *gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*: ergo ex testimonio scripturæ possunt presbyteri manus in ordinatione imponere: atque adeo ordinem ipsum conferre, qui more loquendi scripturæ manuum impositionis voce significatur.

℟. Admitto auctoritatem, & dist. conseq. possunt presbyteri manus in ordinatione imponere: & vox illa (presbyterii) eo loci debet de ipsis Episcopis intelligi, *conc.* presbyteros simplices significat, *nego*.

E. R. Presbyterii nomen quo eo loci Apostolus utitur, cætum, sive senatum presbyterorum significat: porro per presbyterorum collegium Episcopos ipsos debere intelligi, Sanctus *Chrysostomus* in hunc locum, *Theophylactus*, *Œcumenius*, & probatissimi quique interpretes observant: & merito quidem.

1. Enim *presbyteri*, sive *senioris* nomen, primis Ecclesiæ temporibus, Episcopis: & Apostolis ipsis commune erat: *seniores qui in vobis sunt*, ait S. Petrus, (*Ep. 1, 5, 1*) *obsecro consenior ..... pascite qui in vobis est Gregem Dei*.

2. In his Ecclesiæ primordiis, qui presbyteri ordinabantur, continuo propter fidelium paucitatem, & diversarum diœceseon limites nondum præfixos, consecrabantur Episcopi: indiscriminatim itaque utroque nomine communiter vocabantur.

3. Hic agitur de Timotheo quem Apostolus antequam Epheso in Macedoniam emigraret, Episcopum ordinaverat, ut in absentia sua Ecclesiam Ephesinam moderaretur, *sicut rogavi te*, inquit in hac ipsa ep. (*c. 1, 3*) *ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent*: (*ib. cap. 3, 14, & seq.*) *hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito: si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari &c.* porro ex traditione constat, in ordinatione Episcoporum, plures Episcopos debere manus imponere: *Episcopus*, ait Canon 1 Apostolicus, *a duobus vel tribus Episcopis ordinetur*: ergo per hæc verba: *noli negligere gratiam, quæ data est tibi, cum impositione manuum presbyterii*: non simplices Presbyteri, sed Episcopi intelligi debent.

Inst. 1. intelligit Ecclesia Apostolum eo loci de simplicibus presbyteris loqui: indeque est, quod juxta antiquissimam consuetudinem, presbytero ordinando Sacerdotes circumstantes una cum Episcopo manus imponunt: „ presbyter cum ordinatur, *inquit Concilium Carthaginense IV*, (*can. 3*) Episcopo eum benedicente manu super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant . . . " ritum porro hunc pro indifferenti non haberi, inde patet, quod in Diaconorum consecratione observari ibidem prohibeatur. „ Diaconus cum ordinatur, *ait*, (*ib. can. 5*) solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur . . . ergo de simplicibus presbyteris Apostoli verba accipi debent.

Res-

Respondeo nego ant. ad probat. dist. antiqua consuetudine, presbyteri circumstantes ordinando manus imponunt; & mera hæc cæremonia est, minime ad Sacramenti essentiam pertinens, *conc.* est ritus essentialis, *n.* responsionis veritas inde patet, 1 quod simplices presbyteri manum imponentes, ordinationis formam non proferant, in qua maxime efficacia Sacramenti consistit: 2 quod ritus ille sit Latinorum peculiaris, nec a Græcis cæterisque Orientalibus observetur, qui veros sine controversia presbyteros babent.

Inst. 2. Atqui antiquo Ecclesiæ more simplices presbyteri, poterant presbyteros ordinare: ergo &c. probat. subs. ex veteri disciplina presbyteris rure degentibus præficiebantur alii simplices presbyteri chorepiscopi dicti: atqui iis committebatur officium presbyteros ordinandi: cujus rei fidem facit Concilium *Ancyranum* (*an.* 314) can. 13 sic statuens: „ Vicariis Episcoporum, sive chorepiscopis, „ non licet vel presbyteros, vel Diaconos ordinare . . . sine præcepto Episcopi vel litteris in unaquaque Parochia ...“ ejusdemque sensus videtur esse Concilii Antiocheni (*Sæc.* 4) canon 10 de chorepiscopis sic decernens: „ nec presbyterum, nec Diaconum „ ordinare audeat chorepiscopus, absque urbis „ Episcopo, cui subjicitur ipse & regio . . . „ ergo &c.“

R. Nego subs. ad probat. dist. maj. ex veteri disciplina presbyteris rure degentibus, præficiebantur chorepiscopi qui simplices presbytyri erant, *communiter*, conc. *necessario*, ita nimirum ut ipsi etiam Episcopi, chorepiscopi aliquando non essent; n. maj. dist. pariter min. iis committebatur officium, presbyteros ordinandi, quando erant Episcopi, conc. secus, n. min. & conseq.

E. R. Fatemur, simplices vulgo fuisse presbyteros, qui chorepiscopatum obibant: quando vero contingebat, Episcopos suis sedibus, sive persecutione sæviente, sive quavis alia causa esse depulsos; in alienis diœcesibus poterant chorepiscopatum exercere, reveraque ad hoc officium aliquando assumebantur: de secundi generis chorepiscopis contendimus debere intelligi, quod in antiquis Canonibus legitur, presbyteros ordinandi facultatem iis fuisse relictam: hunc sane *Antiocheni* Canonis sensum esse, ex ipso tenore verborum quibus contexitur, manifestum est: “ qui in vicis, vel „ possessionibus chorepiscopi nominantur, *in-„ quit*, quamvis manus impositionem Episco-„ porum perceperint, & ut Episcopi conse-„ crati sint; tamen S. Synodo placuit, ut mo-„ dum proprium cognoscant, id est ut mini-„ sterii sui modum non excedant, neque or-„ dinent Diaconos & presbyteros absque li-„ centia Episcopi civitatis . . .“ *quorum similia ibid. can.* 18 *leguntur*: „ si quis Episco-„ pus ordinatus, *inquit*, non abierit in Pa-„ rochiam cui ordinatus est, non suo vitio, „ sed plebis forsitan contradictione: hic ho-„ norem susceptum retinere debebit, ita ut „ nihil molestiæ afferat Ecclesiæ illi in qua „ est constitutus . . . *similiter Concilium An-„ cyranum* can. 17, si qui Episcopi ordinati „ sunt, *inquit*, nec recepti ab illa Parochia, „ in qua fuerat denominati; voluerintque alias „ occupare Parochias, & vim præsulibus ea-„ rum inferre, seditiones adversus eos exci-„ tando; hos abjici placuit: quod si voluerint „ in presbyterii ordine, ubi prius fuerant, „ ut presbyteri residere, non abjiciantur pro-„ pria dignitate: si autem seditiones commo-„ vent ibidem constitutis Episcopis, presby-„ terii quoque honor talibus auferatur, fiant-„ que damnatione notabiles.“

His auctoritatibus accedat Concilii Nicæni 1 (*an.* 325) canon 8, qui *Novatianis* in Ecclesiam redeuntibus gratiam facit dignitatis Episcopalis retinendæ, si orthodoxo Episcopo ita visum fuerit, vel saltem chorepiscopatus gerendi. „ Ubicumque, *inquit*, sive in vicis, „ sive in civitatibus soli Novatiani reperti „ fuerint ordinati; qui inveniuntur in clero, „ in eodem habitu perseverent: ubi autem ca-„ tholicæ Ecclesiæ Episcopo vel presbytero „ constituto, quidam ex illis adveniunt, cer-„ tum est, quod Episcopus Ecclesiæ, habebit „ Episcopi dignitatem: is autem qui nomina-„ tur apud eos Episcopus, honorem presbyte-„ rii possidebit; nisi forte placuerit Episco-„ po, nominis eum honore censeri. Si vero „ hoc ei minime placuerit, providebit ei aut „ chorepiscopatus, aut presbyterii locum, ut „ in clero prorsus esse videatur: ne in una ci-„ vitute duo Episcopi probentur existere.“

Certum itaque est, chorepiscopos quibus olim committebatur officium presbyteros ordinandi, non fuisse presbyteros simplices, **sed** veros Episcopos.

Inst. 3. Atqui olim probata fuit ordinatio ab iis presbyteris facta, qui Episcopi omnino non erant: ergo &c. prob. subs. Auctoritate S. *Leonis* Magni, Pontificis Max. *nulla ratio sinit*, inquit ille, (*Ep.* 92 *ad Rusticum Narbonensem cap.* 1) *ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis, cum metropolitani judicio consecrati: unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur; quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse collatum? Si qui autem Clerici ab istis pseudo-Episcopis*

in

Digitized by Google

in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & judicio præsidentium facta est: potest rata haberi, ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent: aliter autem vana habenda est creatio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.

Hinc sic ducitur argumentum.

Ille existimat, simplices presbyteros posse valide ordinare, qui statuit probari posse ordinationem ab iis factam, quos nulla ratio sinit pro Episcopis haberi: atqui ita *S. Leo* in Epistola laudata decernit: ergo existimat simplices presbyteros posse valide ordinare.

R. Nego subs. ad probat. admitto testimonium, & dist. maj. ille existimat simplices presbyteros posse valide ordinare, qui statuit probari posse ordinationem ab iis factam, quos nulla ratio sinit haberi pro Episcopis *veris*, conc. haberi pro Episcopis *legitimis*, n. maj. dist. pariter min. docet *S. Leo* probari posse ordinationem ab iis factam, quos nulla ratio sinit haberi pro Episcopis *legitimis*, conc. pro Episcopis *veris*, n. minor. & conseq.

E. R. Duobus modis potest quis pseudo-Episcopus appellari: 1 quia fingit se esse Episcopum; cum nusquam fuerit ordinatus: 2 quia licet manuum impositionem vere receperit; contra canones tamen & auctoritatem Ecclesiæ Episcopatum arripuit: de secundi generis pseudo-Episcopis loqui Pontificem Max. ex ipso loci citati contextu est manifestum: „ nulla ratio sinit, *inquit*, ut inter Episcopos „ habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, „ nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum metropolitani judicio con„ secrati . . . “ unde sic subsumo, atqui Clericorum electio, plebis expetitio, consecratio a provincialibus Episcopis cum metropolitani judicio facta, regulæ Ecclesiasticæ sunt, quarum infractio non impedit quominus valide aliquis, quamquam illicite, consecretur: ergo de secundi tantum generis Episcopis loquitur S. Antistes.

Præter quam quod, eodem sensu pseudo-Episcopos appellat, de quibus agit, quo vanam affirmat ordinationem futuram, quæ non fieret cum consensu & judicio præsidentium: atqui ordinatio hujusmodi, dummodo cætera servarentur ad Sacramenti perfectionem necessaria; vana quidem foret, quantum ad ordinis executionem, sed non quantum ad valorem & efficaciam: ergo a pari pseudo-Episcopi ex ejus mente ii debent intelligi, qui contra canonicam disciplinam ordinarentur: cujusmodi plerosque S. Leonis ætate fuisse, ex historia Ecclesiastica notum est.

Inst. 4. Narrat *Nicephorus*, (*Hist. lib.* 8, *cap.* 19, & 24) in Concilio Nicæno sancitum, non debere iterari ordinationes factas a *Melenio*, vel ab iis qui ejus hæresi & schismati hæserant: atqui iisdem patribus Nicænis judicibus, injuste ac temerario Episcopatum *Meletius* usurpaverat: censebant ergo veras posse fieri a simplicibus presbyteris ordinationes.

R. Concessa maj. dist. min. patribus Nicænis judicibus, *Meletius* temerario & injuste, sibi munus Episcopale arrogaverat; id est furtim illegitime ordinatus, potestate Episcopali contra S. *Petrum* Alexandr. Patriarcham abusus erat, *conc.* vere non erat Episcopus, *n. min.* & conseq.

E. R. Revera *Meletius* Episcopus fuit, & sedem Lycopolitanam in Ægypto, 4 ineuntæ sæculo tenuit: nec multo post contra *Petrum* Patriarcham Alexand. Schisma nefarium excitavit, & ordinationes ei debitas usurpavit: scissionis porro ei causa fuit, præconceptum contra Sanctissimum Antistitem odium; propterea quod ab eo, ob idololatriæ crimen, aliaque scelera, fuisset in Concilio Episcoporum depositus: nihil itaque contra nos argumentum facit.

Inst. 5. In eodem Nicæno Concilio simplicibus presbyteris, modo fuerint ab omni Schismatis & hæreseos labe immunes, facultas conceditur, ministros Ecclesiæ ordinandi: ergo &c.

Prob. ant. ex Ep. Synodica, quam referunt, *Theodoretus*, l. 1, c. 9, & *Socrates*, l. 1, c. 19, in qua postquam *Meletianis* presbyteris in Schismatis pœnam vetitum est, ne ministros Ecclesiæ designarent, aut quidvis aliud absque Catholicorum Episcoporum consensu ac judicio molirentur, de presbyteris Catholicis subditur: *Hi autem qui Dei gratia . . . ad nullum schisma defecisse comperti sunt, & se intra Catholicam Ecclesiam impollutos continuerunt, jus habeant ordinandi* προχειρίζεσθαι, *& eos qui Clero digni fuerint, nominandi*: ergo &c.

R. Nego ant. ad probat. n. iterum ant. hoc, inquam, inficior, jus ordinandi a Nicænis patribus, Catholicis presbyteris datum esse: vox enim Græca προχειρίζεσθαι, & ὀνόματα ἐπιβάλλειν, nihil aliud significat, quam designare aliquem, sive eligere, ut possit ab Episcopo ad Sanctum ministerium promoveri: quod quidem suffragii jus *Meletianis* presbyteris in schismatis ultionem eripitur, Catholicis vero propter suam in fide & unitate constantiam, novo canone confirmatur.

Dices: qui potest majus, potest & minus; atqui simplex presbyter potest aliquid longe excellentius ordinatione: consecrat enim corpus & sanguinem Christi; quod opus creatam

omnem

omnem virtutem, & omnem admirationem excedit: ergo a fortiori potest Sacræ Ordinationis esse minister.

R. Dist. maj. qui potest majus, potest & minus, in iis quæ sunt ejusdem ordinis, *transeat*: in iis quæ diversi ordinis sunt, *n. maj.* & concessa min. n. conseq. fallax hæc regula est universim intellecta, nec axiomatis loco haberi debet: sic enim homo e. c. potest aliquid multo melius quam bellua: nam & judicio præstat & ratione; nec tamen potest, quidquid valet infimi ordinis bellua: similiter licet consecrandi Corporis & Sanguinis Christi potestas, sit aliquid longe excellentius, quam quidquid Angeli possunt; non potest tamen Sacerdos id omne quod Angelus: dicendum itaque perperam colligi: posse presbyterum presbyteros ordinare, quod minus est, quia potest Eucharistiam consecrare, quod majus: nihil enim potest, nisi cujus virtutem a Deo accepit: porro utriusque parem ordinatione sua, ita volente ac disponente Deo facultatem non habet.

Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

De Extraordinario sacræ Ordinationis ministro.

Solum Episcopum, ut prædiximus, ordinarium Sacræ ordinationis esse ministrum, dogma Catholicum est, unde non potest sine hæresis labe deflecti: porro de extraordinario in Scholis Catholicis controvertitur: Subdiaconatum equidem, eoque minores ordines, communis doctrina est, a simplici presbytero ex Ecclesiæ concessione, & Pontificis Max. delegatione conferri posse: quantum vero spectat ad presbyteratum & diaconatum: sunt qui volunt eorum ministrandorum jus, ita ad solos Episcopos pertinere; ut ad simplices presbyteros, nullo casu, nulla dispensatione devolvi queat: sunt e contrario qui contendant, posse absolute quemlibet clericum, quidquid habet ipse cæteris impertiri: atque adeo a simplici presbytero posse presbyterum & diaconum, saltem extra communem regulam, concedente Ecclesia ordinari: eaque est, quam in præsenti versamus difficultatem: in cujus explicatione, ut confusio vitetur, quæremus,

1. De presbyteratu:
2. De diaconatu.
3. De subdiaconatu, & ei subjectis ordinibus.

Quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS.

De presbyteratu, utrum ab alio quam ab Episcopo, extra ordinem conferri possit?

Hanc quæstionem Græci & Orientales non norunt, quibus persuasum est, jus majores Clericos ordinandi, sic Episcopatui esse annexum, ut ad presbyteros simplices, nulla possit ratione extendi: nec forte Latini ipsi novissent, si non ultra modum, opinandi, & pleraque aliunde certissima mittendi in dubium libertas crevisset.

§. PRIMUS.

Ostenditur, presbyterum simplicem non posse presbyteratus extraordinarium esse ministrum.

Quam sententiam etsi non dicamus fidei esse, nemini injuriam facimus, dogmatibus Theologiæ certissimis accensendo: *constat enim*, ait Catechismus Trid. Concilii, (*part.* 2, *tit. de Sacr. ord. n.* 29) *ad Episcopum eam administrationem pertinere: quod etiam Sanctarum litterarum auctoritate, certissima traditione, omnium patrum testimonio, conciliorum Decretis, S. Ecclesiæ usu & consuetudine facile erit comprobare.*

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex Scripturæ & traditionis silentio.

Et vero si penes Ecclesiam esset, Sacerdotum ordinationem simplicibus presbyteris velut extraordinariis ministris committere; privilegii hujus præscriptio in scripturis, aut saltem exemplum aliquod in historia Ecclesiastica extare deberet: canones Conciliorum exceptionem hanc alicubi observarent: denique patres Ecclesiæ, qui copiose de Episcopatu & presbyteratu scripserunt, variasque gradus utriusque functiones clarissime distinxerunt, ejusdem aliquando, occasione oblata mentionem insinuarent: atqui

1. De hoc privilegio scriptura penitus silet.
2. Nullibi in historia Ecclesiastica legitur, facultatem presbyteratus administrandi simplicibus Sacerdotibus fuisse concessam, ne urgente quidem necessitate, quæ tum sane magna erat, cum sæviente tyrannorum persecutione, Episcopi suis sedibus ejecti, vel crudeliter mactabantur, vel in exilia & carceres detrudebantur.
3. Conciliorum de hac re Canones frustra quæ-

Digitized by Google

quæras, quorum una vox, una præscriptio est, non posse ab alio quam ab Episcopo presbyteros consecrari: quid quod in Concilio Trident. ubi tanta circumspectione actum est, ne scholarum opiniones vel tantillum offenderentur, si modo forent aliquatenus tolerabiles, nulla ministri ordinarii & extraordinarii facta distinctione, sancitum est jus ordinandi ad solos Episcopos pertinere: *si quis dixerit*, inquit, (*sess.* 23, *can.* 7) *Episcopos non esse presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem . . . . . anathema sit*: quod si quis exemplo confirmationis, (quam constat in Ecclesia Latina a simplicibus presbyteris extraordinario dari posse,) contendat, debere id quod de ordinatione sancitum est, ad legem communem restringi: si quis, inquam, sic disputare aggressus fuerit, altero ejusdem Concilii canone facile revincetur, ubi insinuatum est, simplicem sacerdotem posse aliquando speciali concessione confirmationem administrare: " si quis dixerit, *inquit*, (*Sess.* 7, „ *can.* 3, *de confirm.*) Sanctæ confirmationis „ ordinarium ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: „ anathema sit ".

4. Denique nullo doctorum veterum testimonio, præsidium contrariæ opinioni affertur: ergo ad ejus refutationem, vel hoc unum antiquitatis silentium sufficit: in sacra namque doctrina, quæ ab auctoritate tota dependet, hoc ipso opinio quælibet falsitatis convincitur, quo nova esse monstratur: *mentis nostræ partus*, ait S. Basilius, (*Epist.* 60) *non audemus* (nec debemus) *tradere, ne verba pietatis censeantur humana: sed quæ a Sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus annunciamus*.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex affirmantibus & expressis Sanctorum sententiis.

Deinde hæc veritas iis ipsis adstruitur SS. Patrum testimoniis, quibus cap. præcedente probatum est, solum Episcopum esse sacræ ordinationis ministrum: minister enim extraordinarius est, ad quem jus Sacramenta conferendi, speciali legislatoris dispensatione & concessione Ecclesiæ interdum devolvitur: atqui Sancti Patres conferendi presbyteratus Potestatem, ita Episcopis attribuunt; nullum ut casum agnoscant, in quo jus illud ad simplices presbyteros transferri queat: qui enim principii loco ponunt, non posse a simplicibus presbyteris presbyteros ordinari, nullum sane casum agnoscunt, quo facultas hæc ad eos devolvi possit; atqui majorum constans & perpetua doctrina hæc est: sic S. Epiphanius: *quinam*, inquit, (*hær.* 75) *fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum, manuum imponendarum jus nullum habet?* ib. S. Doctor affirmat, *solum ordinem Episcoporum, ad gignendos patres pertinere: presbyteros vero, cum patres non possint, filios Ecclesiæ, lotionis regeneratione producere*: nec alium sensum habent, SS. Joannis Chrysost. & Hieronymi verba: quod facile, quisquis adverterit, recognoscet: ergo &c.

Neque est quod reponatur, Sanctos Doctores quando pronuntiant, presbyterorum ordinationem solis Episcopis convenire, debere intelligi de jure ordinario, non de extraordinario.

Nullum, inquam, huic effugio locum relinquunt testimonia allegata: vel enim fatendum eos sentire jus consecrandi presbyteros solis Episcopis, cum exclusione cujusvis ministerii extraordinarii, divinitus attributum; vel dicendum patres disputationis æstu abreptos aliquid affirmasse veritati contrarium; atqui secundum ut dicamus non patitur debita tantis magistris reverentia: restat ergo ut primum confiteamur.

Prob. maj. Ponamus S. Hieronymum dum affirmat, *nihil facere excepta ordinatione Episcopum, quod non faciat presbyter*, de jure ordinario loqui; eamdemque SS. Epiphanii, & Chrysost. mentem esse, quando dicunt, *Episcopos sola ordinatione presbyteris esse superiores, & simplices presbyteros manuum imponendarum jus nullum habere*: hac facta hypothesi, dico Sanctos Doctores proprio deceptos esse judicio: ut enim falso dicatur, unam esse ordinationem, quæ jure ordinario solis Episcopis convenit, sufficit ut præter ordinationem aliqua sint, quæ jure ordinario iis solis attribuuntur: sic e. c. solus Episcopus, saltem in Latina Ecclesia, ordinarius confirmationis minister est: in hac ergo hypothesi Sancti Patres immerito assererent, solius ordinationis Episcopos jure ordinario esse ministros: illud vero quoniam irreverenter de doctoribus adeo eximiis diceretur; fatendum, eos simpliciter & absque ulla exceptione contendere, jus presbyteros ordinandi solis Episcopis attributum.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Pro Græcis & Orientalibus speciale.

Nec contemnenda Græcorum & Orientalium plenissima cum Latinis consensio, quod sane argumentum est, doctrinam hanc ab Apostolicis institutis esse acceptam: solum enim Episcopum, quo-

Digitized by Google

quocumque casu, presbyteratus esse ministrum, non Græcorum tantum Euchologia, sed & sectarum omnium, quæ per totum late Orientem propagatæ, aliæ ab aliis scissæ sunt, disciplina & ritus invicte probant: ita Nestoriani, Jacobitæi, Syri, Ægyptii, Alexandrini sine discrimine sentiunt: unoque omnes ore profitentur, presbyteratum in Ecclesia gradum esse dignitatis, quem soli Episcopi Apostolorum successores, per manuum impositionem conferre possunt; ab illa lege ne extremæ quidem necessitatis casum excipiunt; id quod multis exemplis probari posset: sic, ut aliqua proferam, *ex Patriarchatus Alexandrini* historia notum est, ejus gentis christianos Orthodoxos, Coptis sive Jacobitis instigantibus, a Mahumetanis dirissime diutissimeque vexatos, centum pene annorum spatio nec Patriarchas, nec proprios Episcopos habuisse, tantamque apud eos sacerdotum fuisse raritatem, ut jam nec divinis officiis, nec administrationi Sacramentorum locus superesset: casus, si alias unquam, erat urgentissimus, divino privilegio utendi, & sacerdotum numerum, paucorum qui supererant, manuum impositione propagandi; atqui hoc tale privilegium nemini eorum in mentem venit; nihilque in his angustiis satius habuerunt, quam ut *Tyrum*, *Constantinopolim*, aut alio, magnis expensis mitterent, quos ad presbyteratum designabant, ab Orthodoxis Episcopis ordinandos.

Idemque Æthiopibus contigit: Jacobitæ illi sunt: ab octingentis & amplius annis, ejusdem sectæ Patriarchis Alexandrinis subjacent, qui inaudita Tyrannide jus sibi arrogarunt, eorum metropolitanum ordinandi: porro accidit aliquando ut Æthiopia, Patriarchæ Alexandrini vel negligentia, vel malitia, vel alia quavis causa impediente, nec metropolitam, nec proprios haberet Episcopos, presbyteros vero adeo paucos, ut in tanta penuria, sacrificia non fierent, templa silerent, & Sacramenta negligerentur, ipsumque videretur nomen religionis quantocyus extinguendum: qua commotus necessitate Æthiopum rex, simplicem quemdam presbyterum compulit, ut munia Episcopalia exerceret, novosque manuum impositione crearet presbyteros: horum sane ordinatio, si vera sententia contraria foret, probari in hoc casu debuerat: hinc enim extrema necessitas, inde regis imperium, excusatio & causa legitima videri sine dubio poterat; atqui nihilominus Patriarchæ Alexandrini, has ordinationes irritas, sacrilegas, & contra divinum jus attentatas decretis severissimis declararunt: ergo &c.

Qui plura voluerit, consulat doctissimum *Eusebium Renaudotium*, (*perpetuitatis fidei tom.* 5, *lib.* 5, *cap.* 5) e cujus libris hæc pauca decerpsimus.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex sacræ ordinationis effectibus.

Denique, si simplex presbyter esset extraordinarius presbyteratus minister, valeret saltem quantum ad characterem, ordinatio ab illo facta: hujusmodi namque minister, quamquam extraordinarius, veram potestatem haberet; adeoque ejus manuum impositio effectum consequeretur, qui ex ritu Sacramentali infallibiliter & necessario sequitur; atqui ordinatione sic attentata characterem non imprimi antiqua doctrina est, juxta quam patres Alexandrini in causa S. Athanasii judicarunt, prorsus irritas & nullas esse ordinationes, a *Collutho* simplici presbytero factas: postquam enim tres presbyterorum classes distinxerunt; primam, eorum qui in Ecclesia Catholica fuerant ordinati; secundam, eorum quos *Meletius* in schismate ordinaverat; tertiam denique, eorum qui a *Collutho*, non vero, sed imaginario Episcopo manuum impositionem acceperant: primos veros sacerdotes esse agnoscunt: secundos affirmant ab *Alexandro* in Ecclesiam receptos fuisse, adeoque ordinationem eorum quantum ad characterem valuisse: tertios vero dicunt in laicorum gradum redactos, & inter laicos in Ecclesia congregari: quia *Colluthus* in presbyteratu mortuus, omnem quam fecerat manuum impositionem, inutiliter & invalide fecerat: ergo ex patribus Alexandrinis, presbyteros consecrandi jus ex institutione Christi, solis Episcopis ita convenit, ut nullo casu possit simplicibus presbyteris arrogari.

§. SECUNDUS.

Solvuntur objectiones.

Eugenius IV Pontifex Max. in decreto pro instruct. Armenorum docet, ordinarium Sacramenti ordinis ministrum esse Episcopum: significat igitur, aliis præter Episcopos posse hoc ministerium extraordinarie committi: cumque de ordine generatim, nulla facta distinctione loquatur, consequens est, ex ejus mente posse simplicem presbyterum presbyteros consecrare.

R. 1. Concesso ant. n. conseq. & dico decretum illud neutri parti favere, neutri præjudicare; ideoque Sum. Pontificem declarasse, Episcopum esse ordinarium ordinis ministrum; quia de extraordinario inter Theologos controversia est, quam in medio relinquendam duxit, ut id quod omnium sensu ac judicio certum erat, Armenos doceret.

R. 2. Dist. conseq. significat ergo, aliis præter Episcopos posse hoc ministerium extraordinarie committi, quantum ad aliquos ordines, subdiaconatum nimirum & quatuor minores, concedo: quantum ad omnes indiscriminatim, ipsumque presbyteratum, nego.

E. R. Esto his decreti verbis significetur, alteri quam Episcopo posse ministerium ordinandi, extra ordinem committi; non inde necessario sequitur, posse simplicem presbyterum ad omnes & singulos conferendos ordines delegari: sufficit enim quod ad unum aut alterum deputari valeat: quod non inficiamur de minoribus diaconatu ordinibus, ut brevi ostensuri sumus.

Inst. 1. Atqui posse simplicem presbyterum esse extraordinarim presbyteratus ministrum, constans est: ergo &c.

Prob. sub. tam potest officium hoc simplicibus presbyteris committi quam officium confirmandi; atqui posse simplicem Sacerdotem confirmandi ministerium exequi, communis, & nostra doctrina est, libro tertio stabilita, validisque argumentis defensa: ergo a pari &c.

R. Nego subs. ad probat. n. maj. & paritatem: ut enim posset simplex presbyter extra ordinem confirmare, voluit Christus, supremus regendæ Ecclesiæ arbiter: ut vero non posset presbyteratum conferre, eadem suprema voluntate constituit: quod autem unum voluerit, alterum noluerit, traditione docemur, quæ confirmationis a simplicibus prebyteris, aliquando in Latina Ecclesia, usu vero quotidianoo in Oriente collatæ exempla plurima suggerit: & ne unum quidem de presbyteratu a simplici presbytero valide ministrato suppeditat.

Inst. 2. Credibile non est, Deum Ecclesiam suam in necessariis deserere; atqui nisi simplex presbyter urgente necessitate posset presbyteros ordinare, desereret Deus Ecclesiam suam: ponamus enim amplissimam aliquam ejus portionem, vel Barbarorum incursione, vel dirissima pestilentia, vel alia quavis causa Episcopis spoliatam: ponamus insuper a finitimarum regionum Episcopis laboranti provinciæ succurri non posse: certe cum presbyteri ad regimen Ecclesiæ absolute necessarii sint; vel in hoc casu dicendum erit, curam ejus non habere Deum, vel fatendum, in his angustiis jus presbyteros ordinandi, ad simplices presbyteros esse devolutum; atqui primum nec suspicari quidem fas est, Christum audientibus in Evangelio sic loquentem: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: ergo alterum est dicendum.

R. Concessa maj. neg. min. ad probat. dico argumentum hoc unum ex illis esse, quæ cum nimis probent, **nihil probant**: cum enim non minus, imo multo magis Episcopi Ecclesiæ necessarii sint, quam presbyteri: eadem ratione probaretur, posse Episcopos a simplicibus presbyteris consecrari: quid quod si liceat hujusmodi hypothesibus indulgere, quandoquidem fingendi nullus est finis; qua ratione infertur, posse a simplicibus presbyteris, eadem suadebitur, posse a diaconis, posse a subdiaconis, ab acolythis, ab ipsis etiam laicis presbyteros compellente necessitate consecrari: atque ita in hæreticorum insaniam incidemus, qui ministrorum ordinationes in manu populi ponunt; quid enim si præcipua quædam Ecclesiæ portio, non Episcopis tantum, sed & secundi ordinis sacerdoribus, grassante pestilentia viduetur? quid si diaconis? quid si subdiaconis? quid denique si tanta ministrorum fuerit strages, ut nec unus de clero supersit? quid tum, inquam, facto opus erit? certe si quid argumentum propositum valet, non minus efficax est ad probandum, posse a sæculari magistratu, certis in casibus sacerdotes consecrari; quam ad suadendum simplices presbyteros, presbyteratus extraordinarios esse ministros: eoque urgentior erit objectio, quo magis Ecclesia ob penuriam ministrorum periclitabitur.

Quia vero nemo Catholicus est, cui ista arrideant, tam absurda, tamque contraria Ecclesiæ institutioni, fatendum vanas hujusmodi cavillationes non posse dogma scripturæ & traditionis auctoritate roboratum subvertere: illudque pro certo tenendum, Christum quomodo ad instituendam Ecclesiam, hominum consilio non indiguit; ita nec ad servandam egere: eumque qui *potens est, etiam de lapidibus suscitare filios Abrahæ* (*Matt.* 3, 9), posse Ecclesiæ quovis tempore, servatis legibus a se constitutis, ministros necessarios providere, & revera providisse, ex annalibus sacris compertum est: aliquando enim contigit, nonnullas provincias, vel infidelium persecutione, vel factionibus hæreticorum sic opprimi; ut undequaque Episcopi in exilium pellerentur, aut quærerentur ad necem: lugebant ubique fideles ereptos sibi pastores, eoque magis commovebantur, ut advertunt Scriptores Ecclesiastici, quod nulli quantocyus futuri viderentur Episcopi, qui presbyteros consecrarent; atqui in tantis angustiis nemo fuit, qui putaverit posse a simplicibus presbyteris sacerdotes creari: nec deseruit Ecclesiam suam Deus: idem ergo sperandum in posterum; cavendumque ne de eorum numero simus, de quibus ait propheta: (*Ps.* 13, 5) *Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Inst.

Inst. 3. Posse simplicem presbyterum, saltem in casu necessitatis presbyteratus esse ministrum docent graves aliqui Theologi; idemque tradit bona pars juris canonici peritorum, quos propriis nominibus appellare, ut longius, ita superfluum fuerit; atqui non debet facile sententia rejici, ad cujus defensionem Theologi non contemnendi, & canonum doctores conspirant: ergo &c.

R. 1. Concessa maj. dist. min. non debet facile rejici opinio, ad cujus defensionem multi, *cum legitimo fundamento* conspirant, conc. *secus*, n. min. & conseq.

R. 2. Dist. maj. posse simplicem presbyterum, saltem in casu necessitatis, presbyteratus esse ministrum, plerique contendunt, aliis longe pluribus, & titulo meliore contradicentibus, conc. nemine repugnante, neg. & eadem distinctione ad min. applicata, nego conseq.

E. Utramque R. Equidem non paucos reperire est auctores quibus visum est jure suo facturam Ecclesiam, si certis in casibus potestatem presbyteros ordinandi simplicibus sacerdotibus largiretur: verum majore contradicentium numero superantur; nam præterquam quod sententiam nostram pro aris ac focis propugnant, patres laudati superius, & inferius ubi de Episcopatu dicemus fusius allegandi, eamdem tenuerunt scholarum principes, S. *Thomas* in 4 sent. dist. 25, qu. 1, art. 1, ad 3, *S. Bonaventura*, ib. & alii pene innumerabiles, quorum judicium si aliorum conjecturis præponimus, non videmur cuiquam injuriam facere.

Deinde, ubi de dogmate Theologico agitur, parum est Theologorum recentium, & canonistarum numero gloriari; nisi ostendantur tramitem scripturæ & traditionis secuti: alioquin humanæ auctoritatis obtentu totum sacræ doctrinæ ædificium diruetur: porro longe aliter se in præsenti res habet: nam ii quidem qui negant a simplicibus presbyteris posse presbyteratum, quacumque urgente necessitate administrari, scripturæ & traditionis gravissima auctoritate nituntur: e contra qui affirmant, sacrarum litterarum & SS. Patrum præsidio destituti, præter humanas conjecturas, & imbecilla, sanæque Theologiæ gravitate indigna principia, quo se se tueantur, nil afferunt: ajunt aliqui ideo presbyterum posse a presbytero ordinari, quia jure divino nulla est presbyteri & Episcopi differentia: putant alii, a clerico quolibet, posse ordinem quem habet ipse conferri; atque adeo ab acolytho acolythum, a subdiacono subdiaconum, & sic deinceps ad culmen sacerdotii ascendendo, ordinari valide posse: nec desunt, qui ne ipsos quidem laicos ab hujus privilegii consortio exclusos volunt: unde audacter affirmant hominem baptizatum, posse Sacramentum confirmationis quod accepit, alteri impartiri: alii denique non presbyteros tantum, sed & Episcopos a simplicibus presbyteris creari posse non inficiantur; atqui principia hæc jam a nemine defenduntur, & merito rejiciuntur ab omnibus, tum aliis multis de causis, tum ideo maxime, quia Episcoporum in Ecclesia necessitatem, & supra simplices presbyteros eminentiam, in jure divino fundatam, penitus subruunt; & Hierarchiam Ecclesiasticam, ipsamque sacri ministerii notionem subvertunt; ejusdem ergo sortis est inde deducta conclusio, nec a quoquam qui paululum sapiat, admittenda.

Inst. 4. Atqui posse a simplicibus presbyteris, prebyteros ordinari, aliquibus ab historia Ecclesiastica petitis exemplis probatur: ergo &c.

Prob. subs. narrat *Cassianus* (*collatione* 4, *cap.* 1) a *Paphnutio* presbytero monachorum patre, discipulum ejus *Danielem*, diaconum primo, deinde presbyterum ordinatum: *inter cæteros*, inquit, *christianæ philosophiæ viros, abbatem quoque vidimus Danielem, æqualem quidem in omni virtutum genere, his qui in eremo commanebant; sed peculiarius gratia humilitatis ornatum, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ, a B. Paphnutio solitudinis ejusdem presbytero, & quidem cum multis junior esset ætate, ad diaconii est prælatus officium; in tantum enim B. Paphnutius virtutibus ipsius adgaudebat; ut quem vitæ meritis sibi, & gratia parem noverat, coæquare sibi etiam sacerdotii ordine festinaret: si quidem nequaquam ferens, in inferiore eum ministerio diutius immorari, optansque sibimet successorem dignissimum providere, eum presbyterii honore provexit.*

Ecce tibi solitarium virum a simplici presbytero, 1 ad diaconii prælatum officium, deinde presbyterii honore provectum: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. dico ex his *Cassiani* verbis hoc unum inferri quod Daniel a Paphnutio, ad diaconatum & presbyteratum electus fuerit, sive destinatus: non enim dicitur Paphnutius Danielem ordinasse; sed ad diaconii officium prætulisse, & ad honorem exinde sacerdotii provexisse, non manus ipse per se imponendo, sed electionem suam Episcopo, ut fieri solet, significando, eique Danielem offerendo & commendando: pariter etiamnum cœnobitæ in monasteriis, & clerici in seminariis domibus, dicuntur usu loquendi familiari ad sacros ordines a suis superioribus promoveri; non quod ab ipsis ma-

nuum impositionem accipiant, sed quia ab iis probati Episcopis exhibentur & commendantur.

Inst. 5. Versus finem sæculi 4, cum Ariana hæresis Orientis & Occidentis provincias infestaret, relegatis imperatorum jussu Orthodoxis Episcopis: *Flavianus*, & *Diodorus* presbyteri, gregis cura suscepta, non modo hæreticorum impetum propulsarunt, & magno populis, ad fidem intrepide profitendam, adjumento fuerunt, verum etiam viduatas Ecclesias regendas novis Episcopis commiserunt: immo narrat *S. Epiphanius*, (*hær.* 73) simplices ipsos fideles, qui fidem Nicænam sequebantur, Episcopos sibimet constituisse ac præfecisse: ergo &c.

R. 1. Hoc argumentum nimis, atque adeo nil probare: inde enim sequeretur, a simplicibus presbyteris, non presbyteros tantum, sed & Episcopos ordinari posse: neque presbyteris tantum, sed & laicis ipsis jus illud aliquando attribui, quod absurdissimum est.

R. 2. Dist. ant. *Flavianus*, & *Diodorus*, ipsique populi viduatas Ecclesias novis Episcopis committebant, eos ad sacrum ministerium eligendo, designando, & consecrandos Episcopis offerendo, concedo: eos ipsi consecrando, nego; haud aliter fuisse a presbyteris aut populis novos promotos Antistites, *Eusebii Samosatensis* convincit historia: de illo Theodoretus sic scribit: (*hist. l.* 4, *c.* 13) *hic namque cum multas Ecclesias pastoribus viduatas esse comperisset, militarem habitum sumens, Syriam, Phœnicem, ac Palæstinam peragravit, presbyteros ordinans atque diaconos, aliosque Ecclesiæ ordines supplens, ac si quando Episcopos eamdem cum ipso doctrinam fidei profitentes reperisset, eos Ecclesiis indigentibus Antistites præficiebat* . . . ita prædictus scriptor: porro si tempore persecutionis penes simplices presbyteros fuisset ordinationum potestas; quid necesse futurum erat, ut alieno indutus habitu *Eusebius Samosatensis*, huc illuc ad sacras ordinationes faciendas, & cum tanto periculo excurreret? ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

De diaconatu; utrum ab alio quam ab Episcopo, possit extraordinarie conferri?

Proxime cum præcedente difficultas ista cohæret: est enim diaconatus veri nominis Sacramentum, a Christo, ut prædiximus, immediate institutum.

§. PRIMUS.

Ostenditur, solum Episcopum ita esse diaconatus ministrum, ut ab alio extra ordinem conferri nequaquam possit.

Quam quidem sententiam ex prejactis fundamentis sequi evidens est.

1. Namque a solis Episcopis primi diaconi in scriptura leguntur ordinati: quid ergo agendum in posterum foret, Apostoli suo exemplo monstrarunt.

2. Nullum ex historia Ecclesiastica exemplum afferri potest, quo ostendatur, aliquando diaconos a simplicibus presbyteris esse provectos.

3. Nullus de hac re canon Ecclesiæ, nulla patrum definitio occurrit.

4. A nemine præter Episcopum diaconos posse consecrari Latini, Græci, & Orientales libri Rituales affirmant, & sine exceptione præscribunt.

5. Ita docent Theologi auctoritate præcipui, quos inter eminet S. Thomas.

6. Denique constans est, & omnium consensione receptum, diaconatum divinitus esse institutum, & ad Hierarchiam Ecclesiasticam pertinere: quemadmodum igitur non possunt a simplici sacerdote, cujusvis privilegii prætextu, Episcopatus & presbyteratus conferri; idem de diaconatu dicendum.

§. SECUNDUS.

Diluuntur quædam difficultates.

Opponitur 1 Exemplum *Novati*, simplicis in Ecclesia Carthaginensi, tempore S. Cypriani, presbyteri, qui *Felicissimum* quemdam, nec sciente nec probante Cypriano Diaconum constituit: „ iste est Novatus, *ait S. Doctor*, „ (*Ep.* 49) qui apud nos primum discordiæ „ & schismatis incendium seminavit, qui quosdam isthic ex fratribus ab Episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas fratrum mentes, alia quædam persecutio nostris fuit: iste est, qui *Felicissimum* satellitem suum, Diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione, & „ ambitione constituit: “ ergo absolute potest simplex presbyter diaconatum conferre.

R. Transeat ant. & neg. conseq. esto enim Novatus *Felicissimum* satellitem suum diaconum ordinare, & sacrilega manum impositione aggregare Sancto ministerio attentasset: nihil ex schismatici hominis facto posset contra nostram sententiam erui; hanc enim ordinatio-

Digitized by Google

nationem nedum ratam habuerit S. Cyprianus; contra Eccleſiæ auctoritatem & ab impia factione ambitioſe factam pronunciat.

R. 2. Dist. idem ant. Novatus *Feliciſſimum* diaconum conſtituit; id eſt ab aliquo ſuæ factionis Epiſcopo, contra Cypriani voluntatem ordinari procuravit, conc. ordinavit ipſe, neg. ant. & conſeq.

E. R. In verbis S. Antiſtitis nihil eſt, quo innuatur ab ipſo Novato *Feliciſſimum* diaconatu inauguratum: hoc enim unum dicit, quod factione ſua & ambitione ipſum diaconum conſtituerit, ordinandum nimirum ab aliquo partium ſuarum Epiſcopo: porro ita eſſe intelligendum S. Cyprianum, tum ipſe qui opponitur textus inſinuat; tum inde probatur, quod eodem modo affirmet, a *Novato* fuiſſe *Novatianum* Romæ Epiſcopum conſtitutum, quo, Carthagine *Feliciſſimum* diaconum: „Romam „ quoque, *inquit*, (*ibid.*) ad evertendam Ec- „ cleſiam navigans, ſimilia illic & paria mo- „ litus eſt, a clero portionem plebis avellens, „ fraternitatis bene ſibi cohærentis, & ſe in- „ vicem diligentis concordiam ſcindens: pla- „ ne quoniam pro magnitudine ſua debeat „ Carthaginem Roma præcedere, illic majora „ & graviora commiſit: qui iſthic adverſus „ Eccleſiam diaconum fecerat, illic Epiſco- „ pum fecit.“

Ita S. Cyprianus: porro *Novatus* Epiſcopum Romæ non fecit, *Novatianum* ſuis manibus ordinando, ſed ſchiſmatica factione agendo, ut ab Epiſcopis ex ultimo Italiæ angulo acceſſitis, vinoque madentibus, ſacrilegæ manuum impoſitione conſecraretur, & *S. Cornelio* legitimo Pontifice deturbato cathedram Petri invaderet: pariter ergo intelligendum, ab eodem fuiſſe *Feliciſſimum* diaconum Carthagine conſtitutum.

Opponitur 2. Anno 1480 *Innocentius* VIII Pontifex Max. diplomate V idus Aprilis dato, privilegium conceſſit Abbatibus Ciſterciensibus, monachos ſuos diaconos conſecrandi: *ne monachi dicti ordinis*, inquit, *pro suſcipiendis ſubdiaconatus & diaconatus ordinibus, extra clauſtrum diſcurrere cogantur, tibi & ſucceſſoribus tuis, ut quibuſcumque dicti ordinis monachis, aliis vero quatuor Abbatibus præfatis*, (eorum ſcilicet monaſteriorum quæ Abbati Ciſterciensi immediate ſubjiciuntur,) *ac eorum ſucceſſoribus, ut ſuorum monaſteriorum prædictorum religioſis, quos ad id idoneos repereretis, ſubdiaconatus & diaconatus ordines rite conferre poſſitis, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium, ſpeciali dono gratiæ indulgemus*: ergo &c.

R. Nego ant. nego, inquam, hujuſmodi privilegium unquam ab Apoſtolica Sede manaſſe.

1. Enim nefas eſt credere, ab *Innocentio* VIII quidquam contra jus attentatum; atqui Diaconos a ſimplicibus Preſbyteris ordinari, juri divino contrarium eſt, Scripturæ & traditionis auctoritati repugnans. *Dicendum*, inquit S. Thomas, (*in ſuppl. quæſt.* 38, *art.* 1, *ad* 3) *quod Papa qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, poteſt committere non Epiſcopo, ea quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Chriſti, & ideo ex eius commiſſione aliquis ſacerdos ſimplex poteſt conferre minores ordines, & confirmare: non autem aliquis non ſacerdos: nec iterum ſacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa non habet majorem poteſtatem, quam ſimplex ſacerdos*.

2. A nemine hactenus authenticum bullæ illius exemplar proferri potuit.

3. Qui eam laudant, ſecum ipſis pugnant, & contraria aſſerunt: alii enim dicunt de ſolo ſubdiaconatu fieri inibi mentionem; alii volunt, non ſubdiaconatus tantum, ſed & diaconatus conferendi, Abbatibus Ciſterciensibus dari poteſtatem.

4. *S. Pius* V rogatus ab Abbatibus Præmonſtratenſibus, ut ſibi gratiam faceret ſubdiaconatus Religioſis ſuis conferendi, plane & abſolute negavit, & in diplomate ad eosdem directo, loquens de privilegio Ciſterciensibus dato, ſolius ſubdiaconatus meminit.

5. Quidam dicunt, privilegium in eo conſiſtere, ut Abbates Ciſterciensès dent ſuis Monachis dimiſſorias litteras, ad libere adeundum quemlibet Catholicum Epiſcopum, nulla diœceſum habita ratione: atque ita declaratum ab Eminentiſſimis Cardinalibus Concilii Trid. interpretibus, anno 1592, & a Clemente VIII Pontifice Max. an. 1605 in bulla ad Ciſtercienses directa.

6. Denique nec noſtra, nec prædeceſſorum memoria, præſumptitio hoc privilegio uti attentarunt Ciſtercienſes: quod ſane argumentum convincens eſt, nuſquam datum.

Dices. Plus diſtat ſacerdos a Diacono, quam Epiſcopus ab Epiſcopo; ſed Epiſcopus poteſt conſecrare Epiſcopum. Ergo & ſacerdos poteſt promovere diaconum.

℟. Verbis S. Thomæ: *dicendum*, inquit, (*ſupp. q.* 38, *art.* 1, *ad* 5) *quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur ſolum propinquitas, ſed & completio poteſtatis: & quia ſacerdos non habet completam poteſtatem in Hierarchicis officiis, ſicut Epiſcopus; ideo non ſequitur quod poſſit Diaconos*

Digitized by Google

nos facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquus. Non ideo itaque potest quis ordinationem conferre, quia vel ordinando præcellit, vel ei proximus est; sed quia ordinandi habet potestatem, quæ solis Episcopis Christo disponente concessa est: quæ vel una ratio, omnem in contrarium cavillationem infringit.

Dices iterum: cuicumque committitur principale, committitur & accessorium; sed ordinis Sacramentum ad Eucharistiam refertur, sicut accessorium ad principale. Cum ergo sacerdos consecret Eucharistiam, ipse etiam poterit ordinem diaconatus conferre.

℟. Cum Angelico Præceptore: " Dicendum, *inquit*, (*ibid. ad* 4) quod quamvis " Sacramentum Eucharistiæ sit maximum Sacramentum in se; tamen non collocat in " aliquo officio, sicut ordinis Sacramentum: " & ideo non est similis ratio. "

ARTICULUS TERTIUS.

Ostenditur simplicem Presbyterum, Ecclesia sic volente, Subdiaconatus & inferiorum ordinum esse ministrum.

Nihil habet assertio ista difficultatis. Constat enim

1. Subdiaconatum & minores ordines, si formaliter spectentur, nec immediatam Christi institutionem, nec rationem Sacramenti habere: quemadmodum itaque potuit eos Ecclesia instituere, sic habuit potestatem eorum administrationem pro libito committendi.

2. Huc pertinent antiqua Ecclesiæ decreta, quibus jus illud chorepiscopis attributum est: sic Concilium *Meldense* sæculo 10 celebratum: *neque ordines Ecclesiasticos*, inquit, *qui per impositionem manuum tribuuntur, id est, non nisi usque ad subdiaconatum conferant chorepiscopi.*

3. *Gelasius* Pontifex Max. (*sæc.* 5) licentiam hanc simplicibus presbyteris fieri posse significat: *nec sibi meminerint*, inquit, (*ep.* 9, *cap.* 6) *ulla ratione concedi, sine summo Pontifice, subdiaconum aut acolythum jus habere faciendi.*

4. Ita sancitum in Synodo generali VII (*ann.* 787): *lectoris manuum impositionem*, inquit canone 14, *licentia est unicuique Abbati, in proprio monasterio solummodo faciendi, dum constet illum esse presbyterum.*

5. Hujus concessionis exempla plurima sunt. Primum est, Abbatum Benedictinorum, quibus id a summis Pontificibus indultum, a multis refertur.

Secundum est, Abbatis Cisterciensis, quem hoc privilegio gaudere *S. Pius V* Pontifex Max. in ea bulla insinuat, qua hoc ipsum jus abbati Præmonstratensi negavit.

Tertium est, aliorum ejusdem instituti abbatum, quos idem juris ex sum. Pontificum concessione habere, Theologi multi testantur.

Longum fuerit omnia recensere: vix enim regio una, aut provincia est, ubi similia privilegia non jactentur.

6. Privilegium hoc sum. Pontificum indulgentia latissime pervagatum, Concilium Trid. expresse declarat his verbis: (*sess.* 23, *can.* 10) *Abbatibus & aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.*

7. Idem infertur ex decreto *Eugenii IV* pro inst. Armenorum, ubi definitur, ordinis ministrum ordinarium Episcopum esse: hinc enim videtur consequens, præter Episcopum, posse aliquem cujusdam saltem ordinis extraordinarium esse ministrum.

8. Denique communis hæc Theologorum, ipsiusque S. Thomæ doctrina est.

Sequitur

CAPUT TERTIUM.

De ministro legitimo sacræ Ordinationis.

Solum Episcopum sacræ ordinationis ordinarium esse ministrum, ex dictis est manifestum: quæritur modo an a quolibet Episcopo possit quilibet legitime juxta canones ordinari.? quam difficultatem ut solvamus, sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, non a quolibet Episcopo, licet catholico, sed a proprio tantum, ordinationem legitime recipi.

Ita in Concilio Trid. sancitum; *unusquisque*, inquit, (*sess.* 23, *de reform. cap.* 8) *a proprio Episcopo ordinetur: si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum; & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Jam si quæratur, quinam sit, olimque fuerit proprius Episcopus?

℟. Non unam semper fuisse de hac re disciplinam.

1. Enim laicis hominibus quondam licitum fuit, inconsulto diœcesano Episcopo, a quovis alio ordinationem recipere, qui cum Ecclesia Catholica communione conjunctus esset: sic

Ori-

Origenes Alexandriæ natus, clericus & presbyter conſecratus fuit in Palæſtina, a *Theoctiſto* & *Alexandro*, Cæſareæ & Hieroſolymorum Epiſcopis: de hac quidem ordinatione *Demetrius* Epiſcopus Alexandrinus conqueſtus eſt; non ea tamen de cauſa quod ſe inconſulto facta fuiſſet; ſed propter irregularitatem, quam *Origenes* ſui ipſius voluntaria mutilatione contraxerat: *nihil namque aliud habebat*, inquit Euſebius (*hiſt. lib.* 6, *cap.* 8), *quod ei objiceret*: ſic etiam *S. Hieronymus* Antiochiæ, ubi nec natus erat, nec per baptiſmum renatus, ab Epiſcopo *Paulino*, presbyter eſt conſecratus: pariter *S. Martinus* in Pannonia natus, & Ambiani baptizatus, a *S. Hilario* Pictavienſi Epiſcopo nulla patriæ aut baptiſmi habita ratione ad clericatum prevectus eſt: *tentavit Hilarius*, inquit Sulpicius Severus, (*in vita S. Martini*) *impoſito diaconatus officio*, *Martinum ſibi arctius implicare*, *& miniſterio vincire divino*.

Idem aliis, ſi foret neceſſarium, exemplis probare in promptu foret.

2. Clericorum priſcis temporibus alia conditio fuit: illis enim proprius Epiſcopus erat, a quo primum fuerant ordinati: hinc Eccleſiæ canonibus cautum erat, ne quis Epiſcopus alienum ad ſe evocare clericum, & ſancto miniſterio mancipare præſumeret: ſic Concilium Nicænum irritam ordinationem eſſe decernit, qua quis clericum ſibi non ſubditum conſecrat: *Si quis*, inquit, (*can.* 17) *auſus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet*, *ordinare in ſuam Eccleſiam*, *cum non habeat conſenſum Epiſcopi ipſius*, *a quo receſſit clericus*: *irrita ſit hujuſmodi ordinatio*.

Et Concilium Charthag. III „ ut alienum „ Clericum, ait, (*can.* 21) niſi accedente „ ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, „ vel promovere in Eccleſia ſibi credita: Cle„ ricorum autem nomen etiam lectores, & „ pſalmiſtæ, & oſtiarii retinent. “

Idem quoque in Concilio Arauſicano 1 (*ann.* 441) verbis expreſſis definitum: *Si quis*, inquit, (*can.* 7) *alibi conſiſtentem clericum ordinandum putaverit*, *prius definiat*, *ut cum ipſo habitet*: *nec eum ſine conſultatione ejus Epiſcopi*, *cum quo ante habitavit ordinare præſumat*; *quia fortaſſe non ſine cauſa*, *diu ab alio non ordinatus remanſit*.

Cui conſonum eſt S. *Leonis Magni*, eodem tempore Pontificis Max. decretum, Ep. 84 ſic loquentis: *alienum clericum*, *invito Epiſcopo ipſius*, *nemo ſuſcipiat*, *& nemo ſollicitet*; *niſi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat*.

Illud itaque primitus laicorum & clericorum diſcrimen fuit, quod laici pro arbitrio, ſibi Epiſcopum ad ordines ſuſcipiendos eligerent: clericorum vero is ſolus proprius Epiſcopus cenſeretur, a quo ordinem accepiſſent, & officio ſui ordinis exequendo addicti eſſent: unum namque idemque erat, ordinem ſuſcipere, & Eccleſiæ cuidam ad ſanctum miniſterium obeundum adſcribi.

Ea vero quam prædiximus de proprio cujuſvis Epiſcopo diſciplina, ad ſæculum uſque 10 intacta perſeveravit: tribus deinceps quæ annum milleſſimum ſecuta ſunt ſæculis, nulla habita ratione Epiſcopi, a quo quis primo foret ordinatus, aut quem ſponte ſibi elegiſſet: proprius Epiſcopus vel ab origine, vel a beneficio dictus eſt: in cujus videlicet diœceſi vel natus aliquis eſſet, aut per baptiſmum renatus, vel Eccleſiaſticum beneficium poſſideret; cujus rei probatio inde petitur, quod canones toto illo annorum decurſu conditi, de proprio Epiſcopo loquentes, vix ullam ejus faciant mentionem, a quo quis per primam tonſuram clero fuerit adſcriptus: „ ne „ quis Epiſcopus, *inquit* (*anno circiter* 1266) „ *Clemens VI Pontifex Max. in ſexto*: cleri„ cum ultramontanum ordinare præſumat, ni„ ſi a nobis ſpecialem licentiam habeat, vel „ ab Epiſcopo de cujus diœceſi traxit origi„ nem ordinandus, vel in cujus diœceſi be„ neficiatus exiſtit “.

Sæculo mox habente 13 & ineunte 14 *Bonifacius* Papa VIII duobus prioribus titulis tertium adjecit, domicilii nimirum, quod quis in aliqua diœceſi elegerit, fixeritque: „ cum „ nullus, *inquit* (*in ſexto de temp. ordinat.*) „ clericum alienæ paræciæ præter ſuperioris „ ipſius licentiam debeat ordinare: ſuperior „ intelligitur Epiſcopus, de cujus diœceſi „ beneficium obtinet Eccleſiaſticum: ſeu ha„ bet, licet alibi natus fuerit, domicilium in „ eadem “.

§. SECUNDUS.

Solvuntur variæ quæſtiones.

Itaque juxta hodiernam diſciplinam proprius Epiſcopus, adeoque legitimus ordinationis miniſter eſt, cui quiſque vel originis vel domicilii, vel beneficii titulo ſubjacet: præferunt ſinguli tituli ſpeciales difficultates, quas operæ pretium eſt, priuſquam ultra progredimur, expedire.

Q. 1. Cum vel a loco ubi quis temporaliter natus, vel ab eo in quo ſpiritualiter ex aqua & Spiritu Sancto renatus fuerit, *origo* ſoleat æſtimari; an perinde utravis ratio valeat, ut aliquis proprius & legitimus Epiſcopus cenſeantur?

R. Ne-

R. Negative: equidem jure veteri, Episcopus loci, in quo per baptismum regeneratus quis fuerat, *originis* Episcopus censebatur: id quod videntur verba concilii *Eliberitani* adstruere: *omnes*, inquit, (*can.* 24) *qui in peregrinatione fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis*: verum ex hodierna disciplina, Episcopus originis intelligitur Episcopus loci, in quo quis carnaliter natus est: ita sane constituit *Bonifacius* VIII can. paulo ante cit. cujus hæc ex integro verba sunt: „ cum nullus clericum parœciæ alienæ, præter superioris ipsius licentiam, debeat ordinare; superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus: sive in cujus diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum: seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem ".

Eademque Gallicanæ Ecclesiæ præsulum, in *Comitiis generalibus* anno 1657 sententia fuit. *decretum est*, inquiebant, *monendos hortandosque Episcopos, ne quem ordinarent, nisi ex suis diœcesibus oriundum*.

Q. 2. Utrumne semper Episcopus loci in quo quis natus es, Episcopus originis censeatur?

R. Negative: quominus enim hic titulus valeat, impedire potest, & revera quandoque impedit domicilii defectus: quod ut exemplo declaretur: sit aliquis a Rege, ad exteros Principes negotiorum causa ad tempus legatus, interimque dum in alienis regionibus diversatur, ab uxore secum transducta filium suscipiat: in hoc casu ex paterna civitate, non vero ex loco nativitatis esse censendum, leges civiles, consuetudo, ipseque communis loquendi usus demonstrat; nam cum in hoc ipso loco pater ejus sit hospes & peregrinus, idem putandum de filio: adeoque eadem ejus ac genitoris origo censeri debet: idem dicendum de eo, qui quavis causa, ad tempus alio commigraverit; si forte in itinere, aut alicubi extra patriam diversando, filio auctus fuerit: non enim inde originem habere putari potest, ubi civicum & municipale non habet jus; atqui filius fortuito extra paternam patriam natus, nec civis hujus loci efficitur, nec inibi municipale jus habet: ergo &c.

Ita decretum ab *Innocentio* XII Pontifice Max. in constitut. quæ incipit, *speculatores*, anno 1694, pridie nonas Novembris data: *subditus ratione originis*, inquit, *is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat: dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti occasione, nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco: quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda*.

Q. 3. Episcopus domicilii quis sit; quidve requiratur, ut quis hoc titulo legitime gaudeat?

℟. Episcopum domicilii esse, qui in hoc loco præsidet, ubi qui ordinari desiderat, vere domicilium habet: ut autem valeat hic titulus, duo requiruntur.

1. Est, ut sine fraude in aliqua diœcesi domicilium constituatur, & cum animo ibi perpetuo commorandi: non enim aliter verum domicilium est, ajunt Imperatoriæ leges (*in lib. cives, cod. de incolis*) *nisi ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur: quo si redit peregrinari destitit*.

2. Est, ut decem annorum spatio jus domicilii acquiratur, nec ante decennalem habitationem haberi possit: ita in Concilio *Mediolanensi* IV sub S. Carolo: in Synodo provinciali Aquensi, an. 1585, & plerisque aliis declaratum: idemque ab Innocentio XII in prædicta constitutione sancitum: *subditus ratione domicilii*, inquit, *ad effectum suscipiendi ordines, is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit; illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut, vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum ejusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulterius utroque casu se vere & realiter animum hujusmodi habere, jurejurando affirmet*.

Q. 4. Utrum ad domicilii titulum ita decennalis habitatio requiratur, ut breviori mora nullo casu valeat comparari?

℟. Negative: si enim aliquis apud Episcopum alterius diœcesis habitationem fixerit, jus domicilii triennio comparabit: ita statutum a Trid. Concilio: *Episcopus familiarem suum non subditum*, inquit, (*sess.* 23, *de refor. cap.* 9) *ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus; & beneficium quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat: consuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante*.

Objectio.

Dices: in aliis Sacramentis petendis ac largiendis, ratio domicilii aut nulla habetur; aut certe commoratio in aliquo loco non ita diuturna

turna

Digitized by Google

turna requiritur: quidni ergo pariter posset quilibet, nondum exacta domicilii decem annorum probatione, ordinationem petere?

℟. Concesso ant. n. conseq. & paritatem: cætera namque Sacramenta ad privatum fidelium bonum sunt instituta, soloque matrimonio dempto omnibus & singulis sunt necessitate medii aut præcepti necessaria: unde a quolibet peregrino, & cive, jure petuntur, aut saltem domicilii jus minore temporis tractu paratur: nec solent, nisi notorie diffamatis negari: sed omnibus conceduntur, quos constiterit, aut pie creditum fuerit, ad eorum susceptionem dispositiones necessarias attulisse: e contra vero ordinatio ad bonum commune Ecclesiæ pertinet, cujus summopere interest ad sacrum ministerium, non nisi viros idoneos promovere, qui moribus integris, & rerum divinarum doctrina præditi, ab omnique irregularitate immunes sint, & denique *ab iis ipsis qui foris sunt bonum testimonium habeant*, ut B. Paulus loquitur, (1 *Tim.* 3, 7) *ne in opprobrium incidant, & in laqueum diaboli*: hæc autem quomodo Ecclesiæ certo possent esse perspecta, si liceret vagos & erraticos, sine domicilio homines indifferenter sacris altaribus mancipare? indeque est, quod tanta sollicitudine antiquis canonibus cautum fuit, ut singulorum Episcoporum auctoritas certis terminis circumscriberetur, nec quisquam in alienos terminos jurisdictionem extenderet, sed suis quisque contentus esset limitibus: *si quis ad alium Episcopum pertinentem*, inquiunt Nicæni Patres, (*Can.* 17) *audaciter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo a quo discessit is, qui regulæ mancipatur: ordinatio hujusmodi irrita comprobetur*; pari sententia Concilium Sardicense: (*ann.* 347) *& hoc*, inquit cap. 19, *constituimus, ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum ministrum, sine consensu Episcopi ipsius ordinare, non sit rata ejus ordinatio: quicumque hoc usurpaverit, a Fratribus & Coepiscopis nostris & admoneri debet, & corrigi*: intelligebant enim vero Patres sapientissimi, effrænem hujusmodi licentiam, obvios quosque nec satis cognitos ordinandi, tum incentivum discordiarum, tum improbis quibusque futuram occasionem in sacrum ministerium magno malo Ecclesiæ, & cum gravissimo fidelium scandalo irrependi: vana itaque sacræ ordinationis cum cæteris Sacramentis in præsenti comparatio est.

Q. 5. An ubique vigeat titulus domicilii?

R. Negative. Non enim est in hodierno Gallicanæ Ecclesiæ usu, prout statutum est in comitiis generalibus cleri Gallicani, anni 1657: licet tamen etiamnum in Gallia cuilibet Episcopo eum ordinare, qui apud se per triennium commoratus fuerit, juxta Concilii Tridentini præscriptum modo laudatum.

Q. 6. Quæ causa Galliarum Episcopis sit, ab admittendo domicilii titulo abstinendi?

R. In causa esse difficultatem discernendi veri domicilii, a ficto & simulato: fieri namque potest, ut quis in aliena diœcesi diu moretur, cum animo in propriam remeandi. *Deinde* haud ita temeraria suspicio est, eos qui in aliena Provincia postulant ordinari, ideo patria aufugisse, quo facilius ordinatoribus fucum facerent, suaque crimina & impedimenta canonica occultarent. *Præterea*, ne decem quidem annorum perpetua in aliena diœcesi habitatio veri domicilii certa probatio est: cujus rei exempla notoria sunt, in iis qui studiorum causa academiam aliquam longo annorum cursu frequentant, in humaniorum & sacrarum litterarum professoribus, in castellanis, aliisque id genus extra natale solum varia officia obeuntibus: qui etsi in locis ubi officiorum causa morantur, ædes extruant, & prædia acquirant, & nuptiarum jungant fœdera, animum habere possunt, reveraque sæpe habent, lares proprios repetendi: cum itaque originis titulus, titulo domicilii longe præcellat: (est enim jus originis, naturale: jus domicilii, tantum civile: jus originis, necessarium; jus domicilii voluntarium: hoc variabile & temporarium; illud perenne & immutabile:) nihil mirum si Episcopi Gallicani, incertum relinquendo, & certum tenendo, ad solum pene originis titulum, in ordinationibus faciendis respiciant; *ab ordinatione clericorum qui alibi nati sunt*, inquit Franciscus Hallierius (*de sacris electionibus & ordinationibus par.* 2, *sect.* 5, *cap.* 3, *art.* 1, §. 9) *sibi temperare solent Episcopi Galliarum; non quod ut opinor, id sibi interdictum putent: sed quod originis probatio facilior sit & expeditior, ad cujus proinde Episcopum remittunt; nisi in externa quis Patria, vel extra paternum domicilium fortuito natus sit, quo casu domicilii, quod originis locum quodammodo obtinet, rationem habent, & ordines eis conferunt qui apud eos domicilium habuerint*.

Q. 7. Quorsum titulo beneficii proprius Episcopus censeatur, in cujus diœcesi beneficium possidetur?

R. Hoc ideo esse, quia hoc ipso quo quis in aliqua diœcesi beneficium obtinet, ejusdem Episcopo necessario subditur: adeoque jus habet, ordinationem ab illo suscipiendi: est enim beneficium Ecclesiasticum, *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ auctoritate constitutum, competens clerico propter sacrum ministerium*,

seu officium spirituale, quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus ex bonis sustentatur. Porro Episcopus iis omnibus præsidet, qui in sua diœcesi sacrum aliquod ministerium obeunt: quemadmodum igitur antiquitus ordinatio, ita hodie beneficium subjicit clericum Episcopo, ita ut ab illo possit ad superiores ordines promoveri.

Q. 8. Quale & quantum beneficium esse debeat, ut cujus titulo proprius censeatur Episcopus in hujus diœcesi beneficium situm est?

R. Si ad decretalium tenorem spectemus, modo verum beneficium sit, eoque titulo possideatur, nihil interesse, quale aut quantum sit, simplex, aut curam animarum importans, residentiam requirens, aut non requirens, pingue aut tenue: distinctionem enim hujusmodi, *Clemens IV*, & *Bonifacius VIII*, nullam faciunt: *ne quis Episcopus*, inquit ille, *clericum ultramontanum ordinare præsumat, nisi a nobis specialem licentiam habeat, vel ab Episcopo, de cujus diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cujus diœcesi beneficatus existit...* iste vero: *superior*, ait, *intelligitur Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus; sive in cujus diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum*, &c.

Q. 9. Quid si quis ab aliquo beneficium fraudulenter fuerit impetratum, ut proprii Episcopi declinaret auctoritatem, & examen eluderet?

R. Hoc in casu proprium dici non posse Episcopum, in cujus diœcesi beneficium nefariis fuit artibus usurpatum: *fraus enim & dolus*, ut in jure axiomatis loco est, *alicui patrocinari non debent*. "Clericus primæ tonsuræ, *inquit Fagnanus*, (*in 2 part. lib. 5 decretal.*) qui beneficium obtinet in alia diœcesi, etsi promoveri possit ad minores ordines ab Episcopo beneficii, quantumvis tenuis ad præscriptum capitis, *cum nullus, tit. de temporibus ordinationum, in sexto*: tamen si illud beneficium in fraudem sibi conferri curavit, ut eludat examen ac judicium sui ordinarii; censetur male promotus: & remanet suspensus ab executione ordinum, tamquam ordinatus a non suo Episcopo, juxta caput 8, Sessionis 23, Concilii Trident. ut sacra congregatio declaravit".

Revera autem hujusmodi declarationes e sacra congregatione Cardinalium Concilii Trid. interpretum sæpe manarunt: sic in responsione ad consultationem Episcopi *Cadurcensis*, data die 7 Octobris, anno 1662: "congregatio concilii sæpius declaravit (*inquiunt Eminent. Cardinales*) tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci beneficii: si tamen adeptus sit beneficium in fraudem, esse male promotum, ac si in susceptis ordinibus ministraverit, irregularitatem contrahere: cæterum an ipsa fraus intercesserit, ex legitimis conjecturis ad præscriptum juris esse dignoscendum".

Cum pariter Emin. Cardinalis *Aquaviva*, Archiepiscopus Neapolitanus, quorumdam e suis clericis fraudes Pontifici Max. exposuisset his verbis: "alii sunt, qui cum Neapoli primam tonsuram, vel quatuor minores ordines susceperint, deinde ad subterfugiendum examen, & probationem patrimonii sufficientis, prout constitutiones synodales Neapolitanæ requirunt; adeunt aliquem ex vicinis Episcopis . . . . a quo provideri sibi de aliquo, vel tenuissimo, beneficio curant, cujus ratione tamquam illi Episcopo subditi, ab eo ad subdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus ordinem promoventur: ac mox Neapolim reversi, ordines per supradictam fraudem susceptos in hac diœcesi exercent: *congregatio Concilii censuit, nec item hos ad effectum ordinationis beneficium adipiscentes, debere ordinari ab Episcopo conferente beneficium; ordinatosque in suspensionem incidisse, & Episcopum a collatione ordinum, per annum etiam suspensum esse*".

Q. 10. Utrum in praxi tutum sit, clericum ratione beneficii in aliena diœcesi obtenti, posthabito originis Episcopo ordinare?

R. Negative: maxime si tale non sit beneficium, quod ad residentiam obliget. Nam præterquam quod gravis semper suspicio est, beneficia hujusmodi fraudulenter ad declinandam Episcopi originis jurisdictionem, fuisse obtenta; gravissima inde incommoda sequi evidens est.

1. Enim secundum præsentem Ecclesiæ non tam disciplinam, quam tolerantiam, usu quotidiano compertum est, pleraque hujusmodi simplicia beneficia, quæ residentiam non requirunt, ab uno eodemque clerico, in diversis diœcesibus possideri. Si ergo beneficii titulus in praxi habeat locum, unus idemque clericus quot beneficia, tot proprios habebit Episcopos, a quibus poterit ab libitum ordinari: quæ sane licentia confusionem induceret, Regimen Ecclesiasticum conturbaret, clericorum inobedientiam, & contra pastores legitimos rebellionem foveret: inde namque contingeret, ut quo plures clericus unus superiores haberet, hoc magis nullum haberet.

2. Sacris canonibus consentanee ad regulam Evangelii, & præscriptum Apostoli cautum est: neminem ad ordines promovendum, de cujus pietate, probitate, & morum castimonia non constiterit. Porro si ab extero Epi-

scopo

scopo prætextu beneficii, liceret, proprio contempto, ordinationem recipere; his sanctissimis legibus vix locus maneret: quo modo enim probari clericus potest, utrum ad sacrum ministerium sit idoneus, si in hac ipsa diœcesi ubi postulat ordinari, nec unquam moratus est, nec ullam Ecclesiasticam functionem exercuit?

3. Ratio & æquitas postulant, ut ille solus clericos ad ordinationem promoveat, qui solus de eorum moribus, cæterisque ad ordinationem suscipiendam necessariis dotibus respondere potest; cujusque solius est providere, ne eorum qui curæ suæ commissi sunt, indignus aliquis ad sacrum & tremendum angelis ministerium irrepat: atqui hoc soli originis Episcopo convenire, notius est, quam ut probatione egeat. Ergo &c.

Quibus malis volens, quoad fieri poterat, occurrere *Innocentius* XII, in constitutione, *speculatores*, sæpe laudata; " Hac generali „ nostra, *inquit*, & perpetuo valitura constitutione decernimus . . . . clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad clericalem „ tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, „ ratione ac titulo cujuscumque beneficii in „ illius diœcesi obtentis, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi tam originis, quam domicilii, super „ suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti, in actis illius curiæ conservandas exhibuerit. Licet vero clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti, subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in „ cujus diçcesi beneficium hujusmodi situm „ est; eam tamen de cætero, hac in re, inconcusse servari volumus regulam, ut nemo „ ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad „ congruam vitæ sustentationem, sive juxta „ taxam synodalem, sive ea deficiente, juxta „ morem regionis, pro promovendis ad sacros „ ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, „ illudque ab ordinando pacifice possideatur: „ sublata quacumque facultate supplendi, quod „ deficeret fructibus ejusdem beneficii, cum „ adjectione patrimonii etiam pinguis, quod „ ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis „ diœcesi obtineret: ac Episcopus sic ordinans, „ tam de prædictis testimonialibus litteris, „ quam de reditu beneficii hujusmodi, expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit".

Pari ratione Episcopi Gallicani in conciliis generalibus dudum observarunt, (*ann.* 1657) *vix dignosci posse, quantum annorum ad domicilium figendum requiratur, & vix posse rationem haberi Episcopi beneficii, cum non ita jam ut olim, quique clerici Ecclesiæ suæ affigantur; cum beneficio renunciare; cum plura possidere possint in variis diœcesibus: quo clericis evagandi & eluendæ obedientiæ ansa præberetur: decretum Bonifacii Papæ VIII de tribus Episcopis propriis, vix in Galliæ usu receptum unquam fuisse: porro expeditissimum jam esse, ut Episcopus proprius non esset cuique nisi unus, a quo posset ordinari. Denique decretum est, monendos hortandosque Episcopos, ne quos ordinarent, nisi suis ex diçcesibus oriundos.*

Objectio.

Quorsum ergo, inquies, a Sum. Pontificibus *Clemente* IV & *Bonifacio* VIII constitutum pro Episcopo proprio eum esse habendum, in cujus diœcesi beneficium possidetur; si tantorum radix malorum titulus ille futurus erat?

℟. Si ad tempora attenderimus quibus hæc decreta primum edita sunt; omnem accusationem cessare: quando, inquam, a *Clemente* & *Bonifacio* sic statutum, nondum erat vetus disciplina collapsa; vigebat adhuc antiqua consuetudo, quæ clericos hoc ipso quod in aliqua Ecclesia beneficio potirentur, eidem Ecclesiæ perpetuo addicebat, & ad residentiam obligabat; nondum (communiter saltem) abusus irrepserat, ut unus idemque clericus pluribus beneficiis, in locis dissitis, & diversis diœcesibus, oneraretur magis, quam ornaretur: necdum beneficiorum simplicium, ab iis quæ animarum curam, aut specialem functionem annexam habent, distinctio prævaluerat: uni clerico unum beneficium satis erat, quod cum teneretur localiter præsens, personaliter & non per substitutos vicarios exercere, Episcopi in cujus diœcesi degebat, fallere vigilantiam & fugere conspectum non poterat: adeoque facile, quam esset bene vel male moratus cognoscebatur. Quid ergo mirum si hoc tempore, a Pontificibus maximis constitutum, Episcopum beneficii illum esse, in cujus diœcesi clericus beneficium possideret?

Verum postea quam sanctioris disciplinæ rigore laxato, pluralitas beneficiorum invecta est, & residentiæ pro beneficiis simplicibus obligatio desiit; tum sane enituit beneficii titulum, de se bonum, propter introductos abusus, moderatione & correctione egere; ne videlicet plurium beneficiorum obtentu, propriorum Episcoporum infringeretur auctoritas, & cle-

Digitized by Google

clericorum inferiorum inobedientiæ ac diſſolutioni conniveretur; quodque omnium pejus eſt, ad majores ordines, indigni minoribus, graviſſimo Eccleſiæ damno iotruderentur.

Q. 11. Utrum regulares non ſecus ac cæteri clerici, a proprio Epiſcopo debeant ordinari?

„ R. Affirmative. Unus enim pro utriſque, „ idemque eſt diſciplinæ tenor: unuſquiſque, „ *inquit Concilium Trid.* (*Seſ.* 23, *de refor. cap.* 8) a proprio Epiſcopo ordinetur: quod „ ſi quis ab alio promoveri petat, nollateous „ id ei etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis „ reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſta„ tutis temporibus, permittatur; niſi ejus pro„ bitas ac mores, ordinarii ſui teſtimonio „ commendentur: ſi ſecus fiat, ordinans a „ collatione ordinum per annum, & ordina„ tus a ſuſceptorum ordinum executione, quam„ diu proprio ordinario videbitur expedire, ſit „ ſuſpenſus. "

Nec multo poſt: (*Ib. cap.* 10) „ Abbati„ bus ac aliis quibuſcumque, quantumvis exem„ ptis, non liceat in poſterum, intra fines „ alicujus diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nul„ lius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, „ cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi noo „ ſit, tonſuram vel mioores ordines confer„ re: nec ipſi Abbates, & alii exempti, aut „ collegia, vel capitula quæcumque, etiam „ Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſ„ ſorias aliquibus clericis ſæcularibus, ut ab „ aliis ordinentur, concedant: ſed horum om„ nium ordinatio, ſervatis omnibus quæ in „ hujus S. Synodi decretis continentur, ad „ Epiſcopos, intra quorum diæceſis fines exi„ ſtunt, pertineat; non obſtantibus quibuſvis „ privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetu„ dioibus, etiam immemorabilibus. "

Certum itaque eſt, eadem lege omnes tam regulares, quam ſæculares teneri; nec poſſe quemquam cujuſvis privilegii aut reſcripti, ſive generalis ſive ſpecialis obteotu effugere, quomiaus a proprio Epiſcopo ordinetur: nec quidquam novi Synodus Trid. hoc decreto conſtituit. Antiquum enim eſt, Monachos, ſive Religioſos viros, non poſſe niſi a propriis, ſive diæceſanis Epiſcopis ad ordines promoveri: *ſi quis de alterius Monaſterio repertum*, inquiebat ſæculo 5 Concilium Carthag. quintum (*Can.* 23), *vel ad clericatum promovere voluerit, vel in ſuo Monaſterio majorem Monaſterii conſtituere: Epiſcopus qui hoc fecerit, a cæterorum communione ſejunctus, ſuæ tantum plebis communione contentus ſit; & ille* (ordinatus) *neque clericus, neque præpoſitus perſeveret*.

Eodem ſæculo, in Concilio Arelatenſi 3 exorta Epiſcopum inter *Antinopolitanum*, & Monaſterii *Lirinenſis* Monachos controverſia gravis diſcuſſa eſt: illinc Epiſcopus pro jure ſuo, iſtinc Monachi pro libertate pugnabaot: contendebat ille, hujus Monaſterii, intra ſuæ diæceſeos limites conſtituti, debere Monachos vel a ſe, vel cui ipſe concederet, ordinari; renuebant iſti, obtendeotes, a quo ordinari deberent, a proprii Abbatis arbitrio dependere: convocatis in prædicto Concilio provinciæ Arelatenſis Epiſcopis, examinata lis eſt, & Epiſcopo *Antinopolitano* adjudicata; ſaocitum enim, *ut clerici, atque altaris miniſtri, niſi ab ipſo, vel cui ipſe injunxerit, ordinentur*.

Q. 12. Regularium quis proprius Epiſcopus ſit?

R. Si de iis agatur, qui Eccleſiaſtica beneficia non poſſident, proprium ſingulorum Epiſcopum eſſe Epiſcopum diæceſis ubi ſitum eſt Monaſterium ſive cœnobium, in quo vere, juſſu ſuperiorum habitant, ſive de cujus familia ſunt: cum enim, ut prædixi, beneficia non habeant, nec aliunde titulo *originis* gaudeant, cui aliquatenus per profeſſionem religioſam renuntiarunt: non alius poteſt proprius eorum Epiſcopus judicari, niſi in cujus diœceſi morantur.

Ita ab Eminentiſſimis Cardinalibus, Concilii Trid. interpretibus declaratum.

„ De mandato SS. D. N. Clementis, divina „ provideotia Papæ VIII tenore præſentium „ mandatur omnibus, & ſingulis quorumcum„ que regularium ſuperioribus, ut de cætero „ obſervent & obſervari faciant ea, quæ in „ decreto ſacræ congregationis Concilii Trid. „ continentur, cujus tenor eſt talis: Congre„ gatio concilii cenſuit, ſuperiores Regulares „ poſſe ſuo ſubdito item Regulari, qui præ„ ditus qualitatibus requiſitis ordines ſuſcipe„ re voluerit, litteras dimiſſorias concedere, „ ad Epiſcopum tamen diœceſanum, nempe „ illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, „ ad quos pertinet, is regularis poſitus fue„ rit: &, ſi diœceſanus abfuerit, vel oon eſ„ ſet habiturus ordinationes, ad quemcumque „ alium Epiſcopum: dum tamen ab eo Epiſco„ po qui ordines contulerit, examinetur quo„ ad doctrinam; & dum ipſi Regulares non „ diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſ„ ſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœ„ ceſanus vel abſuturus, vel nullas habiturus „ ordinationes eſſet: verum cum a ſuperiori„ bus regularibus, Epiſcopo Diœceſano ab„ ſeote, vel ordinationes non habente, litte„ ræ dimiſſoriæ dabuntur, in iis utique hu„ juſmodi cauſam abſentiæ diœceſani Epiſco„ pi,

Digitized by Google

„ pi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse: quod ni fecerint, „ officii & dignitatis, seu administrationis, ac „ vocis activæ & passivæ privationis, ac alias „ arbitrio ejusdem SS. D. N. Papæ reservatas „ pœnas incurrent. Datum Romæ, die xv „ Martii, anno 1596.

Idem in diversis Synodis deinceps sancitum: sic inter cætera, *Burdigalensis* an. 1624 „ superioribus Monasteriorum, *inquit*, (*tit. de ord. c.* 12) in quibus Religiosi fixam & firmam commorandi sedem habent, prohibemus ne litteras dimissorias Religiosis suis, „ ut a quocumque ordinentur, concedant; „ sed a suo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos esse dumtaxat decernimus: eos vero qui pro instituto ad varia „ domicilia, certis temporum intervallis transferuntur, cum litteris Provincialium suorum, de voto religionis emisso fidem facientibus, ab ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus; „ ab aliis numquam, nisi attestatione præhabita, a Pontifice loci, seu vicario generali „ obtenta, qua cur apud se nequiverint ordinari perhibeatur. “

Objectio.

Contra opponitur Sancti Pii V Pontificis Max. constitutio, quæ incipit, *Etsi mendicantium ordo*: per quam indulsit Fratribus mendicantibus, *ut sacros ordines a quolibet Episcopo, gratiam & communionem Apostolicæ sedis habente, ordinarii licentia minime requisita, in locis seu domibus suis, sive alibi recipere possent*. Proprios ergo Episcopos, a quibus cum aliorum exclusione, debeant ordinari, stricte loquendo illi non habent.

℟. Concesso ant. n. conseq. & dico constitutionem hanc a *Gregorio* XIII S. Pii V immediato successore abrogatam, & ad Concilii Trid. jurisque communis terminos arctatam, per bullam quæ incipit: *in tanta rerum*: ubi declaravit, omnia in eodem statu esse debere, in quo futura essent, si litteræ illæ *Pii* V non emanassent: *ad quam dispositionem & decisionem*, inquit, *suumque integrum statum ac terminum illa omnia reducimus*: inde itaque nihil contra præcedentem responsionem erui potest.

Q. 13. Utrum ita quilibet a proprio Episcopo debeat ordinari; ut non possit aliquando ab alieno ordines legitime suscipere?

℟. Certissime posse, ut ex prædictis est manifestum, si proprius Episcopus, aut ejus locum tenens consenserit, consensumque suum per litteras dimissorias significaverit.

1. De Episcopo proprio, quin possit hanc gratiam facere, non est dubium; sic enim antiquissimis canonibus constitutum. „ Universi „ constituimus, *inquit in Sardicensi Concilio* „ *Osius*, (*Can.* 19) ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum ministrum, sine „ consensu Episcopi ipsius & sine voluntate „ ordinare; non sit rata ordinatio ejus.... “ potest ergo ex tenore canonis, accedente proprii Episcopi consensu & voluntate, hoc fieri.

Suggero sanctitati vestræ, ait in Concilio Carthag. 1 (*Can.* 5) Privatus Episcopus *Vegeselitanus*, *ut statuatis non licere clericum alienum ab aliquo suscipi, sine litteris Episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est. Gratus Episcopus dixit: hæc observantia pacem custodit: nam & memini in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet: sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, & per consensum habeat.*

In concilio Bracarensi I (*Can.* 26): *item placuit, ut nullus Episcopus clericum alterius ordinare præsumat sine licentia alterius Episcopi.*

Et in Trullano (*Can.* 17): *statuimus, ut nullus omnino clericus possit sine proprii Episcopi Scriptura dimissoria, in alienæ Ecclesiæ Catalogum referri: qui secus fecerit, deponatur.*

Antiquam disciplinam Concilium Trid. instauravit, sess. 7 de reform. cap. 10, sess. 14, cap. 2, sess. 23, cap. 10.

2. Possunt a Vicariis generalibus concedi litteræ dimissoriæ; si tamen a suis Episcopis specialem super hac re facultatem habuerint: alias non possunt, nisi absint Episcopi & a diœcesibus longius distent, quam ut rebus necessariis providere per se ipsi valeant.

3. Episcopali sede vacante, post expletum vacationis annum, potest capitulum laicos ad tonsuram, & clericos ad majores ordines, datis litteris dimittere: intra annum tamen a capitulo dari possunt iis, quos arctatos vocant, id est, qui titulo beneficii, intra annum ordines suscipere tenentur: sic in Concilio Trid. dispositum. „ Non liceat, *inquit*, (*Ses.* 7, *de* „ *reform. cap.* 10) capitulis Ecclesiarum, se„ de vacante, infra annum a die vacationis, „ ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam „ ex juris communis dispositione, quam etjam „ cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non „ fuerit, concedere: si secus fiat, capitulum

„ con-

„ contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto: & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio „ clericali, præsertim in crimiualibus gaudeant: in majoribus vero, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, sint „ ipso jure suspensi. “

4. Cum sum. Pontifex supremam in Ecclesia habeat auctoritatem: certum est, ab illo quemlibet ex quacumque diœcesi, ad quemvis Episcopum, ordinum recipiendorum causa, posse dimitti: verum sic dimissus, ad ordines non debet admitti, nisi de vita & moribus, proprii Episcopi testimonium, litteris consignatum attulerit: reveraque decebat hoc exemplum a Pontifice Max. reliquis Episcopis dari, ne videlicet incertis & sæpe contra proprii Episcopi scientiam, delusi rumoribus, ad sacros odines, non solum non satis dignos, verum etiam subreptitii privilegii obtentu indignos promoverent: indeque est, quod Concilium Trid. nulla facta exceptione: *quod si quis*, inquit, (*Sess.* 23, *de refor. cap.* 8) *ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur: si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Q. Ultimo: Utrum compelli possit Episcopus proprius in foro exteriori, ad conferendam laico tonsuram clericalem, aut clerico sacram ordinationem?

R. ad 1 quæstionis partem negative: nulla namque jura sunt, quæ legem illam imponant: tenentur quidem Episcopi in sua quique diœcesi procedere, ne desint ministri idonei: atque adeo debent laicos, quos ad sanctum ministerium aptiores repererint, ordinare, sed ut hunc, vel illum, vel unum præ altero eligant, cogi in foro exteriori non possunt: eaque Concilii Trid. præscriptio est: *patrimonium vel pensionem obtinentes*, inquit, (*Ses.* 21, *de reform. cap.* 2) *ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum.*

Ad 2 Quæsiti partem respondeo verbis ejusdem Concilii, „ Cum honestius, *inquit*, (*Ses.* „ 14, *de refor. cap.* 1) ac tutius sit subjecto, „ debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam „ cum præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus „ ad sacros ordines a suo prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, „ quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus, „ seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis „ fuerit suspensus, nulla contra ipsius prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, „ gradus, & dignitates sive honores restitutio suffragetur . . . “ Itaque juxta disciplinam a Trid. Patribus institutam, Episcopus proprius in foro exteriori compelli communiter non potest, ad conferendam clerico sacram ordinationem: *communiter*, inquam: gravium enim Canonistarum doctrina est, quod si quæstio de immerito denegata ordinatione nascatur, possit sum. Pontifex committere Episcopum Metropolitanum aut Episcopum viciniorem, ut quærat ab Episcopo proprio, cur clericum a sacris ordinibus arceat, beneficium habentem, ad quod sacer ordo requiritur: quæ quidem causa si iniqua & illegitima visa fuerit; eorumdem sententia est, posse in hoc casu Episcopum delegatum, clerico injuste repulso ordines dare.

Sequitur

CAPUT QUARTUM.

De illegitimo sacræ ordinationis ministro.

CUM minister legitimus ille sit, qui in Ecclesia Catholica, secundum canonum instituta, ad Episcopatum provectus, jurisdictionis propriæ limites non transgreditur; consequens est illegitimum esse, qui vel contra præscripta Canonum Episcopatum usurpaverit, vel ab Ecclesia Catholica, schismate, vel hæresi, aut excommunicatione præcisus est; vel denique jurisdictionis Ecclesiasticæ modum non tenet.

Quæritur, utrum ab hujusmodi ministro valide ordinatio conferatur?

Ponimus tamquam certum

1. Per sacram ordinationem imprimi characterem: hoc enim, l. 1 de Sacramentis in genere, argumentis validissimis est assertum, velut ad fidem Catholicam pertinens.

2. Sacri ordinis characterem esse indelebilem; quo fit, ut quemadmodum qui semel est baptizatus & confirmatus, nec baptismi nec confirmationis potest Sacramentum amittere: licet gratiam in utroque acceptam perdere possit; pariter qui Episcopalem consecrationem accepit, infixum characterem inamissibiliter habeat.

3. Potestatem ministrorum, alteram ordinis, jurisdictionis alteram esse: potestas ordinis est, quæ ministris vi ordinationis est attributa, ad

Digitized by Google

ad functiones sui ordinis obeundas: quale est jus Eucharistiæ consecrandæ, ordini Presbyteratus annexum: potestas jurisdictionis est, quam quis ideo habet, quia in aliquos ordinariam, vel subdelegatam potestatem accepit: talis est absolvendi vel ligandi facultas sacerdotibus attributa: licet enim ad solos sacerdotes pertineat Sacramentum pœnitentiæ administrare, (unde etiam ordinis potestas:) ab iis tamen solis legitime exercetur, qui ordinariam vel subdelegatam in aliquos jurisdictionem acceperunt.

§. PRIMUS.

Ostenditur, ordinationem a ministro illegitimo factam validam esse.

Sensus assertionis est, nullo crimine quantumvis enormi, qualia sunt, schisma, hæresis, apostasia; nec ulla censura, quantumlibet gravis, ut est excommunicatio, posse effici, quominus rata & valida sit ordinatio a ministro illegitimo celebrata, etiam in iis qui ejus jurisdictioni non subjacent: modo ritum ordinationi essentialem observet.

Ministri enim improbitatem & infidelitatem quantamlibet, non nocere virtuti Sacramentorum Ecclesiæ doctrina perpetua est, contra Donatistas, Waldenses, Wiclefistas, & Hussitas, decretis sæpe iteratis asserta: omnium instar sit Concilium Trid. *si quis dixerit*, inquit, (*Sess. 7, de Sacram. in Gen. Can. 12*) *ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum: anathema sit.*

Id quod diserte probant ea Scripturæ testimonia, quibus significatur solum Deum in Sacramentorum consecratione gratiam operari; homines vero mysteriorum dispensatores esse, non Dominos: *hic est qui baptizat in Sp. Sancto*, ait de Christo Jo. Baptista: (*Jo. 1, 33*) & Apostolus: (*1 Cor. 1, 12*) *unusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi: divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* .... (*ib. c. 3, v. 5*) *quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri ejus cui credidistis ... ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit; itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*: ex his, aliisque longe pluribus quæ brevitatis gratia reticemus, manifesto sequitur, sacræ ordinationis quemadmodum aliorum Sacramentorum effectum, a ministri sanctitate prorsus esse independentem.

Hoc ipsum Sancti Patres, & scholarum proceres uniformiter docuerunt.

E Patribus, unum allegabimus S. Aug. qui contra Donatistas omnium copiosissime ac solidissime disputavit. *Sacramenti sanctitas*, inquit, (*lib. 3 de bapt. cap. 10*) *pollui non potest: Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad pœnam male utentium: an vero solis, vel etiam lucernæ lux, cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit; & baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari?* ... (*Tract. 5 in Joan.*) *si fuerit superbus minister, cum diabolo computatur; sed non contaminatur donum Christi: quod per illum fluit, purum est: quod per illum transit, liquidum venit ad fertilem terram: per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans: sed tamen hortis plurimum fructum affert.*

Inter scholarum magistros, unus omnium instar sit S. Thomas, tum alibi passim, tum præclarissime 3 part. qu. 64. a. 5 in corp. Eamdem sententiam explicans: *dicendum*, ait, *quod ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in Sacramentis; eo quod quodammodo eadem ratio est ministri, & instrumenti: instrumentum autem non agit secundum propriam formam, sed secundum virtutem ejus a quo movetur: & ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habet, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti. Sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum vel infirmum; & sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea: unde ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint boni vel mali.*

COROLLARIUM I.

Valida est ordinatio ab Hæreticis facta.

Indeque sequitur 1, validam esse ordinationem ab Hæreticis attentatam: si enim eam irritam & invalidam Ecclesia credidisset, ordinatos ab hæreticis, sine nova ordinatione numquam admisisset ad suorum ordinum functiones; atqui e contra Ecclesia veram in hæreticis ordinationem semper agnovit, modo constaret eos ritu præscripto divinitus consecratos: sic Concilium Nicænum sæculo 4 *Novatianos & Arianos*: Toletanum, desinente eodem sæculo, *Priscillianistas*: Ephesinum, sæ-

sæculo 5, *Messalianos*: Synodus sexta generalis sæculo 7, *Monothelitas*: Synodus septima generalis sæculo 7, clericos a quacumque hæresi revertentes: Synodus octava generalis, sæculo 9, quoslibet hæreticos, & ab hæreticis ordinatos, absque nova ordinatione recipiendos, & ad suorum ordinum exercitium benigne admittendos sanxerunt: eamdemque semper Latina & Orientalis Ecclesia disciplinam inviolabiliter tenuit. Ergo &c.

Accedit Summ. Pontificum, SS. Patrum, & veterum Theologorum auctoritas, quorum si consilium esset testimonia sigillatim describere, præsentis disputationis finis non esset futurus: itaque sat erit, pauca ex S. Aug. depromere, qui ut prædixi, omnium uberrime doctrinam quam defendimus adstruit; sic *Parmeniani* Donatistæ Ep. refutando: *ipsi* (*Donatistæ*) *explicent*, inquit, (*lib.* 2, *c.* 13) *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti; quoniam dicunt, recedens ab Ecclesia, baptismum non amittit, jus dandi tamen amittit: si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & istud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est; si sancta malos fugiunt: si sancta in malis inviolabiliter manent; utrumque maneat.*

Et alibi eosdem Donatistas alloquens: (*Ep.* 87) *at enim*, inquit, *dicitis, quare nos adjungi vobis vultis, si scelerati sumus? quia vivitis adhuc*, reponit S. Doctor, *& corrigi potestis, si velitis. Vos ergo mutamini ex ea parte qua dissentiebatis: quamvis Sacramenta quæ habebatis, cum eadem sint in omnibus, sancta sint. Nam Sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis approbantur a nobis; ne forte cum vestram pravitatem corrigere volumus, illis mysteriis Christi, quæ in vestra pravitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam.*

Itaque ex mente S. Aug. sacrilegam mysteriis Christi facit injuriam, qui existimat hæreticorum pravitate Sacramenta depravari: adeoque censet, validam esse ordinationem, etiam ab hæreticis datam.

Idem inculcat S. Doctor in Ep. 93 ad *Vincentium* Donatistam. *Cur ergo*, inquis, *nos quæritis? cur sic suscipitis, quos hæreticos dicitis?* cui S. Aug. *vide*, ait, *quam facile breviterque respondeam: quærimus vos, quia peristis, ut de inventis gaudeamus, de quibus perditis dolebamus: hæreticos autem vos esse dicimus; sed antequam ad pacem Catholicam convertamini; antequam errorem quo irretiti estis, exuamini. Cum autem transitis ad nos, prius utique relinquitis quod eratis, ne ad nos hæretici transeatis: baptiza ergo me, inquis: facerem, si baptizatus non esses, aut si Donati, non Christi baptismo baptizatus esses: non Sacramenta Christiana faciunt te hæreticum, sed prava dissensio: non propter malum quod processit ex te, negandum est bonum quod remansit in te: quod malo tuo habes, si non ibi habes, unde est bonum quod habes? ex Catholica enim Ecclesia sunt omnia Dominica Sacramenta, quæ sic habetis & datis, quemadmodum habebantur & dabantur, etiam priusquam inde exiretis: non tamen ideo non habetis, quia ibi non estis, unde sunt quæ habetis: non in vobis ea mutamus in quibus nobiscum estis: in multis enim estis nobiscum . . . . sed ea corrigimus, in quibus nobiscum non estis: nobiscum autem estis in baptismo, in symbolo, in cæteris Dominicis Sacramentis.*

Jam sic contraho argumentum.

Qui censet hæreticos nobiscum esse in Dominicis Sacramentis, validam proinde putat ordinationem factam ab hæreticis; atqui hæc S. Aug. sententia est. Ergo &c.

COROLLARIUM II.

Valida est ordinatio a schismaticis facta.

Illorum enim validam ordinationem Ecclesia judicavit, quos a schismate ad unitatem revertentes, suis sine nova consecratione fungi ordinibus voluit; atqui ab omni retro ætate Ecclesia, eos qui ejurato schismate ad unitatem redierunt, admisit ad exercitium ordinum quos in ipsa separatione susceperat, sic e. c. Presbyteri quos *Meletius* Lycopolitanus, facto contra *Petrum* Alexandrinum Episcopum schismate ordinaverat, a Patribus Nicænis gratiam acceperunt, gradus sui & ordinis retinendi: *ea conditione*, inquiunt, (*in Ep. ad Alexandrinos*) *in Ecclesiæ communionem admittantur, nimirum ut Ecclesiasticæ dignitatis & ministerii gradum habeant illi quidem; sed tamen omnibus Presbyteris, in singulis Provinciis & Ecclesiis versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro, & collega nostro Alexandro ordinati, sint omnino inferiores.*

Idemque eodem sæculo 4 desinente a Patribus Concilii Africani erga Donatistas est constitutum. *Placuit*, inquiunt Can. 35 (*in codice Africano* 68, *apud Balsamonem* 71, *& apud Zonaram* 74) *ut litteræ mittantur ad Fratres & Coepiscopos nostros, & maxime ad Sedem Apostolicam, in qua præsidet collega noster Anastasius, quo noverit habere Africam, magnam necessitatem, propter Ecclesiæ pacem & utilitatem, ut qui ex ipsis Donati-*

Digitized by Google

natistis clerici ad Catholicam unitatem transire voluerint . . . in suis honoribus suscipiantur; sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum est: quod multarum & pene omnium Ecclesiarum Africanarum, in quibus talis error exortus est, exempla testantur.

Eadem denique fuit, in variis illis scissionibus, quibus sæculo 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 14, 15, vexata Ecclesia est, piissime matris erga eos indulgentia, qui ad unitatem reversi sunt; nec contigit unquam ordinationes, etiam a seditiosissimis Episcopis factas, in dubium mitti, modo constaret ritu legitimo esse factas: hinc quoties de Græcis Catholicæ Ecclesiæ reconciliandis tractatum est, cum suis honoribus & ordinibus sine controversia sunt suscepti, & de iterandis ordinationibus nec minima quæstio fuit.

Causa porro hujus disciplinæ Catholicis Antistitibus præcipua fuit, quod in Sacramentis, etiam extra unitatem susceptis, signum Regis, Characterem scilicet indelebilem recognoscerent. *Magnum aliquid tibi dicere visus es*, ait S. August. contra Cresconium disputans, (*lib.* 2, *cap.* 10) *nominando eos qui ex vestris Episcopis etiam apud nos, Episcopi fuerunt: quasi Sacramenta & invocatio nominis Dei, quæ fit apud vos, ipsa inimica sit nobis; cum & in eis qui extra Ecclesiam sunt, non sit omnino nisi Ecclesiæ: quid causæ est, ut titulus deponatur? Episcopus est, inquis, Episcopum recipis: Presbyter, Presbyterum. Posses mihi & hoc dicere: homo est, hominem recipis: tam quippe in illis Sacramenta Christiana, quam membra humana cognosco.*

Et in Breviculo collationis cum Donatistis, cap. 5, *recitatæ sunt litteræ Catholicorum.... & in eisdem litteris se obstrinxerunt, & polliciti sunt Catholici, quod si in parte Donati veritas eis demonstraretur Ecclesiæ, non se illic Episcopalem honorem quæsituros, sed consilium eorum secuturos pro salute Christiana: si autem in sua communione [potius veritas ostenderetur Ecclesiæ, honores Episcopales eis non se negaturos; & hoc a se fieri bono pacis, ut intelligerent hi quibus hoc præstaretur, quod in eis Catholici non Christianam consecrationem, sed humanum detestarentur errorem.*

Ex his S. Aug. testimoniis, duo quæ sequuntur, eruo argumenta.

1. Est: qui dicit se in schismaticis tam Sacramenta Christiana, quam membra humana cognoscere, proculdubio contendit validam esse ordinationem a schismaticis factam; atqui affirmat S. Doctor se in Donatistis schismate contaminatis, tam Sacramenta Christiana quam membra humana cognoscere. Ergo &c.

2. Si crederet Ecclesia, invalidam esse ordinationem a schismaticis factam, sacrilegam eorum consecrationem execraretur, nedum probaret; atqui Ecclesia Catholica in Donatistis humanum quidem detestabatur errorem, Christianam vero eorum consecrationem fuisse confitebatur; unde Episcopales honores schisma ejurantibus non negabat. Ergo &c.

COROLLARIUM III.

A depositis & excommunicatis accepta valida est.

Cur enim vana & irrita foret, non alia posset dari ratio, nisi quia per depositionem & excommunicationem character Episcopalis amittitur; atqui falsum est, quacumque depositione aut excommunicatione Characterem ordinis Episcopalis deleri: eadem quippe ejus ac baptismalis est ratio; atqui character baptismalis, ejusque imprimendi potestas, nulla depositione aut excommunicatione deleri potest. Ergo idem dicendum de Ordine; hinc numquam contigit, ut qui post depositionem & excommunicationem cum Ecclesia reconciliabantur, nova consecratione suis fuerint sedibus & honoribus restituti.

Circa hoc, inquit S. Thomas, (*suppl. qu.* 38, *art.* 2, *in c.*) *ponuntur in littera* (textu videlicet Magistri sentent. dist. 25) *quatuor opiniones: quidam enim dixerunt quod hæretici, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem ordines conferendi; non autem postquam fuerint ab Ecclesia præcisi: similiter nec degradati, & alii hujusmodi: & hæc est prima opinio, sed hoc non potest esse, quia omnis potestas, quæ datur cum aliqua consecratione, nullo casu contingente tolli potest re ipsa durante, sicut nec ipsa consecratio annullari: quia etiam altare vel Chrisma semel consecrata, perpetuo consecrata manent: unde cum Episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia præcidatur: & ideo alii dixerunt, quod præcisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia Episcopalem potestatem habuerunt, retinent potestatem alios ordinandi & promovendi: sed promoti ab eis, non habent: & hæc est quarta opinio; sed hoc etiam non potest esse, quia si illi qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt; patet, quod exequendo suam potestatem veram consecrationem faciunt: & ideo vere tribuunt omnem potestatem, quæ cum consecratione datur: & sic*

sic ordinati ab eis, vel promoti, habent eamdem potestatem quam ipsi: & ideo alii dixerunt, quod etiam præcisi ab Ecclesia possunt ordines conferre & alia Sacramenta, dummodo formam debitam & intentionem servent; & quantum ad primum effectum, qui est collatio Sacramenti, & quantum ad ultimum, qui est collatio gratiæ, & hæc est secunda opinio; sed hoc etiam non potest stare, quia ex hoc ipso quod aliquis hæretico præciso ab Ecclesia in Sacramentis communicat, peccat, & ita fictus accedit, & gratiam consequi non potest nisi forte in baptismo, in articulo necessitatis: & ideo alii dicunt, quod vera Sacramenta conferunt; sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ: & hæc est tertia opinio, quæ vera est.

COROLLARIUM IV.

Data ordinatio ab intrusis & invasoribus valet.

Intrusos dicimus, qui contra canones a Patribus constitutos, Ecclesiasticas dignitates usurpant: invasores appellamus, qui per vim depulsis legitimis pastoribus, iisque superstitibus, sedes ipsorum occupant. Jam si ordinationes ab hujusmodi ministris factæ, essent invalidæ; id vel ex divino, vel ex humano jure proficisceretur; atqui neutrum dici potest. Non primum, quia divinum jus in Verbo Dei scripto, vel tradito continetur; atqui neque ex Scriptura, neque ex traditione probari potest, ordinationes hujusmodi irritas esse & invalidas: immo ex historia certum est, agnitas probatasque sæpe fuisse; sed neque secundum: nam ut jure humano ordinationes ab intrusis & invasoribus factæ irritari possent, deberent homines in Sacramenta aliquam potestatem habere; atqui in Sacramenta divinitus instituta, nihil prorsus homines possunt. Ergo &c.

Deinde, ut ordinationes susceptæ ab intrusis & invasoribus tamquam nullæ rejicerentur, deberet eorum crimen gravius esse, quam schismatis, hæresisque peccatum; atqui levius est intrusorum & invasorum scelus, quam hæreticorum aut schismaticorum. Ergo &c.

COROLLARIUM V.

A Simoniacis facta ordinatio vera est.

Simonia a *Simone* Mago nomen accepit, de de quo in *Actibus* (*Act.* 8, 18, & *seq.*) legitur: „ cum vidisset autem Simon, quia „ per impositionem manus Apostolorum daretur Sp. Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: date & mihi hanc potestatem, ut „ cuicumque imposuero manus, accipiat Sp. „ Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, &c. . . . " est itaque Simonia, detestabile eorum crimen, qui ad exemplum Simonis res spirituales venales habent, & sacrilega nundinatione negotiantur: unde a S. Thoma definitur: (2, 2, *q.* 100, *art.* 1) *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.*

Jam ut ad institutum redeam, validas esse ordinationes a Simoniacis factas, non est difficile demonstrare.

Nam si existimasset Ecclesia, non posse a Simoniacis ordinem, & characterem conferri; hujusmodi ordinationes non modo prohibuisset, (quod revera sæpissime fecit,) verum etiam vanas & irritas declarasset; atqui Simoniacas ordinationes equidem semper Ecclesia improbavit; numquam tamen pro nullis & irritis habendas esse decrevit: id quod multis Conciliorum & SS. Patrum documentis ostendere in promptu foret: quia vero brevitati, quoad fieri potest, consulimus, unum afferimus Concilii *Constantiensis* decretum, his verbis conceptum: „ multæ contra Simoniacam pravitatem ab olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter extirpari: nos volentes de cætero, ut possumus, attentius providere, sacro approbante „ concilio declaramus, quod ordinati Simoniace, ab executione suorum ordinum sint eo „ ipso suspensi . . . " ita Concilium, cujus verba attentius expendenti manifestum est, ordinationem a Simoniacis, vel Simoniace factam pro irrita & invalida non haberi; sed tantummodo ab Ecclesia ordinum executionem suspendi: „ ille, *inquit S. Thomas*, (2, 2, „ *q.* 100, *art.* 6, *ad* 1) qui Simoniace recipit ordinem, recipit quidem characterem „ ordinis, propter efficaciam Sacramenti; non „ tamen recipit gratiam, neque ordinis executionem, eo quod quasi furtive suscipit „ characterem, contra principalis Domini voluntatem: & ideo est ipso jure suspensus, & „ quoad se, ut scilicet de executione sui or- „ di-

„ dinis ſe non intromittat; & quoad alios, ut „ ſcilicet nullus ei communicet in ordinis e„ xecutione. "

Hoc ipſum rationibus Theologicis, plene convincentibus illuſtratur.

1. Petitur ex comparatione ordinis cum baptiſmo: baptizare namque Simoniacus valide poteſt: ergo & valide ordinare.

2. Eſt; deponi Simoniacos Eccleſia jubet: veros ergo in illis ordines agnoſcit: non enim laici ſed clerici deponuntur.

3. Eſt, quod Simoniaci dicuntur vendere Sp. Sanctum: atqui niſi vere ordinarent, vendere Sp. Sanctum dici non poſſent. Ergo &c.

COROLLARIUM VI.

Valet ordinatio ab Epiſcopo non proprio facta.

Ideo namque invalida putaretur, quia non poſſet niſi ab Epiſcopo proprio character conferri; atqui poteſt Epiſcopus quantumvis alienus, characterem ſacræ ordinationis infigere, quia poteſtatem hanc ſua ordinatione habet: hinc Concilium Trid. ſeſſ. 23, cap. 8, *De reformatione*, ſupra laudato, equidem illicitas hujuſmodi ordinationes, ſed tamen validas eſſe declarat: unde ſtatuit, quod ſi quis ab Epiſcopo non proprio ordinetur, ordinans a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a ſuſceptorum ordinum executione, quam diu proprio ordinario videbitur expedire, ſuſpenſus ſit. Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Variæ diſcutiuntur objectiones.

Fidem & probitatem miniſtri ad Sacramentorum valorem nil facere, contra Donatiſtas, ſimileſque hæreticos, libro 1 de Sacramentis in genere, (*qu. 5, cap. 5*) copioſe eſt demonſtratum: ibidemque diverſæ quæ huc redeunt, ſolutæ difficultates, alias quæ magno ſuperſunt numero impræſentiarum, ordine dicemus.

OBJECTIO PRIMA.

Nolentium validam eſſe ordinationem ab Hæreticis factam.

Concilium Nicænum, inquiunt, de *Novatianis* ſic ſtatuit: (*Can. 8*) *de his qui ſe nominant Catharos, id eſt, mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, ſic in clero permaneant*: inde ſic petitur argumentum:

Si valeret ordinatio facta ab hæreticis, qui in hæreſi ordinati forent, nova manuum impoſitione non indigerent; atqui præcipit Nicænum Concilium, ut *Novatiani* ad Eccleſiam venientes, de novo manuum impoſitionem accipiant. Ejus ergo ſententia ordinatio ab hæreticis facta irrita eſt.

R. Admitto auctoritatem: ad argumentum conceſſa maj. n. min. nego, inquam, in Concilio Nicæno ſtatutum, ut *Novatiani* ad Eccleſiam redeuntes, conſecratoriam manuum impoſitionem de novo acciperent. Nam certum eſt *Arianos* in hoc ipſo Concilio fuiſſe ſine nova ordinatione receptos: *in Synodo Nicæna*, ait S. Hieronymus, (*in dialog. contr. Luciferianos*) *quæ propter Arianam perfidiam congregata eſt, octo Epiſcopos Arianos ſuſceptos ſcimus*: quorſum vero factas a *Novatianis* ordinationes reſpuiſſet ſacra Synodus, eas vero admiſiſſet, quas fecerant *Ariani*, qui præcipuum Religionis caput, Chriſti ſcilicet divinitatem impugnabant? cur cum illis, quorum aliquando repetitas ordinationes nullo exemplo probari poteſt, mitius agendum Patres putaſſent, quam cum iſtis, quorum non erat tam gravis error? fatendum itaque non hunc eſſe verborum Nicæni Concilii ſenſum, qui ipſis in argumento affingitur: quod ne gratis dictum putetur, graviſſimorum auctorum proferre juvat ſententias.

1. Sunt qui volunt in Græco textu, hæc verba: *placuit ſancto & magno concilio, ut impoſitionem manus accipientes*: ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς; præteriti temporis ſignificationem habere; ita ut ſenſus ſit, *Novatianos* ad Eccleſiam redeuntes, ſi in ſua ſecta manuum impoſitionem acceperint, ſic in clero, id eſt, ſine nova ordinatione eſſe manſuros: quæ quidem ſi legitima interpretatio ſit, manifeſtum eſt, nullam argumenti eſſe vim, quandoquidem citatus canon *Novatianorum* ordinationes admittit, nedum rejiciat. Porro explicationem hanc magna probabilitate fulciri, auctoritas & ratio perſuadet: auctoritas, inquam, eorum qui Nicænos Canones in Latinum verſos ab antiquo ediderunt; ita ſane hunc canonem repræſentat Synodus 6 Carthag. *ſi aliquando*, inquit, *venerint ad Eccleſiam Cathari, placuit magnæ Synodo, eos ordinatos, ſic manere in clero*. Idem & *Ferrandus* ſenſit, in Breviario Canonum: *placuit*, inquit, *Sancto & magno Concilio, ut qui nominantur Cathari, accedentes ad Eccleſiam, ſi ordinati ſunt, ſic maneant in clero*. Conſentit antiqua Synopſis canonum apud *Juſtellum*: „ hæretici Ca„ tha-

„ thari, *inquit*, accedentes ad Ecclesiam, si „ qui ordinati reperiantur; sint in eodem or„ dine . . . “ idem denique volunt his verbis debere intelligi plerique Græci Latinique scriptores.

Suffragatur & ratio petita ex verbis, quæ immediate sequuntur: “ ubicumque, *inquit*, „ sive in vicis, sive in civitatibus, ipsi soli „ (*Novatiani*) fuerint ordinati, qui inveniun„ tur in clero, in eodem ordine permaneant: „ si autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo aut „ Presbytero existente, quidam accedunt; ma„ nifestum est, quod Episcopus Ecclesiæ di„ gnitatem Episcopi habeat: qui autem apud „ eos nominatur Episcopus, habeat honorem „ presbyterii; nisi forte placuerit Episcopo, „ honorem nominis illi concedere. Si autem „ hoc ei minime placuerit; inveniat ei locum „ Chorepiscopi aut presbyteri, ut in clero „ omnino esse videatur: ne in una civitate „ duo sint Episcopi. “

Inde sic argumentum informo: verba canonis proxime laudata: *ubicumque, sive in vicis, sive in civitatibus soli Novatiani fuerint ordinati; qui inveniuntur in clero, in eodem ordine permaneant*: hæc, inquam, verba, præteriti temporis significationem habent; ita ut sensus sit, *Novatianos* in hæresi ordinatos, in clero locum habituros: pariter ergo verba præcedentia: (*ut impositionem manus accipientes*) eodem sensu accipi debent, nisi volumus Patres in uno eodemque canone, pugnantia fuisse locutos.

Deinde. Ibidem Catholicis Episcopis licentia fit, ut si quis e *Novatianorum* grege Episcopus ad Ecclesiam revertatur, ei vel presbyteri, vel Chorepiscopi, vel Episcopi locum & honorem, prout expedire visum fuerit, servent. Intelligunt ergo Patres, charactere Episcopali, vere in hæresi insignitum fuisse: fatendum itaque, legitimo fundamento eorum inniti sententiam, qui volunt verba canonis, præteriti temporis significationem habere.

2. Sunt qui contendunt, non de ordinatione, sed de confirmationis Sacramento sermonem hic fieri; quod ideo *Novatianis* ad Ecclesiam redeuntibus conferri præcipitur, quia eo in sua secta caruerant; illi enim Patriarchæ sui exemplò, qui in lectulo baptizatus, confirmationem deinceps, restituta sanitate neglexerat, ut testatur *Cornelius* Pontifex Max. in Epist. ad *Fabium* Antiochenum; de ea recipienda parum curabant: interpretatio si admittitur, ruit propositum argumentum:

3. Sunt qui sentiant hæc verba: *placuit sancto & magno concilio, ut impositionem manus accipientes* &c. non de ordinatoria, sed de reconciliatoria manuum impositione esse dicta; si enim de ordinatoria deberent intelligi, ad solos, *inquiunt*, clericos hæc sententia pertineret, nec posset extendi ad laicos; atqui *Siricio* Pontifice Maximo judice, canon Nicænus non clericos solos, sed & ipsos laicos comprehendit: *Arianos*, inquit, (*in Ep. ad Himerium c. 1*) *cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo Nicæna constitutum, per invocationem solam septiformis spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus: quod etiam totus oriens occidensque custodit*.

Deinde, in 7 generali Synodo *Tharasius* Patriarcha Constantinop. hanc manuum impositionem pariter explicat de nuda & simplici benedictione, quæ præferret imaginem aliquam pœnitentiæ; per quam scilicet hæretici cum Ecclesia reconciliabantur, & ad ordinum in hæresi susceptorum functiones admittebantur.

Accedit *Innocentii* I sum. Pontificis, (*Ep. 22*) *Petri Damiani*, (*Opusc. 6, c. 22*) & aliorum quos *Justellus* citat, auctoritas: cum itaque canon Nicænus tot & tam diversis interpretationibus pateat; nihil ex illo præsidii haberi potest, ad probandum ordinationes ab hæreticis factas, Patrum judicio pro nullis & irritis habitas.

Inst. 1. pugnant adductæ interpretationes cum antiquis Græcis & Latinis Scriptoribus, Ergo non sunt admittendæ.

Pr. anteced. Qui Niceni canonis verbis probant, debere hæreticos ad Ecclesiam revertentes, iterum ordinari, plane sentiunt de sola ordinatione esse intelligenda; atqui Græcorum & Latinorum communis hæc sententia est. Ergo &c.

R. nego ant. ad probat. dist. maj. qui verbis Nicæni canonis probant debere hæreticos ad Ecclesiam revertentes iterum ordinari, *ordinatione Sacramentali*, eadem de sola ordinatione intelligenda existimant, conc. *secus*, n. maj. dist. pariter min. plerique Græci & Latini inde probant, revertentes ab hæresi, debere iterum ordinari, *ordinatione reconciliatoria, & mere cæremoniali*, conc. *ordinatione Sacramentali*, n. min. & conseq.

E. R. Apud Scriptores Ecclesiasticos ordinationis nomen, de ipso ordinis Sacramento, quod proprie stricteque significat, communiter dici, negare perfatuum fuerit: sed idem nomen, ordinationi sive promotioni plerumque attribui, quæ minime sit Sacramentalis, facile concedet qui paulisper fuerit in antiquitate versatus; sic enim in Græcorum euchologiis, *Cantorum, Abbatum, Diaconissarum*, aliorumque hujusmodi ministrorum institutio, *ordinatio* appellatur; cum nemini dubium sit, nec Sacramentalem, nec consecratoriam esse: pari sensu

ut *S. Hieronymus* in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis dicit S. Jacobum, Jerosolymorum Episcopum fuisse ab Apostolis ordinatum: idem de S. Petro, *Gregorius Turonensis* affirmat, quod nimirum a Coapostolis suis ordinationem receperit. Porro ordinatio hæc non potest Sacramentalis intelligi; Cum a Christo immediate Petrus & Jacobus ad Episcopatum fuerint consecrati: quam in rem possent, si necessarium foret, pleraque alia exempla afferri. Quod igitur antiqui sive Græci, sive Latini Scriptores Nicænum Canonem de ordinatione explicuerint, minime consequens est, de ordinatione Sacramentali esse locutos, cum possint, debeantque intelligi vel de ordinatione reconciliatoria, quæ per novam manuum impositionem fiebat; vel de designatione ad sacri ministerii functiones: quo sensu S. Gregorius M. de quodam Presbytero loquens, qui jam fuerat Sacramentaliter ordinatus, præcipit, *ut in prima quæ vacaverit Ecclesia ordinetur*.

Inst. 2. Atqui ex antiquis canonibus, revertentes ab hæresi, iterum ordinabantur ordinatione consecratoria & Sacramentali. Ergo &c.

Prob. subs. Ex canonibus Apostolicis, in quibus declarantur irritæ ordinationes factæ ab hæreticis, & iterari præcipiuntur. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. dist. ant. Canonibus Apostolicis præcipitur, ut iterum ordinentur, ordinati ab hæreticis, *qui formam Sacramenti, & ritum a Christo præscriptum adulterabant*, conc. *ordinati*, *etiam ab iis qui sacrum ritum servabant*, n. ant. & conseq.

E. R. Canon inter eos quos Apostolicos dicunt, 67 his verbis conceptus est: „ si quis „ Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, „ secundam acceperit ordinationem ab aliquo, „ deponatur, & ipse, & qui ordinavit; nisi „ ostendat se ordinationem habere ab hæreti- „ cis: qui enim a talibus baptizati vel ordi- „ nati fuerunt, neque fideles, neque clerici „ esse possunt ... " quæritur, horum verborum quis sensus sit: si argumento proposito assentimur; de omnibus indiscriminatim hæreticis sunt accipienda; ita ut ordinatio quævis ab illis, etiam secundum ritum legitimum facta, irrita declaretur: longe porro ab hac explicatione probanda distamus: contendimus enim non omnes perstringi hæreticos, sed eos solos qui ordinationis eorumque Sacramentorum formas adulterabant: quales primis temporibus plurimos extitisse, ex historia notum est: hoc enim ipso canone quemadmodum ordinatio ab hæreticis facta, sic ab iis celebratum baptisma rejicitur; atqui in Ecclesia Catholica, de valore baptismi in hæresi suscepti nunquam est dubitatum, eorumque duntaxat rejectus, qui materiam vel formam mutabant, quales erant *Paulianistæ* & *Montanistæ*, de quibus in Concilio Nicæno, can. 19, & Trullano, can. 95, est constitutum, haud aliter, quando in Ecclesiam veniunt, quam Gentiles, esse suscipiendos: idem ergo de ordinatione dicendum: ita Canonem *Adrianus* I Pontifex Max. *Dionysius exiguus*, *Cresconius*, & alii plerique interpretantur.

℟. 2. dato ant. n. cons. & dico (quod ante sæpe notavimus) canonem hunc nec Apostolicum esse, nec ab Ecclesia Catholica conditum; sed verosimiliter ex decretis quæ Episcopi Africani aut Orientales in causa baptismatis, a *Stephano* Pontifice Max. & tota Ecclesia dissidentes ediderant, fuisse excerptum: adeoque nedum in quæstione præsenti quidquam roboris habeat, rejici ab omnibus oportere, tamquam veritati contrarium.

Inst. 3. Concilium *Cæsaraugustanum* versus finem 6 sæculi habitum, *Arianos* ab hæresi redeuntes, ad suorum ordinum functiones prius non admittendos decernit, quam novam benedictionem acceperint. Ergo &c.

℟. dist. ant. & explico mentem concilii: nova benedictio erga *Arianos* facienda præscribitur, *quæ mere reconciliatoria sit*, concedo: *quæ sit ordinatoria & consecratoria*, nego. Patet ex ante dictis sensus distinctionis: hanc autem interpretationem esse legitimam ex ipso canonis contextu perspicuum est: *placuit sanctæ & venerabili Synodo*, inquiunt Patres, *ut Presbyteri qui ex hæresi Ariana ad Sanctam Catholicam Ecclesiam conversi sunt, qui sanctam & puram fidem, atque castissimam tenuerint vitam, post acceptam denuo benedictionem presbyterii, sancte & pure ministrare debeant: cæteri vero qui hanc supra scriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depositi sint* ... duas hic vides Presbyterorum ab *Ariana* hæresi venientium classes distingui; aliorum quidem, qui post suum in Ecclesiam reditum, sanctam tenuerint vitam; aliorum qui pie non vixerint: primi jubentur, accepta per novam benedictionem reconciliatione, sacro ministerio operam dare: secundi, propter improbitatem decernuntur a sacerdotio deponendi: patrum ergo judicio, vere utrique sunt sacerdotes, tum qui in suscepto ordine confirmantur, tum qui deponuntur: non enim deponitur ab ordine, nisi qui ordinem habet: nobis ergo non adversatur hic canon.

Inst. 4. *Innocentius* I Pontifex Max. in Ep. ad *Alexandrum* Patriarcham Antiochenum, (*Ep.* 18) baptismum quidem ab *Arianis*, aliisque hæreticis consecratum, pro valido habet; longe vero aliter de eorum ordinationibus sentit,

Digitized by Google

tit, quas irritas absolute pronunciat: „ quoniam, *inquit*, cum a Catholica fide eorum „ authores desciscerent, perfectionem spiritus „ quam acceperant, amiserunt; nec dare ejus „ plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis „ suæ perfidiam perdiderunt. " Ergo &c.

℟. dist. ant. & explico testimonium; *Innocentius* I acceptam ab hæreticis ordinationem irritam esse pronunciat, *quantum ad honorem sacerdotio annexum*: conc. *quantum ad characterem, & ordinis potestatem*, n. ant. & conseq.

E. R. ordinationem inter & baptismum illud discriminis est, quod qui in hæresi baptismum suscepit, statim atque Ecclesiæ reconciliatur, omnibus baptismi honoribus fruitur: e contra vero in hæresi ordinatus, ex veteris disciplinæ rigore, etiam post reconciliationem, sacerdotii dignitate & honore dejectus est: hoc unum porro contendit *Innocentius*, ut patet ex verbis quæ immediate sequuntur. *Quomodo*, inquit, *fieri potest, ut eorum prophanos sacerdotes, dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos ad Sancti Sp. percipiendam gratiam, cum pœnitentiæ imagine recipimus?*

Inst. ultimo. Atqui censet *Innocentius I* ordinationem ab hæreticis factam, etiam quantum ad characterem, & ordinis potestatem irritam esse: ergo &c.

Prob. subs. In Ep. ad Episcopos *Macedoniæ* (*Ep. 22*) affirmat, *hæreticos manum imponentes, nihil nisi vulnus infigere*: censet ergo irritam esse ordinationem ab ipsis factam.

R. nego subs. ad probat. dist. ant. & explico testimonium: affirmat *Innocentius*, hæreticos, manum imponentes, nihil nisi vulnus infigere, *de suo, iis nimirum qui sibi hæresis communione conjuncti sunt*, conc. *ratione habita Sacramenti, ita ut nihil nisi vulnus ex eo recipiant*, n. ant. & conseq.

E. R. distinguendum opus ministri, ab opere Sacramenti: equidem minister hæreticus, manum imponendo, quantum in se est, suæ hæresi & rebellioni communicantibus, nihil nisi vulnus infigit, eo ad medicandum difficilius, quo quisque ordinatoris errori ac contumaciæ obstinatius hæserit. Verum quisquis etiam in hæresi manum imponit, si modo nihil eorum, quæ sunt præscripta divinitus, prætermittit, opus exequitur Christi; adeoque vere ordinat, & potestatem quam prius ipse accepit, transfundit in alterum: id quod in hac ipsa Ep. *Innocentius I* adstruit, & confirmat exemplo *Novatianorum*, qui ex decreto Nicæni Concilii, cum suis ordinibus sunt suscepti: (*Conc. Nicæn.*) itemque *Bonosiacorum* Hæreticorum, illibatam B. Mariæ, post Partum Virginitatem negantium, quos *Anysius* Thessalonicensis Episcopus, sine ulla dignitatum prænhabitarum jactura, & absque nova ordinatione receperat: utrumque factum laudat ibidem & approbat; quod sane non faceret, si putaret, hæresi characterem deleri aut impediri, nullamque esse ordinationem ab hæreticis attentatam: quando itaque in eadem Ep. subdit: *hæreticos manum imponentes, sectatoribus suis nihil nisi vulnus infigere*; debent verba illa intelligi de vulnere, erroris contagione impresso, quod suscepti ordinis executionem impediat, & ab honore accepto dejiciat: quid vero prolixiore hujus testimonii interpretatione opus est, cum mentem ipse suam ib. Sanctissimus Pontifex aperuerit? *ventum est*, inquit, *ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem. Cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impositionem habere caput; ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda: atque ubi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus.*

OBJECTIO SECUNDA.

Opponentium invalidam esse ordinationem a schismaticis factam.

In Concilio Nicæno sancitum est, presbyteros a *Meletio* Lycopolitano Episcopo, eodemque schismatico ordinatos, simul ac sanctiore manus impositione, in acceptis ordinibus confirmati forent, debere in Ecclesiæ communionem & ministerii functiones admitti; „ illi, „ vero, *inquiunt Patres*, (*in Ep. Synod. ad* „ *Alexandrinos*) qui a Meletio in sacrum or„ dinem lecti sunt, simul atque sanctiore or„ dinatione confirmati fuerint, ad communio„ nem post hæc admittantur, & permittatur „ illis quidem honoribus frui sacerdotii & sa„ cris muneribus fungi . . . " hinc nascitur argumentum, quorumdam judicio validissimum.

Illorum ordinatio, inquiunt, valida non putatur, quos iterum ordinari præcipitur: atqui Nicæna Synodus præcipit, ut Meletiani denuo ordinentur, antequam sacri ministerii functiones implere possint: non ergo existimat, validam eorum, in schismate, ordinationem fuisse.

℟: Admitto auctoritatem, ad probat. dist. maj. illorum ordinatio valida non putatur, quos iterum ordinari præcipitur, *ordinatione consecratoria & Sacramentali*, conc. *ordinatione reconciliatoria & cæremoniali*, n. maj. similiter dist. min. Concilium Nicænum præcipit, ut

ut Meletiani Presbyteri denuo ordinentur, *ordinatione reconciliatoria & cæremoniali*, conc. *consecratoria*, & *Sacramentali*, n. min. & conseq.

Responsio hæc superius in causa simili data & explicata, difficultatem non habet: dicimus itaque per hanc vocem, (*sanctiore ordinatione*,) meram significari cæremoniam reconciliandi, per quam presbyteri Meletiani, antequam suorum ordinum functiones implerent, novam institutionem, novam missionem, novam jurisdictionem ab Episcopis Catholicis obtinerent: quam responsionem hæc ipsa ad Alexandrinos Ep. suggerit: *qui a Meletio*, inquiunt Patres, *in sacrum ordinem lecti sunt*, *simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint*, *ad communionem admittantur*: ubi duo notatu digna occurrunt. Primum est, ordinem a Meletio susceptum, vocari *sacrum*: quod de prophana & irrita ordinatione non diceretur. Secundum est, præcipi a Patribus, ut præfati Presbyteri, in Sacro ordine per manus Meletii accepto, ab Episcopis Catholicis *confirmentur*: porro confirmatio in ordine, ejusdem ante susceptionem necessario præsupponit: & vero quæ causa Nicænis Patribus esse poterat, ad Episcopatum aut Presbyteratum, quos perperam Meletius ordinaverat, promovendi, si in eis verum sacerdotii characterem non agnovissent? numquid non satis futurum erat, ut qui antehac fictitio Presbyteratus nomine, cum nihil nisi laici essent, perperam gloriati fuerant, eumdem in Ecclesia Catholica Laicorum gradum tenerent? numquid ideo sacris erant augendi honoribus, & beneficiis cumulandi, quia Ecclesiam conturbaverant, & ferali schismate misere divexaverant?

Inst. 1. Atqui Nicæni Patres præcipiunt, ut Meletiani Presbyteri denuo ordinentur, ordinatione consecratoria & Sacramentali. Ergo &c.

Prob. subs. Ordinatio quæ *sanctior* appellatur, Sacramentalis est & consecratoria; atqui ordinatio qua confirmari jubentur Meletiani, *sanctior* a Patribus appellatur: *postquam*, inquiunt, *ordinatione sanctiore confirmati fuerint &c.* Ergo &c.

R. nego subs. ad prob. dist. maj. ordinatio, quæ (*ratione sui*) sanctior appellatur, Sacramentalis est & consecratoria, conc. quæ sic vocatur (*ratione dispositionum subjecti*,) n. maj. dist. pariter min. ordinatio, qua confirmari jubentur Meletiani, *sanctior* appellatur, *propter meliores dispositiones quas ad illam, schismate ejurato, afferebant*, conc. *ratione sui*, n. min. & conseq.

E. R. Mera cæremonia non potest vero Sacramento æquiparari; nedum præferri debeat: atqui nova hæc Meletianorum præscripta a Patribus ordinatio, mera cæremonia fuit. Ergo ex se ipsa spectata non poterat in comparatione primæ ordinationis, quæ Sacramentalis fuerat, *Sanctior* appellari: hanc itaque præcellentiam non habebat, nisi ratione dispositionum quas *Meletiani* deposito schismate afferebant: verbo dicam: *Sanctior* erat, non quia melior quam præcedens; sed quia meliores ii evaserant, quibus in suum gremium revertentibus Ecclesia indulgentiam concedebat: hæc enim reconciliandi cæremonia, poterat gratiam ex opere operantium, ut loqui solemus, producere; quam prior ordinatio, propter scissionis impedimentum, nulla ratione contulerat.

Quid quod dici aliquatenus potest, in hac secunda ordinatione, gratiam ex opere operato productam; non quidem per ipsam in se novam manuum imposionem: sed ratione characteris per primam ordinationem impressi, & in ordinato indelebiliter manentis, cujus virtute gratia, amoto schismatis obice, omnique recedente fictione infusa fuerit: illud enim vero de charactere & Sacramento baptismatis S. *Aug.* expresse affirmat. „ Tunc, *inquit contra Donatistas scribens*, (*in lib.* 3, *cap.* 13) incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint; non ut jam dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus quasi alienus improbetur, ut aliter tradatur; sed ut ibidem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operaretur salutem .... (*ibid. lib.* 6, *c.* 25) Deus ipse sanctificat Sacramentum suum, ut homini, sive antequam baptizetur, sive postea quandoque ad se veraciter converso id ipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret. “

Ita S. Doctor: hoc ipsum ante Aug. de sacra ordinatione, in schismate suscepta sensisse, manifestum est ex verbis ejus contra *Cresconium*, supra (corollario secundo) descriptis. „ Magnum aliquid, *inquit*, (*contr. Cresc. lib.* 2, *cap.* 10) tibi dicere visus est, nominando eos qui ex vestris Episcopis, etiam apud nos Episcopi fuerunt: quasi Sacramenta & invocatio nominis Dei, quæ fit apud vos, ipsa inimica sit nobis; cum & in eis qui extra Ecclesiam sunt, non sit omnino nisi Ecclesiæ: quid causæ est, ut titulus deponatur? Episcopus est, *inquit*, Episcopum recipis: Presbyter, Presbyterum. Posses mihi & hoc dicere: homo est, hominem recipis: eam quippe in illis Sacramenta Christiana quam membra humana cognosco. “

Quemadmodum igitur in redeuntibus ad Ecle-

clesiam baptisma, ex S. Aug. non debet iterari, quia idem baptismus, qui foris propter discordiam mortem operabatur, intus, propter pacem, salutem operatur; ita nec debet ordinatio repeti, quia etiam in iis qui extra Ecclesiam sunt, ipsius Ecclesiæ est; Sacramentum videlicet & invocatio nominis Dei; adeoque nova ordinatio a Nicænis Patribus imperata, non adeo sanctior debet intelligi, quasi efficacior foret; sed quia cum præcedentis erroris detestatione fiebat.

Inst. 2. Ex historia certum est, ordinationes ab Antipapis factas, summorum Pontificum sententia irritas sæpius esse judicatas.

Sic cum versus finem 11 sæculi contra *Gregorium* VII *Guibertus* Ravennas dissensionem commovisset, eoque contra fas deposito, sedem Apostolicam occupasset; contra ordinationes ab illos factas *Urbanus* II in Synodo Placentina, an. 1095 decretum tulit, cap. 8 his verbis: *ordinationes quæ a Guiberto Hæresiarcha factæ sunt, postquam ab Apostolicæ memoriæ Papa Gregorio, & a Romana Ecclesia damnatus est, irritas esse judicamus.*

Sæculo sequente, *Petrus* Leonis Romani filius, *Anacletus* II a suis dictus, adversus *Innocentium* II legitimum Pontificem vexillum erexit, & excitato discordiarum incendio in Apostolicam sedem irrupit: contra quem in concilio generali Lateranensi II an. 1139 ab eodem *Innocentio* sic sancitum: (*Can.* 30) *ordinationes factas a Petro Leonis, & aliis schismaticis, & hæreticis evacuamus, & irritas esse censemus.*

Eodem sæculo *Octaviani* Antipapæ, quem *Victorem* IV factiosi appellitabant, eadem damnatio fuit, ab *Alexandro* III vero Pontifice in concilio generali Lateranensi III (*ann.* 1179) his verbis expressa: „ quod a prædecessore nostro, felicis memoriæ Innocentio factum est „ innovantes, ordinationes ab Octaviano & „ Guidone Hæresiarchis, nec non & Joanne „ qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis „ ab eis, irritas esse censemus. “ Ergo &c.

℟. Dist. Ant. Ordinationes ab Antipapis factæ, a sum. Pontificibus irritæ sunt declaratæ, quantum ad aliquid, *gratiam nimirum Sacramentalem, & honores ordini sacro annexos*, conc. *quantum ad ordinis potestatem, & characterem*, nego.

Responsionis veritatem palam faciunt hæc ipsa quæ opponuntur exempla: *Urbanus* enim II in eodem Placentino concilio cap. 10, eos qui ab Episcopis schismaticis consecrati fuerant, cum ad unitatem redirent, servatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi jussit, si essent vitæ & doctrinæ opinione spectabiles.

Innocentius vero II decreto contra *Petrum* Leonis lato, nihil nisi depositionem intelligi voluit; sic enim in *Chronico Mauriniacensi* (*Tom.* 10 *Conciliorum*) loquens inducitur: „ quia inordinatæ personæ inordinata sunt „ decreta; quodcumque Petrus Leonis statue„ rat, destruimus; quoscumque exaltaverat, „ degradamus, & quotquot ordinaverat, exor„ dinamus & deponimus . . . . “ porro depositio sive degradatio ab ordine, vere suscepti ordinis testimonium est: in eodem *Mauriniacensis* Chronico, de *Girardo* Engolismensi Episcopo, qui *Petri* Leonis personæ & schismati hæserat, *Innocentius* sic decernit: „ & qui„ cumque per Girardum Engolismensem, ad „ altaris officium accesserunt, Apostolica au„ ctoritate interdicimus, ne ipsum impleant: „ & in illo ordinis gradu perenniter demo„ rantes, ad superiorem non ascendant ... “ quibus verbis haud obscure significatur, ab *Innocentio* II *Petri* Antipapæ, & aliorum schismaticorum ordinationes, non quantum ad substantiam sive characterem fuisse irritas declaratas; sed solum quoad executionem, honorem, & privilegia.

Denique *Alexander* III in Lateranensi concilio, non paucos Germaniæ Episcopos, veniam suppliciter, relicto schismate, postulantes, Ecclesiæ reconciliavit, & sine nova ordinatione ad sacri ministerii functiones ultro admisit: eademque biennio ante in Concilio Venetiis celebrato (*ann.* 1177) usus indulgentia erat: ergo suscepta ordinatio a schismaticis non quantum ad characterem & ordinis potestatem, sed quoad gratiam Sacramentalem & jurisdictionem, cæterosque sacri ordinis honores irrita declarata est.

OBJECTIO TERTIA.

Contendentium ordinationes a depositis & excommunicatis factas, invalidas esse.

Validas, inquiunt, hujusmodi ordinationes esse, non videtur ex historicis monumentis probari posse. Ergo &c.

℟. Nego ant. Cujus falsitas ut liquido demonstretur, pono tamquam certum, id quod sapiens nemo negaverit, Ecclesiam, si putavisset, depositione aut excommunicatione characterem Episcopalem deleri, numquam passuram fuisse, ut semel depositi aut excommunicati, sedes suas sine nova ordinatione recuperarent; atqui innumera occurrunt in sacris annalibus eorum exempla, qui post depositionem & excommunicationem, in pristinam dignitatem, sine nova consecratione sunt restituti: e multis pauca decerpo.

Quarto sæculo S. *Athanasius*, Arianorum fa-

factione, ab Alexandrina cui præerat Ecclesia sæpe dejectus, sæpe Catholicorum Antistitum sententia suæ sedi est restitutus; sic in Concilio Romano, cui præfuit *Julius* Pontifex Max. an. 341, communione & Episcopatu dignus est judicatus: *cum igitur*, inquit Julius, (*in Ep. Synod.*) *tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam justa pro se afferret; quid, quæso, oportuit nos facere? annon quod Ecclesiastici canonis est? hominemque proinde non condemnaremus, sed potius reciperemus, eumque pro vero Episcopo, quemadmodum est, haberemus?*

Idem sancitum in Concilio Sardicensi: (*ann.* 347) ibi enim non modo *S. Athanasius*, sed & *Marcellus* Ancyranus, *Asclepas* Gazensis, & alii ab Arianis inique damnati, absoluti sunt, Ariani vero proscripti, & a sedibus quas fraudulenter aut per vim occupaverant, ignominiose ejecti: ut *Athanasius* ipse testatur: „ Judicatum est, *inquit*, (*in Apologia* 2) non „ semel secundum nos, sed sæpius. Primum „ quidem in nostra Provincia, cum convenissent propemodum centum Episcopi. Secundo Romæ, nobis cæterisque adversariis Eusebii, in judicio comparentibus. Tertio, in magno Sardicæ Concilio . . . in quo judicio ita ceciderunt adversarii; ut habiti pro calumniatoribus, depositionem exauctorationemque ordinis sui retulerint: nostram vero innocentiam plures quam trecenti Episcopi suo judicio comprobarint. “

Ineunte sæculo 5 erga S. *Joannem Chrysostomum* ab Ecclesia observatum: cum enim *Theophili* Alexandrini machinationibus, & illegitimi conciliabuli conspiratione, sede Constantinopolitana detrusus, in exilium ejectus esset; paulo post, bonis omnibus plaudentibus revocatus, Thronum Episcopalem recuperavit.

Eodem sæculo 5, *S. Cyrillus* Alex. cum Ephesino generali Concilio, *Joannem* Antiochenum deposuit; ipseque *Cyrillus* a *Joanne* vicem rependente depositus est: nec multo post reconciliatis amborum animis, uterque in pristinum locum receptus.

Denique, ne plura faciam, eodem sæculo *Theodoretus* in prædatoria Ephesina Synodo (*ann.* 449) injuste depositus, in Œcumenico Chalcedonensi Concilio haud multo post celebrato, (*ann.* 451) cum gradu suo honorifice est susceptus.

Inde sic argumentum prosequor; atqui nec *Athanasius*, nec *Asclepas*, nec *Marcellus*, nec *Chrysost.* nec *Cyrillus*, nec *Joannes* Antiochenus, nec demum *Theodoretus*, suis sedibus, nova ordinatione, sunt restituti. Ergo validas esse ordinationes a depositis & excommunicatis factas ex historia certum est.

Inst. 1. Esto qui illegitime excommunicati aut depositi fuerant, nova opus non habuerint ordinatione, ut suis sedibus & ordinibus restituerentur; quia quod nullum summo jure est, effectum nullum habere potest: non idem sane de iis qui merito præcisi erant ac depositi, affirmari posse videtur. Ergo &c.

℟. Nego ant. Cum enim natura sua indelebilis, sacri ordinis sit character; non magis justa quam injusta depositione aut excommunicatione extingui potest: eamque Patrum esse Doctrinam, tum principia ex S. Aug. sæpe explicata demonstrant; tum uno exemplo, aliis pluribus prætermissis, evidenter ostendo.

Versus finem 5 sæculi *Acacius* Patriarcha Constantinop. (quem impiissimum *Gelasius* Pontifex Max., in Ep. ad *Rusticum* Lugdunensem vocat,) gravissimis de causis a *Felice* III Romano Pontifice depositus est, & excommunicatus: (*ann.* 484) nihilque tremendum anathema veritus, Episcopalia munia gerere non destitit, ordinando, & cætera quæ Episcoporum propria sunt, exequendo; atqui has ordinationes, quamquam Ecclesiasticæ disciplinæ contrarias, ratas, & validas habuerunt Catholici præsules: de iis sic inter cæteros pronunciat *Anastasius* II Pontifex Max. „ (*in* „ *Ep. ad Anastasium Imperat. cap.* 7, & 8) „ secundum Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, sacratissimum serenitatis tuæ pectus „ agnoscat, quod nullum de his quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes, vel levitas secundum canones ordinavit, nulla ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quod per iniquum tradita Sacramenti gratia, minus firma forsitan videatur. Nam & baptisma quod procul fit ab Ecclesia, sive ab adultero, vel a fure datum fuerit; ad percipientem munus pervenit illibatum: quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis exclusit, qua declaratur ac dicitur: (*Joann.* 1. 33) *hic est qui baptizat*. Nam si visibilis solis istius radii, cum per loca fœtidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur: multo magis illius, qui istum visibilem fecit, virtus, nulla ministri indignitate constringitur: quidquid ergo in hominum profectum quilibet in Ecclesia pro officio suo videtur operari, hoc totum complet & implet divinitatis effectus. Ita Paulus per quem Christus loquitur affirmat: (1 *Cor.* 3, 4) *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* . . . . ideo ergo & Acacius, cujus nomen dicimus reticendum, male bona ministrando, sibi tantummodo nocuit. Nam inviolabile Sacramentum, quod per illum datum est,

Digitized by Google

„ aliis perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei
„ autem obfuit: quorumdam autem in tantum
„ se extendit curiosa suspicio, ut imaginen-
„ tur prolato a Felice judicio, postea ineffi-
„ caciter in Sacramentis, quæ *Acacius* usur-
„ pavit, egisse: ac proinde oportere eos me-
„ tuere, qui vel in consecrationibus vel in
„ baptismate mysteria tradita susceperunt, ne
„ irrita beneficia videantur, meminerint qui
„ sic suspicantur, quia virtutem suam obti-
„ nentibus mysteriis, in hoc quoque aliis rea
„ sibi persona non nocuit„.

Ita *Anastasius*: ejus testimonium mille aliis æquipollet, tum propter loquentis auctoritatem; tum quia sententiæ suæ rationes convincentissimas affert; tum denique quia Ecclesiæ universalis consuetudine nititur. Ergo etiam eorum ordinationes validæ sunt, qui jure merito depositi & excommunicati fuerunt.

Inst. 2. Probando ant. 9 sæculo, mortuo *Vulfario* Remensi Archiepiscopo, *Ludovicus* Pius, *Caroli* Magni filius, Galliarum Rex & Imperator, *Ebbonem* Bibliothecæ Regiæ, cum regnaret in Aquitania *Ludovicus*, antehac præfectum, pro scientiæ capacitate, meritorumque reverentia, Remensis Ecclesiæ Archipræsulem designavit: itaque votis omnium conspirantibus *Ebbo* est consecratus: nec multo post in beneficentissimum Principem ingratus & perduellis, Ludovicum gravium quorumdam criminum malitiose accusatum, in conventu apud *Compendium* coacto, (*anno* 833) publicæ pœnitentiæ addixit, & ab imperio deturbatum ad servilem pene sortem redegit, ut *Lotharium* ejus filium ad regni solium sublimaret: vix elapso anno *Ludovicus* imperii resumpsit insignia: nec sua impune *Ebboni* perfidia abiit. Nam in Synodo apud *Theodonis Villam* (*anno* 835) congregata depositus, in diversis deinceps Monasteriis errabundus vixit, ad annum usque 840: quo tempore mortuo *Ludovico* Lotharius ab Italia in Galliam irruit, & *Ebboni* Episcopatum restituit. Exinde annum integrum sedem Remensem tenuit: donec mutata imperii facie, iterum dare se in fugam coactus est; eo autem tempore quo Remensem Ecclesiam, a *Lothario* restitutus rexit, multos clericos ordinavit: de quibus, ut ad propositum revertamur, cum magna esset in Galliis contentio excitata, in Concilio *Suessionensi* (*ann.* 853) decretum est, irritam eorum ordinationem fuisse.

„ Actione enim 4, (prout in actis Syno-
„ di legitur) judices percontati sunt, quid
„ de iis canonica auctoritate æstiment vel de-
„ cernant, quos *Ebbo* post suam depositio-
„ nem, absque ulla legitima restitutione, præ-
„ sumpserat ordinare. "

Respondit omnium nomine *Emmo* Noviodunensis Episcopus: „ quod qui ab ipso volue-
„ rant, & visi fuerant ordinari in gradus Ec-
„ clesiasticos, ab eodem quod idem non ha-
„ buit, nemo eorum accipere potuit: damna-
„ tionem utique quam habuit, per pravam ma-
„ nus impositionem ei dedit: quia qui parti-
„ ceps factus est damno, quomodo debeat ho-
„ norem accipere, *ut Innocentius* Papa dicit,
„ inveniri non potest. "

Deinceps actione 5 decretum „ ut quidquid
„ in ordinationibus Ecclesiasticis *Ebbo* post
„ damnationem suam egerat, secundum tra-
„ ditionem Apostolicæ sedis, (præter sacrum
„ baptisma quod in nomine Sanctæ Trinitatis
„ perfectum est,) irritum & vacuum habea-
„ tur: & ordinati ab eo, Ecclesiasticis gra-
„ dibus privati perpetuo habeantur. "

Inde sic eruitur argumentum:

Qui decernunt irritas & vacuas esse ordinationes ab *Ebbone* factas, censent legitime depositos & excommunicatos non posse valide ordinare; atqui ita statutum a Patribus *Suessionensis* Concilii. Ergo &c.

℞. Admitto factum, & dist. maj. qui decernunt ordinationes ab *Ebbone* factas, irritas & vacuas esse, *quantum ad characterem & potestatem ordinis*, censent legitime depositos & excommunicatos non posse valide ordinare, concedo: si irritas & vacuas decernant solummodo *quoad susceptorum ordinum executionem*, *jura*, *& privilegia*, nego major. eademque distinctione ad min. data, n. conseq.

E. R. Hæc Patrum *Suessionensium* verba, de sola susceptorum ab *Ebbone* ordinum executione debere intelligi, multa sunt quæ suadeant.

1. Enim, non ideo *Ebbonem* reprehendunt, quod post depositionem iterum ordinatus non fuerit, sed quod canonice non fuerit restitutus: quærunt enim quid de iis decernendum, *quos Ebbo post suam depositionem, absque ulla legitima restitutione præsumpserat ordinare?* supponunt ergo & pro certo habent, depositione characterem non deleri.

2. *Ebbonem* arguunt, non quod invalide, sed quod illicite ordinaverit: *claruit*, inquiunt, *Ebbonem Episcopale officium illicite repetiisse, & ministerium Episcopale quo fuerat spoliatus, irreverenter usurpasse*.

3. Clerici ab eo ordinati, tantum pro suspensis a Concilio *Suessionensi* habiti sunt: sic enim patribus supplicarunt: *misericordiam petimus nobis a vestra paternitate impendi, de ministratione ordinum Ecclesiasticorum, ad quos a domino Ebbone quondam provecti, vestra autem auctoritate suspensi sumus*: porro ab ordinis executione non suspenditur nisi qui vere ordinem habet.

4. Qui

4. Qui ab *Ebbone* deposito fuerant consecrati, ad suorum ordinum functiooes a *Nicolao* I Pontifice Max. ejusque immediato successore *Adriano* II consentientibus Galliarum Episcopis restituti sunt, iisque ipsis annuentibus a quibus eorum ordinatio irrita fuerat in *Suessionensi* Synodo declarata: ita ne vero summos Pontifices indulgentes futuros putamus, aut ita faciles Episcopos a quibus judicium latum erat, ut ab iis usurpari sacrum ministerium paterentur, quos constitisset sacro charactere non insignitos?

5. *Ebbo* e Gallia profugus, Episcopatum *Hildeshemensem* in Saxonia inferiori vacantem a *Ludovico* Germaniæ rege obtinuit, ubi virtute privilegii sibi a *Gregorio* IV Pontifice Max. pluribus ante anois concessi, ministerio Episcopali, ad obitum usque, sine nova ordinatione perfunctus est: non ergo putabatur characteris in ordinatione suscepti, depositione sua jacturam passus.

Inst. 3. Atqui ordinationes ab Ebbone factas, absolute etiam quantum ad characterem irritas fuisse Patrum *Suessionensium* sententia fuit: ergo &c. prob. subs. in eodem concilio, *actione* 6 de *Halduino* Altiviliarensium monachorum Abbate quæsitum est: hunc *Ebbo* post canonicam depositionem, diaconum ordinaverat; eidemque postea, *Lupus* Catalaunensis Episcopus, vacante sede Remensi, ordinem presbyteratus cootulerat: " tunc, *inquit Anastasius actionis sextæ acta recensens*, de presbytero
„ quodam & monachorum Abbate in Altivil-
„ laris monasterio nomine *Halduino*, qui ab
„ eodem *Ebbone* diaconns fuerat ordinatus, &
„ a *Lupo* postea Venerabili Episcopo Catalau-
„ nensi, presbyter sine examine fuerat conse-
„ cratus, commota est quæstio: de quo judi-
„ catum est a Synodo secundum sacros cano-
„ nes . . . . ut qui saltu, sine gradu diaconi
„ ad sacerdotium posilierat, in degradationem
„ debitam resilire deberet . . . . . " inde sic petitur argumentum:

Per saltum dicitur ordinari, qui inferiore ordine prætermisso, ad superiorem provehitur; ut si quis nondum subdiaconus, diaconus fiat; atqui a patribus Suessionensibus judicatum est, *Halduinum* gradu diaconi nondnm habito, ad sacerdotium per saltum prosiliisse: iisdem ergo judicibus, diaconatus ei ab *Ebbone* collatus, etiam quantum ad characterem & potestatem ordinis, irritus fuerat.

R. Nego subs. ad probat. admitto factum: & ad argumentum dist. maj. per saltum ordinari dicitur, qui inferiore ordine prætermisso; *vel ejus privilegiis & bonoribus nondum potitus*, ad superiorem provehitur, conc. *ideo præcise quia inferiore ordine caruit*: subdistinguo: *& hæc vulgaris est hujus vocis significatio*, concedo: *& sola hæc significatio est, ita ut aliter intelligi nequeat*, n. maj. distinguo pariter min. a patribus judicatum est, *Halduinum* gradu diaconi, *quantum ad privilegia & honores*, nondum habito, ad sacerdotium per saltum prosiliisse, conc. nondum habito, *quantum ad ordinem & characterem*, n. min. & conseq.

E. R. Equidem usu communi loquendi, ordinari *per saltum*, idem est, ac inferiori nondum obtento, superiorem ordinem fraudulenter arripere: verum non sic necessaria hæc significatio est, quio iis possit aliquatenus eadem vox adaptari, qui inferioris ordinis contra canones suscepti, nondum potiti honoribus, & ab ejusdem privilegiis jure suspensi, oecdumque absolutione obtenta, gradum superiorem invadunt: hanc porro in præsenti hujus vocis esse significationem, ultro nisi volumus importuni esse litigatores, fatebimur: *Halduinus* enim ab *Ebbone* diaconus ordinatus, in suspensionem incurrerat, omnibusque suscepti contra canones ordinis, privilegiis & honoribus carebat: uno verbo, pro non diacono habebatur: adeoque haud immerito judicatum a patribus, non magis posse ab illo presbyteratus obiri officia, quam si *per saltum*, ab Episcopo Catalaunensi presbyter esset inauguratus.

Inst. 4. Atqui *Halduini*, aliorumque ordinationes ab *Ebbone* factas, non pro illicitis tantum, sed etiam pro absolute irritis, Suessionense Concilium habuit: ergo &c.

Prob. subs. ex Synodi verbis paulo ante relatis: " decretum est, *inquit*, (*actione* 5) ut
„ quidquid in ordinationibus Ecclesiasticis *Eb-*
„ *bo* post damnationem suam egerat . . . . .
„ (præter sacrum baptisma, quod in nomine
„ Sanctæ Trinitatis perfectum est) irritum &
„ vacuum habeatur: & ordinati ab eo, Ec-
„ clesiasticis gradibus privati perpetuo habe-
„ antur . . . . . " inde sic eruitur argumentum:

Ebboni suspenso ac deposito non magis licitum fuerat, baptizandi, quam ordinandi ministerium usurpare: & tamen ab illo baptizati, recipiuntur: ergo e contrario ideo ordinatio omnis, ab eodem attentata, rejicitur, non solum quia illicita, sed etiam quia irrita fuerat: alioquin enim si non magis in ordinatione quam in baptismo peccatum erat; utrumque Sacramentum debuit a patribus vel pariter approbari, vel pariter rejici.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & concesso ant. n. conseq. baptismi ab ordinatione illud, præter cætera, discrimen maximum est, quod in ordinatione, alia ordinis, alia jurisdictionis potestas sit; quo fit ut

intacta illa manente, ista, auctoritate Ecclesiæ tolli possit: potestas ordinis, est ipse character, qui, a quocumque Episcopo, & ubivis ordinatio, ritu Evangelico, fiat, necessario, volente Deo, infigitur: potestas jurisdictionis, est, ordinis exercendi, & ejusdem privilegiis ac honoribus potiundi facultas, quam potest Ecclesia, ut prædixi, vel penitus adimere, vel suspendere: e contra in baptismo, non aliud est Sacramentum, aliud honor sive jurisdictio Sacramenti; cum nullam habeat jurisdictionem annexam: itaque ab iis quos ministri, quantumlibet illegitimi, contra canones baptizaverint, nihil prorsus adimi potest: non ideo igitur a Patribus Suessionensibus, quas *Ebbo* fecerat ordinationes rejectæ sunt, quantum ad characterem & potestatem ordinis; sed quia quantum ad jurisdictionem, honorem, & privilegia irritæ fuerant, quippe ab Episcopo deposito, contra præscripta canonum factæ.

Inst. Ultimo, & afferunt exemplum *Formosi* desinente sæculo 9 Pontificis Max. cujus omnes ordinationes a *Stephano* VII ejus successore rescissæ sunt: *Portuensis* primum Episcopus *Formosus* fuit: deinde anno 891 e vivis sublato *Stephano* VI Pontifice Max. in defuncti locum substitutus, & Romanus Episcopus, contra Ecclesiasticæ disciplinæ leges est consecratus: antiquis enim canonibus sub pœna anathematis cautum erat, ne quis relicta propria Ecclesia, in aliam commigraret: *si qui timorem Dei ante oculos non habentes*, ait Nicænum I Concilium, (*can.* 16) *neque Ecclesiastica statuta custodientes*, *recesserint ab Ecclesia sua*, *sive presbyter*, *sive diaconus*, *vel in quocumque ordine Ecclesiastico positi fuerint*; *non debent suspici in alia Ecclesia*: *sed cum omni necessitate cogantur*, *ut redeant ad Ecclesiam suam*: *quod si permanserint*, *excommunicare eos oportet* . . . . hæc vero *Stephano* VII causa fuit ordinationes omnes a *Formoso* factas, nullas & irritas declarandi, & cum Synodo cui præerat decernendi, quos male ille promoverat debere iterum ordinari: persuasum itaque *Stephano*, eique conjunctis Episcopis fuit, irritas etiam quantum ad substantiam fuisse ordinationes a *Formoso* contra tenorem canonum attentatas.

Respondent vulgo Theologi, concesso ant. negando conseq. contendunt enim *Formosi* ordinationes non fuisse a *Stephano* irritas declaratas quantum ad substantiam, quasi characterem Sacramentalem non contulissent: sed quoad honores & privilegia sacræ ordinationi annexa, ipsamque jurisdictionem, quam supponebatur *Formosus*, quippe Ecclesiastico jure depositus, conferre non potuisse; volunt itaque novam ordinationem jussu *Stephani* celebratam, non Sacramentalem, sed reconciliatoriam fuisse; nec quidquam aliud præter potestatem jurisdictionis ea collatum.

Cui responsioni acquiesceremus, nisi veritati historiæ repugnaret: constat enim ex *Luitprandi*, & *Auxilii*, coætaneorum scriptorum certissimis testimoniis:

1. Ordinationes a *Formoso* factas, tamquam absolute & ex substantia irritas, jussu Stephani iteratas: *asseris*, inquit Auxilius in Epist. ad Leonem Nolanum Episcopum, *te violentius pati oppressiones*, *ut Episcopale sacerdotium*, *quod olim a Papa Formoso suscepisti*, *quasi nihil sit*, *irritum facias*: numquid vero *tamquam nihil* habita fuisset ordinatio, quæ *Stephani* judicio, quantum ad characterem & potestatem ordinis valuisset? deinde *Auxilius* ib. doctrinam, *Stephani* decreto contrariam his verbis exponit: *quod ordinatio quam Papa Formosus fecit*, *rata & legitima ostendatur*, *etiam si ipse Formosus*, *ut ajunt*, *non recte fuerit ordinatus*: porro in hac hypothesi, non poterant *Formosi* ordinationes ratæ & legitimæ dici, nisi quantum ad characterem & ordinis potestatem: dato enim quod illegitime fuisset ordinatus *Formosus*, dubitare nemo poterat, quin illegitime & contra canones ordinasset.

2. Constat, *Stephanum*, eo quod ordinatos a *Formoso* reordinari jussisset, bonorum omnium contra se odium concitasse: & plerosque eorum quos *Formosus* ordinaverat, adduci numquam potuisse, ut novæ manuum impositioni caput summitterent; etiam si excommunicationis pœnam *Stephanus* reluctantibus indixisset: numquid vero tanta poterat commotio excitari, si de mera reconciliandi cæremonia actum foret?

3. Constat, Stephani edictum multis Episcopis repugnantibus promulgatum: (*libr.* 1 *hist. cap.* 8) *reclamantibus qui aderant*, ait Luitprandus: inique ergo latum decretum existimabant, quod sane non putassent, si de sola reconciliandi cæremonia actum foret.

Itaque omissa hac responsione

R. Cum Card. *Baronio*, hoc tyrannice & erronee a *Stephano* factum, quod nec excusari ulla ratione, nec ad sententiæ nostræ expugnationem afferri queat: *furore percitus homo*, inquit Eminent. Ecclesiasticorum annalium parens (*ad an.* 897) *non quod jure liceret*, *sed quod exæstuans rabies suasit*, *implevit*: *non enim fuit error in fide*, *sed violenta Tyrannis in facto*: & vero contra *Formosum* Stephanus tam atrociter sævit, ut eum jam a pluribus diebus mortuum, testante eodem *Luitprando*, (*lib.* 1, *cap.* 8) jusserit exhumari, & in Cathedra Pontificia sacerdotalibus indumentis ornatum collocarit; atque his verbis quasi adhuc viven-

Digitized by Google

viventem compellarit: *cum Portuensis esset Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti?* quo dicto, *Formosi* cadaver sacris vestibus exutum, tribusque abscissis digitis, quibus benedicere moris est, in Tyberim jactari præcepit: *is est profecto ille Formosus*, ait Auxilius ejusdem temporis scriptor, (*in lib. super causa & negotio Formosi Papæ*) *qui in omni vita sua tantæ gravitatis forma exstitit, ut vinum non biberet, carnis gustum nesciret, fœmineæ copulæ expers, octogenarius virgineum corpus suum exuens terræ commendaret: iste etiam gentes Bulgarorum, vitam prædicatione confirmans, ut verus Apostolicus ad fidem adduxit, & cum tanta probitate prædicans, toto mundo, ut aliter Lucifer illuxisset, vim passus in sepulchro: busta diruta, ossa fracta, uti quoddam Memphiticum, ejectus est extra publicum: cui tanto viro examinato ut aurum, nihil juvare potuere scholæ clamantes: o parcite sepulto: est nullum cum mortuis certamen: sed fuit in eo* (Stephano VII) *licitum quod libitum: neque enim ipsis Apostolis datum est, demortuis præjudicare* .... ita Auxilius: quid autem mirum si nec ordinationibus a *Formoso* factis pepercerit, qui in personam ejus tanta feritate ac barbarie sæviit? quantum vero Deo supremo judici, ejusque Ecclesiæ hæc tam immoderata atrocitas displicuerit, non multo post probavit eventus: sedente enim in Petri solio *Joanne* IX Pontifice Max. coactum est *Ravennæ* 72 Episcoporum Concilium, (*an.* 904) ubi cuncta quæ contra sanctissimum Pontificem *Formosum* decreta fuerant, bonis omnibus plaudentibus, summoque consensu rescissa sunt: ibi namque primo auditæ lamentationes eorum qui *Stephani* conciliabulo interfuerant, declarantium vim sibi factam fuisse: *Episcopi & presbyteri*, ajunt acta concilii, (*cap.* 5) *& reliquus clerus qui eidem Synodo interfuerant, quia ipsi veniam petentes, coactos se terroris metu ac formidine interfuisse confessi sunt: precæ S. Synodi eis indulsimus*: secundo declaratum legitimas *Formosi* ordinationes fuisse: *Episcopos, seu presbyteros, atque diaconos*, ajunt ejusdem Synodi acta, (*cap.* 7) *nec non & subdiaconos, cæterosque alterius ordinis sanctæ sedis Apostolicæ, qui ab eodem venerando Papa Formoso canonice consecrati, pro quorumdam libitu temere dejecti sunt, in proprios ordines & gradus, communi S. Synodi consulto reducimus; perpetuoque robore ac canonica censura stabilitos, Deo auctore decernimus.*

Itaque nec minimum sententiam nostram, iniquum *Stephani* decretum infringit.

OBJECTIO QUARTA.

Volentium invalidas esse ordinationes ab intrusis & invasoribus factas.

Opponunt: in concilio 8 generali, (*an.* 869) actione decima, canone 2 lata est sententia contra *Photium*, qui deturbato Sanctissimo Patriarcha Ignatio, Constantinopolitanam sedem invaserat: omnesque ab illo factæ ordinationes rescissæ sunt: *amorem principatus*, inquiunt patres, *utpote quamdam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, radicitus extirpantes, eum qui temere ac prævaricatorie & irregulariter, veluti quidam Lupus in Christi ovile insiliit*, Photium *scilicet, qui mille tumultibus & perturbationibus orbem terræ replevit, justo decreto damnamus, promulgantes, numquam fuisse prius, aut nunc esse Episcopum, nec eos qui in aliquo sacerdotali gradu ab eo consecrati vel promoti sunt, manere in eo ad quod provecti sunt ... sed & Ecclesias, quas, ut putatur, tam Photius, quam ii qui ab ipso consecrati sunt, dedicaverunt, rursus dedicari decernimus; omnibus maxime quæ in ipso, & ab ipso ad sacerdotalis gradus acceptionem vel donationem acta sunt, in interitum ductis.*

Hinc sic informatur argumentum:

Ab illo qui Episcopus nec est, nec fuit unquam, validæ ordinationes fieri nequeunt; atqui judicio patrum Photius Constantinopolitanæ sedis invasor, nec erat Episcopus, nec fuerat unquam: ergo ordinationes ab intruso & invasore factæ invalidæ sunt.

R. Admitto auctoritatem, & ad argumentum dist. maj. ab illo validæ ordinationes fieri nequeunt, qui nec est, nec fuit unquam Episcopus, *quantum ad ordinem*, conc. qui numquam fuit Episcopus, *quantum ad jurisdictionem & Ecclesiasticam potestatem*, n. maj. similiter dist. min. Photius numquam fuerat Episcopus, *quantum ad jurisdictionem, honorem, & potestatem*, conc. *ordinem Episcopatus, & characterem numquam habuerat*, n. min. & conseq.

E. R. Argumentum ab exemplo Photii petitum sententiam nostram confirmat: nedum evertat: constat enim S. *Ignatio* e vivis sublato, (*an.* 878) *Photium*, *Basilii* Imperatoris favore, approbante *Joanne* VIII Pontifice Max. consentientibus Patriarchis Alex. Antiocheno, Hierosolym. sedem quam vivente *Ignatio* invaserat, absque nova ordinatione recuperasse: nec minus est certum, clericos omnes ab illo ordinatos, sine nova manuum impositione, suis quosque locis ac gradibus restitutos. *Nunc itaque*,

que,

Digitized by Google

que, ait Joannes VIII in Ep. ad Basilium Imperatorem, *cum aliis Patriarchis*, *Alexandrino videlicet*, *& Antiocheno*, *& Hierosolymitano*, *atque omnibus Archiepiscopis*, *Metropolitis*, *Episcopis*, *& sacerdotibus*, *cunctoque clero Constantinopolitanæ sedis*, *controversiam aliquam in Ecclesia Dei amplius remanere nolentes : hunc ipsum Patriarcham cum omnibus sive Episcopis*, *sive presbyteris*, *seu cæteris clericis*, *& omnibus laicis*, *in quos judicii fuerat censura prolata*, *ab omni Ecclesiasticæ sanctionis vinculo absolvimus*; *sanctæque Constantinopolitanæ Ecclesiæ judicamus* (debere) *recipere sedem*, *dominicique gregis esse pastorem*.

Est & alterum hujus rei palmarium argumentum; quod nimirum mortuo *Basilio* Imperatore, *Leo Augustus* ejus filius *Photium* e sede Constantinopolitana detrusit, in ejusque locum, *Stephanum* Principem fratrem suum, a *Photio* paulo ante diaconum ordinatum, designavit & inaugurari jussit, (*ann.* 886) regente tum temporis Ecclesiam *Stephano* VI Pontifice Max.

Quid quod post annum 900 *Joannes* IX S. Pontifex, ad *Stylianum* Neocæsareæ Metropolitam scribens, non *Ignatium* tantum, sed & *Photium*, & *Stephanum*, quem, ut prædiximus, diaconum *Photius* consecraverat, numero legitimorum patriarcharum adscripsit? *quapropter*, inquit, (*Epist.* 2 *ad Stylianum*) *Ignatium*, *& Photium*, *& Stephanum*, *sicut Sanctissimus Papa Nicolaus*, *& Joannes*, *& Stephanus VI*, *& universa Romana Ecclesia huc usque tenuit*, *etiam nos eodem ordine illos recipimus & tenemus*: *& illis qui supersunt ex illorum ordine*, *pacis & communionis concedimus unitatem*.

Jam argumentum sic prosequor:

Atqui si existimassent patres tam Græci quam Latini, *Photium*, ideo quia sedem Constantinopolitanam invaserat, charactere Episcopali per illegitimam ordinationem minime insignitum fuisse; nec ausi essent illum, mortuo *Ignatio*, in dignitatem quam ambitiose usurpaverat, sine nova ordinatione restituere, nec patienter tulissent, ut *Stephanus* princeps, quem diaconum consecraverat, in ejus locum substitueretur, quin prius ab aliquo legitimo Episcopo per manuum impositionem diaconatum accepisset; nec universim clerici ab illo ordinati, ad exercendas suorum ordinum functiones admissi forent: nec denique eum *Joannes* IX in numero Episcoporum Constantinopolitanæ Ecclesiæ posuisset: ergo in *Photio* verum characterem oriens occidensque tum temporis agnoscebat, atque adeo quod opponitur, patres 8 Synodi pro vero Episcopo Photium non habuisse, debet intelligi de jurisdictione, & exercitio potestatis, quo juste carebat, quippe qui legitimi Patriarchæ per vim sedem occupasset, & a *Gregorio Syracusano* Episcopo ordinatus esset, quem *Ignatius* aliquot ante annis, seditionis, aliorumque criminum convictum, congregata Synodo deposuerat.

Inst. 1. Atqui majorum judicio *Photius* nec erat, nec unquam fuerat Episcopus, etiam quantum ad characterem: ergo &c.

Prob. subs. ex *Adriano* II Pontifice Max. sic loquente, in Ep. ad *Ignatium* Patriarcham, quæ lecta est actione 3 Synodi octavæ: *præ omnibus*, inquit, *& super omnia* Gregorium *Syracusanum*, *&* Photium *Tyrannum*, *& quos idem* Photius *in gradu quolibet ordinasse putatus est*, *ab Episcoporum numero*, *& dignitate quam usurpative ac ficte dedit*, *merito sequestramus . . . . quia* Photius *vir forensis*, *curialis*, *neophytus*, *invasor*, *atque adulter*, *nec non & anathemate condemnatus existens*, *nihil habuit*, *nihil dedit*, *nisi forte damnationem habuit*, *quam se sequentibus propinaveris*.

Qui præter damnationem nihil habet quod valeat sequacibus suis communicare, omnino non est Episcopus, id est, ne characterem quidem infixum habet; atqui ex *Adriani* II sententia, *Photius* quod sequentibus se daret, præter damnationem nihil habuit: ergo quantum ad characterem non erat Episcopus.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. qui præter damnationem nihil habet, *defectu ordinis*, quod possit sequentibus se dare, non est quantum ad characterem Episcopus, conc. qui nihil habet, *defectu jurisdictionis*, n. maj. dist. pariter min. ex *Adriano* II præter damnationem *Photius* nihil habuit, id est, *jurisdictione & legitima potestate non fruebatur*, conc. *nec ipso quidem ordine & charactere præditus erat*, n. min. & conseq.

Facilis, ex prædictis, responsio est: ex mente namque *Adriani*, nihil legitimæ ordinationis *Photius* dedit, quia ejus nihil habuit; nihil sacerdotalis honoris, quia honore legitime parto minime gaudebat; nihil gratiæ, quia erat sacrilegus: at characterem sacerdotalem, quo fuerat insignitus, aliis infigere potuit, reveraque infixit.

Illustratur responsio exemplo *Gregorii* Syracusani qui *Photium* ordinavit: de illo sic loquitur *Nicolaus* I Pontifex Max. (*Ep.* 9 *ad Michaelem Imp.*) *quomodo quemquam ædificare poterat* Gregorius, *qui multipliciter jam noscebatur elisus? quomodo quemquam in ordine Ecclesiast. poterat stabilire*, *qui Ecclesiæ unitatem scindens*, *ipse jam videbatur omnino dejectus? sicut enim ligatus ligare*, *& dejectus dejicere non potuit*;

tuit; sic destructus construere, & elisus quemquam ordinare nequivit: Gregorius *ergo qui canonice ac Synodice depositus & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet: igitur nihil* Photius *a* Gregorio *percepit, nisi quantum* Gregorius *habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.*

Ita *Nicolaus* I: atqui certum est, *Gregorium* Syracusanum, quando ab *Ignatio* depositus est, non characterem Episcopalem amisisse, sed honorem sacerdotii, & potestatis jurisdictionis legitimum exercitium; unde secutum erat, ut Sp. Sanctum sive gratiam sanctificantem dare non posset: *per illorum quippe manus*, ait ibidem laudatus Pontifex, *per illorum manus impositionem dabatur Sp. Sanctus, qui noverat mundas ad Dominum manus levare: cæterum* Gregorius, *qui transgressor factus est legis, ad iracundiam sui, magis quam ad consecrationem alicujus, Sp. Sanctum per impositionem suæ manus, sine dubio provocavit; etiam si is qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi regulas obviantes: hinc enim scriptum est:* qui obturat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis: *si execrabilis; utique & non audibilis; si non audibilis; ergo inefficax: si inefficax; profecto* Photio *nihil præstans, qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur.*

Quemadmodum ergo hæc de *Gregorio* Syracusano dicta intelliguntur, non propter ordinem quo careret, sed propter defectum jurisdictionis, quam post depositionem suam dare *Photio* non potuerat: ita de ipso *Photio* est dicendum.

Inst. 2. Atqui *Photius* præter damnationem nihil penitus habuit, quod sequentibus se daret, etiam defectu ordinis: ergo &c.

Prob. subs. si *Photius* ordinem aliquem habuisset, quem vere posset suis sectatoribus impartiri; clerici ab illo ordinati, non dicerentur fictitiam & putativam ordinationem habuisse; atqui hoc *Adrianus* II affirmat, in Epist. ad Ignatium paulo ante laudata: *quos idem Photius*, inquit, *in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab Episcoporum numero vel dignitate, quam usurpative ac ficte dedit, merito sequestramus: ergo Photius ideo quia ordine ipso carebat, nihil habuit quod asseclis suis communicaret.*

R. 1. Retorqueo argumentum: si clerici a Photio ordinati, putativam tantum & fictitiam ordinationem habuisse ideo crederentur, quia nullum in eo characterem, nullam potestatem ordinis Ecclesia agnoscebat; numquam in gradum suum sine ordinatione nova fuisset ab Episcopis catholicis restitutus; neque ordinationes ab illo factæ, tolerari ulla ratione potuissent; atqui ut modo ex historia certa referebamus, mortuo *Ignatio*, in sedem Constantinopoleos *Photius* sine nova ordinatione est restitutus; & clerici ab illo consecrati, ad suorum pariter ordinum functiones, absque consecrationis repetitione admissi: ergo non ideo fictitiam credebantur & putativam ordinationem adepti, quod *Photius* nullum ordinem habuisset.

R. 2. Nego maj. & dico putativam hanc & fictitiam ordinationem idcirco dictam, quod *Photius* neque gradus honorem, neque Ecclesiasticam jurisdictionem, nec gratiam Sp. Sancti, schismaticis ordinationibus contulisset.

Inst. 3. Atqui ideo clerici a *Photio* ordinati putativam & fictitiam ordinationem accepisse dicuntur, quod *Photius* ordinem nullum haberet: ergo &c.

Prob. subs. *Adrianus* II in eadem Epist. ad *Ignatium* depositionem Ignatii a *Photio* injuste factam, *putativam* appellat: pariter Synodus 8, actione 9, quorundam laicorum sacrilegam temeritatem redarguens, qui vestibus sacris induti, & Episcopali ornatu procedentes, quæ ab Episcopis ipsoque Patriarcha in divinis officiis fieri sæpe viderant, prava imitatione vertere in risum præsumpserant: *ausi sunt*, inquit, *sacerdotio fungi, & agere putativa;* atqui tum *Ignatii* depositio, injuste a *Photio* attentata, tum prophana sacrorum rituum imitatio a laicis simulata, omni effectu caruerat: ergo a pari ideo clerici a *Photio* ordinati, putativam & fictitiam manuum impositionem accepisse dicuntur, quod ordinatio hæc nullum penitus effectum sortita esset.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. & min. n. conseq. & paritatem: disparitas ab ipsa rerum natura repeti debet, ad quas significandas, voces sunt ab hominibus institutæ: quando enim unius nominis multiplex significatio est, ratio & æquitas postulant, ut non alius ei sensus adhæreat, nisi quem rei de qua sermo est, conditio exigit: itaque dicente *Adriano* II depositionem *Ignatii* violenter a *Photio* factam, mere *putativam* fuisse; nemo est, si modo consulat rationem, qui non intelligat, omni effectu caruisse, quia legi divinæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ omnibus modis contraria fuerat: similiter dicentibus octavæ Synodi patribus, laicos, rerum sacrarum illusores, qui sacerdotalibus indumentis assumptis, in urbe Constantinopolitana obambulare, per summam impietatem præsumpserant, *putative* sacerdotio functos esse: continuo admonemur, irritum invalidumque fuisse, quidquid prophana mysteriorum imitatione peregerant; quia nulla in hominibus laicis est rerum sacrarum conficiendarum

Digitized by Google

quaſcumque fecerat ordinationes, in concilio Romæ habito, io irritum miſſas vidit, rem ita narrat *Sigebertus* Hiſtoricus: *Conſtantino*, inquit, *Pſeudo-Papa, per zelum fidelium de Eccleſia deturbato, oculiſque privato, Stephanus IV Eccleſiæ præſidet: hic tam a Gallia, quam ab Italia, Epiſcoporum Synodum Romæ congregat, in qua omnia a Conſtantino ordinata reordinat, præter Baptiſmum & Chriſma: decernente Synodo, ut Epiſcopi ab illo conſecrati, ad gradum quem ante hanc conſecrationem habebant, redirent; & ſi digni judicarentur, iterum electi, iterum conſecrati, ſimiliter ad priorem gradum redirent; & ipſi, ſi digni eſſent, iterum quidem conſecrarentur, ſed ad altiorem gradum, vel ordinem numquam aſcenderent.*

Reſpondet Emioent. Card. *Baronius*, (*ad annum* 769) hujus Synodi decretum debere intelligi, noo de ordinatione iteranda, ſed de ritu quodam ſacro, quo depoſiti & gradu dejecti, Pontificiæ reconciliationis beneficio, ad priſtinos honores iterom promovebantur, & ſuis gradibus reſtituebantur; eademque *Natalis Alexandri* reſponſio eſt, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Octavi Sæculi, cap. 1, art. 8.

OBJECTIO QUINTA.

Dicentium, invalidas eſſe ordinationes a Simoniacis factas.

Simoniacos, *inquiunt*, invalide ordinare & ordioari, Sanctorum patrum doctrina eſt: ergo ſenteotia contraria non eſt admittenda.

Prob. ant. auctoritate *S. Gregorii M.* Pontificis Max. *quicumque*, inquit, (*Ep. lib.* 7, *Ep.* 110) *Sacerdotium, pretii ſtudet donatione mercari, dum non officium, ſed nomen attendit, Sacerdos non eſſe, ſed dici tantummodo inaniter concupiſcit.*

Hinc ſic enaſcitur argumentum:

Qui Sacerdos non eſt, licet Sacerdotii nomen inaniter gerat, characterem non habet: atqui ex *Gregorii* M. ſententia quicumque Sacerdotium pretii ſtudet donatione mercari, Sacerdos non eſt, & nomen illud ioaniter gerit. Ergo &c.

℞. Nego ant. ad probat. admitto auctoritatem & diſt. maj. qui Sacerdos non eſt, *defectu poteſtatis ordinis*, characterem non habet, conc. qui Sacerdos non eſt, *defectu legitimæ vocationis*, characterem non habet, n. maj. & eadem diſtinctione ad minorem data, n. conſeq.

E. R. non de Ordinis poteſtate, ſed de legitima ad ſacrum Miniſterium vocatione ſermonem hic habet *Gregorius*: porro vere non eſſe a Deo vocatum evidens eſt, qui Sacerdotium pretii ſtudet donatione mercari: qui enim dignitatem Eccleſiaſticam numerata pecuoia comparat, nec finem reſpicit Sacerdotii, nec officium proponit implere: adeoque venerandum nomen inaniter concupiſcit: quid vero interpretatione opus eſt, cum mentem ipſe ſuam alibi S. Doctor aperiat? l. enim 3 Ep. 13 de quodam presbytero agens, qui fuerat in locum alterius ſubſtitutus: *& ſiquidem*, inquit, *ſine datione aliqua ad eumdem ordinem pervenerit, ut in Simoniacam hæreſim non potuerit incidere; in alia quacumque vacante Eccleſia eum volumus ordinari: ſin autem in eo quidpiam, quod avertat Deus, fuerit tale repertum, ipſo etiam presbyteratus privetur ordine, quem non cauſa replendæ neceſſitatis Eccleſiæ, ſed ſola comprobatur ambitione ſuſcepiſſe*. Ita S. Pontifex: porro ordine non privatur, oiſi qui ordinem habet: fatendum ergo ex ejus mente, Simonia characteris impreſſionem noo impediri.

Monitum.

Hæc una ſatis erit reſponſio multis Sanctorum patrum ſententiis exponendis, quas magoo oumero *Gratianus* in decreto congeſſit.

Qualis eſt iſta *S. Leonis*: *gratia, ſi non gratis datur, vel accipitur, gratia non eſt: ſimoniaci autem gratis non accipiunt: igitur gratiam quæ maxime in Eccleſiaſticis ordinibus operatur, non accipiunt: ſi autem non accipiunt, non habent, ſi autem non habent; nec gratis, nec non gratis cuiquam dare poſſunt: quid ergo dant? profecto quod habent: quid autem habent? Spiritum utique mendacii.*

Itemque altera *S. Gregorii* Nazianzeni ſic loquentis: *qui ſtudet donum Dei pretio mercari, in Sacro ordine nulla ratione de cætero permanere, aut revocari poſſe dubium non eſt: quia nemo retinere poſſet, quod vendidit.*

Nam præterquam quod hæc & ſimilia in patrum operibus non leguntur, unde excerpta dicuntur: dato, quod vere eorum ſint, nihil contra nos faciunt; cum planum ſit, de gratia Sacramentali & honore Sacerdotii, non autem de charactere debere intelligi.

Inſt. 1. Narrat *Petrus Damiani*, (*opuſc.* 6) *Leonem* IX medio circiter 11 ſæculo Pontificem Max. pleroſque ſimoniacos & male promotos *tamquam noviter ordinaſſe*: exiſtimabat ergo ſummus ille Pontifex, characterem cum Simonia non poſſe conſiſtere.

R. Nego conſeq. novam enim hanc ordinationem, noo conſecratoriam & Sacramentalem, ſed mere reconciliatoriam fuiſſe, ex ipſis

sis *Petri Damiani* verbis perspicuum est: non enim dicit simoniacos iterum ordinatos, sed, *tamquam noviter ordinatos*: deinde difficultatem omnem ex hoc ejus textu obortam, alibi idem scriptor tollit & explicat, ubi narrat *Leonem* IX quas primo improbaverat simoniacorum ordinatione, postea ex indulgentia admisisse: *cum omnes*, inquit, (*opus.* 6) *simoniacorum ordinationes Synodalis vigoris auctoritate cassasset, protinus a Romanorum multitudine sacerdotum, magnus seditionis tumultus exortus est; ita ut non solum ab ipsis, sed a plerisque diceretur Episcopis, omnes pene basilicas sacerdotalibus officiis destituendas, & præcipue missarum solemnia, ad subversionem christianæ religionis, & desperationem omnium circumquaque fidelium, funditus omittenda: quid plura? post longa sane disputationum hinc & inde volumina, tandem suggestum est, reverendæ memoriæ nuper ejusdem sedis Episcopum* Clementem II *decrevisse, ut quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse, cui se obtulerat promovendum, quadraginta dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret: quam nimirum sententiam protinus venerabilis* Leo *ratam percensuit, & sub hujusmodi pœnitentia omnes in acceptis officiis de cætero perseverare mandavit.*

Inst. 2. Atqui sum. Pontificum auctoritate sancitum est, ut a simoniacis ordinati, novam ordinationem, etiam Sacramentalem, reciperent: ergo &c.

Prob. sus. fertur *Urbanum* II desinente undecimo sæculo Romanum Pontificem, Daibertum quemdam a *Nezelone* Archiepiscopo Moguntino, ut putatur, eodemque Simoniaco, diaconum ordinatum, nova manuum impositione, ad eundem ordinem promovisse: quod cum a *Petro* Episcopo Pistoriensi, & a *Rustico* Abbate *Vallis-umbrosæ*, ægre ferri audisset; scripsit ad eos Epistolam, quam *Gratianus* transcripsit, (2 *par. decr. causa* 1, *qu.* 7) his verbis conceptam: Daibertum *a* Nezelone, *licet Simoniaco, non Simoniace, ejusdem confessione reperimus in diaconum ordinatum, &* B. Innocentii *Papæ sententia constat declaratum, quod* Nezelon (*quem constat ab hæreticis ordinatum*) *quia nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit: nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati, &* Damasi *Papæ testimonio roborati, qui ait reiterari oportere, quod male actum est*; Daibertum *ab hæreticis corpore & spiritu digressum, atque utilitatibus Ecclesiæ pro viribus insudantem, ex integro, Ecclesiæ necessitate ingruente, diaconum constituimus: quod non reiterationem existimari censemus, sed integram diaconii dationem: quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.*

Hinc sic informatur argumentum:

Qui novam ordinationem concessam clerico, antehac ab Antistite simoniaco ad diaconatum provecto, non reiterationem, sed integram diaconii dationem existimari vult, censet a Simoniacis ordinatos, non debere sine nova ordinatione, etiam Sacramentali, admitti: atqui sic docuit *Urbanus* II & ita esse agendum suo exemplo monstravit. Ergo &c.

R. Nego subseq. ad probat. dico, argumentum hoc, omnium quæ hactenus proposita sunt difficillimum, non uno eodemque modo resolvi.

1. Sunt qui suspicantur, Epistolam hanc *Urbano* II falso esse suppositam: unde inferunt argumentum ab illa ductum parvam auctoritatem habere: quæ responsio si certo aliquo testimonio, aut plausibili saltem adstrui posset, nulla difficultas maneret.

2. Respondent alii, Epistolam debere intelligi de hæreticis, ritum a Christo præscriptum non servantibus: quomodo superius diximus canonem 67 Apostolicum exponendum: & hi quidem *Urbani* textui manifesto vim faciunt: nec enim hic de altera, præter Simoniam, hæresi mentio fit, quam solam irritatæ ordinationis causam Pontifex affert: nec de ritu Evangelico violato, vel minimum verbulum est: unde non tam responsio hæc est, quam evasio.

3. Alii, quibuscum stamus, admissa auctoritate, distinguunt majorem: qui novam ordinationem concessam clerico, non reiterationem, sed integram diaconii dationem existimari vult, censet a Simoniacis ordinatos, non debere sine nova ordinatione Sacramentali admitti; *si ita loquatur de diaconatu in se, & quantum ad substantiam sumpto*, concedunt: *si loquatur de diaconatu, quantum ad officium, & exteriorem perfectionem spectato*, negant majorem: similiter alteram propositionem distinguunt: sic docuit *Urbanus* II, & ita esse agendum suo exemplo monstravit; *addendo diaconatui jam accepto, complementum quod deerat; & ad legitimam ejus executionem promovendo*, concedunt: *Sacramentum ipsum diaconatus conferendo*, negant min. & conseq.

E. R. Nullam & irritam ordinationem a *Nezelone* celebratam, non pronuntiavit *Urbanus* II, nisi quantum ad sacri ministerii executionem, honorem, & privilegium: quæ *Daiberto*, non per iterationem, sed per integram dationem contulisse se, nec immerito, profitetur: nec enim iteratum putari debet, quod antehac nondum habitum de novo conceditur

porro

porro Daibertus contra canones & a ministro illegitimo consecratus, etsi ab illo charactere fuerat insignitus, honores tamen & privilegia ordinis non receperat: hanc vero Urbani II nec aliam esse mentem, duo in primis argumenta evincunt.

1. Est, quod in concilio Romano anno 1099 habito, cui Urbanus ipse præfuit, statutum sit, eos qui a Simoniacis absque Simoniæ labe, & simoniacos esse nescientes, ordinati erant, misericorditer esse tolerandos: idemque in Synodo Placentina aliquot ante annis (anno 1094) sub eodem Urbano II eique consentientibus Episcopis agnitum, characterem ordinis etiam ab ordinatoribus Simoniacis vere fuisse impressum: alioquin enim tolerantia hæc, non misericordia, sed impietas & sacrilega prævaricatio futura erat.

2. Est, quod Urbanus II ordinationes ab hæreticis & schismaticis factas, validas quoad substantiam esse expresse docuerit: *ceterum*, inquit Ep. 17 ad Lucium præpositum Sancti Juventii, (*apud Ticinum*) *schismaticorum & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta SS. Patrum Augustini, Hieronymi, & aliorum traditiones, formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi, vel eorum Sacramenti initiati, per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem*: cur autem in iis qui a schismate & hæresi redeunt, postquam Ecclesiæ fuerint reconciliati, Sacramenta extra unitatem suscepta, virtutis effectum habeant, non alia causa est, nisi quia vere Sacramenta fuerunt: idem ergo ex Urbani mente censendum de ordinatione a ministris simoniacis accepta: nisi volumus, quod sane perabsurdum foret, hæresi & schismate Sacramenta divina non pollui, eademque simoniæ labe quantum ad substantiam infici ac corrumpi.

§. TERTIUS.

Qui & quatenus certum sit, valere quantum ad substantiam, ordinationes a ministris illegitimis attentatas?

Negari quidem non potest, *inquiet aliquis*, validas esse quantum ad substantiam ordinationes a ministris quomodolibet illegitimis factas: sed quæstio est, qua certitudine id constet? Utrum certitudine fidei, contra quam sine hæresis crimine pugnari non possit? an certitudine mere Theologica, unde deflectere, error quidem, non tamen formalis hæresis, ut loquuntur, dici debeat? primum si diximus, *Magistrum sentent.* & *Gratianum* offendimus, quorum alter in eam sententiam propendebat, ab hæreticis & præcisis, sacros ordines nulla posse ratione valide ministrari: (*lib. 4 sent. dist. 25*) alter expresse asseruit, *degradatum Episcopum, etsi facultatem baptizandi non amittat, potestatem largiendi sacros ordines non habere*: (*in 1, qu. 1, post can 7*) si secundum, videmur argumenta ex traditionis & patrum fonte ad nostræ sententiæ defensionem derivata infringere.

Nobis certe propositum est, nec quemquam (quoad quidem licet) offendere, nec contaminare Theologici dogmatis veritatem: dicimus itaque sententiam de validitate ordinationis a ministro illegitimo, ritu tamen legitimo, ministratæ, certam nobis esse ea certitudine, qua vix major in re Theologica esse possit: innititur enim,

1. Generalibus scripturarum sententiis, quibus significatur, virtutem Sacramentorum, quæ vere talia sint, a meritis ministrantium prorsus esse independentem, & a solo Deo debere repeti: earum quippe non minor efficacia est, ad probandum valere ordinationem a ministro quantumvis malo acceptam, quam validum esse baptisma.

2. Decretis Ecclesiæ contra Donatistas, Wiclefistas, aliosque id genus hæreticos qui volebant a sanctitate & fide ministrantium, divina Sacramenta pendere.

3. Documentis SS. Patrum, a quibus diserte probatum est, quemadmodum baptisma, sic & jus dandi baptismi, ordinationis scilicet Sacramentum, hæresi aut schismate, aut alio quovis crimine deleri non posse: *sicut baptizatus semel, iterum baptizari non debet*, inquit S. Gregorius M. (*in Ep. ad Joannem Ravennæ Episc.*), *ita consecratus semel, in eodem ordine iterum non valet consecrari*.

4. Conciliorum tum generalium, tum provincialium definitionibus, quas in decursu disputationis descripsimus.

5. Perpetua Ecclesiæ praxi: constat enim exemplis prope innumeris, ordinatos ab hæreticis, schismaticis, excommunicatis &c. ad suorum ordinum functiones sine nova consecratione admissos: sic in causa *Donatistarum* Episcopi Africani, *damnato*, inquit S. Aug. (*ep. 50*) *uno Donato, qui author schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos, etiam si extra Ecclesiam ordinati essent, in suis ordinibus suscipiendos esse censuerunt*: idem a *Melchiade* Pontifice Max. in eadem *Donatistarum* causa, nec minori indulgentia observatum: *ille enim*, inquit S. Aug. (*ep. 162*) *Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperan-*

Digitized by Google

dæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere, etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret; ita ut quibuscunque locis duo essent Episcopi *quos dissensio geminasset; cum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum, plebs alia regenda provideretur.*

6. Unanimi consensu doctorum catholicorum, qui ab hinc quingentis & amplius annis docuerunt & etiamnum docent, nec hæresis crimen, etiam publicum, nec depositionem, nec excommunicationem impedire, quominus valeant Sacramenta, in conferentibus jurisdictionem non requirentia: modo ritus externus a Christo præscriptus, fuerit cum debita ministri intentione servatus.

Quæ quidem argumenta, & alia tum l. 2 de Sacramentis in genere, tum præsentis capitis §. primo adducta, omnino probant, certam adeo esse sententiam quam tuemur; ut nequeat, saltem sine nota temeritatis, vel rejici, vel in dubium revocari: immo non desunt Theologi qui velint fide catholica certam esse: adeoque futurum hæreticum qui contra sentiret: ad quod affirmandum moventur, tum argumentis, quæ modo afferebamus: tum auctoritate canonis 9, sessionis 7 Concilii Trid. his verbis concepti: *si quis dixerit, in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile; unde iterari non possunt: anathema sit ....* cujus quidem canonis perspicua videtur ad hoc probandum esse sententia; maxime si cum duodecimo ejusdem sessionis decreto conferatur: *si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum: anathema sit.*

Contendunt tamen alii, iique apprime catholici, asperiorem hanc esse censuram: tum propter reverentiam antiquis Theologis debitam, qui opinionem contrariam libere nec improbante Ecclesia, a sæculo decimo ad duodecimum satis communiter tenuerunt: tum quia, *inquiunt*, verba ex canone 9, sessionis 7 Concilii Trid. allegata, non debent in rigore intelligi, nisi de ordinationibus quæ in Ecclesia catholica fiunt: unde inferunt controversiam hanc a Trid. Patribus in medio esse relictam, & disputationibus Theologorum permissam: *hoc videntur innuisse patres*, ait Joannes Morinus oratorii Gallicani doctissimus scriptor (*de sacris ordinat. p. 3, exercit. 5*) *cum sess. 23, can. 4 dicunt*: si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Sp. Sanctum: anathema sit: *iis enim verbis conjicere est, Concilium decretum suum, ad ordinationes sacras, id est, catholicas, quæ solæ Sp. Sanctum infundunt, restringi voluisse*: quæ quidem interpretatio & conciliatio canonum, etsi, ut obiter dicam, a mente Concilii alienissima videatur, admodumque coacta; (aliud enim est dicere, ex mente Patrum Tridentinorum, ordinatione non conferri gratiam, nisi in Ecclesia catholica, quod nemo negat; aliud, affirmare, ex eorumdem sententia non posse ordinationis characterem extra catholicam Ecclesiam obtineri, de quo ne cogitarunt quidem; cum e contrario, uno eodemque canone ordinationem cum baptismo & confirmatione contulerint, (quibus duobus Sacramentis constat, etiam extra catholicam Ecclesiam imprimi characterem:) satis tamen *Morino* & quibusdam aliis visa est, ad negandum fide catholica certum esse, quod ordinationes a ministris illegitimis factæ, quantum ad substantiam valeant.

Quidquid sane sit; nemini videmur facturi injuriam, si cum *Hallierio* dixerimus, (*in tract. de sacris electionibus & ordinationibus*) *post Theologorum de proposita quæstione consensum erroneum esse negare, validum esse Sacramentum ordinis, quod ab hæretico vel schismatico, quantumvis ab Ecclesia præciso fuerit collatum*: id quod *Morinus* ipse agnovit, ac confessus est: *hactenus*, inquit, (*ibid.*) *nullo Ecclesiæ decreto quæstio tam perplexa & obscura decisa est: sed tam multorum doctorum concors, & tam diuturnus consensus nobis est instar legis, quam dissensui nostro temerare, nec volumus, nec debemus.*

Proponitur quæstio quædam.

Q. Utrum olim Ecclesia potuerit, hodieque possit, sacras ordinationes ea conditione coercere, ut nisi a ministris legitimis datæ, quantum ad substantiam non valerent, aut valeant.

R. Negative: nec enim potest canonibus suis Ecclesia divinum opus infringere, & effectum, ex sacra ordinatione, ita volente Christo necessario consequentem in irritum mittere; atqui ordinatio ritu Evangelico celebrata, divinum est opus, Christi supremi legislatoris auctoritate, characterem necessario imprimens ordinato: ergo contra nihil potest Ecclesia: aut potuit unquam: adeoque ubicumque & a quocumque, modo vere Episcopus sit, ordinatio secundum ritum a Christo præscriptum fiat, necessario character divinus est agnoscendus, semperque agnosci debuit.

Dein-

Digitized by Google

Deinde: idem de sacra ordinatione, ac de baptiſmo & confirmatione debet eſſe judicium: hæc enim tria Sacramenta, quantum ad characteris impreſſionem paria ſunt; atqui nunquam Eccleſia credidit datam ſibi poteſtatem, baptiſma & confirmationem ea lege coercendi, ut data a miniſtris illegitimis, quantum ad ſubſtantiam non valerent: quin e contra ſæpe ſancitum, baptiſmum ſive intra Eccleſiam, ſive foris a quocumque conſecratum, validum, & opus divinum eſſe, nec ſine grandi ſacrilegio iterabile: idemque declaratum de confirmatione, pariter ergo de ſacra ordinatione eſt judicatum.

Præterea: ſi hanc habuiſſet Eccleſia facultatem, aut ea aliquando uſa foret, aut ſaltem ſe uti poſſe ſignificaſſet; atqui

1. Poteſtatem hujuſmodi numquam Eccleſia exercuit: quæ enim ex antiquitate *Morinus* congeſſit exempla ad probandum ſæpe iteratas fuiſſe ordinationes, vana & commentitia ſunt, ut ex prædictis in ſolutione objectionum liquido conſtat.

2. Nullibi in tota retro traditione, aut ullius Synodi canon, aut alicujus patris occurrit ſententia, poteſtatem hanc vel leviter inſinuans: immo omni data occaſione expreſſiſſime declaratum, reordinationes non ſecus ac rebaptizationes non licere fieri: ergo &c.

Objectio.

At, inquit *Morinus*, (*de Sacris ordinat. part. 3, exercitat. 5.*) idem jus Eccleſiæ eſt, reſpectu ordinationis, ac reſpectu matrimonii, atqui poteſt Eccleſia variis impedimentis matrimonium coercere, & irritum reddere: poteſt ergo pariter conditiones præſcribere, quæ ſi defuerint, ſacra ordinatio quantum ad ſubſtantiam nulla ſit.

R. Nego maj. & paritatem: ordinationis non eadem eſt, ac matrimonii ratio: matrimonium ſimul eſt contractus & Sacramentum: nec poteſt Sacramentum nuptiarum validum eſſe, niſi bonus ipſe, legitimuſque contractus ſit, quia contractus eſt materia Sacramenti: porro contractus matrimonii cum humanus civiliſque ſit, poteſt principum ſæcularium, ipſiuſque Eccleſiæ conditionibus circumſcribi, quæ ſi defuerint, irritus eo ipſo ſit & invalidus: at vero ſacra ordinatio præter rationem Sacramenti nihil habet: divina porro res eſt Sacramentum, id omne ad quod ab ipſo Deo eſt inſtitutum, neceſſario operans, nec ab hominum, ipſiuſque Eccleſiæ arbitrio pendens: poteſt ergo legibus ſuis Eccleſia impedire, ne ordinatio legitima ac licita ſit; quominus vero ſit valida, ſi modo materia & forma ſervetur, nec impedivit unquam, nec impediet.

Sequitur

§. QUARTUS.

Utrum, & qua conditione a miniſtris illegitimis ordinati, ad ſuorum ordinum functiones olim admitterentur, & etiamnum admittantur?

Non una ſemper & ubique fuit Eccleſiæ diſciplina, circa eos qui bonam quidem in ſe ordinationem, male tamen, a miniſtris videlicet illegitimis, accepiſſent.

1. Namque tribus prioribus ſæculis clericos ab hæreticis ordinatos, poſt ſuum in Eccleſiam Catholicam reditum, ab omni ſuſceptorum foris ordinum executione, omnique ſpe reſtitutionis ſublata, amovere, & ad ſolam laicam communionem admittere ſolemne fuit: nullo enim exemplo probari poteſt, eo fluxu temporum ejuſmodi clericos receptis in hæreſi ordinibus perfunctos fuiſſe: nec mirum: qui enim ſanctiore illa ætate, ejurata hæreſi veram fidem amplectebantur, ea lege cum Eccleſia redibant in gratiam, ut pœnitentiam publicam agere compellerentur: porro hoc genus pœnitentiæ, canonicum erat impedimentum, tum ſuſcepti ordinis exercendi, tum altioris cujuſcumque gradus obtinendi: cujus rei, præter cætera quæ adduci poſſent argumenta, fidem facit *Innocentius* I ineunte 5 ſæculoſum. Pontifex, idemque diſciplinæ veteris tenaciſſimus obſervator: *ventum eſt*, inquit in Ep. ad Epiſcopos Macedoniæ ſuperius citata, *ad tertiam quæſtionem, quæ pro ſui difficultate longiorem exigit diſputationem: cum nos dicamus ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput: ubi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda: atque ubi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus*: ita Innocentius, cujus verba hunc omnino ſenſum habent: ordinatio ab hæreticis ſuſcepta vulnus infixit: ubi vulnus eſt, debet aptari remedium: remedium hoc, publica pœnitentia eſt; atqui pœnitentia quæ ſolemniter fit, repellit a ſacris ordinibus: ergo non debent ad ordinum executionem admitti, qui fuerint a miniſtris hæreticis conſecrati.

2. Poſterioribus ſæculis, erga ordinatos a miniſtris illegitimis mitius actum eſſe, eoſque ad ſuorum ordinum exercitium communiter adiniſſos fuiſſe conſtat, exemplis Novatianorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, Neſtorianorum, Monothelitarum, aliiſque longe pluribus,

ribus, quæ passim in historia & decretis conciliorum occurrunt, quæque operose enumerare superfluum fuerit.

Pristinæ porro relaxandæ severitatis causa piissimæ matri Ecclesiæ fuit bonum pacis, & procurandæ multorum salutis zelus: legendus de hac re S. Aug. tum aliis multis locis, tum nominatim Ep. 50 ad *Bonifacium*, ubi Donatistas ita loquentes inducit: *si ergo oportet ut nos extra Ecclesiam, & adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus; quomodo post istam pœnitentiam, apud vos clerici, vel etiam Episcopi permanemus?* reponit S. Doctor: *hoc non fieret, quoniam revera, quod fatendum est, fieri non deberet; nisi pacis ipsius compensatione sanaretur . . . cogunt multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum . . . in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent; detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat: habeant ergo isti de præterito detestabili errore sicut Petrus habuit de mendaci timore amarum dolorem: & veniant ad Ecclesiam Christi veram, hoc est, matrem catholicam: sint in illa Clerici, sint Episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter: non invidemus; immo amplectimur, optamus, hortamur; & quos in viis aut sepibus invenimus, intrare cogimus; quia non res eorum, sed ipsos quærimus.*

3. Quando olim in pristinos gradus, quos revertentes Ecclesia susceperat, restituebantur, eorum reconciliatio specie tenus veræ ordinationi simillima erat; eadem enim usurpabantur cæremoniæ, quas in Sacramentali ordinatione observare solemne erat: manus videlicet imponebantur, invocabatur Sp. Sanctus, ordinum denique singulorum insignia, coram altari, ab Episcopo redeuntibus in gratiam reddebantur: non est ergo mirum, quod hæc reconciliandi cæremonia, modo *ordinatio nova*, modo *nova benedictio*, modo *sanctior ordinatio*, modo *consecratio* a patribus appelletur: licet enim natura, virtute & efficacia, a priori ordinatione tantum discreparet; quantum a vero Sacramento simplex cæremonia differt; propter externam tamen similitudinem, eodem utramque donari nomine posse intelligebant.

Quod ne cui dubium sit, affero exemplum Concilii 4 Toletani (*anno* 633) can. 27 sic statuentis: *Episcopus, presbyter, aut diaconus a gradu suo injuste dejectus* (quod a fortiori de juste depositis est intelligendum,) *si in 2 Synodo innocens reperiatur; non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi: si Episcopus est; orarium, annulum & baculum: si presbyter; orarium & planetam: si diaconus; orarium & albam: si subdiaconus; patenam & calicem: sic & reliqui gradus ea in reparationem sui suscipiant, quæ cum ordinarentur, susceperunt.*

Quem quidem canonem legenti, prima fronte videri potest, novam hic & Sacramentalem præcipi ordinationem; eoque magis quod expresse dicantur per depositionem amissi ordinum gradus.

Sed dubium omne tollit antiqua auctoritas, de mera cæremonia reordinationem illam exponens: sic præter cæteros *Fulbertus*, sæculo 11 Episcopus Carnotensis, de clerico deposito loquens, & rationem qua restitui deberet demonstrans: *rebaptizationes*, inquit, (*ep.* 25) *& reordinationes fieri canones vetant: propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis ei suos gradus, per instrumenta & vestimenta, quæ ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo:* reddo tibi gradum Sacerdotii, in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti: *novissime autem benedictione lætificabitis eum, sic dicendo:* benedictio Dei Patris, & Filii, & Sp. Sancti, descendat super te, ut sis confirmatus in ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hostias omnipotenti Deo, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen. Ita Fulbertus, cujus verba, canonis Toletani veram & legitimam interpretationem subministrant: dicendum itaque cæremoniam, quæ olim in clericorum reconciliatione usurpabatur, etsi magnam haberet exterius cum ordinatione Sacramentali similitudinem; numquam tamen a patribus, veræ ordinationis aut Sacramenti loco habitam esse: & in ea quam a Sanctis Doctoribus & sum. Pontificibus accepimus sententia permanendum, non magis hæreticorum ordinationes, quam baptisma iterationi obnoxias esse; quam in rem præclara S. Gregorii M. sententia est: *illud autem quod dicitis*, inquit, (*in Ep. ad Joannem Episc. Ravennatem*) *ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum . . . . absit a fraternitate vestra sic sapere: sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita consecratus semel, in eodem ordine iterum non valet consecrari.*

4. Nec minor ultimis sæculis fuit, erga ordinatos a ministris illegitimis indulgentia: ad suorum enim ordinum functiones, (si aliunde digni haberentur,) ab excommunicationis vinculo, aliisque censuris absoluti, summa benignitate admissi sunt, & etiamnum admittuntur, ut constat exemplo Græcorum, quibus ab hæresi aut schismate redeuntibus, sacerdotii,

&

Digitized by Google

& Epiſcopatus honoribus libere frui permittitur: hanc vero antiquæ ſeveritatis remiſſionem ſi quis penes Eccleſiam eſſe negaret, verbis ipſis Evangelicis, judice S. Aug. fidem detraheret: *ut enim*, inquit in Ep. ad Bonifacium ſæpe laudata, *conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat; non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioquin contra claves Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt*: quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo.

APPENDIX.

De Ordinationibus Anglicanis an nempe rata, ac valida hodiedum ſit apud Anglos Epiſcopos Ordinatio.

§. Celebris evaſit hac noſtra ætate hujuſmodi controverſia ob concertationes plurium inſignium virorum ex utraque parte dimicantium, quorum alii, ut D. Maſonus Archidiaconus Norfolciæ; Godtrinus Epiſcopus Laudavenſis, & P. Courayer ratas, validaſque Præſulum Anglicanorum ordinationes propugnarunt; alii contrá ut Renaudotius, Harduinus, Lequienius, aliique plurimi nullas eſſe, ac invalidas omni argumentorum genere defenderunt. Pauca quædam de eadem huc corrivare lubet ex hiſce poſtremis ſcriptoribus, quorum ſententiæ omnino adhærendum eſt, eaque in ejus præſidium momenta ſeligere, quæ certiora, & graviora videbuntur.

In primis itaque illud advertendum non eo ex capite irritas cenſeri Anglorum Præſulum ordinationes, quod ab hæreticis, ſive ſchiſmaticis peragantur. Certa quippe & conſtans Eccleſiæ fides eſt nec hæreſim, nec ſchiſma obeſſe Sacramentorum valori, ſi legitime conferantur. Solum ergo invalidæ decernuntur ob interruptam Epiſcoporum apud Anglos ſucceſſionem, & ob defectum formæ, quam in Epiſcoporum conſecrationibus nunc temporis adhibent.

Quapropter illud etiam ſecundo loco obſervandum plures veluti Status Anglicanæ Reformationis diſtingui, primum ſub deplorandi ſchiſmatis Authore Henrico VIII rege, qui repudiata contra Summi Pontificis voluntatem legitima uxore Catharina Aragoniæ ob inſanum erga Annam Bolenam amorem excuſſo catholicæ Religionis jugo, ſeipſum an. 1534 ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ caput temere conſtituit, pluribuſque nefariis dogmatibus in regnum ſuum viam aperuit: miſſæ tamen Sacrificium non ſuſtulit aut ordinis Sacramentum; nec quidpiam contra ſacras ordinationes, earumque ritus, ac cæremonias molitus eſt. Alterum ſub Eduardo VI Henrici filio: quo regnante advocatis undique novarum ſectarum fautoribus, ingens facta eſt in Religione mutatio, rerumque ſacrarum omnium invecta confuſio; adeo ut in Comitiis Londinenſibus anno 1547 celebratis, ſancitum fuerit, ut cum Epiſcopi, ac Presbyteri ad illud uſque tempus ritu ferme in omnibus catholico, ordinati fuiſſent, alia impoſterum forma peragerentur ordinationes, deque re hac novum rituale ederetur Comitiorum eorumdem authoritate confirmandum.

Tertius, quem diſtinguere oportet, Anglicanæ Religionis ſtatus fuit ſub Maria Regina, quæ Religionem Catholicam ad priorem formam revocare conata eſt, ejectis hæreticis, accitis Præſulibus Catholicis, & in proprias, quas antea occupaverant, ſedes reſtitutis, reſciſſis Decreto Parlamenti an. 1553, quæ ab Eduardo VI ſtatuta fuerant, ac priore liturgia, ac ordinationum forma, denuo introducta.

Quartus demum Anglicæ Religionis Status fuit ſub Regina Eliſabetha, quæ regnum adepta, Catholicam fidem, quam ſimulaverat, palam abjecit, fidei formulas pro ſuo hominumque laicorum arbitratu immutavit, miſſam, ritumque adminiſtrandi Sacramenta abolevit, in exilium Epiſcopos ablegavit, novumque Clerum juxta Eduardi ritualia inſtituit, cujus caput, aliorumque Præſulum ordinator extitit Matthæus Parcherus hæretico illo ritu Archiepiſcopus Cantuarienſis conſecratus.

His igitur animadverſis, cum laudatis Authoribus aſſerimus nullas eſſe, & invalidas Epiſcoporum Angliæ ordinationes, quæ ad formam, & legem Ritualis Eduardi VI peractæ ſunt, quales procul dubio ſunt omnes, quæ a tempore Parcheri, ejuſque ſucceſſoribus factæ fuerunt.

Primum argumentum ad hoc comprobandum ſuppeditat Romanæ Eccleſiæ uſus, ac praxis, quæ Anglicanos omnes ſive Epiſcopos, ſive Presbyteros ad ſinum ſuum redeuntes ordinandos iterum jubet juxta formam in Romano Rituali præſcriptam: quod factum nec ab ipſo *Courayero* in dubium vertitur, ſed ultro conceditur. Communis igitur Eccleſiæ ſenſus eſt eas ordinationes irritas omnino eſſe, nulliuſque valoris. Quis porro dubitet magni faciendam eſſe hac in re ſapientiſſimæ Eccleſiæ omnium matris, ac magiſtræ authoritatem?

Alterum argumentum nititur hoc decreto, ſive doctrina Concilii Trid. quod *ſeſſ.* 23, *c.* 4, hæc ſtatuit: *docet Sacroſancta Synodus in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum & cæ-*

tero-

Digitized by Google

terorum ordinum, *nec populi*, *nec cujusvis sæcularis potestatis*, *& magistratus consensum*, *sive vocationem*, *sive authoritatem ita requiri*, *ut sine eâ irrita sit ordinatio*: *quin potius decernit eos*, *qui tantummodo a populo*, *aut sæculari potestate*, *ac Magistratu vocati & instituti*, *ad hæc ministeria exercenda ascendunt*, *& qui ea propria temeritate sibi sumunt*, *omnes non Ecclesiæ ministros*, *sed fures*, *& latrones per ostium non ingressos habendos esse*. Ex quibus sic arguere licet: ordinationes veluti nullæ, & invalidæ habendæ sunt quæ non fiunt a ministro legitima ordinandi potestate gaudente, juxta legem a Christo Domino præscriptam: atqui Ordinationes Episcoporum Angliæ sub Eduardo VI, & sub Elisabetha; & sequiori tempore factæ non sunt a Ministro legitima ordinandi potestate gaudente juxta legem a Christo Domino præscriptam; Quod sic evincitur: ex doctrina tradita Concilii, & ex decreto Christi Domini, qui Apostolos eorumque successores delegit tamquam capita Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & *dispensatores mysteriorum Dei*, constat solos Episcopos rite ordinatos, & Ecclesiæ Ministros, non autem sæculares Principes, aut Magistratus, legitima gaudere ordinandi Episcopos, & Sacerdotes facultate. Sed ordinationes, de quibus sermo est, factæ fuere non ab Episcopis rite ordinatis, aut Ecclesiæ Ministris, sed a sæculari Magistratu, aut sola Principis designatione, & arbitrio, ut ex historia & statutis Anglicani regni post novam inductam Reformationem, sive potius deformationem, clarissime constat.

Primo namque vel sub Henrico VIII Parlamentum Angliæ anno 1553 decretum edidit, quo declaravit Regem solum *Supremum esse caput Ecclesiæ Anglicanæ*, *eamque prærogativam ad omnes ejus posteros Reges extendendam esse*, *qua poterunt identidem lustrare*, *emendare*, *reformare*, *corrigere*, *reprimere omnes errores*, *hæreses*, *abusus*, *vitia*, *excessus*, *quicumque illi sint*, *qui per spiritualem jurisdictionem corrigi*, *& emendari debent*. Quo effectum est, ut sapienter adnotat Illustrissimus Bossuetus *l. 7 hist. Variat.* ut Henricus VIII Episcopis potestatem concesserit proprias Ecclesias perlustrandi tanquam metis suis Vicariis; adeo ut agnoscere deberent jurisdictionem omnem esse in Principe tanquam in fonte, & origine, & ab ipso omnem profluere vim & Authoritatem Ecclesiastica munia obeundi, & ab ejus nutu ac arbitrio pendere.

2. Eduardus VI, qui Henrico successit, omnem, qua late patet, sibi assumpsit, supremi Anglicanæ Ecclesiæ capitis prærogativam, & authoritatem, Parlamento ipso assentiente: Novum Sacrum Ordinationum Rituale condidit, earum materias, ac formas fixit, ac determinavit, Episcoporum electiones sibi unice arrogavit, declaravitque in litteris, quibus facultatem Episcopis largitus est ministeria, & officia ipsorum propria exercendi, spiritualem omnem potestatem a se ipso, velut a supremo capite in ipsos primitus emanare. Quare in electione cujusdam Episcopi iis verbis usus est: *nominamus*, *facimus*, *ordinamus*, *creamus*, *& constituimus per præsentes &c.*: & Parlamentum ipsum eligendos ad hanc juramenti formulam emittendam adegit: *Ego N. palam testor*, *& ex conscientia mea declaro*, *quod Majestas Regia unicus est supremus Gubernator hujus regni*, *tam in omnibus spiritualibus*, *sive Ecclesiasticis rebus*, *aut causis*, *quam temporalibus*: *& quod nullus extraneus Princeps*, *persona*, *Prælatus habere debet illam jurisdictionem*, *potestatem*, *superioritatem*, *præeminentiam*, *vel Authoritatem Ecclesiasticam*, *sive spiritualem intra hoc regnum &c.* Quæ omnia sedulo animadvertens Laudatus Bossuetus ita scribit *l. 10 hist Variat. n. 14*, juxta latinam hujus loci versionem Honorati Tournelii: " Non
" hic agitur, utrum Angli verbi, & Sacra-
" mentorum administrationem regiæ Majesta-
" ti deferant. Quis tam absurdi consilii eos
" unquam accusavit? Sed quæstio in eo est,
" an Princeps hujusmodi res Ecclesiasticas dun-
" taxat dirigat, & executioni exterius man-
" dari curet; an vero sua ipsa Authoritate
" illas ratas, & validas efficiat. Primum qui-
" dem exterius duntaxat apparet: at usus, &
" praxis adversatur. Namque licentia verbi
" Dei annunciandi per litteras patentes magno
" sigillo munitas concedebatur. Regina (Eli-
" sabeth) eadem prorsus Authoritate, qua Pa-
" ter, & Frater ejus, Episcopos eligebat, &
" promovebat, & quidem ad tempus, si pla-
" cuisset: qui eos consecraturi erant, ab una
" regia delegabantur authoritate: Censuræ, &
" excommunicationes ab eadem authoritate de-
" cernebantur: Regina edictis suis non tantum
" cultum exteriorem sed etiam fidem ipsam,
" & dogmata statuebat, ac determinabat: atque
" ut a Parlamento determinaretur, concessa
" ipsi authoritate imperabat. Nihil unquam in
" Ecclesia tam portentosum auditum fuerat.
" Parlamentum directe de rebus fidei pronun-
" ciavit, fixis, ac determinatis conditionibus,
" quibus dogma quoddam pro hæretico haben-
" dum foret, & damnandum quidem, si illæ
" adessent, absolvendum vero, si non ades-
" sent: cujus quidem rei judicium sibi uni Ju-
" dex laicus reservavit. Quæstio hic non est,
" an regula, quam sibi præscripsit Parlamen-
" tum, bona sit, vel mala: sed utrum laica

" socie-

Digitized by Google

„ societas, cujus omnis jurisdictio a Principe „ defluit, res fidei definire, earumque cognitionem, ac judicium, quod solis Episcopis „ Christus concessit, trahere ad se possit. Illudebat procul dubio Parlamentum, quando „ protestabatur se ex consilio, ac consensu Episcoporum agere velle: supremam etenim „ Authoritatem in spiritualia eo ipso tempore „ retinebat, quo Episcopos audiebat, non quidem ut Judices fidei, sed ut consultores duntaxat, & in hisce rebus doctos, & expertos. An vero possunt aures Christianæ tale portentum adversus Pastorum, & Sanctuarii divinam, & legitimam authoritatem patienter audire, ac ferre? „ Hæc ille.

3. Non hæc duntaxat sibi laica potestas usurpavit; sed etiam ab ipsis Angliæ Episcopis approbata sunt, ut patet ex synodo Londinensi anno 1562 celebrata, quæ art. 36 declaravit assensum suum hisce verbis: *libellus de consecratione Archiepiscoporum, & Episcoporum, & de ordinatione Presbyterorum editus nuper temporibus Eduardi VI, & Authoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad ejusmodi consecrationem, & ordinationem continet .... Itaque quicumque juxta ritus illius libri consecrati, aut ordinati sunt ab anno secundo prædicti Regis Eduardi, eisque ad hoc tempus, aut imposterum juxta eosdem ritus consecrabuntur, aut ordinabuntur, rite, atque ordine, atque legitime statuimus esse, & fore consecratos & ordinatos.* Ex quibus constat tum regem propria sua Authoritate ea decrevisse, quæ ad sacras Episcoporum, ac Presbyterorum ordinationes pertinent, tum eosdem Episcopos in hanc usurpationem Parlamenti statuto confirmatam ritumque consecrandi, & ordinandi ab ipso præscriptum, assensos esse, & laicalem potestatem in hisce rebus spiritualibus agnovisse.

P. Courayerus lubens admittit principium a nobis constitutum, sæcularem nempe potestatem nihil Authoritatis conferre posse rebus ab ipsa præscriptis si spirituales sint, aut materiam spiritualem spectent: adeoque nullas habendas esse ordinationes omnes, quæ ab hoc fonte proficiscuntur. At contendit omnem, quæ in Rituali Anglicano facta est, mutationem, nonnisi ab authoritate Ecclesiastica profectam esse: & hoc pacto vim argumenti producti effugere se posse arbitratur.

Verum irrito plane conatu. Ea namque, quæ proposuimus satis luculenter ostendunt, non Ecclesiasticam, sed sæcularem potestatem ea omnia decrevisse, probavisse, ac sua Authoritate firmasse, quæ in Anglicano Rituali prostant, factisque omnibus quæ tunc contigere, Courayeri prætensa mutatio a Clero inducta falsitatis apertæ convincitur. *Quis est*, inquit *apposite P. Michael Lequienius p. p. cap. 3, operis sui de nullitate &c., qui mutandam præscripsit Ordinationum formam? Quis ipsi vim legis adjunxit? Procul dubio Rex, ac Parlamentum. Quis executionem eorum quæ præscripta fuerant, mandavit? Num Episcopi? Num Clerus in Comitiis generalibus nationis congregatus definivit, præscripsitque, quod ad reformandam Religionem necesse erat? Nihil minus. Ex eo duntaxat corpore Episcopi quidam, ac Theologi delecti sunt ad Regis beneplacitum nominati, qui ea peragerent, quæ a suis veris ministris Calvinistis instituta erant juxta ipsius ac Parlamenti voluntatem.* Id vero probat ille duobus testibus, quos repudiare *Courayerus* nullatenus potest, *Heylino* nempe, & *Burneto*. Prior siquidem loquens de Parlamento habito an. 1540 scribit: *Duo edicta gravis momenti facta sunt, atque constitutum, ut nulla interposita mora opera navaretur pro reformanda forma consecrationis, ac sex Prælatis, totidemque sapientibus Regni Theologis a Rege nominatis, aut majori eorum parti, injungeretur hujusmodi correctio; quæ subinde magno sigillo muniretur, ut ante primam sequentis Aprilis diem executioni demandaretur.* Juxta ergo hunc Authorem, primo Parlamentum est, quod præcipit Reformationem formularii in Ordinationibus, qua in ordinatione nihil habet sibi peculiare Clerus Anglicanus: neque concilium aliquod est, aut Synodus Generalis ex membris primi, ac secundi Ordinis coalescens, quæ hanc reformationem necessariam censeat, virtute solius prophani actus Parlamenti in hoc opus incumbitur. Ulterius Rex sex nominat Episcopos, totidemque Theologos, ut huic Operi vacent: qui plane agunt veluti Regis, ac Parlamenti commissarii, adeoque eorum nomine, non proprio, itaut mutationes ab ipsis inductæ robur omne recipiant a regia authoritate. *Burnetus* clarius id explicat, omnemque amolitur, si qua superesset, difficultatem. Inquit enim; *cum jam mandatum esset, ut profectui Reformationis vacaretur, injunctum fuit a Parlamento quibusdam Episcopis, ac Theologis, ut operam impenderent in reformando libro Ordinationum, qui hactenus fuerat intactus.* Jussu igitur, juxta Burnetum, ac ordinatione Parlamenti, soloque ejus nomine aliqui Episcopi ac Theologi hac in re operantur, hique potius, quam laici seliguntur, quoniam id res ipsa exposcit, & peritiores existimantur; ita tamen, ut nihil firmum ratumque habeatur, nisi assentiente, vimque tribuente Parlamento. Hinc laudatus *Heylinus* diserte notat, non Clerum, sed Parlamentum præscripsisse Ordinationum formas. Plura alia ibidem

ibidem observat clarissimus Lequienius, quæ pleno in lumine constituunt propositum argumentum, & Courayeri aberrationes.

Alterum, illudque validissimum argumentum sumitur ex ipsa ordinationis forma, qua modo utitur Anglicana Ecclesia. Plura eruditissima disserit in hoc argumentum laudatus Lequienus *part.* 2, *cap.* 1. Nos brevitati studentes illud hoc pacto proponimus. Cassæ, & invalidæ censendæ sunt Anglicæ ordinationes, si forma in iis peragendis adhibita sit essentialiter corrupta, nec quoad substantiam ipsam respondeat formæ in Ecclesia Christiana ex Christi & Apostolorum traditione semper usurpatæ, ac jam superius expositæ. Porro hujusmodi est forma post Eduardi Rituale in Anglicanis ordinationibus adhibita: quod facile evincimus iis in medium productis, quæ ad Eduardi Ritualis normam in Anglorum ordinationibus peragi solent, ipso P. Courayero assentiente.

Primum: Consecrator Episcopus mandatum Regium de consecratione Episcopi electi publice recitari jubet: quod mandatum loco Bullarum Sedis Apostolicæ substituitur. Deinde juramentum ab electo Episcopo exigitur de suprema Regis potestate agnoscenda: hisque verbis effertur ut supra monuimus: *testor, & ex conscientia mea declaro: quod Majestas Regia unicus est supremus Gubernator hujus Regni in omnibus spiritualibus, sive Ecclesiasticis rebus, aut causis: & quod nullus extraneus Princeps, Persona, Prælatus, Status, aut Potentatus habet, aut habere debet ullam jurisdictionem, Potestatem, præeminentiam, vel authoritatem Ecclesiasticam, sive spiritualem intra hoc regnum, & proinde renuncio penitus, & rejicio omnes extraneas jurisdictiones, potestates, superioritates, & Authoritates &c.* Ex quibus manifestum est hic omnino rejici Authoritatem summi Pontificis, Conciliorum, & Ecclesiæ veluti in Episcoporum consecratione extraneam.

Tertio: Consecrator electum Episcopum interrogat, an *ad administrationem vocatus sit juxta Christi voluntatem, & constitutionem illius Regni*, Constitutionem scilicet authoritate Parlamenti firmatam, in qua excussa obedientia, quæ Romano Pontifici debetur, ii omnes errores adstruuntur, qui in professione fidei recentis Anglicanæ Ecclesiæ continentur.

Post alias id genus interrogationes hanc consecrans Episcopus super consecrandum manus super ejus caput extendens orationem pronunciat: *Deus omnipotens, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires, ac facultatem ad hæc efficaciter præstanda, ut opus istud suum, quod incepit in te, absolvat, teque integrum, ac inculpabilem inveniat in illo supremo die per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.* Hæc est forma, qua ipso Courayero fatente, utitur modo Anglicana Ecclesia in Episcoporum consecratione. Estne hic vestigium aliquod veræ illius formæ quam tota tum Occidentalis, tam Orientalis Ecclesia semper adhibuit, ac prorsus necessariam existimavit? Quænam in allatis verbis potestas significatur, atque confertur? nisi ea efficaciter præstandi, de quibus in interrogationibus mentio in antecessum facta fuerat, sustinendi nempe errores ab Anglicana Ecclesia susceptos, & Authoritate Regis, ac Parlamenti firmatos, impugnandi Ecclesiasticam Hierarchiam, & primatum Regis in ipsis spiritualibus, & Ecclesiasticis rebus defendendis. Nonne evidens est, (ut illud etiam adversariis concedamus, significari prædicta locutione *ministerium Verbi*, ad quod assumuntur Episcopi) formam esse substantialiter corruptam, atque adeo nec veram, ac legitimam ordinationem eadem præstari?

Idem argumentum hoc pacto proponit Doctissimus P. Laurentius Berti in suis *Theologicis Disciplinis* l. 36, c. 15. *Evidentissimum*, inquit, *est Eduardi formam, si non expresse hæreticum, ambiguum tamen sensum habere: non enim exprimit, cur electo Consecrator supernas vires, facultatemque apprecetur. Immo, si attendantur præmissæ ceremoniæ, juramentum, quo Rex Angliæ declaratur supremum Ecclesiæ caput, professio hæreticorum dogmatum, ac promissio in his populum instruendi; verba illa*: Deus omnipotens, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires, ac facultatem ad hæc efficaciter præstanda, *idem sonant, ac si diceretur: adsit tibi Deus, ut defendas primatum Regis, ut conculces Apostolicæ Sedis authoritatem, ut propugnes Novantium blasphemias, ut commissam tibi plebem seducas. Hæc ne forma Sacramentalis? Altera ejusdem est generis, immo & deterior: idem enim paucioribus verbis exprimit, ac ulterius significat Episcopos, & Sacerdotes ordinari tantum* ad ministerium verbi, *ut contendunt hæretici. Jam vero statutum a nobis est* l. 30, c. 12, *in formis Sacramentorum, quæ sensum patiuntur ambiguum, & quæ verborum vi neque effectum Sacramenti, neque communem Ecclesiæ intelligentiam significant, attendendum esse propositum, animumque proferentium: quod maxime dicendum est de* forma *ab hæreticis Angliæ instituta adversus ritum Romanæ Ecclesiæ, atque ad commonstrandum conferri in ordinatione ministrorum potestatem solius verbi. Constat enim hanc* formam *ita, atque hac de*

causa

cauſa inductam, ac permutatam, non Chriſtum Dominum Auctorem habere, ſed homines iniquiſſimos. Illud præterea a nobis demonſtratum eſt, non tantum formam *tali nequitia, ac tanta pravitate animi fabricatam, verum etiam* formam *alioqui legitimam, ſi verbis conſtat æquivocis, non eſſe* formam Sacramentalem, *ſi a circumſtantiis, ab intentione miniſtrorum, a præcedentibus, vel ſubſequentibus ceremoniis ad effectum alium determinetur, itaut nec etiam illa formula Confirmationis*, ſignaculum doni Sp. Sancti, *qua utitur Eccleſia Græcorum in reconciliandis venientibus ab hæreſi, ſatis ſit ad Sacramentum conſtituendum. Atque id multo magis eſt affirmandum de* forma *dubia adverſus Catholicæ Eccleſiæ praxim, ritumque introducta, & procuſa in officinis hæreticorum. Quæ cum ita ſint, abſque ulla hæſitatione* pronuncio formam Ritualis Eduardi *non ſufficere ad ſacram ordinationem, tum quia ambiguitate verborum, animoque conferendi ſolius verbi miniſterium conflata eſt; tum etiam quia attentis jurejurando, & profeſſione Electi determinatur ad ſignificandam collationem ſupernorum auxiliorum, quæ ſibi adfutura peroptant heterodoxi ad Sacramenta & fidei dogmata conculcanda, id quod Satanę, non divini Spiritus opus eſt. Hoc itaque argumentum, quod utique nulla Adverſariorum machinatione ſubruitur, movet me ad nullas, infirmaſque judicandas Anglorum conſecrationes.*

Plura alia de hac materia dicenda ſuppeterent, ac præſertim de Ordinatione Archiepiſcopi Parkeri, quam cum nullam invalidamque fuiſſe facto ipſo Theologi noſtrates oſtendant, reliquis, quæ ſubſecutæ inde ſunt, valor omnis ademptus eſt. Verum hæc pauca ſufficiant.

Sequitur

QUÆSTIO SEPTIMA.

De effectibus ſacræ ordinationis.

CUm Sacramenta novæ legis, duos generatim effectus exerant, gratiam, quæ communis omnium eſt, & characterem, qui eſt aliquorum peculiaris: de utroque quæſtio eſt, an ſacræ ordinationi conveniat? pro cujus reſolutione ſit

CAPUT PRIMUM.

Utrum per ſacram ordinationem gratia conferatur?

HÆretici qui ordinem, verum novæ legis eſſe Sacramentum inficiantur, negant ex conſequenti, ullam gratiæ conferendæ habere virtutem: contra quos eſt

§. PRIMUS.

Oſtenditur, per ſacram ordinationem, gratiam ſanctificantem conferri.

In fidei dogmatibus hæc ſententia continetur: „ *ſi quis dixerit*, inquit Concilium Trid. (*ſeſſ. 7, de Sacr. in gener. can. 1*) *Sacramenta novæ legis .... eſſe plura, vel pauciora quam 7, videlicet, baptiſmum, confirmationem, Euchariſtiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium ...., anathema ſit ...* (*ib. can. 6*) *ſi quis dixerit Sacramenta novę legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre .... anathema ſit:* (*ibid. can. 7*) *ſi quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta, ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant, ſed aliquando & aliquibus: anathema ſit ...* (*ib. c. 8*) *ſi quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere: anathema ſit ...* (*ſeſſ. 23, can. 4*) *ſi quis dixerit, per ſacram ordinationem non dari Sp. Sanctum; ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: accipe Sp. Sanctum ..., anathema ſit.*

PROBATIO PRIMA.

Ex Sacramenti conditionibus.

Ac 1. Huc momenta omnia redeunt, quæ prima quæſtione attulimus ad oſtendendum ordinem habere omnes veri Sacramenti conditiones; adeoque gratiam ex opere operato producere.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Eccleſiæ precibus.

2. Veritatem hanc invincibiliter adſtruunt preces ſacræ, quas Epiſcopus, ordinando manus imponens, ſolemniter fundit: ſic in ordina-

natione presbyteri, ex Græcorum Euchologio, Pontifex manum impositam tenens, precatur hoc modo: *Deus in virtute magnus, intellectu investigabilis, & mirabilis in consiliis super filios hominum: ipse Domine, etiam & istum, quem tibi presbyteri gradum subire complacuit, dono Sancti tui Sp. adimple, ut inculpate Sancto tuo altari assistere dignus fiat, Regni tui Evangelium annunciare, veritatis tuæ verbum sanctificare, dona & Hostias spirituales tibi offerre, populumque tuum per lavacrum regenerationis innovare, ut & ipse in secundo magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, filii tui Unigeniti adventu occurrens, rectæ administrationis, proprii nimirum sibi ordinis, in multitudine bonitatis tuæ mercedem accipiat.*

Eodem sensu in Latina Ecclesia, justa Pontificale Romanum, Pontifex manum extensam tenens: *Oremus*, inquit, *fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet; & quod ejus donatione suscipiunt, ipsius exequantur auxilio... Exaudi nos, quæsumus Domine Deus noster, & super hos famulos tuos, benedictionem Sancti Sp. & gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem; ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris: per Dominum nostrum &c.*

Inde sic conficitur argumentum:

Sacra ordinatio effectum illum ex divina institutione producit, quem Ecclesia a Sp. Sancto edocta, impetrare votis ardentissimis satagit; atqui Ecclesia a primis usque temporibus gratiam aliquam sacri Ordinis propriam impetrare a Deo, & ordinandis conciliare suis precibus numquam destitit: eumque precandi morem ab Apostolorum traditione accepit, qui nemini, sine oratione conjuncta, manus ad sacrum Ministerium imponebant; quibusque persuasum erat, orationem gratiæ conferendæ habere virtutem: ergo &c.

Deinde: formæ Sacramentorum effectum quem significant, ex opere operato producunt: sunt enim signa practica; atqui in his precibus, ut quæstione quarta prædictum est, forma sacræ Ordinationis consistit: cum ergo gratiam Sacerdotalem significent, eam efficaciter & ex opere operato, ex divina institutione producunt.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione.

Accedit ratio quam sic proponit S. Thomas: (*in Suppl. quæst. 35, art. 1, in C.*) *Dei*, inquit, *perfecta sunt opera: & ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur ea per quæ executio illius potentiæ potest congrue fieri: sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne recipiat Sacramenta; ita etiam ad hoc quod homo digne dispenset: & ideo sicut in baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum Sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in Sacramento ordinis, quo homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem.*

Et paulo post: (*in Resp. ad 3*) *ad idoneam*, inquit, *executionem ordinum, non sufficit bonitas qualiscumque; sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis; ita & superiores sint merito sanctitatis: & ideo præexigitur gratia, quæ sufficiebat ad hoc quod digne connumerarentur in plebe Christi: sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei.*

Ita Angelicus præceptor, gratiam per ordinis Sacramentum necessario produci, duplici titulo demonstrans; tum ut homo in se Sanctus sit, quod commune habet cum cæteris Sacramentis; tum ut aliorum Sanctitatem, sacro Ministerio incumbendo procuret, quod est huic Sacramento peculiare: itaque qua fide credimus, cætera Christi mysteria, propriam suscipientibus gratiam impartiri; eadem credere debemus, excellentem quemdam gratiæ & Sanctitatis gradum Sacræ ordinationi correspondere, per quem homo dignus Christi minister, & dispensator mysteriorum Dei efficiatur: hinc illa adeo gravis Apostoli ad Timotheum admonitio: (*1 Tim. 4, 14*) *noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii, ... (2 Timot. 1, 6) admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

§. SECUNDUS.

Diluuntur quædam Objectiones.

Sacra ordinatio, *inquiunt*, effectum hunc non producit, qui ei necessario præmitti debet: atqui gratiam sanctificantem habere debet, qui ad ordines suscipiendos accedit: ergo &c.

℟. Concessa maj. dist. min. qui ad ordines suscipiendos accedit, habere debet gratiam sanctificantem, *primam*, conc. *secundam*, n. min. & conseq.

E. R. *Primam* gratiam in præsenti dicimus, qua primum homo, antehac peccator, ju-

justificatur: eamque duo tantum Sacramenta conferunt, baptismus nimirum & pœnitentia: unde Sacramenta mortuorum vocantur: *Secundam* intelligimus, per quam homo ad altiorem sanctitatis gradum promovetur, & in justitia jam accepta perficitur: eam vero reliqua Sacramenta, suo quæque modo, quantum in ipsis est, præstant: ideoque Sacramenta vivorum appellantur: itaque in Sacris ordinibus datur gratia sanctificans, non prima equidem, sed secunda, sive jam acceptæ justitiæ incrementum, quo homo sacro ministerio fiat idoneus: *addit enim*, inquit S. Thomas, (*3 part. qu.* 62, *art.* 2) *gratia Sacramentalis super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem*: quemadmodum igitur confirmatio, (idemque de cæteris cum proportione dicendum) auxilia peculiaria confert, quibus roboratus Christianus fidem data occasione intrepide profiteri, & constanter tenere possit: sic ordinis Sacramentum gratiam singularem infundit, per quam ministri sacri divinas functiones rite & Religiose obeant: „ constat enim, *ait Catechismus Concilii Trid.* „ (*par.* 2, *tit. de Sacr. ordinis n.* 34) quamvis ordinis Sacramentum, maxime ad Ecclesiæ utilitatem & pulchritudinem spectet; „ tamen in ejus quoque anima, qui sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficere, qua „ idoneus habilisque ad recte munere suo fungendum, Sacramentaque administranda redditur: quemadmodum etiam Baptismi gratia quilibet ad alia Sacramenta percipienda „ aptus efficitur. “

Inst. 1. Ordo non ad suscipientium, sed ad aliorum sanctificationem per se refertur: ergo gratiam sanctificantem non confert.

℟. Dist. ant. ordo ad suscipientium sanctificationem non dirigitur per se *primo*, conc. per se *secundo*, n. ant. & conseq.

E. R. Cum ordo in hunc præcipue finem sit institutus, ut spiritualem Sacramenta conficiendi & ministrandi conferat potestatem; manifestum est, per se *primo* dirigi ad procurandam aliorum sanctitatem: sed cum etiam fuerit institutus, ut per illum sancta sancte tractentur, & digne divina mysteria peragantur: non minus certum est, etiam ad suscipientium sanctificationem per se referri, quæ eo excellentior in sacris ministris requiritur, quo ad altiorem gradum præ cæteris evehuntur: hæcque ipsa gratia est, quam sedulo conservandam & Apostolus discipulum suum Timotheum admonet: *noli negligere*, ait, *gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*: „ hoc est, *inquit S. Joannes Chrys.* hæc verba interpretans, (*hom.* 1 *in Tim.*) *gratiam* „ *quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem*, „ *& ad omne religionis obsequium*: quippe „ hanc vel excitare, vel extinguere in nobis „ est “.

Inst. 2. Ordo gratiis gratis datis annumeratur: ergo gratiam sanctificantem conjunctam non habet.

R. Dist. ant. gratiis gratis datis annumeratur, quantum ad aliquid, characterem videlicet, & ordinis potestatem, conc. quantum ad omnia, n. equidem character sacræ ordinationis, eique adjuncta potestas, pertinet ad gratia gratis datas: quo fit, ut ab homine quantumvis infideli & improbo, modo ritus necessarius servatus fuerit, ordinatio vere suscipiatus, ut constat ex supra dictis, sed alterum habet effectum, quem ex divina institutione rite accedentibus infallibiliter confert, gratiam nimirum sanctificantem, sive Dei caritatem, quæ speciali ratione diffunditur in cordibus nostris: hæcque gratia est, de qua postquam dixit Apostolus: (2 *Timot.* 1, 6) *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum*: *non enim*, subjungit, (*ibid. v.* 7) *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis, & sobrietatis*.

CAPUT SECUNDUM.

Characterem, genuinum esse ordinationis effectum demonstratur.

NEc minus ad fidem hæc sententia pertinet, quam præcedens: „ si quis dixerit, „ *ajunt Trid. Patres*, (*sess.* 7, *de Sacr. ingener. can.* 9) in tribus Sacramentis, baptis„ mo scilicet, confirmatione, & ordine, non „ imprimi characterem in anima, hoc est, si„ gnum quoddam spirituale & indelebile, un„ de iterari non possunt: anathema sit . . . „ *& sess.* 23, *cap.* 4, quoniam vero, *inquiunt*, „ in Sacramento ordinis, sicut & in baptis„ mo, & confirmatione character imprimi„ tur, qui nec deleri, nec auferri potest; „ merito S. Synodus damnat eorum sententiam, „ qui asserunt novi Testamenti sacerdotes „ temporariam tantummodo potestatem habe„ re: & semel rite ordinatos, iterum laicos „ effici posse, si verbi Dei ministerium non „ exerceant, *cui doctrinæ respondet ejusdem* „ *sessionis canon* 4: si quis dixerit, per sa„ cram ordinationem . . . non imprimi cha„ racterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, „ laicum rursus fieri posse: anathema sit. “

Hanc porro perpetuam majorum fuisse doctrinam, non est difficile demonstrare: illi enim cha-

characterem, velut proprium sacræ ordinationis effectum agnoscunt, qui docent per ordinationem imprimi in anima signaculum spirituale & indelebile, potestatem annexam habens, aliis quæ sunt divini cultus tradendi: hæc enim propria est definitio characteris, *l. 1 de Sacramentis in genere* data & explicata; atqui ita Sancti Patres docent ac sentiunt.

Ac 1 quidem constans eorum doctrina est, ordinem semel rite datum, iterari nec debere nec posse: id quod quæstione præcedente, multiplici auctoritate probatum est: atqui hujus præscriptionis non alia causa fuit, nisi quia ordo ritu Evangelico datus, infigit in anima characterem: ideo enim repeti ordinationem, nefas est existimatum, quia credebatur semper in aliquo suo effectu manere; atqui effectus ille non potest esse alius quam character: nam in ordinatione, tria tantum distingui possunt: ritus externus, quo fit: gratia, & character; atqui de ritu externo dici nequit, quod semel celebratus inamissibiliter perseveret, cum statim atque perfectus est, evanescat, nec alibi quam in memoria hominum maneat: deinde si hæc una causa foret, cur aliqua Sacramenta repeti non deberent, idem de omnibus sine exceptione foret dicendum; quia ritu externo celebrari, omnibus essentialiter convenit: neque pariter de gratia dici potest, quod inamissibilis sit: tum quia ordinatio in hæresi aut schismate facta, gratiam non producit: tum quia ne in Ecclesia quidem catholica hunc effectum influit, nisi in eos qui bene præparati accedunt: tum denique quia gratia ordinis, sæpe ordinatorum negligentia perditur: *eam quippe*, ait supra laudatus Chrysostomus, *extinguere vel excitare in nobis est*: de solo igitur charactere dici potest, quod semel acceptus, semper maneat: atque adeo ad characterem respiciebant decreta Patrum, quando iterari ordinationes districte prohibuerunt: „ baptismum repeti, *ait auctor libri de operibus Christi Cardinalibus S. Cypriano falso adscripti*, Ecclesiasticæ prohibent regulæ: & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros ordines semel datos iterum renovat . . . quia contumelia esset Sp. Sancto, si evacuari posset quod ille sanctificat; vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat. “

2. Per sacram ordinationem imprimi in anima signaculum spirituale, præter cæteros, S. Aug. contra Donatistas doctrinam catholicam vindicans egregie propugnavit: sic errorem refutans quo volebant, ab Ecclesia profugos, baptismum quidem non amittere, jure tamen dandi baptismi, scilicet ordinatione excidere: illud, inquit (*lib. 2 cont. epist. Parmeniani cap. 13*) *multis modis apparet frustra & inaniter dici: primo; quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit: utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur; istud cum ordinatur: ideoque in catholica Ecclesia utrumque non licet iterari; nam si quando ex ipsa parte* (Donatistarum) *venientes, etiam præpositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt; & si visum est opus esse, ut eadem officia gererent quæ gerebant; non sunt rursus ordinati: sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra . . . . & cum expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut præpositi eorum venientes ad Ecclesiam, honores suos ibi non administrent; non eis tamen ipsa ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos: ideoque non eis in populo manus imponitur, ne, non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria . . . sicut autem habent in baptismo quod per eos dari possit; sic in ordinatione, jus dandi utrumque quidem ad perniciem suam, quamdiu caritatem non habent unitatis; sed tamen aliud est, non habere; aliud, perniciose habere; aliud salubriter habere . . . quod si non correxerint, manebit ad pœnam quod datum est; non tamen ullo modo pro non dato habebitur; neque ullo modo signum regale violabitur . . . aut si quisquam sive desertor, sive qui numquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet: nonne ubi deprehensus fuerit ille signatus, pro desertore punitur, & eo gravius quo probari potuerit, numquam omnino militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? aut si forte illum militiæ characterem in corpore suo, non militans, pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa & impetrata jam venia militare cœperit; numquid homine liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur: an forte minus hærent Sacramenta Christi, quam corporalis hæc nota? cum videamus nec Apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur: & ideo amitti non posse judicatur.*

Et alibi: (*serm. de gestis cum Emerito Donatistarum Episcopo*) *non*, inquit, *sic illos* (*hæreticos*) *suscipimus, ut sunt: absit a nobis: nam hæretici sunt, suscipimus autem catholicos: mutantur; suscipiuntur: sed propter malum quod habent, non in iis possumus persequi bonum quod agnoscimus: malum enim dissensionis, schismatis, hæresis, malum suum ha-*

Digitized by Google

habent: bona vero quæ in illis agnoſcimus, non ſunt ſua: Domini noſtri habent bona, Eccleſiæ habent bona: baptiſmus non eſt ipſorum, ſed Chriſti: invocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi, invocatio Dei eſt, non Donati: in errante & deſerente milite crimen eſt deſertoris; character autem non eſt deſertoris, ſed imperatoris ... Jeſus Chriſtus quærit deſertorem, delet erroris crimen; ſed non exterminat ſuum characterem.

Ex his S. Doctoris teſtimoniis ſic inſtruitur argumentum:

Ille ſentit per ſacram ordinationem imprimi in anima ſpirituale ſignaculum, qui ordinem confert cum baptiſmo, & utrumque conſecratione quadam homini dari contendit, qui ordinationem in hæreſi aut ſchiſmate ſuſceptam, integram manere affirmat; qui hanc ſignum regulare appellat, & comparat cum nota militari olim corporibus eorum inuſtas quos militiæ adſcribebant; qui denique notam hanc characterem Chriſti expreſſe appellat, & dicit ideo non repeti, quia Chriſtus in milite deſertore non exterminat ſuum characterem; atqui ita S. Aug. ſeu verius ore Auguſtini Eccleſia loquitur, veram fidem contra perfidiam Donatiſtarum defendens: ergo &c.

3. Denique quod ſpirituale ſignaculum, per ordinationem ſacram in anima impreſſum, juxta ſanctos Patres conjunctam habeat poteſtatem, aliis tradendi quæ pertinent ad divinum cultum, ex perpetua conſuetudine Eccleſiæ manifeſtum eſt: ideo namque ordinationes a miniſtris hæreticis aut ſchiſmaticis rite factas, numquam voluit iterari, quia etiam in malis miniſtris poteſtatem ordinis integram manere exiſtimavit, quam in ipſa ſua ordinatione, una cum charactere acceperant: hinc S. Aug. ordinationem jus dandorum Sacramentorum appellat: *Sacramentum baptiſmi*, inquit, (*lib. 1 de bapt. cap. 1*) *eſt, quod habet qui baptizatur: & Sacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur: ſicut autem baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum baptiſmi non amittit; ſic etiam ordinatus, ſi ab unitate receſſerit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit: nulli enim Sacramento injuria facienda eſt: ſi diſcedit a malis, utrumque diſcedit: ſi permanet in malis, utrumque permanet: ſicut ergo acceptatur baptiſmus, quem non potuit amittere, qui ab unitate diſceſſerat; ſic acceptandus eſt baptiſmus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cum diſcederet, non amiſerat: nam ſicut redeuntes, qui priuſquam recederent, baptizati ſunt, non baptizantur; ita redeuntes, qui priuſquam recederent, ordinati ſunt, non uti-que rurſus ordinantur: ſed aut adminiſtrant quæ adminiſtrabant, ſi hoc utilitas Eccleſiæ poſtulet: aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum tamen ordinationis ſuæ gerunt.*

Igitur a primo ad ultimum conſequens eſt, Sanctos patres characterem, velut proprium ſacræ ordinationis effectum agnoviſſe.

Qui plura volet, relegat quæſtionem præcedentem capite quarto: & librum 1 de Sacramentis in genere, quæſtione quarta; ubi fuſe materia iſta tractata eſt.

QUÆSTIO OCTAVA.

De ſubjecto ſacræ ordinationis.

HOc unum in præſenti diſputandum occurrit, utrum mulieres ſint ordinis ſuſcipiendi ac gerendi capaces? nam de viris nemo dubitat, quin ad ſacrum miniſterium aſſumi poſſint.

Cum nullum adeo abſurdum commentum ſit, quod humana fragilitas deſerto lumine veritatis non approbet; mirandi locus non eſt, quod olim quidam hæretici fuerint, adeo fatui fœminarum adulatores, ut ad ordines promoveri poſſe effutierint, & revera, quantum in ipſis erat, promoverint: quaſi vero penes homines eſſet divinum mandatum prætergredi, & donum Spiritus Sancti contra ejus voluntatem alicui impartiri:

In eo numero fuerunt:

1. *Marcus* quidam, de Valentinianorum & Gnoſticorum Grege, Magicis artibus famoſus, qui illuſis a ſe mulieribus conſecrandæ Euchariſtiæ, & ſacrificii offerendi poteſtatem faciebat.

2. *Montaniſtæ*, qui proprias habebant diaconiſſas, ſacerdotiſſas, & Epiſcopas.

3. *Collyridiani*, quarto ſæculo in Arabia nati, qui Beatiſſimam Virginem, ut Deum colebant; & in ejus nomen panis collyridem, (unde Collyridiani dicti) mulierum miniſterio offerebant: huic enim ſexui Sacerdotalia munia committebant: immo ſolæ fere mulieres fanaticam ſectam profitebantur.

Hos, aliosque ejuſdem furfuris hæreticos *S. Irenæus* l. 1 contra hæreſes, c. 9, *Tertullianus* libro de præſcript. adverſus hæreticos, c. 41, & libro de velandis virginibus, c. 8, *S. Epiphanius* hær. 49, & 79, *S. Aug.* libro de hæreſibus c. 27, & alii plerique exagitarunt: contra quos ſit.

§. PRI-

Digitized by Google

§. PRIMUS.

Ostenditur, mulieres valide ordinari nulla ratione posse.

PROBATIO PRIMA.

Ex comparatione veteris & novæ legis.

Quod enim nec in lege naturæ, nec in lege scripta, mulieribus commissum officium est, multo minus potest in Evangelica demandari, in qua eo excellentius est Sacerdotium, quo SanƐtius Deo sacrificium immolatur; atqui nec in lege naturæ, neque in scripta putatum est, posse mulieres sacro ministerio mancipari: in lege quidem naturæ Abel, Henoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, & Jacob, Deo sacrificia obtulerunt: de mulieribus, quamquam ea ætate pleræque præcellentis sanctitatis opinione floruerint; nusquam legitur quod sanctum ministerium usurparint: pariter in lege scripta, in qua jure velut hæreditario in Aaronis familiam sacerdotium devolutum erat, nusquam sibi hoc jus fœmineus sexus arripuit: idem ergo, & quidem titulo meliori in lege Evangelica sentiendum: quocirca *Collyridiani*, & alii quos prædiximus, quo se qualitercumque tueri possent, nullum nisi in cæca gentilitate exemplum habebant.

PROBATIO SECUNDA.

Ex auctoritate scripturæ.

Hoc ipsum Christus aperte significavit, quando in ultima cœna sacerdotes instituit; iisdemque post resurrectionem remittendi & retinendi peccata contulit potestatem: solis enim Apostolis dictum: (*Lucæ* 22, 19) *hoc facite in meam commemorationem*: &, (*Joan.* 20, 22) *accipite Sp. Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Idemque Apostoli confirmarunt exemplo suo: solis enim viris manus imposuisse leguntur: tantoque studio mulieres amotas a sancto ministerio voluerunt, ut ne Beatissimam quidem Virginem, divinitati, necessitudine tanta, conjunctam, ea dignitate donaverint.

Deinde dominatum omnem in Ecclesia, passim libri sacri mulieribus interdicunt; *mulieres in Ecclesiis taceant*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 14, 34) *non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit; si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia* . . . . . (*Tim.* 2, 11) *mulier in silentio discat cum omni subjectione: docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio* . . . . (*Ephes.* 5, 22) *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.*

Ex his, similibusque locis sic instruitur argumentum:

Illæ a sacris ordinibus excluduntur, quibus in Ecclesia nec loqui quidem conceditur, nec docere fas est, nec dominari in virum. Nam si admitterentur ad ordines, tum loqui in Ecclesia possent, verbum vitæ & pacis Evangelium nunciando; tum ratione susceptæ dignitatis in viros dominarentur; atqui mulieribus nec loqui in Ecclesia, nec munus docendi publice usurpare, nec dominari in viros Scripturæ auctoritate permittitur. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex traditione.

Consentit traditio Patrum.

Sic Author constitutionum Apostolic. " an
" autem, *inquit*, (*lib.* 3, *cap.* 9) baptizare,
" (*ex officio videlicet*) ad mulieres pertinet?
" notum vobis facimus, non mediocri in peri-
" culo versari eas quæ hoc præsumunt: peri-
" culosa quippe res est, immo vero illicita &
" impia. Nam si vir est caput mulieris, &
" iste fuit electus ad sacerdotium; nefas est
" consilium Creatoris intervertere, & relicto
" principatu ad extremum corpus venire: quod
" si in præcedentibus, non permisimus fœmi-
" nis docere; quo pacto quispiam præter na-
" turam eis fungi sacerdotio concedet? Sacer-
" dotissas creare Gentilium impietatis erratum
" est, non autem Christi institutum; quod si
" oportuisset, a mulieribus baptismum admi-
" nistrari, profecto Deus a Matre sua fuisset
" baptizatus, & non a Joanne: aut quando nos
" ad baptizandum misit, una quoque misisset
" & mulieres ad idem ministerium. Jam vero
" nihil tale usquam injunxit, neque scripto
" tradidit, quippe qui & naturæ ordinem, &
" rei decentiam probe nosset, ut & naturæ
" conditor, & constitutionis legislator".

Tertullianus: (*lib. de velandis virg. c.* 8) *non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec nullius virilis muneris nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare: quæramus an aliquid horum virgini liceat: si virgini non licet, sed in omnibus subjicitur, & necessitas humilitatis cum muliere censetur, unde illi hoc unum licebit, quod omni fœminæ non licet?*

Et

Digitized by Google

Et alibi: (*de præscript. cap. 41*) *ipsæ mulieres hæreticæ*, inquit, *quam procaces, quæ audeant docere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere?*

S. Epiphanius: (*hær. 75*) *si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidquam præstare eis in Ecclesia liceret; nulli potius quam Mariæ illud in novo Testamento committi sacerdotis officium debuit; cui tantus honor est habitus, ut gremio sinuque suo Regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique filium exciperet, cujus uterus velut templum ac domicilium ad divini verbi Incarnationem, singulari est benignitate Dei, magno ac stupendo mysterio præparatus: verum longe Deo aliter est visum; ac ne baptizandi quidem potestas est illi facta: cum alioqui ab illa Christus potius tingi, quam a Joanne potuisset.*

S. Joannes Chrysost. (*libr. 2 de Sacerd.*) *quando*, inquit, *de Ecclesiæ præfectura agitur, universa quidem muliebris natura, functionis istius moli ac magnitudini cedat oportet.*

Inde sic formatur argumentum: illud mulieribus nulla ratione concedi posse credendum est, quod Ecclesia semper vetuit, velut impium, & divino mandato, ipsique mulierum naturali conditioni contrarium; quod denique in hæreticis velut nefarium dogma damnavit. Porro hunc semper fuisse Ecclesiæ sensum, testimonia adducta demonstrant. Ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex auctoritate & ratiocinio Sancti Thomæ.

Nec putandum, futuram quidem illicitam mulieris ordinationem, non tamen invalidam: ex divino namque instituto tam repugnat mulierem valide ordinari, quam virum non baptizatum vere presbyterum fieri: *dicendum* ait S. Thomas, (*suppl. qu. 39, art. 1, in corp.*) *quod quædam requiruntur in recipiente Sacramentum, quasi de necessitate Sacramenti, quæ si desint, non potest aliquis suscipere neque Sacramentum, neque rem Sacramenti: quædam vero requiruntur, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti, propter congruitatem ad Sacramentum: & sine talibus aliquis suscipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti: dicendum ergo quod sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinum, non solum secundo modo, sed etiam primo: unde etsi mulieri exhibeantur omnia, quæ in ordinibus fiunt; ordinem tamen non suscipit: quia cum Sacramentum sit signum eorum, quæ in Sacramento aguntur; requiritur non solum res, sed significatio rei: sicut dictum est, in extrema unctione requiri, quod sit infirmus, ut significetur curatione indigens. Cum igitur in sexu fœmineo non possit significari aliquis eminentiæ gradus, quia mulier statum subjectionis habet; ideo non potest ordinis Sacramentum suscipere.*

§. SECUNDUS.

Diluuntur objectiones.

Opponitur. Diaconatus est verus ordo, post Presbyteratum in Ecclesiastica Hierarchia præcipuus; atqui ab ipsis Apostolicis temporibus Diaconatum legimus mulieribus esse collatum: id quod verba Apostoli persuadent, in Ep. ad Rom. sic loquentis: (*Rom. 16, 1*) *commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, & assistatis ei, in quocumque negotio vestri indiguerit.* Itemque ejusdem alia ad Tim. (*1 Tim. 9*) *vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens*: his enim locis loquitur S. Paulus de mulieribus Ecclesiastico ministerio deputatis aut deputandis; atqui hujusmodi ministerium de Diaconatu interpretatur SS. Patrum traditio. Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. ad probat. admitto auctoritatem, & data maj. dist. min. hoc ministerium de Diaconatu Patrum traditio explicat, de diaconatu, inquam, improprie, & per accommodationem dicto, conc. de Diaconatu proprie dicto, qui pro vero ordine habeatur, n. min. & conseq.

E. R. Fateor a primis temporibus, pias quasdam mulieres religiosis caritatis officiis auctoritate Ecclesiæ deputatas, quas *Diaconissas* vocabant, & de iis Apostolum loqui locis citatis; sed nego hanc vocem debere de ordine proprie dicto intelligi: non enim ideo consecrabantur, ut altari deservirent, (quæ est propria functio Diaconatus) sed ut erga cæteras mulieres Religiosa caritatis officia exercerent: quod facile concedet, quisquis diversa earum munera computabit.

1. Priscis temporibus, quando Sacramentum baptismi immersione conferebatur, nudumque baptizandi corpus salutaribus undis proluebatur, diaconissæ adultas fœminas ad lavacrum continuo deducendas vestibus exuebant, eisque post baptismum ad easdem resumendas, prout honestatis ratio postulabat, operam dabant, ne videlicet ministrorum Ecclesiæ objicerentur aspectibus: hujus ritus meminit Auctor constitutionum Apostolicarum: " Virum quidem, in„ quit, (*lib. 5 cap. 16*) suscipiat Diaconus; „ mulie-

„ mulierem vero Diaconissa; ut non violandi „ signi baptismalis communicatio honeste peragatur: „ *meminit & S. Epiphanius*: " quamquam, *ait*, (*hær.* 79) Diaconissarum in „ Ecclesia ordo sit; non tamen ad sacerdotii „ functionem, aut ullam hujusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi „ tempore adsit, sive ut cum nudandum est „ mulieris corpus, interveniat: ne virorum qui „ sacris operantur, aspectui sit exposita, sed „ a sola Diaconissa videatur, quæ sacerdotis „ mandato mulieris curam agit ".

2. Ejusdem decori servandi causa, cum sacræ baptismatis cæremoniæ agebantur; ungebat quidem minister Sancto Chrismate caput & frontem mulieris baptizandæ: ejusdem vero Chrismatis per totum corpus expandendi officium Diaconissæ implebant: *cum mulieres baptizantur*, ait Author constitutionum Apostol. (*lib.* 3, *cap.* 15) *unget quidem eis Diaconus frontem tantum oleo sancto: postea vero illinict eas Diaconissa: non enim mulieres a viris conspici oportet*.

3. Ex decreto Concilii IV Carthag. Diaconissæ imperitas rudesque fœminas, quæ ad Catechumenatum admittebantur, primis fidei rudimentis, baptismi rituum notitia, & Christianæ vitæ regulis imbuebant. " Viduæ vel „ sanctimoniales, *inquiunt Patres*, (*Can.* 12) „ quæ ad ministerium mulierum baptizandarum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperitas, & rusticas mulieres, tempore quo sunt baptizandæ, qualiter baptizatori, interrogatæ respondeant; & qualiter „ baptizatæ vivant ".

4. Quamdiu consuetudo viguit, ut non permixtim, sed separatim, distinctisque locis viri & mulieres, divinis mysteriis interessent; portam qua in templum fœminæ ingrediebantur, custodiæ suæ commissam Diaconissæ habebant, introeuntes admittebant, propriam cuique sedem, ad præcavendum confusionis periculum assignabant: hinc scriptor Ep. *ad Antiochenos*, quem *S. Ignatium* vulgo dicunt: *saluto*, inquit, *sanctarum portarum custodes Diaconissas*: & auctor constitutionum Apostol. *Diaconissa*, inquit, (*lib.* 8, *cap.* 28) *non benedicit*, *neque facit aliquid eorum*, *quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt*; *nisi quod januas custodit*, & *Presbyteris ministrat*, *cum mulieres baptizantur*, *ad decus & honestatem servandam*.

5. Prima hac ætate moris erat, ut si fœmina quæpiam Episcopum vel Diaconum, quacumque exigente causa adire vellet, a Diaconissa castimoniæ teste simulque custode, ad spirituale colloquium duceretur: *ad Diaconum aut Episcopum*, ajunt constitutiones Apostolicæ (*lib.* 2, *c.* 26) *nulla mulier sine Diaconissa accedat*.

6. Ad præfocanda Gentilium scandala, & obstruenda ora inique loquentium, aliquando vice Diaconorum Diaconissæ ad domos fidelium mittebantur, sive ut jussa Episcoporum deferrent, sive ut spiritualem aut temporalem mulieribus opem commodarent: quam in rem sæpius laudatus constitutionum Apostol. auctor: „ ordina, *inquit*, (*lib.* 3 *cap.* 15) Episcope, „ Diaconissam fidelem & sanctam, ad ministrandum mulieribus: evenire enim solet aliquando in quibusdam domibus, ut non possis, propter infideles, mittere Diaconum ad „ mulieres; mittere vero possis Diaconissam „ propter cogitationes improborum ".

7. Denique omnia Diaconissarum officia S. Paulus summario recenset, in hoc ipso loco, unde petita objectio est: *vidua eligatur*, inquit, (1 *Timot.* 5, 9, & *seq.*) *non minus sexaginta annorum*, *quæ fuerit unius viri uxor*, *in operibus bonis testimonium habens*: *si filios educavit*, *si hospitio recepit*, *si sanctorum pedes lavit*, *si tribulationem patientibus subministravit*, *si omne opus bonum subsecuta est*.

Jam qui hæc munia propius inspexerit; facile intelliget potuisse absque vera & Sacramentali ordinatione impleri; cum ad sacrificium, respectum nullum haberent, unde pendet ordinationis Sacramentalis essentia: sed ad solum Christianæ caritatis obsequium referrentur. Quod vel inde confirmatur, quia si mulierum Diaconatum, verum ordinem esse intellexisset Ecclesia, abrogari numquam tulisset, maxime cum in sacris litteris ejus institutio commendetur; atqui a sexcentis & amplius annis, in Oriente & Occidente abolita Diaconissarum ordinatio est: de illis enim neque Græcorum euchologia, neque ritualia Latinorum ab eo tempore conscripta faciunt mentionem. Ergo non pro vero Sacramento, sed pro officio temporario, quod Ecclesia posset ad libitum abrogare, ordinatio Diaconissarum habita est.

Inst. 1. Atqui Diaconissarum consecratio, vera & proprie dicta, sive Sacramentalis ordinatio, antiquis temporibus fuit. Ergo &c.

Prob. subs. Ex comparatione ordinationis Diaconissarum, cum ordinatione Diaconorum: tantum enim una alteri, quantum ovum ovo similis erat: utraque manuum impositione, & ad ministerium rite obeundum, Sancti Spiritus invocatione fiebat: in utraque, colla ordinati imponebatur *Orarium*, sive *Stola*: in utraque communio Corporis & Sanguinis Christi ad altare porrigebatur: utrique calix benedictus, & Christi Sanguine plenus, in manus tradebatur: utrim-

utrimque æquale meritum, & par virtutis ac sanctitatis requirebatur opinio: quemadmodum enim de Diaconis dictum: (*Act.* 6, 3) *considerate, fratres, viros ex vobis, boni testimonii septem, plenos S. Sancto & Sapientia, quos constituamus super hoc opus*: ita de muliere ad Diaconatum promovenda præscripsit Apostolus: (1 *Timot.* 5, 9, & *seq.*) *vidua eligatur*, . . . *in operibus bonis testimonium habens* . . . *si omne opus bonum subsecuta est*.

Jam sic argumentum instruitur.

Ubi ritus duo occurrunt, per omnia æquales ac similes, de utroque idem ferendum judicium, unde vel de utroque negandum, quod vere Sacramentum sit: vel si alterutri titulus ille tribuitur, iniquum fuerit alteri detrahere; atqui consecratio diaconorum veris & proprie dictis legis Evangelicæ Sacramentis annumeratur: idem ergo de Diaconissis dicendum.

R. Nego subs. ad probat. fateor, si ritum externum spectes, tantam ordinationis Diaconissarum cum Diaconorum consecratione fuisse similitudinem, quanta major esse non potest: ad argumentum inde ductum, concessa majore & minore, nego conseq. & paritatem. Ratio est, quia non ab externo tantum ritu, veri & proprie dicti Sacramenti natura pendet; sed debet præterea ex effectu, subjecto, & officio æstimari: quorum aliquod si cum genuina Sacramenti Evangelici notione constare non possit; a ritu exteriori petita argumentatio, frustra erit: quemadmodum igitur superius observatum est, reconciliatoriam consecrationem, qua olim redeuntes ab hæresi aut schismate, in gradus suos restituebantur, non fuisse veri nominis Sacramentum: tum quia ordinationis, indelebilis est character; tum quia reconciliatio hæc, licet facie tenus ordinationis prius acceptæ simillima, effectum Sacramentalem ex se non habebat: sic dicimus in præsenti, ordinationem Diaconissarum, exteriori licet apparatu, Diaconorum consecrationi æqualem, efficacia longe diversam fuisse; tum propter impedimentum subjecti, mulieris scilicet, quæ ubi de Ecclesia agitur, *hujus functionis magnitudini cedat oportet*, ut loquitur S. Joannes Chrysost. supra cit. tum propter defectum virtutis, quam ritus externus non habet, nisi quatenus subjecto idoneo applicatur: tum denique ratione officii quod Diaconissis longe diversum ab officio Diaconorum imponebatur: Diaconi enim ordinatione sua in partem sacerdotii veniunt, & promoventur ad Hierarchicas functiones: Diaconissis nihil, præter ministerium caritatis committebatur.

Inst. 2 Atqui Diaconissarum ordinatio, non solum externo ritu, sed etiam virtute & efficacia ordinationi Diaconorum similis erat. Ergo &c.

Prob. subs. Testimoniis Patrum.

Tertullianus Diaconatum mulierum cum presbyteratu, ipsoque Episcopatu conferens: *quantum*, inquit, (*lib.* 1 *ad uxor. cap.* 7) *fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere*, (1 Tim. 3, 2) *cum viduam adlegi in ordinationem, nisi univiram, non concedit*. (ib. 5, 9)

Concilium *Nicænum* I postquam statuit clericos *Paulianistas*, repetito baptismate Ecclesiæ reconciliatos, posse denuo ab Episcopo Catholico ordinari; de Diaconissis sic præscribit: (*Can.* 19) *similiter autem & de Diaconissis, & universe de iis qui in clero recensentur, eadem forma servatur*.

Concilium *Chalcedonense* (*ann.* 451): *Diaconissam*, inquit, (*Can.* 14) *ante annos* 40 *non debere ordinari statutimus, nec sine summo libamine: si vero ordinatione suscepta, postquam aliquantum temporis in ministerio permanserit, se ipsam tradiderit nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens: anathematizetur hujusmodi, cum eo qui ejusdem fuerit copulatus*.

Hinc sic conficitur argumentum:

Earum ordinatio, non ritu tantum externo, sed etiam virtute & efficacia, Diaconorum ordinationi similis erat, quæ clero non secus ac reliqui ministri accensebantur; atqui Diaconissas clero fuisse adscriptas, ex locis citatis est evidens. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. recipio auctoritatem, & nego maj. Quod enim clero Diaconissæ accenserentur, causa erat non Sacramentalis ordinatio, quam in illis numquam agnovit Ecclesia; sed deputatio ad aliquam ministerii Ecclesiastici partem, speciali benedictione accepta: quemadmodum enim clerici generatim dicuntur, qui prima tonsura insigniti, Deum solum voluerunt esse hæreditatis suæ partem: ita nihil obstabat, quominus in clero censerentur piæ mulieres, quæ temporalibus curis relictis, & sæculi vanitate contempta totas se juvandis pastoribus, & exercitio caritatis devoverant: hinc S. Epiphanius supra laudatus, licet Diaconissas de clero esse contendat; negat tamen ordinationem Sacramentalem habere: *quamquam*, inquit, *Diaconissarum in Ecclesia ordo sit; non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur &c.*

Inst. 3. Ex Patribus Chalcedonensibus, Diaconis-

conissæ quæ manuum impositione accepta, & aliquantum temporis in ministerio commoratæ, se ipsas tradebant nuptiis, gratiæ Dei injuriam faciebant, & debebant in tanti ultionem facinoris excommunicari. Ergo ex eorum mente hæc manuum impositio gratiam conferebat: atque adeo erat Sacramentalis, & Diaconorum ordinationi æqualis.

R. Concesso ant. n. conseq. Quæ enim ad Diaconatum promovebantur, sive matrimonium expertæ forent, sive in virginitate mansissent, se ipsas voto perpetuæ continentiæ obligabant: merito ergo dicuntur a Patribus gratiam Dei in ludibrium vertere, quæ propositi sui, & status immemores, ad quem, Deo miserante, vocatæ erant, nuptias contrahebant. Jam si quis verba Chalcedonensis canonis de gratia intelligi velit, in ipsa ordinatione, accepta: ita per nos licet, contendat, modo gratiam hanc non operi *operato*, sed operi *operantis* adscribat.

Quorsum ergo, *inquies*, si Sacramentum non erat, ordinatio Diaconissarum, cum omnibus Sacramentalis ordinationis cæremoniis ex Ecclesiæ præscripto conferebatur?

R. Si quem difficultas hæc moveat ad credendum Diaconatum mulierum pro vero ordine habitum; pari ratione tenebitur, benedictionem abbatis, œconomi, Archidiaconi, & pleraque id genus officia, veris ordinibus computare, quæ constat, ritu veræ ordinationi simillimo, ab antiquo collata esse. Quod cum fidei & sanæ doctrinæ repugnet, dicendum, ideo ordinationem Diaconissarum Sacramentali pompa celebratam, non quod revera haberetur pro Sacramento; sed ut a cæteris fœminis speciali benedictione distinguerentur, utque externo hoc apparatu admonerentur, non debere se in posterum negligere suscepti officii partes, nec animum ad nuptias & sæcularia negotia revocare.

Inst. 4. Virgines Sanctimoniales, præsertim vero Abbatissæ, videntur consecrari vera & Sacramentali ordinatione. Nam,

1. Per eam quam accipiunt benedictionem deputantur, ut publico cantu, inter missarum solemnia modulato, sacerdoti sacrum facienti respondeant: quæ pars est sacri ministerii haud equidem infima.

2. Abbatissæ in subditos sibi clericos jurisdictionem exercent; eosque officii & beneficii suspensione mulctare possunt: quod non obscure innuit *Honorius III* sæculo 13 summus Pontifex, ad quemdam Abbatem, (*a Sancto Michaele Abradensi*) sic scribens: (*cap.* dilecta: *de majoritate & obedientia*) *Dilecta in* in *Christo filia Abbatissa*, (de Brubrige) *transmissa nobis petitione monstravit, quod cum ipsa plerumque canonicas suas, & clericos suæ jurisdictioni subjectos, propter inobedientias & culpas eorum, officio beneficioque suspendat: iidem confisi ex eo quod eadem Abbatissa, eos excommunicare non potest, suspensionem hujusmodi non observant; propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti: quocirca mandamus quatenus dictas canonicas & clericos, ut Abbatissæ prælatæ obedientiam & reverentiam debitam impendentes, ejus salubria monita & mandata observent, Ecclesiastica censura compellas*. Ergo &c.

R. Nego antec. & adjuncta argumenta sic resolvo.

Ad 1 quidem nego, sanctimoniales ad ministerium altaris ulla ratione deputari: nec obstat quod opponitur, eas sacerdoti sacrum facienti concinere: si quid enim hoc argumentum probaret, ad laicos ipsos extenderetur, qui non solum ad cantum solemnem admittuntur, sed etiam Presbytero missam celebranti assistunt inserviuntque; itaque cantus modulatio, ad officium quidem sacrum, & laudum divinarum celebrationem pertinet, ad quam ipsæ mulieres usu antiquissimo jureque merito admittuntur: sed pro ministerio sacro, de quo agimus in præsenti, vel pro aliqua ejus parte haberi non potest: mulieribus enim, quantamlibet vitæ sanctitatem profiterentur, nusquam licitum fuit, sacris se altaribus immiscere: *non oportet mulieres ingredi ad altare*, ait Concilium Laodicenum (*sæc.* 4) can. 44 .... *impatienter audivimus*, inquit *Gelasius* I, 5 sæculo Pontifex Max. (*in Ep. ad Episcopos Lucaniæ, decr.* 26) *tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut fœminæ sacris altaribus ministrare ferantur* .... & sæculo 13 *Innocentius IV* ad *Othonem* Cardinalem Tusculanum Episcopum scribens: *mulieres autem*, inquit, (*Ep.* 10, *c.* 4) *servire ad altare non audeant; sed ab illius ministerio omnino repellantur*.

Ad 2 dico, benedictionem quæ Abbatissis impenditur, meram cæremoniam esse, in qua Episcopus cum Ecclesia Deum precatur, ut electis Abbatissis, familiæ sibi commissæ bene administrandæ gratia largiatur. *Cunctorum bonorum institutor Deus*, ait Pontifex, (*vide Pontificale Roman. de benedictione Abbatissæ*) *qui per Moysen famulum tuum, ad gubernandas Ecclesias præpositos instituisti, tibi supplices fundimus preces, teque devotis mentibus exoramus, ut hanc famulam tuam, quam communis electio famularum tuarum, Abbatissam ovium tuarum esse constituit, protectionis tuæ gratia munire digneris; sicque regere subditas, commendatasque oves concedas*,

ut

Digitized by Google

ut cum illis omnibus regna cœlorum adipiſcatur &c. . . . . Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſi Mariam, præeuntem cum cæteris mulieribus, inter æquoreas undas cum tympanis & choris, lætam ad littus maris venire feciſti, te ſupplices deprecamur, pro hac fideli famula tua, quæ hodie ſuper univerſas ſibi ſubditas Abbatiſſa conſtituitur; ut ita monaſtica vel canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, ſibi commiſſas, quatenus ad æternam gloriam, te auxiliante, cum omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum Angelis, canens cantica nova, ſequatur agnum quocumque ierit, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: qui tecum &c.

Ad auctoritatem *Honorii III* reſpondent juris canonici periti, a Pontifice Max. non definiri, Abbatiſſam, de qua loquitur, poteſtatem habere decernendæ ſuſpenſionis proprie dictæ, cujus infractio irregularitatem inducat; ſed improprie dictæ, quæ nihil aliud quam mera & ſimplex prohibitio ſit; immo, *inquiunt*, ſi decreti textus attendatur, omnem ei ferendæ ſuſpenſionis poteſtatem denegari evidens eſt. Abbati enim ad quem hanc Epiſtolam dirigit, præcipit Sum. Pontifex, ut eoſdem clericos Eccleſiaſtica cenſura compellat, ad debitam obedientiam Abbatiſſæ præſtandam. Ergo facultatem hanc penes ipſam non eſſe ſignificat: & vero ſuſpenſionis propriæ, & cujusvis Eccleſiaſticæ cenſuræ ferendæ poteſtas ad *Claves* Eccleſiæ pertinet; atqui clavium poteſtatem nusquam mulieribus eſſe commiſſam, certa & Catholica doctrina eſt, quam novo decreto confirmans *Innocentius III* immediatus *Honorii III* in ſede Apoſtolica anteceſſor, quarumdam ſui temporis Abbatiſſarum præſumptionem ſic reprimit: *nova quædam*, inquit, (*de pœnit. & remiſſion.*) *noſtris ſunt auribus intimata, quod Abbatiſſæ, moniales proprias benedicunt, ipſarum quoque confeſſiones in criminibus audiunt, & Evangelium præſumunt publice prædicare. Cum igitur id abſonum ſit, pariter & abſurdum; mandamus, quatenus ne id de cætero fiat, curetis firmiter inhibere: quod licet Beatiſſima Virgo Maria, dignior & excellentior fuerit Apoſtolis univerſis; non tamen illi, ſed iſtis Dominus claves Regni cœlorum commiſit.*

Inſt. 5. Fertur, 9 Eccleſiæ ſæculo, mortuo *Leone IV* Pontifice Max. antequam in ejus locum *Benedictus III* ſuccederet, fœminam quamdam *Joannam Papiſſam* dictam, ſexu ementito, annis 2, menſibus 5, diebus 4, ſedem Apoſtolicam tenuiſſe: nec ab hæreticis tantum, quibus utpote Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimis adverſariis, facile non creditur, hiſtoria illa vulgata eſt; ſed etiam a ſcriptoribus apprime Catholicis: nimirum a *Mariano Scoto* ordinis S. Benedicti Monacho, ſæculi 11 Scriptore; cui in poſterum conſenſerunt, *Martinus Polonus* Ordinis Prædicatorum, *Nicolai III* Pontificis Max. pœnitentiarius: *Sigebertus* in Chronico: (*ad an.* 854) *Vincentius Bel'ovacenſis*, Ordinis Prædicat. *in ſpeculo hiſtoriali*: *S. Antoninus*, parte 2 Chronicorum, tit. 16, c. 1, §. 6: *Platina* in vitis Pontificum: aliique longe plures.

Quid quod in majori templo civitatis Senenſis, inter Romanorum Pontificum ſtatuas, *Joannæ Papiſſæ* collocata effigies quondam viſebatur, quam mutatis muliebris formæ lineamentis, in *Zachariæ* Pontificis imaginem verſus finem ſæculi 16 ſub Pontificatu *Clementis VIII* primo transformatam, ſæculo deinceps 17 *Alexander VII* ex urbe Senenſi oriundus, ab eodem templo auferri juſſit, ut omnem hujus rei memoriam aboleret.

Si ergo ſimplex mulier Pontificatum Maximum exercuit, quanto magis ad Diaconatum & Presbyteratum poterit promoveri.

R. 1. Etiamſi concederetur, errore facti ſimplicem mulierem, ad ſummum Pontificatum evectam, non magis inde ſecuturum, fœminam ſacræ ordinationis ſubjectum eſſe idoneum, quam ſi quis contenderet, ad Presbyteratum baptiſma non prærequiri, quia aliquando contigit quempiam, nondum ſuſcepto baptiſmate ordinari: aut ſi contra præſcriptum Apoſtolicum vellet, poſſe hominem non infirmum Sacramento extremæ unctionis donari, quia interdum bene valentes oleo inungi accidit vel accidere potuit. Quemadmodum itaque ſummo jure foret invalida ordinatio quæ nondum baptizato conferretur, ita irrita fuiſſet Papiſſæ *Joannæ* promotio, nihilque ab illa foret niſi inutiliter, ſub obtentu Pontificatus chimerici attentatum: unde argumentum, etiamſi vera ſupponeretur hiſtoria, nihil contra nos faceret.

R. 2. Anilem hanc fabulam eſſe, ab otioſis hominibus adinventam, cæca vulgi credulitate probatam, & ab hæreticis, odio Romanæ Sedis, exaggeratam, ad cujus confutationem egregie operam navarunt, inter Catholicos, Baronius, Bellarminus, Leo Allatius, Natalis Alexander, & alii quamplures; ex hæreticis vero, David Blondellus, & Dallæus Calviniani miniſtri; his potiſſimum moti rationibus, quas breviter refero.

1. Eſt, Scriptorum Eccleſiaſticorum ſæculi 9 & 10 auctoritas, conſenſu unanimi atteſtantium, *Leoni IV* anno 855, die 27 Julii, vita functo, ſtatim & immediate *Benedictum III* ſubrogatum: ſic enim memoriæ prodiderunt,

runt, *Lupus* **Abbas Ferrariensis**, Ep. 103 ad *Benedictum III* data: *Ado* Viennensis in Chronico: (*ad an.* 855) *Anastasius* Bibliothec. in vita *Benedicti III*, *Hincmarus* Archiepiscopus Remensis Ep. 26, *Flodardus* in libro metrico de Romanis Pontificibus, & alii multi.

2. Est, quod *Photius* Constantinopolitanæ sedis invasor, idemque Romanæ Ecclesiæ hostis infensissimus, & *Metrophanes* Smyrnæus, implacabili in Latinos odio incitatus, qui sæculo nono vixerunt, *Benedictum*, immediatum *Leonis* successorem agnoscant, de Papissa nec verbum habeant: hoc tantum Sedis Romanæ dedecus minime prætermissuri, si revera Thronum Pontificium conscendisset.

3. Est, quod *Joannæ* Papissæ historia, nullo coævorum aut suppariorum Scriptorum testimonio roborata, pene ducentesimo post Leonis IV obitum anno vulgari cœperit, multisque deinceps ornata circumstantiis fuerit a recentioris ævi Scriptoribus qui *Marianum* secuti sunt: quod argumentum certissimum est, anilem & inconditam esse fabellam.

4. Est, quia *Mariano Scoto*, *Martino* Polono, *Sigeberto*, aliisque in objectione memoratis Scriptoribus, falso historiam hanc esse attributam, momentis haud sane contemnendis probatur. Nam præterquam quod emunctæ naris historicis, commentum tam putidum arridere potuisse, instar prodigii esset; res modo notissima est, & a criticis accuratissimis attestata, in sinceris *Mariani Scoti*, & aliorum manuscriptis & antiquioribus codicibus, nihil tale reperiri: qua de re consuli possunt, *Leo Allatius* in confutatione fabulæ de Joanna Papissa, *Natalis Alex.* dissert. 3 in historiam Ecclesiasticam sæculi 9 & 10, & alii longe plures.

Nec quemquam movere debet, quod de statua templi Senensis, revera Papam fœminam exhibentis opponitur. Sculptoris enim imperitiæ, aut licentiæ erratum hoc tribuendum; illud poetæ revocandum memoria:

> ..... *pictoribus atque poetis*,
> *Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Jam si quæratur, male consutæ fabellæ, quæ origo, vel occasio fuerit?

R. Præ cæteris arridere conjecturam Baronii ejus originem repetentis a nimia facilitate *Joannis VIII* Pontificis Max. peneque fœminea imbecillitate, qua, posthabitis Concilii Œcumenici Constantinop. decretis, *Photium* invasorem in Patriarchicum Thronum restituit.

Hinc puto factum, inquit, (*ad an.* 879) (*si quæ tamen veritatis vel saltem species, in mendacio apertissimo esse potuit*,) *quod ob nimiam animi facilitatem & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus* (*Joannes VIII*) *non Papa, ut* Nicolaus I, & Adrianus II, *sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus* . . . . . *& sic nomen contumeliæ transierit*, (*posteris rerum insciis*) *in veritatis opinionem: atque ita a pluribus decantatum fuerit*, Joannem VIII *Papam fuisse fœminam: sicque jactata vulgo eo modo locum invenerit fabula.*

Inst. 6. Romæ in Basilica Lateranensi asservatur etiamnum sella perforata, quam *stercorariam* vocant, in qua recens electus Pontifex sedet, ejusque sexus exploratur, antequam consecretur; atqui hujus ritus non alia causa esse potuit, nisi quia olim mulier quædam ementito sexu & habitu, Pontificatum arripuit. Ergo &c.

R. Præterquam quod argumentum, etiamsi aliquid veritatis haberet, nihil contra nos faceret, quippe qui de solo jure, non de factis contra divinam legem agimus, (quale sane foret, si quæ aliquando mulier esset per errorem ad Pontificatum evecta:) Respondeo, inquam fætoris ac mendacii plenam esse objectionem: falsissimum enim est, ad turpissimum, qui fingitur usum, fuisse sellam hanc destinatam. Nam nec perforata quidem est, ut observavit Doctissimus *Mabillonius*, (*in Musæo Italico Tom.* 1, *par.* 1) qui propriis eam inspexit oculis; itaque *stercoraria* dicta est, propter causam longe sanctiorem, alludendo nimirum ad versum 7 Psalmi 112, qui Pontifice recens electo in ea sella sedente, canebatur in choro, *suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem*: ut inde se intelligeret ex humili loco ad supremum gloriæ ac potestatis fastigium sola Dei miseratione, non meritis suis evectum.

Cæterum advertat lector, ritum hunc quamquam de se sanctum & insinuandæ humilitati admodum oportunum, a 200 circiter annis, ut suspicatur *Mabillonius*, (*ibid.*) abrogatum; ne nimirum fabulæ de *Joanna Papissa*, quæ per ora omnium hoc tempore volitabat, fidem aliquam & auctoritatem addere, ejus continuata observatio videretur.

Inst. 7. Mulier Regno politico potest præfici: pariter ergo potest veri nominis ordinem suscipere, & præfecturam spiritualem habere.

R. concesso ant. n. conseq. & paritatem: tum quia nemo ad præfecturam Ecclesiæ debet admitti, nisi quem Christus supremus legislator voluerit; noluit autem fœminas in ministerii sacri partem venire; tum quia regnum Christi longe perfectius est terreno quolibet

libet principatu: unde conveniens fuit ab ejus administratione sexum muliebrem excludi.

Inst. ultimo. Officium Prophetæ majus est officio Sacerdotis: Propheta enim medius est, Deum inter & sacerdotes, sicut sacerdos inter Deum & populum; sed Prophetæ officium aliquando mulieribus est concessum, ut patet 4 Reg. 22, v. 14, & seq. Ergo & sacerdotii officium eis competere potest.

R. Verbis S. Thomæ. *Dicendum*, inquit, (*suppl. qu.* 3, *art.* 1, *ad* 1) *quod Prophetia non est Sacramentum sed Dei donum: unde ibi non exigitur significatio, sed solum res: & quia secundum rem, in his quæ sunt animæ, mulier non differt a viro; cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam, multis viris: ideo donum Prophetiæ, & alia hujusmodi potest recipere, sed non ordinis Sacramentum* .... Ita Angelicus Doctor: addiderim, in hoc maxime Prophetiam ab ordinatione sacra differre; quod ista, non illa veram conferat jurisdictionem & spiritualem erga cæteros potestatem, quam Christus noluit muliebri sexui ulla ratione deferri.

Verum de hac quæstione plusquam satis. Sequitur

QUÆSTIO NONA.

De dispositionibus ordinationi præmittendis.

QUO sanctius est sacri ordinis ministerium, eo sanctiorem esse oportet, qui tanti honoris fit particeps; itaque præcipuam hanc quæstionem prætermittere non debemus: quam ut perspicue explicemus, 1 erit dicendum de ordinationis impedimentis: 2 de dotibus & conditionibus ad eam necessario afferendis. Quapropter sit

CAPUT PRIMUM

De ordinationis impedimentis.

AB ordinum susceptione vel executione generatim arcentur omnes, qui extra regulam sunt, sive qui qualitates regula præscriptas non habent; unde irregulares dicuntur: est enim irregularitas, *impedimentum canonicum, acceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut eorum usum directe impediens, etiam acta pœnitentia.*

Dicitur 1. *Impedimentum canonicum*, jure nimirum naturali, aut positivo, sive divino, sive Ecclesiastico constitutum; quo quisquis ligatus fuerit, ab ordinibus suscipiendis, aut exequendis est repellendus: horum obstaculorum in unoquoque genere non desunt exempla.

Dicitur 2 acceptionem aut usum ordinum *directe impediens*: qua ratione distinguitur ab Ecclesiastica censura, quæ non nisi *indirecte & ex consequenti* ordinum susceptioni aut executioni obicem ponit. Non enim *directe ac primario* ideo excommunicatio, interdictum, aut suspensio alicui infligitur, ut ordines non recipiat; aut eorum non impleat functiones: sed ideo quia qui excommunicatus est, suspensus, vel interdictus, consequens est, ut ad ordines admitti non debeat, eorumque executione privetur.

Dicitur 3, impediens, *etiam acta pœnitentiæ*, quod antiquissima disciplina est præfinitum: licet enim foret Patribus persuasum, crimina etiam gravissima per pœnitentiam expiari; qui tamen eorum aliquando rei fuissent, ab omni spe suscipiendi aut exequendi ordinis decidebant, eo quod irreprehensibiles dici non possent, ad sensum Apostoli præscribentis, *oportere Episcopum irreprehensibilem & sine crimine esse, & testimonium habere bonum, etiam ab iis qui foris sunt.* (1 *Tim.* 3, 2, & 7. *Tit.* 1, 7) Quid autem fuerit in hac parte mutatum aut emollitum dicetur inferius.

Et hæc quidem definitio quamquam bona, non omnem tamen irregularitatem comprehendit; altera enim ejus est species, in quam non propter crimen, sed propter quosdam animi corporisve defectus incurritur; qui licet ab omni culpa vacui sint, subjectum tamen in quo reperiuntur, ita deformant, ut vel repugnet, vel non deceat ab eo ordines exerceri.

Duplex itaque irregularitas est, altera ex defectu, altera ex crimine ortum habens: de utraque, quid sit, & quam late pateat, distincte dicemus: deinde dubia quæ supererunt, diluemus.

§. PRIMUS.

De irregularitate ex crimine.

Hoc impedimentum est ab ipsis Apostolis constitutum: *oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem*, ait S. Paulus supra laudatus, (*Tit.* 1, 7) ... *oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* (1 *Tim.* 3, 2) Idemque præscribens de Diaconis: *hi autem*, inquit, (*Ib. v.* 10) *probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes* ..... *Eaque lex*, ait S. Hieronymus in hunc locum, *sic intelligenda est, ut, non eo tempore quo quis ordinandus est, sine ullo crimine sit, &* pra-

præteritas maculas nova conversatione diluerit; sed ex eo tempore quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur. . . . itaque beatis Ecclesiæ nascentis temporibus, quando agebatur de ministris ordinandis, non quærebatur qualis quisque ante baptismum in Idololatria, vel in Synagoga fuisset; sed qualem post baptisma susceptum vitam duxisset: quam si crimine aliquo temerasset, non poterat ad gradus ordinis, etiam acta pœnitentia promoveri; tum quod peccatum ejus, quamquam lacrymis & pœnitentiæ laboribus expiatum, adhuc tamen in hominum memoria permaneret; tum quod, etiam popularibus sparsum non esset rumoribus, semel a diabolo victus, præsumeretur in crimen facile oblata occasione relapsurus.

Acceptam ab Apostolis disciplinam, antiqui canones confirmarunt.

Ex pœnitentibus, ait Concilium Carthag. 4 (*ann.* 398) can. 68, (*quamvis sit bonus*) *clericus non ordinetur: si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem: si autem sciens Episcopus, ordinandi duntaxat potestate privetur.*

Eodem circiter tempore *Siricius* Pontifex Max. de iis loquens qui peracta pœnitentia publica, reconciliatione donati erant: *illud quoque*, inquit, (*Ep.* 1, *cap.* 14) *nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere, cuiquam non conceditur clericorum; ita & post pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam laico liceat, honorem clericatus adipisci: qui quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati; nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.*

Cui consentiens *Innocentius I* Siricii, uno intermedio *Anastasio*, ineunte sæculo 5 successor: *ubi pœnitentiæ remedium necessarium est*, inquiebat, (*Ep.* 22 *ad Episcopos Macedoniæ*) *ordinationis honorem locum habere non posse decernimus.*

Ejusdem disciplinæ testis antiquior *Origenes* 3 sæculi scriptor, in libris contra *Celsum* affirmat, Christianos post baptismum lapsos, rursumque resipiscentes, haud aliter tandem in gratiam recipi, post longiorem vitæ probationem, quam cum primum ad religionem discendam admitterentur: *ea tamen conditione*, inquit, *ut quoniam lapsi sunt, excluduntur in posterum ab omnibus dignitatibus, & magistratibus Ecclesiasticis.* Quod non ita accipi debet, quasi publicam pœnitentiam agere, malum aliquod putaretur: sed quod pœnitentia ipsa, mali patrati indicium, & testificatio, adeoque ab ordinibus exclusio foret.

Hoc porro impedimentum non tantum ab ordinibus suscipiendis, sed & ab eorum qui jam suscepti forent executione arcebat. *Pervenit ad nos*, ait S. Gregorius Pontifex Max. (*Epist. lib.* 3, *Ep.* 26, *ad Januar. Calarit.*) *quosdam de sacris ordinibus, lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante, ad officii sui ministerium revocari: quod omnino prohibemus, & in hac re sanctissimi canones contradicunt: qui igitur post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad ministerium ulterius non accedat.*

Pari sensu *S. Martinus* sæculo 7 Sum. Pontifex: *qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit*, inquit, (*in Ep. ad Amandum Episcopum Trajectensem*) *deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci: sed sufficiat lamentationibus, & fletibus assiduis, quousque advixerit, in eadem pœnitentia perdurare, ut commissum delictum divina gratia extinguere valeat.*

Jam vero cum crimen aliud sit occultum, aliud publicum; quæri potest an per utrumque indifferenter irregularitas contrahatur? quam quæstionem dico varie pro varietate temporum resolvendam.

Primis enim temporibus, quando agebatur de sacris eligendis ministris, distinctio hæc non fiebat; sed una regula erat, a sancto ministerio propellendos, qui in grave quodvis peccatum, sive clanculum, sive publice incidissent: non enim qualis quisque publica opinione putatus esset, sed qualis revera fuisset, expendebatur: porro non minus in se malus est, qui occulte, quam qui publice peccat: nec minus in se grave est adulterium, e. c. cujus duo tantum ejus authores conscii sunt, quam si in multorum notitiam, cum scandalo venerit: antiqui rigoris extant certissima documenta: *si qui Presbyteri sine examine sunt promoti*, ait Concilium Œcumenicum Nicænum I, (*Can.* 9) *vel cum examinarentur peccata sua confessi sunt, & confessis contra regulam venientibus, antiqui manus imponere tentaverunt: tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia . . . .* (*Can.* 10) *quicumque de lapsis ad clericatum, per ignorantiam, vel per dissimulationem ordinantium sunt promoti: hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ, cum enim compertum fuerit, deponantur . . .* Pari sensu Canon Apostolicus 60: *si*, inquit, *accusatio contra fidelem instituatur de fornicatione, aut de adulterio, aut quacumque alia actione prohibita, & convictus fuerit, in clerum ne admittatur ....* & Concilium Eliberitanum, can. 30 statuit, *subdiaconum ordinari non debere*, qui

qui *in adoleſcentia ſua mœchatus*, eo quod *poſtmodum per ſubreptionem, ad altiorem gradum non ſit promovendus: ſi autem aliqui ſunt in præteritum ordinati, amoveantur...* nec alium ſenſum habent ſupra memorata *Siriaci* verba: (*epiſt.* 1, *c.* 14) *poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipiſci, quia... nulla debent gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum*: vaſa enim eſſe vitiorum omnibus ſine diſcrimine convenit, qui ſive ſecreto, ſive publice peccant.

Et hæc quidem diſciplina ad undecimum uſque ſæculum intacta permanſit: ante hanc enim ætatem publicorum criminum ab occultis diſtinctionem, ubi de ſacris ordinationibus ageretur, nullibi factam reperies: poſt annum vero milleſimum cœpit quorumdam mitioribus ſententiis priſca ſeveritas emolliri, & ad ſolum delictum publicum irregularitas *ex crimine* coarctari: quorumdam *inquam* ſententiis: hanc enim diſtinctionem nondum hoc tempore, univerſali conſenſione receptam, invicte probat *Urbani* II Pontificis Max. reſponſum, his verbis conceptum: *de presbyteris, diaconis, & ſubdiaconis, qui poſt acceptum ordinem, in aliquod crimen lapſi fuerunt, ſive palam, ſive clam, conſtat quidem ſecundum canonum cenſum, ab Eccleſiaſticis eos officiis inhiberi: tuæ tamen prudentiæ, diſcretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ nota non fuerint aſperſi, neceſſitate Eccleſiæ urgente, & ipſorum Sancta converſatione promerente, in ſuis gradibus recuperari debeant: hoc autem ſecundum indulgentiam dico, non ſecundum imperium.*

Alterum hujus rei, nec minus efficax ſuggerit argumentum *Petrus Damiani* ejuſdem 11 Sæculi ſcriptor, in opuſculo, cui *Gomorrhiano* titulum fecit: toto enim hoc libro contra Eccleſiarum præſules animoſe invehitur, qui lapſos in occultiſſimum pollutionis voluntariæ crimen, poſt actam pœnitentiam, promoveri ad ordines, aut ante ſuſceptos poſſe exequi affirmabant: *ut nobis videtur*, inquit, (*cap.* 3) *valde præpoſterum eſt, ut conſuetudinaliter hac purulenta contagione fœdati, vel ad ordinem provehi, vel in gradu perſiſtere audeant jam promoti: quia & rationi contrarium, & canonicis Patrum ſanctionibus probatur adverſum..... patet profecto, quia quem dignum morte crimen abjecerat, quælibet Religioſa vita ſubſequens ad ſuſcipiendum Eccleſiaſticum gradus ordinem non reformat: nec valet ad obtinendum honoris culmen aſſurgere, qui in mortalis culpæ barathrum non ambigitur cecidiſſe.*

At proxime ſecuto ſæculo 12, contraria doctrina prævaluit; communique Eccleſiæ conſenſu probata eſt, affirmans ſolo peccato publico, ad ſacram ordinationem, aut ejus executionem iter præcludi: *nec enim*, inquit S. Anſelmus qui hoc ineunte ſæculo floruit, (*lib.* 1, *ep.* 56) *apud Deum reprobatur officium alicujus, propter culpam quam ipſe ignoſcit; nec apud homines dedecoratur ſacri ordinis dignitas, propter perſonam cujus ipſi peccatum non cognoſcunt*: ejuſdemque ſententiæ *Yvo Carnotenſis*, conſultus de presbytero quodam, qui, ut confeſſus ipſe fuerat, gradum ſacerdotii fraudibus & mandaciis obtinuerat, *ſi*, inquit, (*ep.* 125) *in eo rigor canonum ſervaretur, omni tempore ab inordinate accepto officio ſuſpenderetur: ſed cum ſponte ſua admiſſum a ſe ſcelus confeſſus fuerit, ex indulgentia condonandum.*

Nemo vero huic doctrinæ majorem *Gratiano* auctoritatem conciliavit: ille enim in *decreto* poſtquam antiquos canones & patrum effata exſcripſit, quibus lapſi in crimen quodlibet, ab ordinum receptione & exercitio in perpetuum excluduntur; hæc teſtimonia de peccatis publicis poſſe explicari contendit: *poſſunt*, inquit, *ſic diſtingui præmiſſæ authoritates: quorum enim crimina manifeſta ſunt, ante vel poſt ordinationem a ſacris ordinibus dejiciendi ſunt: quorum autem peccata occulta ſunt, & ſatisfactione ſecreta, ſecundum Sacerdotis edictum purgata, in propriis ordinibus remanere poſſunt.*

Quæ quidem exceptio & interpretatio patrum, etſi a mente eorum penitus aliena, tantum a *Gratiano* authoritatis accepit, ut communi conſenſu probata ſit, & generali Eccleſiæ indulgentia acceptata: de quo ſi quis dubitet, legat Concilium *Trid.* ſeſſione 24 in decreto de reform. cap. 6 ubi: *liceat Epiſcopis*, inquiunt Patres, *in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare; & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari: idem & in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ eis tantum, non eorum vicariis, ſit permiſſum.*

Itaque juxta hodiernam diſciplinam, (excepto homicidio voluntario, etiam occulto) ſola crimina publica antiquo rigori obnoxia ſunt, & irregularitatem, ſtricte loquendo, inducunt: quæ autem & cujus ſpeciei delicta hæc ſint, pauliſper dicendum.

Digitized by Google

I.

Impedimentum ex infamia.

Infamiam, quamquam crimen ipsa non sit, sed dedecus & opprobrium secutum ex crimine, collocari mos est inter delictorum irregularitates: latissime istud impedimentum extenditur, ad omne videlicet crimen, quod sinistri rumoris causa & occasio fuit: habet in ipsa natura fundamentum hæc interdictio ab ordinibus suscipiendis vel exequendis; & vero si in civili republica, infames ab exercendis officiis ac negotiis politicis repelluntur: quanto magis debet in sacro, omniumque sanctissimo Ecclesiæ ministerio, lex illa admitti? hinc ab Apostolo tam graviter ac stricte præscriptum, *oportere Episcopum, testimonium habere bonum, etiam ab iis qui foris sunt*: hinc antiquis canonibus, ut prædiximus, constitutum, neminem qui publice pœnitentiam egisset, debere ad ordines eligi, propterea quod quantumlibet vita sequens innocens foret, pœnitentiæ anteactæ memoria, criminis pariter testificatio esset: hinc denique, ut alia multa præteream, a Concilio Trid. sic statutum: (*sess.* 23, *in decr. de reform. cap.* 5) *ad minores ordines promovendi, bonum a Parocho & a magistro scholæ in qua educantur, testimonium habeant: hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri cui magis expedire videbitur committat, ut nominibus ac desiderio eorum qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, a fide dignis diligenter inquirat; & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem facta m continentes, ad ipsum Episcopum quam primum transmittat.*

Est autem infamia duplex: juris, & facti.

Infamia juris, jure ipso inducitur, consequenter ad sententiam judicis, qua quis reus est denunciatus.

Infamia facti est, quam gravia crimina suis authoribus inferunt, ubi primum nota sunt & pervulgata: etiamsi judex sententiam nondum tulerit.

Utramque irregularitas comitatur, ut constat ex canone, *infames*: (*causa* 5, *q.* 6) & ex Regula juris 87 *in sexto*: *infamibus portæ non pateant dignitatum.*

Delicto vero, aut præsumpto infamia peræque contrahitur: ideoque innocens, qui præsumptionibus, falsis testimoniis, aut confictis instrumentis oppressus, capitali pœna, exilio, carcere, aut ad triremes in foro sæculari damnatus est; aut Ecclesiastica sententia reus judicatus, ab omni ordine vel suscipiendo vel exercendo propellitur, ut ex canonibus constat, qui *causa* 2 qu. 5 leguntur, & toto titulo de *purgatione canonica*.

Infamia *facti*, notoria morum emendatione, infamia *juris*, purgatione canonica, aut Summi Pontificis dispensatione abstergitur: quantumvis igitur aliquis sit testimonio propriæ conscientiæ innocens, si juridice sit damnatus; tenetur in foro exteriori, pro irregulari se gerere, donec causa retractata, ejusdem, vel superioris judicis sententia fuerit absolutus; vel dispensationem a sede Apostolica obtinuerit.

II.

Impedimentum ex mutilatione, & illicito homicidio.

Quamquam vero grave quodcumque peccatum, auctori suo infamiam inurat ac dedecus; regula tamen invaluit, non quocumque crimine, sed solis casibus a jure expressis in irregularitatem incurri: hi autem præcipue sunt, *mutilatio, & illicitum homicidium, hæresis, & Apostasia a fide: indebita susceptio aut executio ordinis*: & denique *iteratio baptismi*: de quibus paulisper dicendum.

Atque ut ab homicidio auspicemur, neminem latet semper fuisse inter gravissima crimina reputatum: *si quis*, inquit Deus in Exodo, (21, 14) *per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*: & vero cum homicidium de horum peccatorum numero sit, pro quibus expiandis, publica olim plurium annorum pœnitentia imponebatur; consequens fuit, ut qui eo fœdati essent, perpetuo irregulares manerent, & a sacris functionibus, sine spe reditus arcerentur: „ miror, *inquiebat* „ 9 *sæculo Joannes VIII Pontifex Max. ad* „ *Episcopum quemdam rescribens*: (*apud Gratian. dist.* 50, *can.* 4) minus doctam scien„ tiam tuam, sacerdotem putare post perpe„ tratum homicidium posse in sacerdotio mi„ nistrare: imo (quod est ineptius,) nobis „ suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni „ præberemus assensum: quis enim tam de„ mens, tamque perversi sensus, tale quid „ æstimaret, vel post quantamcumque pœni„ tentiam concedendum; cum omnino sit ca„ nonicæ disciplinæ contrarium? debet ergo „ sacerdotio privatus, lacrymarum fonte fla„ gitium tam immane diluere, ut talibus sal„ tem remediis curatus, salutis possit inveni„ re suffragium. "

Irregulares itaque sunt, quicumque facto, præ-

præcepto, consilio, adhortatione, auxilio, aut defensione, ad necem hominis, vel mutilationem concurrunt: cujus disciplinæ causam explicans S. Thomas: „ dicendum, *inquit*, (*supp. quæst.* 39, *art.* 4, *in C.*) quod omnes ordi- „ nes referuntur ad Eucharistiæ Sacramen- „ tum, quod est Sacramentum pacis nobis „ factæ per effusionem Sanguinis Christi: „ & quia homicidium maxime contraria- „ tur paci; & homicidæ magis conformantur „ occidentibus Christum, quam ipsi Christo „ occiso, cui omnes prædicti ministri Sacra- „ menti debent conformari: ideo de necessi- „ tate præcepti est, quod non sit homicida „ qui ad ordines promovetur; quamvis non sit „ de necessitate Sacramenti. “

Igitur est illud generaliter certum, irregularitati, quisquis alterum occidit, obnoxium fieri: sed variæ hic occurrunt difficultates, de homicidio aut ex necessitate, aut casu ac fortuito perpetrato, quæ majorem explicationem requirunt.

Q. Enim 1. utrum qui alterum ob propriæ vitæ defensionem, ac velut necessitate compulsus occiderit, debeat pro irregulari haberi?

℞. 1. Antiquitus irregulares fuisse, non solum qui meditato consilio, & malis artibus, verum & qui aliquem propriæ causa defensionis necassent: „ qui se Latronibus adversos „ objiciunt, *inquiebat* 4 *Sæculo S. Basilius*, „ (*ep. canon. ad Amphiloc. can.* 55) si sint „ quidem extra Ecclesiam, (*laici*) ab omni „ communione arceantur: si sint autem cleri- „ ci, a gradu deponuntur. “

Extat de hac re Nicolai I Pontificis Max. solemne decretum, a *Gratiano* relatum: (*dist.* 50, *can.* 6) „ de his clericis, *ait*, pro qui- „ bus consuluisti, scilicet, qui se defendendo, „ Paganum occiderunt, si postea per pœni- „ tentiam emendati possint ad gradum pristi- „ num redire, aut ad altiorem conscendere: „ scito nos nullam occasionem dare; nec ul- „ lam tribuere eis licentiam, quemlibet ho- „ minem quolibet modo occidendi: verum si „ contigerit ut clericus Sacerdotalis ordinis „ Paganum occiderit; multum sibi consulit, „ si ab officio Sacerdotali recesserit: satius- „ que est illi, in hac vita Domino sub infe- „ riori habitu irreprehensibiliter famulari, „ quam alta indebite appetendo, damnabiliter „ in profundum demergi... “ Clericus ergo homicida non restituebatur nequidem si in propriæ vitæ defensione Paganum quasi necessario & involuntarie occidisset.

R. 2. Juxta hodiernam disciplinam, qui alterum ad propriæ vitæ defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit, irregularem non fieri: quandonam autem cœperit pristinus rigor emolliri, certo statui non potest: 11 equidem sæculo adhuc antiqua disciplina vigebat: jam tamen, ut quidem videtur, in dubium mittebatur, num irregularitas esset, adversarium pro vitæ defensione occidere: consultus enim hoc tempore *Hilbertus* Metensis Episcopus ab *Yvone* Carnotensi, de quodam presbytero qui nefarium aggressorem propriam vitam tuendo necaverat: „ non vide- „ tur Sacerdotem reum Sanguinis, *inquit*, (*ep.* „ 60) oportere deinceps ministrare, quamvis „ tuendæ salutis necessitate homicidium in- „ currerit: *additque*: quod si similis casus in „ sua diœcesi contigisset, ipse reum ad Apo- „ stolicam misisset audientiam... “ quæ sane verba, titubantis magis sunt, quam definite respondentis.

Idemque apparet apertius, in *pœnitentiali Romano*, casum similem ita resolvente: (*cap.* 2, §. *de homicidio*) “ si sine odii meditatione, „ te tuaque liberando, hujusmodi Diaboli „ membra, furem, aut latronem interfecisti; „ secundum indulgentiam dico... si aliquid „ jejunare volueris, bonum est tibi: & elee- „ mosynam fac largiter: si presbyter eadem „ fecerit, non deponatur: tamen quamdiu „ vivit pœnitentiam agat... “ jam itaque quo tempore hoc pœnitentiale editum est, aliquid erat de prisca severitate *secundum indulgentiam* relaxatum, cum presbyter in necessitate homicida, perpetuæ quidem addicatur pœnitentiæ; sed a gradu Sacerdotii non deponatur.

Quidquid sane sit, certum est *Clementem* V ineunte sæculo 14 Pontificem Max. conceptis terminis declarasse, per homicidium ad vitæ propriæ defensionem perpetratum, minime irregularitatem incurri; eamque deinceps disciplinam invaluisse: *si furiosus*, *aut infans*, inquit, (*Clementina* si furiosus *de* homicidio) *sive dormiens*, *hominem mutilet*, *vel occidat*; *nullam ex hoc irregularitatem incurrit*: *& idem de illo censemus*, *qui mortem aliter vitare non valens*, *suum occidit*, *vel mutilat invasorem*.

Q. 2. Quid necessarium sit, ut quis aggressorem ad propriæ vitæ defensionem interimens, irregularis non censeatur?

R. Necessarium esse, ut moderamen inculpatæ tutelæ servetur, id est, ut quantum in ipso est, & suam & proximi vitam servare procuret, nec nisi ad extremas redactus angustias, mortem sibi ab adversario imminentem, ejusdem lethali percussione effugiat: unde si quis fugere cum possit, eaque ratione in tuto vitam ponere, animose adversario honoris causa resistit; aut si cum ferire melius possit, eaque moderatione, impetum ejus in-

fringere, mortale ei vulnus infligit: non est dubium in irregularitatem incidere: quia moderamen inculpatæ tutelæ non reservat: ita respondet *Innocentius III* Pontifex Max. (*extra: de homicid. cap. significasti*) „ si vero, *in*„ *quit*, sacerdos iste prius ab illo percussus sa„ crilego, mox eum cum ligone in capite re„ percussit: quamvis vim vi repellere, omnes „ leges & omnia jura permittant; quia tamen „ id debet fieri cum moderamine inculpatæ „ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed „ ad injuriam propulsandam: non videtur idem „ sacerdos a pœna homicidii penitus excusa„ ri, tum ratione instrumenti cum quo ipse „ percussit, quod cum grave sit, non solet „ levem plagam inferre, tum ratione partis „ in qua fuit ille percussus, in qua de modi„ co ictu quis lethaliter solet lædi. “

Ejusdem sensus extat *Honorii III* Sum. utique Pontificis rescriptum: (*extra de homicid. c.* 24) “ petitio tua nobis exhibita continebat, „ *inquit*, quod cum inimici Dominicæ Crucis, „ ac blasphemi nominis Christiani, castrum „ quoddam in quo morabaris, graviter inva„ sissent; exeuntibus inde habitatoribus, tam „ clericis, quam laicis contra eos, ac per vi„ cem confligentibus, hinc inde occisi quam„ plurimi extiterunt: unde cum pro eo quod „ aliquos percussisti, irregularitatem metuas „ incurrisse: mandamus, quatenus si de inter„ fectione cujusquam in illo conflictu tua con„ scientia te remordet, a ministerio altaris „ abstineas reverenter: cum sit consultius in „ hujusmodi dubio abstinere, quam temere „ celebrare “.

Ita *Honorius*, manifesto insinuans hunc presbyterum, eo quod non inevitabili vitæ tuendæ necessitate, neque servato moderamine inculpatæ tutelæ, aliquem occidisset, in irregularitatem esse prolapsum.

Q. 3. Utrum qui ad honoris, famæ, aut temporalis supellectilis tutelam, aliquem occiderit, sit ab irregularitate immunis?

R. Negative, nec enim in nostro arbitrio est, disciplinam & Ecclesiastica jura laxare: atqui ex disciplina Ecclesiæ, eo tantum casu quis ab irregularitate immunis est, quo aggressorem, ad propriæ vitæ defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ occiderit: “ si furiosus, „ *ait Clemens V supra laudatus*, aut infans, „ sive dormiens, hominem mutilet vel occidat, „ nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & „ idem de illo censemus, qui mortem aliter „ vitare non valens, suum occidit, vel muti„ lat invasorem . . . . “ ergo ulterius immunitas extendi non debet ad homicidium pro defensione famæ, honoris, aut supellectilis perpetratum: idem ante declaratum fuerat (*sæc.* 12) ad *Alexandro III* adversus Monachum quemdam, qui Latrones in Monasterium intempesta nocte, furandi causa ingressos, & funibus stricte ligatos, dum illi vincula rumpere nitebantur, inclementer occiderat: illum, inquam, Pontifex Max. incidisse in irregularitatem respondit: *quoniam*, inquit, (*extra, de homicidio, cap. suscepimus*) *expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & verum sustinere jacturam; quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis, tam acriter in alios exardescere*.

Quæritur 4. quid si aliquis Patris, Filii, conjugis, aut alterius consanguinei aggressorem, dum eos aliter juvare non potest, interimat?

℟. Ne hos quidem casus ab irregularitate immunes esse: tantum enim valent constitutiones Ecclesiæ quantum sonant: porro *Clemens V* eum tantum ab irregularitatis pœna excipit, qui propriam vitam defendit: non enim ait: *idem de illo censemus, qui Patris, aut Filii, aut conjugis, occidit, vel mutilat invasorem*, sed; *idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem*: quem in locum *glossographus*: „ hæc littera, *inquit*, innuit, secus in illo qui „ occiderit volentem occidere Patrem, Filium, „ conjugem, vel personam conjunctam, quam „ aliter juvare non poterat: quod verum pu„ to: quasi casus ille non includatur sub ne„ cessitate inevitabili, sed evitabili . . . . „ hæc *glossographus*, cujus interpretationi passim omnes consentiunt, uti ex *Navarro* refert *Fagnanus*: (*ad cap.* 24, *extra de homic. n.* 3)

Q. 5. Utrum ex fortuito homicidio irregularitas contrahatur?

℟. Distinctione utendum: vel enim rem illicitam faciebat, cujus actum mors aliena secuta est; vel rei licitæ dabat operam.

Si primum: non est dubium quin in irregularitatem inciderit: qui enim homicidium indirecte saltem, &, ut loquuntur, *in causa* voluit, in irregularitatem incurrit: sed qui rem illicitam committendo, cæco & improviso casu hominem occidit, homicidium saltem indirecte voluisse censetur, in causa nimirum, sive actione prohibita, a qua debuerat & poterat ex officio abstinere: nullo ergo prætextu valet irregularitatem effugere.

Hoc principio posito, facile est varias quæ in hoc genere moveri possunt quæstiones resolvere.

Sic si quis vino captus quemquam occiderit; aut si volens inimici equum occidere, hominem juxta equum latitantem vibrato telo necavit: uterque irregularis efficitur; quia vino inebriari, & inimici equum occidere, divina lege vetitum est.

Pari-

Pariter Clericus, si clamosæ venationi incumbens, dum feram obtruncare proponit, hominem improviso obvium mactet, quantamlibet attulerit diligentiam, irregularitate ligatur: quia clamosa & inquieta venatio, quæ nimirum cum armis, avibus, & canibus exercetur, clericis omnino est interdicta.

Eadem de causa Clericus exercens chirurgiam, eam scilicet medicinæ partem, quæ manu curat; quamlibet sit artis peritus, & quantalibet industria usus sit: si ex ejus operatione, mors ægroti secuta sit, irregularis evadit; quia artem chirurgicam exercere, subdiaconis, diaconis, & sacerdotibus vetant Canones.

Propter eamdem rationem, qui alterum, quamquam sine animo occidendi, percussit, est irregularis, si mors ictum secuta est; etiamsi medicorum vel ipsius infirmi negligentiæ, aut morbo qui occasione vulneris supervenerit, aliquatenus attribui possit: irregularis, inquam, est, quia rem illicitam perpetravit.

Idem de eo dicendum, cui cum altero rixanti, amici forte advenientes ita subsidium attulerunt, ut illius intuitu adversarium ejus, eo etiam nolente, occiderint: quia rixari cum proximo & proterve contendere nefas est, ac contrarium caritati.

Item qui absque consilio medici potionem dedit infirmo, qua hausta mortuus est, quamvis bono animo fecerit, est irregularis: quia cum non esset peritus artis, officium prætergressus est.

Si secundum: hoc est, si rem licitam faciebat, qui proximum inopinato mutilavit, vel occidit, iterum distinctio adhibenda: vel enim quanta potuit diligentia procuravit, ne quemquam offenderet; vel fuit indiligens: si omnem adhibuit diligentiam, nulla est causa cur irregularis dicatur; secus, si negligens in præcavendis funestis casibus fuerit: "hi qui arbores incidere
„ videntur, *inquit canon Nicolao I Pont. Max. at-*
„ *tributus*, (*dist.* 50) si contigerit ut cadens
„ arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt
„ atque innoxii: quia nec voluntate eorum nec
„ desiderio homicidium perpetratum est: si
„ vero aliqua culpa eorum vel neglectu, mo-
„ rientis hominis interitus cognoscitur adve-
„ nisse; abjiciendi sunt a gradu, & in sacro
„ ordine nullatenus suscipiendi„.

Idem confirmatur ex cap. *presbyterum*: (*extra, de homicidio*) quo Alexander III ab altaris ministerio presbyterum perpetuo amovendum decernit, *qui puerum intuitu disciplinæ percusserat in capite: si ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse.*

Q. 6. Qualis mutilatio esse debeat, ut in irregularitatem inducat.

R. Diversas Theologorum ac canonistarum esse sententias: sunt qui velint talem mutilationem esse debere, ut detruncatum fuerit membrum aliquod principale, quod nimirum completum ac distinctum in corpore officium habeat: cujusmodi sunt, brachium, manus, pes &c. negant vero, membri minus principalis, puta auris, digiti, narium amputatione, in irregularitatem incurri: alii, meo judicio sanius, distinctionem hanc non admittunt, censentque in irregularitatem incidere, quisquis parte ad corporis organici integritatem pertinente proximum mutilarit: tum quia si rectum sapimus & sequimur rationem, nulla corporis pars est, quæ completum ac distinctum ab aliis officium non exerceat; numquid enim ab omni vacant officio digiti, aures, & nares, & superflue, aut ad solum ornatum in humano corpore a Deo conditore locatæ sunt? tum quia æquum non est, ab irregularitate immunem esse, qui alterum improba ferocitate irregularem effecit: porro cui aures, vel nasus, vel digiti amputati sunt, etsi non sua culpa, irregularis effectus est: ergo &c.

Q. Ultimo: in dubio utrum homicidium aut mutilatio voluntaria aliquatenus fuerint, quid agendum?

R. In his casibus ab exercendis aut suscipiendis ordinibus abstinendum, donec ad S. Apostolicam sedem recursum fuerit, & a Pontifice Max. aut Episcopo cui fuerit causæ cognitio delegata, dubium resolutum sit: in dubiis enim debemus semitam eligere tutiorem: atqui longe tutius est, imo hoc solum est tutum, in hujus generis casibus a sacro ministerio abstinere, & pro irregulari se gerere: ita a Sum. Pontificibus sæpe declaratum.

Clementis III temporibus contigit, ut presbyter quidam domesticum suum corrigere volens, cingulo verberarit: porro gladio e vagina cingulo appensa, casu elapso, aliquantulum in dorso servus est vulneratus: brevi ex accepto vulnere, (levissimum namque erat) homo convaluit: sed paulo post graviore correptus infirmitate, e vivis abreptus est: consultus de hac re Pontifex sic respondit: (*extra, de homicidio, cap. ad audientiam*) *cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem; vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret: injuncta tamen pœnitentia congruenti, poteritis illi concedere, ut minoribus sit contentus.*

Similis casus legitur, cap. *significasti*: extra, *de homicidio*: maleficus quidam templum ingressus, Eucharistiam, Vasa sacra, & altarium ornamenta, furtim diripuerat: sacrilegum furem insequens presbyter, arrepto ferreo instrumento percussit: eumdemque Parochiani gla-

diis

diis & fustibus occiderunt: delatæ sibi super hac re consultationi *Innocentius III* sic respondit: " si discerni non possit, ex cujus ictu „ percussus interiit, in hoc dubio tamquam homicida debet haberi sacerdos: & si forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet; cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur „.

Ita Pontifices Max. quorum decretis quisquis vere Theologus esse voluerit, magis insistet, quam perniciosissimis novellæ probabilitatis commentis.

Confirmavit hanc regulam S. Synodus Trid. decernens ad Sum. Pontificem esse confugiendum, etiam quando aliquis invasorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, casu & nolens occiderit; simulque insinuans, non posse etiam in hoc casu, sine dispensatione sacros ordines exerceri aut recipi: *si vero*, inquit, (*sess. 14, in decr. de reform. cap. 7*) *homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcumque ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci ordinario, aut, ex causa, Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.*

III

Impedimentum ex Hæresi.

Non hæresim tantum, sed schisma, & apostasiam, iste titulus comprehendit: quia enim hæreticos omnes, schismaticos, & apostatas, pœnitentiæ publicæ prisca severitas addicebat; consequens fuit, ut a suscipiendis aut susceptis ordinibus pellerentur: *ex omni hæresi, qui ad nos fidelis venerit*, ait Concilium Eliberitanum, (*can. 51, 52*) *minime est ad clerum promovendus: vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur*: cui concinens *Innocentius* I Pontifex Max. *nostræ lex est Ecclesiæ*, inquit, (*Ep. 22, cap. 4*) *venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem; nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare . . . . . si quis vero de Catholica ad hæresim transiens, aut fidelis ad apostasiam reversus, resipiscens redire voluit: numquid eadem ratione poterit ad clerum permitti, cujus commissum nonnisi longa pœnitentia poterit aboleri, nec post pœnitentiam clericum fieri, ipsimet canones sua auctoritate permittunt.*

Nec eos tantum qui hæresim aut schisma professi fuerint; sed & eorum filios, velut hæreditario infamiæ titulo, ex juris novi præscripto, hæc irregularitas afficit: notandum tamen, non ubique hanc disciplinam vigere: in Germania enim, Gallia, & plerisque aliis provinciis, pro irregularibus non habentur, quorum parentes Lutheri aut Calvini errores secuti fuerint; nec illis crimen parentum claudit ad sacros ordines aditum.

IV

Impedimentum ex indebita susceptione vel executione ordinis.

Irregulares ex delicto sunt, qui ordines furtim, nec vocati, nec approbati subripiunt; ut constat ex cap. *veniens ad nos*: extra, *de excessibus prælatorum*. Item qui excommunicatione, aliisque Ecclesiasticis censuris ligati, ordines suscipiunt; ut declaratur ex cap. *Clerici*: cap. *latores*: cap. *illud*: & cap. *fraternitati*: extra, *de clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*: & ex cap. *cum illorum*: extra, *de sententia excommunicationis*: item qui ministeria tamquam ex officio, & solemniter, obeunt ordinum quos minime susceperunt: ex officio, inquam, minores enim clerici, ipsique laici, quibus hodierna Ecclesiæ indulgentia, plerisque in locis committitur, ut subdiaconorum & acolythorum vice fungantur, irregularitatem non contrahunt: itaque ii soli hoc impedimento ligantur, qui pro veris acolythis, subdiaconis, Diaconis, &c. audacter se gerunt, cum ad hos ordines promoti non fuerint; ut constat ex cap. *si quis*: extra, *de Clerico non ordinato, ministrante.*

V

Impedimentum ex iteratione Baptismi.

Pari impedimento ligandos, qui sacrum baptisma iteraverint, aut ejus iterationi quomodocumque contulerint, juris canonici antiqua præscriptio est, in decretis Conciliorum & patrum statutis fundata, sic S. *Aug.* lib. de unico baptismate contra Petilianum, (*cap. 12*) expresse docet, non debere ad clericatum promoveri qui ab Hæreticis sunt rebaptizati: & S. *Leo* Pontifex Max. (*in Decretis cap. 14*) Clericis ab hæresi redeuntibus, ordinum foris susceptorum exercitium & honorem concedit: *si tamen*, inquit, *iterata tinctione non fuerint maculati*: & Synodus Toletana IV (*an. 633*), can.

Digitized by Google

can. 68, *non promoveantur ad sacerdotium*, inquit, *qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur:* & Innocentius III Pontifex Max. Græcos redargueus qui Latinos iterum tingere præsumebant: *si quis tale quid præsumpserit*, inquit (*extra: de bapt. cap. ultimo*) *excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur:* quin & ad eos ipsos, ut prædixi, impedimentum illud extenditur, qui baptismi iterandi fuerint aliquatenus adjutores: sic *Alexander* Papa III interrogatus de acolytho, qui in iterando cujusdam ægroti baptismate ministraverat: *ad superiores*, inquit, (*extra de iterantibus bapt. cap. 2*) *ordines promoveri, si publicum est quod proponitur, non valebit; nisi ad religionem transire voluerit, ut favore religionis ipsius, circa eum valeat dispensari.*

Jam si quæratur, utrum eidem irregularitati, iteratio confirmationis, vel ordinationis subjaceat? Respondeo negative: non enim debent contra præscripta Canonum pœnæ ampliari: atqui iis solis qui baptisma, non vero qui confirmationem vel ordinationem repetierint, irregularitatis pęna, canonum auctoritate infligitur: ergo &c.

Quod si rursum tanti discriminis causam quæras: dico non ideo qui confirmationem vel ordinem iterarint, ab irregularitate esse immunes, quod leve peccatum putatum sit: cum confirmatio & ordinatio, sicut & baptismus, propter characterem quem imprimunt, iterari sine sacrilegio nequeant: sed quia ita majores suo arbitrio usi sunt, ut solos rebaptizantes irregularitatis pęna plectendos censuerint: imo nec defuit hujus discriminis plausibilis ratio, inde petita quod gravius offendere videantur Ecclesiam, qui denuo tingunt, quam qui Chrisma vel ordinem repetunt; solus enim baptismus est Ecclesiæ janua, ad reliqua Sacramenta aditum reserans: ergo iteratione baptismi major Ecclesiæ injuria irrogatur, qui enim rebaptizatur, sic se gerit quasi hactenus subditus Ecclesiæ non fuisset.

§. SECUNDUS.

De irregularitate ex defectu.

Irregularitas ex defectu septem species habet.

1. Est ex defectu animi: 2 ex defectu corporis: 3 ex defectu natalium: 4 ex defectu ætatis: 5 ex defectu libertatis: 6 ex defectu Sacramenti: 7 ex defectu perfectæ lenitatis.

I

Impedimentum ex defectu animi.

Amentes, fatuos, illiteratos, energumenos, lunaticos, epilepticos, & eos denique omnes qui rationis usum notabiliter intercisum habent, a sacro ministerio repellendos, postulat ratio: quibus enim domestica, civiliave negotia, ne quidem minima committuntur; quanto minus divinorum mysteriorum celebratio committenda? atqui nemo homo est adeo rerum suarum incurius, qui dispensationem earum insensato ministro demandet: ergo longe minus censeri debet, ad Sacramentorum, & divini sacrificii celebrationem idoneus: adeoque hoc impedimentum non tam Religio quam natura ipsa constituit: " bene majorum regulis definitum ,, est, *ait Concilium XI Toletanum provecto* ,, *sæculo 7, Vitaliani Papæ temporibus cele-* ,, *bratum*, (*can. 13*) ut Dæmoniis aliisque ,, similibus passionibus irretitis, mysteria sacra ,, tractare non liceat: cui præcepto, consensu ,, rationis adhibito, id communiter denotavimus, ,, ut nullus de his qui in terram, arrepti a ,, Dæmonibus, eliduntur, aut quolibet modo ,, vexationis incursibus efferuntur, vel sacris ,, audeant ministrare altaribus, vel indiscussi ,, se divinis ingerant Sacramentis . . . . ,, in capitularibus *Caroli Magni*, (*lib. 7, cap. 51*) iisdem concepta verbis constitutio legitur: quod autem hic de irretitis a Dæmonio, & similia patientibus est præscriptum, quod non debeant *mysteria satra tractare*, debet a fortiori de amentibus & fatuis intelligi, qui sui compotes cum nec sint, nec fuerint unquam, ab altaris ministerio, natura ipsa præcipiente, arceantur.

Quantum vero temporis hoc impedimentum perduret, regula una, propter morborum diversitatem, præscribi nequit: hoc tamen generatim, ac certo pronunciamus, quamdiu mala affectio, aut evidens ejus periculum durat, irregularitatem manere: sic qui natura dementes ac fatui sunt, aut ingenio ita stupido, ut ne communissimas quidem & universales habeant notiones; in perpetuum ab ordinibus repellendi: idem de energumenis, lunaticis, & epilepticis dicimus, si eorum desperata curatio aut liberatio videatur: qua in re hac cautione agendum, ut semper tutior pars eligatur.

Si quis Dæmonem habeat, ait Canon Apostolicus 78, *Clericus non efficiatur, sed nec cum fidelibus preces fundat: mundatus vero, recipiatur, & si dignus fuerit, Clericus efficiatur.*

De epilepsia speciatim quæritur, utrum qui ea semel laboraverit, irregularitate perpetua sit innexus?

R. Di-

R. Distinguendo: vel enim quis epilepticos affectus in prima infantia, & ante pubertatis annos passus est; vel adultiore ætate, post annum videlicet 14: si primum, communi consuetudine recepta, & consultationibus medicorum probata opinio est, hujusmodi epilepsia, si post annos pubertatis cessaverit, irregularitatem non contrahi: cum enim puerilis morbus fuerit, nec ad proveĉtiorem ætatem progressus, impedimentum ad Ecclesiæ gradus esse non debet: *alioquin*, inquit Cabassutius, (*Juris Canonici Theoriæ & praxis lib.* 5, *c.* 19) *magna Clericorum & sacerdotum pars esset irregularis: in teneris enim annis hos affectus permultis contingere, qui deinde provectiores, ad sacros ordines indiscriminatim accedunt, docet experientia: atque Hippocrates*, (Aphorismo 7, sect. 5) *epilepsia ante pubertatem, amotionem recipit; post 25 annum fere comitatur ad mortem usque*: si secundum, iter ad ordines in perpetuum intercludit, hujusmodi epilepsiam vulgo insanabilem esse tum experimento quotidiano observatur, tum periti in arte consentiunt: *plurimi pueriles morbi*, ait Hippocrates, (*Aphor.* 28, *sect.* 3) *alii intra dies* 40 *solvuntur, nonnulli intra 7 menses, quidam intra annos* 7, *alii, ipsis etiam ad pubertatem accedentibus: qui vero permanserint, neque circa pubertatem . . . . . soluti fuerint, inveterascere consueverunt*.

Quæritur insuper, si cui post susceptos ordines ægritudo epileptica supervenerit, utrum pro irregulari in perpetuum sit habendus?

℟. Juxta communem sententiam posse hujusmodi ad ordinum functiones admitti, modo duæ quæ sequuntur cautiones adhibeantur: 1 est, ut anni solidi spatio symptoma epilepticum non recurrerit: (idemque de amentia & infestatione dæmoniaca est dicendum:) secunda, ut post unius anni accuratam probationem, altare sine adjutore sacerdote non adeat, qui vices ejus supplere possit, si forte morbo antiquo contigerit corripi.

Utramque regulam Concilium Toletanum XI modo laudatum præscribit: *tamdiu*, inquit, (*can.* 13) *erunt officii sui & ordine & loco suspensi, quo usque unius anni spatio, per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum*, (aut aliis passionibus) *alieni*: (*can.* 14) *summopere cavendum est, ne horis illis atque temporibus, quibus Domino psallitur vel sacrificatur, unicuique divinis singulariter officiis insistenti perniciosa passio, vel corporis quælibet valetudo occurrat, quæ aut corpus subito subrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat: ab hoc ergo instituimus, ut ubi temporis, vel loci, vel cleri copia suffragatur, habeat ille canens Deo atque sacrificans, post se vicini solaminis adjutorem, ut si aliquo casu ille qui officia impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui ejus vicem exequatur intrepidus*.

II

Impedimentum ex defectu corporis.

Primis temporibus hujusmodi defectus nulla ratio habebatur, modo talis non esset, ut functiones Ecclesiasticas impediret: *si quis*, ajunt Apostolici canones, (76, & 77) *oculo orbatus vel femore oblæsus, Episcopatu dignus sit; fiat: non enim corporis damnum quemquam polluit, sed animæ inquinatio . . . . . qui autem surdus est & cæcus, ne sit Episcopus non quasi pollutus, sed ne impediantur Ecclesiastica*.

Quos Canones *Balsamon*, & *Zonaras* interpretando, veteris & novæ legis hanc esse differentiam observarunt, *quod illa exigeret ministros integros corpore esse debere, notamque nullam habentes; ac nemo aliqua parte corporis deformatus aut mutilatus, admitteretur ad sacerdotium: sed etiam post sacerdotium, si cui, membri vel particulæ cujusquam mutilatio contigisset, sacerdotio mulctabatur: sic enim Dominus in* Levitico (*Levit.* 21, 16, & *seq.*) *Moysi loquitur, & Aaroni significandum præscribit: homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus; si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso: si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus: omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo... quia maculam habet, & contaminare non debet sanctuarium meum: at iis qui consecrandi sunt apud nos, inquit* Zonaras, *mutilatio corporis impedimento non annumeratur: animam nempe requiritur & sufficit habere puram, sine vitio & sorde*: vel, ut in eumdem locum Balsamon loquitur: *animam puram & integram volunt* (canones Apostolici) *omnes habere, non autem corpus*.

Idem Auctor *constitutionum* vulgo *Apostolic.* ante notaverat: *pro una tribu sacerdotali*, inquit, *jussit* (Deus) *ex unaquaque gente optimos quosque ad sacerdotium eligere; neque corporum vitia contemplari, sed Religionem & vitam*.

Memorabilis in hanc rem *Ammonii* anachoretæ historia est, quam referunt Sozomenus (*Hist. lib.* 6, *cap.* 30) & *Palladius* (*in hist. Lausia-*

Lausiaca cap. 12): Ejus sanctitate permoti finitimæ civitatis incolæ, Episcopum habere eum voluerunt: dumque precibus, & vi adhibita ab eremo eripere, & ad se trahere moliuntur, abscidit ipse sibi auriculam: quo facto ; *abite*, inquit, *posthac enim nequidem si vellem, sacerdotalis lex me ordinari sinit; integri enim corporis sacerdotem constitui oportet* : *illi digressi*, ait Sozomenus, *postquam intellexerunt, Judæis quidem hæc observanda esse; Ecclesiam vero de corpore non curare, dummodo sacerdos integer sit moribus, denuo redierunt, eum comprehensuri: tum ille juravit, se linguam quoque sibi præcisurum, si vim facere tentassent*: addit vero Palladius, *fuisse Episcopum, qui viris illis dixerat, Ecclesiam legi veteri in hoc puncto non esse subjectam; seque paratum ordinare virum bonæ vitæ, etiam naso amputato*: *hæc lex*, inquiebat, *in usu sit apud Judæos: mihi autem si vel truncatis naribus adduxeritis, qui sit bonis moribus; ego eum ordinabo*.

Certum itaque est ex veteri disciplina, defectus corporales impedimentum ordinationi, etiam Episcopali non attulisse, nisi tales essent ut impotentiam exequendi ordinis importarent; secutis vero ætatibus omnes, sine discrimine, insigniter vitiati ab altari repulsi sunt: " nonnulla parte corporis imminutos, " *inquit Gelasius* 5 *sæculo Sum. Pontifex* (*Ep.* " 9) sine ullo respectu ad Ecclesiasticum di-" dicimus venire servitium: quod simul anti-" qua traditio, & Apostolicæ sedis vetus " forma non recipit: quia vitiosum nihil " prorsus Deo offerre legalia præcepta sanxe-" runt: " ita Gelasius, cujus verba, (*antiqua traditio, & Apostolicæ sedis vetus forma*) non ideo dicta accipi debent, quasi irregularitas hæc fuerit ab ipsis Apostolicis temporibus instituta, sed quia jam consuetudo illa in Latina Ecclesia invaluerat, & vim legis habere cœperat, ex decreto *Hilarii* aliquanto ante *Gelasium* Pontificis Max. his verbis concepto: *aliqua membrorum damna perpessi, ad sacros ordines aspirare non audeant: quisquis autem talium consecrator extiterit, factum suum ipse dissolvet*.

Eamdem legem Sum. Pontifices, & Concilia confirmarunt, quorum decreta in Gratiano fuse citata reperies: (1 *part. decr. dist.* 55) hujus impedimenti rationem Angelicus Doctor sic explicat: " aliquis, *inquit*, (*in* 4 *sent.* " *dist.* 25, *quæst.* 2, *art.* 1) efficitur ineptus " ad susceptionem ordinis, vel propter impe-" dimentum actus, vel propter impedimentum " claritatis personæ, & ideo patientes defe-" ctum in membris impediuntur a susceptione " ordinis, si sit talis defectus qui maculam no-" tabilem inferat, per quem obscuretur per-" sonæ claritas, ut abscissio nasi; vel pericu-" lum in executione facere possit: alias non " impediuntur: hæc autem integritas exigitur " de necessitate præcepti, sed non de neces-" sitate Sacramenti ".

Jam si quæratur, quænam in speciali vitia corporis a sacris ordinibus arceant?

R. Quædam natura ipsa obicem sacris ordinibus ponere; ut, si cui manus abscissa, vel effossi oculi fuerint; quædam jure canonico determinata; ut si quis careat sinistro oculo, quem vulgo oculum canonis vocant: quædam denique relicta judicio Episcoporum, a quibus est decernendum, utrum hic aut ille defectus sit talis, ut ex eo irreverentiæ aut scandali periculum oriatur.

III

Impedimentum ex defectu Natalium.

Ex illegitimo concubitu natus, in irregularitatem incurrit: hujus ponendi impedimenti causa multiplex majoribus fuit.

Prima petitur ex ordinis dignitate, quam non leviter origo vitiosa deturpat. Quantumlibet enim (ut sæpe contingit) spurius filius, continentiæ ac sanctitatis laude præcellat; paterni tamen memoriam criminis, velut impressam in fronte gerit. *Ordinati*, ait S. Thomas, (*in* 4 *sent. dist.* 25, *quæst.* 2, *art.* 2, *quæstiuncula* 3) *in quadam dignitate præ aliis constituuntur. Ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti; ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice pœnitentes: & quia obscuratur nominis claritas ex vitiosa origine: ideo etiam de illegitimo Thoro nati, a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: & tanto est difficilior dispensatio, quanto origo est turpior*.

Secunda fuit, periculum incontinentiæ, in quam spurium filium patris exemplo proclivem futurum haud levis est metus: ut enim vulgari jactatur proverbio, *sæpe solet similis filius esse patri*.

Tertia fuit, quorumdam presbyterorum incontinentiam reprimendi necessitas. Constat enim, antiquitus, sæculo præsertim undecimo, nefando impudicitiæ vitio Clericos enormiter fuisse infectos. Ut ergo hoc tantum malum, quoad fieri poterat, extirparetur, præter cætera constitutum, presbyterorum illegitimos filios, in perpetuum a Sacro ministerio repellendos: " quidam Romani Pontifices, *ait Ivo Carnotensis*, (*in præfat.*) decreverunt, ne fi-" lii presbyterorum assumerentur ad presbyte-

Digitized by Google

„ ratum, non quod personarum acceptio apud „ Deum alicujus sit momenti; vel natura quæ „ omnium par est genitrix, ab aliquo possit „ reprehendi, vel filius pro iniquitate patris „ condemnari . . . . . sed ad reprimendam „ quorumdam presbyterorum incontinentiam, „ vel tutius muniendam aliorum continentiam„.

Quarta huic proxima fuit, periculum successionis quasi hæreditariæ in ministeria Ecclesiastica. Quo enim tempore, ut prædiximus, in Clero lues impudicitiæ grassabatur, omnique effracto repagulo Sacerdotes non jam clanculum, sed publice & cum scandalo illicita matrimonia contrahebant; amore deinceps paterno, quos susceperant filios, novo crimine in sanctuarium intrudebant, sibique sæpius, abdicato dum viverent beneficio, subrogabant: quo fiebat, ut jure quasi hæreditario beneficia Ecclesiastica, non secus ac patrimonium, a parentibus ad filios commearent. Cui malo opportunum visum est fore remedium, si ad ordinem suscipiendum inhabiles redderentur.

Jam si hujus irregularitatis quæratur antiquitas.

R. 1. Prioribus sæculis fuisse incognitam, nullamque ejus in veterum Conciliorum Canonibus, & Sum. Pontificum rescriptis mentionem occurrere. Quando enim de eligendis ministris Ecclesiæ agebatur, non quærebatur quo quisque patre genitus, sed quibus esset ornatus virtutibus: ut collectis patrum pluribus testimoniis adstruit *Gratianus*. (*Decr. 1 part. dist.* 56)

R. 2. Nullam, quod quidem sciam, de hoc impedimento ante sæculum 7 constitutionem esse latam. Hoc enim tempore in Concilio Toletano IX, (*ann.* 655) Canone X, de Clericorum filiis sic decretum: *cum multæ super incontinentia ordinis Clericorum hactenus emanaverint sententiæ patrum, & nullatenus ipsorum reformari quieverit correctio morum: ideo quilibet, ab Episcopo usque ad subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio, in honore constituti filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probantur, canonica censura damnentur, proles autem ex tali pollutione nata, non solum hæreditatem parentum numquam accipiet, sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ, de cujus Sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt*.... sane quos bonis paternis spoliandos, & servituti perpetuæ addicendos Toletani patres sanxerunt, multo magis exclusos a Sacro ministerio voluerunt: id quod canonis 11 immediate sequentis lectio aperte declarat. *Servi Ecclesiarum*, inquit, *ordinari non debent, nisi prius libertatem ab Episcopis consequantur. Et, si honeste in Clericatu vixerint, poterunt ad officia majora promoveri*.

Septimo itaque sæculo ex Ecclesiarum Hispaniæ disciplina receptum fuit, illegitimo concubitu natos pro irregularibus computandos.

R. 3. In cæteras Ecclesiæ latinæ provincias serius regulam hanc introductam. In Galliis sæculo 9 (*ann.* 845.) Concilii *Meldensis* auctoritate decretum est, nonnisi in extrema necessitate debere, hac notatos infamia, ad ordines promoveri. *Raptores virginum & viduarum*, ait Canon. 64, *qui etiam postea voluntate parentum, eas, quasi desponsantes, sub dotalitii nomine in conjugium duxerunt &c... Filii ex hujusmodi vituperabili conjunctione ante conjugium procreati, ad Ecclesiasticam dignitatem nullo modo provehantur: nec de tali conjugio generati Ecclesiasticis ordinibus applicentur; nisi forte eos vel maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet* .... Eodem sæculo *Arnulphus* Lotarii Francorum Regis frater ab Episcopatu Remensi dejectus est, quod ex concubina genitus esset. Judicatum namque a patribus, *natum ex concubina, non debere esse Episcopum*.

Sæculo demum XI Sum. Pontificum & Conciliorum auctoritate, de spuriis ad Sacram ordinationem non admittendis, lex in tota Ecclesia Latina prævaluit: „ de presbyterorum „ filiis, *ait Innocentius III*, *sæculo* 13 *Pontifex Max.* (*lib.* 4, *Epist.* 118) tam ex decreto Urbani II, quam ex Concilio colligitur „ Pictaviensi, quod ad Sacros non sunt ordines promovendi, nisi aut in cœnobiis, aut „ in canonica Regulari Religione fuerint conversati . . . Vixit porro Urbanus II sæculo „ XI desinente, eodemque tempore Synodus Pictaviensis habita est. „ Eodem deinceps impedimento, non Clericorum tantum, sed & Laicorum spurios filios fuisse ligatos non dubitabit, qui decreta Pontificum, & Canones Conciliorum legerit, in decretales *Gregor.* IX relatos, ubi præter cætera sic constitutum habetur: *Filii presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad Sacros ordines non promoveantur* .... (*in Rescripto ad Archiep. Turonens.*) *nimis in tua provincia Ecclesiæ deformatur honestas, ex eo quod filii Sacerdotum, & alii non legitime nati, ad dignitates, & personatus, & alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoventur*.

IV.

IV.

Impedimentum ex defectu ætatis.

Irregulares defectu ætatis cenſentur, 1° pueri, 2 ii, qui licet ætate provecti, juniores in fide ſunt, quia recenter ex infidelitate converſi.

1. Ab ordinum ſuſceptione infantes jure Canonico excluduntur, & merito quidem. Nulla namque ordinatio eſt, cui functio aliqua non reſpondeat, cujus implendæ capaces non ſunt, qui ratione nondum utuntur. Perperam itaque infantibus ordinatio conferretur: quamquam vere hoc illegitime fieret, validam tamen conſecrationem futuram, communis Theologorum, uno excepto *Durando*, Doctrina eſt. Uſus ſiquidem rationis, licet ex præcepto ad ordines ſuſcipiendos prærequiratur, non tamen ad valorem Sacramenti exigitur. Illud enim non eſt neceſſitate Sacramenti neceſſarium, cujus prætermiſſio ejus effectum non impedit; atqui infractio hujus regulæ non obſtaret quominus ordinatio effectum ſuum conſequeretur, videlicet characterem, qui in ſubjecto rationis uſum neceſſario non requirit, ut baptiſmi & confirmationis exemplo notiſſimum eſt. Vere ergo, quamquam inutiliter, Diaconus aut presbyter eſſet, cui adhuc puero per Epiſcopalem manuum impoſitionem Sacra ordinatio conferretur. *Omnia Sacramenta*, inquit S. Thomas, (*Supp. qu.* 39, *art.* 2, *in C.*) *in quibus non requiritur actus ſuſcipientis de neceſſitate Sacramenti, ſed poteſtas aliqua ſpiritualis divinitus datur, poſſunt pueri ſuſcipere, & alii qui uſu rationis carent ... Quidam dicunt, quod ad omnes ordines requiritur uſus rationis de neceſſitate Sacramenti: ſed eorum dictum ratione vel auctoritate non confirmatur.*

Quæ autem ſingulis ſuſcipiendis ordinibus ætas ſit per Sacros Canones præſtituta, dicetur inferius.

2. Neophytos, a fidei ſcilicet & baptiſmi ſuſceptione recentes, quamlibet ætate adulti ſint, ad Sacros ordines non admittere, in Eccleſia antiquiſſimum eſt. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe... Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli*, inquit S. Paulus: (*1 Timot.* 3, 6) cui Apoſtolicæ Doctrinæ Conciliorum decreta conſentiunt. *Non oportet Neophytum promoveri ad ordinem Sacerdotalem*, ajunt Laodicenæ Synodi patres. (*can.* 3) Et in Concilio Sardicenſi: (*canon.* 13) *Oſius Epiſcopus dixit ..... Conveniens non eſt, nec ratio vel diſciplina patitur, ut temere & leviter ordinetur aut Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus eſt: maxime cum & magiſter gentium Beatus Apoſtolus, ne hoc fieret denunciaſſe & prohibuiſſe videatur: ſed hi quorum per longum tempus examinata ſit vita, & merita fuerint comprobata: univerſi dixerunt, placere ſibi hæc. Pari ſenſu* Innocentius I *Pontifex Max. Laici*, inquit, (*Ep.* 4) *qui habentes uxores baptizati ſunt, ac ſic ſe inſtituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut Clericis juncti ſint, aut Monaſteriis, ex quo baptizati ſunt, hæſerint; &, ſi non concubinam, non pellicem noverint; ſi in bonis operibus vigilaverint: non prohibentur hujuſmodi ad Clericatus ſortem aſſumi. Ita ſane ut erga eos, a majoribus tempora conſtituta ſerventur: nec cito quilibet Lector, cito Acolythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat.*

V

Impedimentum ex defectu libertatis.

Qui juris ſui non ſunt, ad ordines aſſumi canones vetant: cujus cauſam afferens S. Thomas, (*ſupp. quæſt.* 39, *art.* 3, *in C.*) „ dicendum, *inquit*, quod in ſuſceptione ordinis „ mancipatur homo divinis officiis; & quia „ nullus poteſt alteri dare quod ſuum non eſt; „ ideo ſervus qui non habet poteſtatem ſui, „ non poteſt ad ordines promoveri. Si tamen „ promovetur, ordinem ſuſcipit; quia libertas „ non eſt de Sacramenti neceſſitate, licet ſit „ de neceſſitate præcepti, cum non impediat „ poteſtatem, ſed actum tantum: & ſimilis „ ratio eſt de omnibus, qui ſunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, & hujuſmodi perſonæ. “

Itaque non ii ſolum quos proprie ſervos dicimus, hoc detinentur impedimento, ſed & illi qui ſunt ad ratiocinia obligati, vel negotiis temporalibus, ſive in militia ſæculari, ſive in publicis adminiſtrationibus implicantur. Hos enim omnes antiqua decreta generaliter comprehendunt.

Servos in Clerum provehi, ait Canon Apoſtolicus 81, *ſine voluntate dominorum non permittimus, ad eorum, qui poſſident, moleſtiam. Horum enim everſionem talia efficiunt. Si quando autem etiam ſervus dignus viſus ſit, qui ad gradum eligatur, (qualis noſter quoque* Oneſimus *viſus eſt), & Domini conſenſerint, ac liberaverint, & ædibus emiſerint, fiat.*

„ *Si quis poſt baptiſmum militaverit, inquit* „ *Concilium Toletanum I (can.* 8), & chlamidem ſumpſerit, aut cingulum ad necandos „ fideles, etiamſi gravia non admiſerit, ſi ad „ Clerum admiſſus fuerit, Diaconii non acci-

 „ piat

„ piat dignitatem ... (*ib. cap.* 10) Clericos, „ si quidem obligati sint vel pro æquatione, „ vel de genere alicujus domus, non ordinandos decernitur, nisi probatæ vitæ fuerint, „ & patroni consensus accesserit."

Concilium *Toletanum* IV, (*can.* 67) „ quicumque libertatem a Dominis suis ita recipiunt, ut sibi in eis nullum obsequium patronus retentet; si isti sine crimine sunt, „ ad Clericatus ordinem liberi suscipiantur, „ quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui vero retento obsequio manumissi „ sunt, pro eo quod adhuc patroni servituti „ tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Clericatus ordinem promovendi: ne, quando voluerint Domini, fiant ex Clericis servi."

Gelasius I Pontifex Max. (*Epist.* 9 *ad Episcopos Lucaniæ*.) „ generalis querelæ vitanda „ præsumptio est, qua propemodum causantur „ universi, passim servos & originarios Dominorum jura fugientes, vel ad monasteria sese „ conferre, vel ad Ecclesiasticum famulatum „ admitti: quæ modis omnibus est amovenda „ pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti; præcipue cum „ nec ipsam ministerii Clericalis hac obligatione fuscari conveniat dignitatem ... quibus sollicita interdictione prohibitis, quisquis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, „ vel eorum qui Monasteriis præesse noscuntur, hujusmodi personas deinceps vel Ecclesiasticæ servituti, vel religiosis congregationibus putaverint applicandos, nisi voluntate forsitan dominorum, sub scripturæ testimonio, primitus absolutas, vel legitima „ transactione concessas, periculum se honoris proprii non ambigant, communionisque „ subituros, si super hac re cujusquam verax „ nos querela pulsaverit: magnis quippe studiis, secundum beatum Apostolum prædicandum est, ne fides & disciplina Domini „ blasphemetur."

Et *S. Leo* M. (*Ep.* 3) *debet*, inquit, *immunis esse ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus; ut a castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.*

Idem longe ante a *Siricio* Pontifice Max. de militibus constitutum his verbis: (*Ep.* 4) *Si quis post remissionem cingulum militiæ secularis habuerit; ad Clericatum admitti omnino non debet.*

„ Quantum vero ad eos qui publicis ratiociniis obligantur, *S. Gregorius* M. Dominorum, (imperatorum) pietas sanxit, *inquit*, „ (*lib.* 2, *Ep.* 62) ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod „ valde laudavi, evidentissime sciens, quia qui „ sæcularem habitum deferens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere."

Nihil porro in hac parte de antiquo jure mutatum, evincunt Recentiorum Pontificum decretales.

VI.

Impedimentum ex defectu Sacramenti.

Latissime irregularitas ista effunditur ad defectus baptismi, confirmationis, ordinis & Matrimonii: de quibus sigillatim dicendum.

1. Vel aliquis nondum est baptizatus; vel in lecto dum graviter decumberet, & ad ultimam vitæ periodum putaretur pervenisse, Sanctum Lavacrum accepit.

Si nondum est baptizatus, a Sacro ministerio, jure divino arcetur; &, si erga eum attentata ordinatio fuerit, nullam & irritam esse, a Conciliis & Sum. Pontificibus sæpe declaratum. *Nihil potest aliquis recipere*, ait S. Thomas, (*in* 4 *sentent. dist.* 24, *quæst.* 1, *art.* 2, *quæstiuncula* 3) *cujus receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem, efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest: & sic character ordinis, baptismalem characterem præsupponit.*

Si vero *Clinicus* est, idest, si in lecto propter imminens mortis periculum baptizatus, jure Ecclesiastico, admodum antiquo, indignus ordinatione censetur; propterea quod non voluntario, sed compellente morbi necessitate Christo nomen dedisse deprehendatur. Cujus rei famosum in *Novatiano* sæculo 3 Antipapa, sæpeque memoratum exemplum est. Hunc enim, præter cætera, *Cornelius* Pontifex Max. redarguebat, quod cum baptismum suscepisset in lectulo, in quo æger jacebat, postmodum ad Sacros ordines involasset. *Non enim licebat*, inquit Eusebius Cæsariensis, (*histor. lib.* 6, *cap.* 43) *quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perfusi essent, in Clerum assumi.*

Hoc quidem impedimentum rarissime impræsentiarum occurrit, quandoquidem omnes in prima infantia baptizentur; potest tamen inter barbaras & infideles gentes occurrere, ubi quotidie Evangelium veritatis annunciatur. Erat vero priscis temporibus frequentissimum; tunc enim plerique qui Catechumenos se profitebantur, baptismum ad extremam vitæ periodum, ut alibi observavimus, differebant. Ad eos Synodus *Neocæsariensis*, paulo ante Con-

Concilium Nicænum (*ann.* 344) celebrata, respiciens: „ si quis, *inquit*, (*c.* 12) in ægritu„ dine constitutus, fuerit baptizatus, presby„ ter ordinari non debet; non enim fides il„ lius voluntaria, sed ex necessitate est: nisi „ forte postea ipsius studium, & fides proba„ bilis fuerit, aut hominum raritas cogat ...“ idemque sæculo 9 (quo tempore procurantibus Pontificibus Maximis, & Francorum imperatoribus, pleræque Germanorum & Gentium finitimarum provinciæ, fidei lumine illustratæ sunt,) in Concilio Parisiensi (*ann.* 829) can. 8, sancitum est. „Sicut in plerisque, *inquiunt* „ *patres*, ita & in eo authoritas a nonnullis „ sæpe violatur canonica, quando scilicet hi „ qui in ægritudine, baptismatis suscipiunt „ Sacramentum, ad gradus Ecclesiasticos con„ tra fas provehuntur. Is usus quia auctori„ tati Canonicæ repugnat, oportet ut corriga„ tur, quoniam hujuscemodi baptizatos, quos „ vulgaris sermo grabatarios vocat, Canonica „ auctoritas a gradibus Ecclesiasticis patenter „ repellit. “

2. Impedimentum ex defectu confirmationis, jure pariter Ecclesiastico constitutum. Merito namque judicatum, neminem ad Clericatus ordinem admittendum, nisi qui perfecte Christianus foret. Porro confirmatio, ut suo ostensum est loco, perfectionis vitæ Christianæ est Sacramentum. Hinc Concilium Trid. legem antiquam renovans, *prima tonsura*, inquit, (*sess.* 23, *in Decr. de Ref. c.* 4) *non initientur*, *qui confirmationis Sacramentum non susceperint*. Validam tamen & ratam hominis non confirmati ordinationem futuram, certa & constans sententia est. *Character baptismalis*, inquit S. Thomas, (*in* 4, *dist.* 24, *q.* 1, *art.* 2, *quæstiuncula* 4) *præsupponitur de necessitate Sacramenti, ita quod sine eo Sacramentum ordinis conferri non potest; sed de congruitate requiritur omnis perfectio, per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem ordinis; & unum de istis est, ut sit confirmatus. Et ideo de congruitate character ordinis characterem confirmationis præsupponit, & non de necessitate*.

3. Cum inferiores ordines auctoritate Ecclesiæ, progressu temporis fuerint, ut prædiximus, instituti; eadem auctoritate sancitum, neminem ad superiorem ordinem admittendum, quin minores antea suscepisset. Eorum itaque defectus, jure Ecclesiastico irregularitatem inducit. *Non est de idoneitate* (sive necessitate) ait præceptor Angelicus, (*ib. quæstiuncula* 5) *superiorum ordinum, quod aliquis minores ordines prius habeat; quia potestates sunt distinctæ, & una quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto: & ideo etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant, & tamen poterant omnia quæ inferiores ordines possunt, quia inferior potestas virtute comprehenditur in superiore, sicut sensus in intellectu, & Ducatus in Regno. Sed postea per constitutiones Ecclesiæ determinatum est, quod ad majores se non ingerat, qui prius in minoribus officiis se non humiliaverit. Et inde est, quod qui ordinantur per saltum, secundum canones non reordinantur; sed id quod omissum fuerat de præcedentibus ordinibus, eis confertur*.

Extant de hoc impedimento plurima Sum. Pontificum statuta, in jus Canonicum relata. Sic *Alexander* II de quodam Clerico loquens, qui prætermisso subdiaconatu, ad Diaconatum & presbyteratum ascenderat: *mandamus*, inquit, (*Canone: Sollicitudo*) *ut ab officio Sacerdotali eum probibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio, subdiaconatus ministerium ei rite imponas, & sic deinceps ad majora eum officia redire concedas*. Eodem pertinent Concilii Trid. decreta, quibus sancitum est, ordines minores esse veluti gradus ad Sacerdotium, nec nisi per temporum intersticia debere conferri. (*Vide Conc. Trid. sess.* 23, *passim*)

4. Irregularis ex defectu matrimonii quisque evadit, non ideo quia nuptias non contraxit, (quod dictu ac cogitatu absonum esset:) sed quia sæpe repetitis nuptiis, in aliquam incontinentiæ suspicionem incurrit, & quia iterato matrimonio, a matrimonii Christi cum Ecclesia, quod fuit unius cum una, perfecta significatione deflexit. Jam illud impedimentum in quo consistat, & quantum pateat, breviter explico.

Monogamus est, qui cum una, polygamus qui cum pluribus nuptiarum fœdera sociavit: bigamus quidem, si cum duabus, trigamus, si cum tribus, & sic deinceps. Illud autem quia vel uno eodemque tempore, vel successive interveniente prioris uxoris morte, fieri potuit, ideo polygamia, altera simultanea, successiva altera est.

De Polygamia simultanea, quæ crimen horrendum est, ipsique naturæ & primævæ matrimonii institutioni contraria, certum est quod non possit annumerari irregularitatibus ex solo defectu provenientibus. De sola itaque successiva hic agitur, in quam quisquis inciderit, certum est a Sacris ordinibus, Apostolico decreto arceri.

Oportet, inquit, (1 *Timoth.* 3, 12) *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum ... Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, & suis domibus*, (*Tit.* 1, 5)

Digitized by Google

1, 5) *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir &c.*

Consentiunt Canones Apostolici. *Si quis post baptisma*, inquiunt, (*can.* 17) *secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum qui ministerio Sacro deserviunt.*

Pari sensu *Innocentius I* Pontifex Max. *qui secundam*, inquit, (*Epist.* 2, *c.* 6) *duxit uxorem, ne Clericus fiat.*

Et Concilium Toletanum I, *subdiaconus autem*, ait, (*can.* 4) *defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur in Ostiarios vel Lectores, ita ut Evangelium & Epistolam non legat... Qui vero tertiam, (quod nec dicendum est) acceperit, abstentus biennio, postea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.*

Plura addere supervacaneum fuerit, quandoquidem nemo de irregularitate hac dubitet, quin ab ipsa apostolica ætate inducta fuerit, & etiamnum perseveret, ut Concilii Trid. declarat auctoritas. *Si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis*, inquit, (*sess.* 23, *decr. de reform. cap.* 17) *clerici cœlibes præsto non erunt; suffici possint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonsuram & habitum clericalem in Ecclesia gestent.*

Hujus apponendi impedimenti duplex, ut prædiximus, causa fuit: 1 proclivioris ad libidinem naturæ haud levis suspicio: 2 ex defectu significationis petita; iteratæ namque nuptiæ, spirituale Christi cum Ecclesa Matrimonium, quod unius cum una fuit, nequeunt perfecte significare.

Ad primam quidem manifesto videtur Apostolus respexisse, quando vitia enumerans, a quibus immunem volebat esse Dei ministrum, virtutesque recensens quibus ornatum esse oporteret: *oportet*, inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, pudicum... filios habentem subditos cum omni castitate... Diaconos similiter pudicos... unius uxoris viros, qui filiis suis bene præsint & suis domibus... hujus rei gratia reliqui te Cretæ... ut constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi: si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ... oportet enim Episcopum sine crimine esse... sobrium... continentem*: quem in locum S. Joannes Chrysost. *castigat hoc ipso*, inquit (*Hom.* 2 *in Ep. ad Tim.*) *etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque pastoris assumi.*

Et vero si laicos ipsos propter nuptias iteratas, plectendos canonica pœnitentia olim judicatum a patribus, quanto convenientius fuit ut a sacris ordinibus eamdem ob causam repulsio esset? atqui quantumvis iis persuasum esset, sine crimine nuptias iterari, nihilominus propter suspicionem luxuriæ castigandos canonica pœnitentia censuerunt: „ de his qui frequen-
„ ter uxores ducunt, & de his quæ sæpius
„ nubunt, *ait Concilium Neocæsariense*, (*can.*
„ 3) tempus quidem pœnitentiæ his constitu-
„ tum, manifestum est: sed conversatio &
„ fides eorum, tempus abbreviat... *ibidem-*
„ *que* (*can.* 7) *decretum*, presbytero convivio
„ secundarum nuptiarum interesse non debe-
„ re, maxime cum præcipiatur secundis nu-
„ ptiis pœnitentiam tribuere: quis ergo erit
„ presbyter, *inquit*, qui propter convivium,
„ illis consentiat nuptiis. "

Secundam sic explicat *S. Aug.* „ propter Sa-
„ cramenti sanctitatem, *inquit*, (*lib. de bono*
„ *Conjug. c.* 18) sicuti fœmina etiamsi cate-
„ chumena fuerit vitiata, non potest post ba-
„ ptismum inter Dei virgines consecrari; ita
„ non absurde visum est, eum qui excessit
„ uxorum numerum singularem, non pecca-
„ tum aliquod commisisse, sed normam quam-
„ dam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bo-
„ næ meritum, sed ad ordinationis Ecclesia-
„ sticæ signaculum necessariam, sicut plures
„ uxores antiquorum patrum, significaverunt
„ futuras nostras ex omnibus gentibus Eccle-
„ sias uni viro subditas Christo; ita noster
„ antistes (*Christus*) unius uxoris vir, si-
„ gnificabat ex omnibus gentibus unitatem,
„ uni viro subditam Christo... sicut ergo
„ Sacramentum plurium nuptiarum illius tem-
„ poris, significavit multitudinem futuram Deo
„ subjectam in terrenis omnibus gentibus; sic
„ Sacramentum nuptiarum singularum nostri
„ temporis, significat unitatem omnium no-
„ strum, subjectam Deo futuram in una cœ-
„ lesti civitate. "

Cui concinens S. Thomas „ per Sacramen-
„ tum ordinis, *inquit*, (*in* 4, *dist.* 127, *qu.*
„ 3, *art.* 1) homo minister sacramentorum
„ constituitur: ille vero qui aliis sacramenta
„ ministrare debet, nullum in Sacramentis de-
„ fectum pati debet, defectus autem in Sacra-
„ mento est, quando Sacramenti significatio
„ integra non invenitur, Sacramentum autem
„ Matrimonii significat conjunctionem Christi
„ ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam: &
„ ideo requiritur ad perfectam significationem
„ Sacramenti, ut vir sit tantum unius vir,

Digitized by Google

„ & uxor tantum unius uxor; & ideo bigamia „ quæ hoc tollit, irregularitatem inducit. "

Ita præceptor Angelicus, ib. alteram quam prædiximus hujus irregularitatis causam, scilicet incontinentiæ suspicionem adjungens: „ In illis, *inquit*, qui accipiunt Sacramentum „ ordinis, maxima spiritualitas debet apparere, „ tum quia spiritualia ministrant, scilicet Sacramenta, tum quia spiritualia docent, & in spiritualibus occupari debent, „ unde cum concupiscentia, per quam totus „ homo caro efficitur, maxime spiritualitati „ repugnet; non debet aliquod signum concupiscentiæ permanentis in eis apparere: quod „ quidem in bigamis apparet, qui una uxore „ contenti esse nolunt.

Jam quæritur 1, utrum hoc impedimento omnes generatim detineantur, qui nuptias duplicarunt, sive ante baptismum, sive suscepto baptismo bigami fuerint?

R. Diversas de hac re majorum fuisse sententias.

Græcorum enim, quibus adhæsit S. Hieronymus, doctrina fuit, Apostoli verba, *unius uxoris virum*, sic esse intelligenda, ut ad sacrum ministerium eligendus, semel tantum nuptias post baptismum contraxerit; etiam si alteram ante baptismum aut forte plures habuisset uxores: veteri namque homine, per Sacramentum regenerationis in novum mutato macularum omnium quæ præcesserant, nullam volebant debere haberi rationem: expressa canonis Apostolici jam citati, (*can.* 17) verba sunt: *si quis*, inquit, *post baptisma, secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non presbyter, aut diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio Sacro deserviunt*; quem in locum *Balsamon antiquus interpres*: *eum, qui post sanctum Baptismum digamus fuerit, vel fornicatus sit, probibet Canon fieri Episcopum, vel Sacerdotale quidpiam exercere: quæ enim ante Baptismum admissa sunt omnis generis peccata prætermittit: cum factus sit novum opus, gratia Sancti Sp.* Eadem *Zonaræ* canonistæ Græcorum celeberrimi observatio est: *divinum lavacrum Sancti Baptismatis*, ait, *omnes credimus abluere sordes ipsis Baptizatis illitas ante Baptismum, nullumque peccatum quod ante Baptismum ab aliquo fuerit patratum, probibet ad Sacerdotium promoveri Baptizatum: quod si post Baptismum scortatus fuerit, aut nuptiis duplicibus adhæserit, indignus qualicumque sacerdotio judicatur*.

S. vero Hieronymus: (*comment. in epist. ad Tit.*) „ multi, *inquit*, superstitiosius magis „ quam verius, etiam eos qui cum gentiles „ fuerint, & unam uxorem habuerint, qua „ amissa, post Baptismum Christi alteram duxerint, putant in Sacerdotium non legendos; cum utique si hoc observandum sit „ illi magis ab Episcopatu arceri debeant, „ qui vagam per meretrices ante exercentes „ libidinem, unam regenerati uxorem acceperint; & multo detestabilius sit, fornicatum „ esse cum pluribus, quam digamum reperiri; quia in alio infelicitas Matrimonii est; „ in alio ad peccandum prona lascivia: & „ *alibi*: (*Ep.* 83, *ad Oceanum*) si Baptismus „ novum hominem facit, & ex toto novum „ creat, nihilque in eo veteris hominis reservatur; non potest novo imputari, quod in „ veteri quondam fuit. "

At Latinorum, uno dempto *Hieronymo*, concors opinio fuit, quam recentiores canonistæ amplexi sunt, hoc ipso, quod aliquis bigamus est, a sacra ordinatione arceri, sive utramque uxorem, sive alteram ante baptismum habuerit.

Sic *Innocentius* I postquam in Ep. ad Victricium Rothomagensem (*Epist.* 2, *cap.* 5) *qui*, inquit, *secundam duxit uxorem, ne clericus fiat*: ita subjungit: *ac ne ab aliquibus existimetur, ante Baptismum si forte quis acceperit uxorem, & ea de sæculo recedente alteram duxerit, in Baptismo esse dimissum; satis errat a regula: quia in Baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur*.

Et *S. Aug.* „ propterea, *inquit*, (*de bono* „ *conjugali, cap.* 18) Sacramentum nuptiarum „ temporis nostri sic ad unum maritum & unam „ uxorem redactum est; ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinari nisi unius uxoris „ virum: quod acutius intellexerunt, qui nec „ eum qui catechumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt: „ de Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in baptismo peccata omnia dimittuntur: sed qui dixit: *Si acceperis uxorem* „ *non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit, & quod vult faciat, non peccat si* „ *nubat*: (1 *Cor.* 7, 28) satis declaravit, nuptias nullum esse peccatum propter Sacramenti Sanctitatem; sicut fœmina, etiamsi „ catechumena fuerit vitiata, non potest post „ baptismum inter Dei Virgines consecrari; „ ita non absurde visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam „ quamdam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. "

Quæritur 2, utrum eos solum qui proprie propter duplicatum Matrimonium bigami fuerint, hoc impedimentum astringat?

R. Ne-

R. Negative. Bigamia triplex vulgo censetur, vera, interpretativa, & similitudinaria: vera est, quando quis cum duabus successive uxoribus nupsit: interpretativa, quæ repetendi Matrimonii tacitam innuit voluntatem, ut si quis unicam quidem, sed viduam duxerit; uxoris enim bigamia, in maritum etiam monogamum quadam ratione transfunditur, quia quod in uxore sua non reprobat, præsumitur ipse data occasione facturus, nec censetur ab incontinentiæ suspicione alienum animum gerere, qui uxorem primo marito non contentam in Thorum admittit: item si quis cum corrupta & non bonæ notæ muliere nuptias inierit: quamquam enim ipse sit impollutus & innocens, ejusdem dedecoris fit aliquatenus particeps: item, cujus mulier post Matrimonium adulterii rea fuit eamdem notam incurrit: *similitudinariam* canonistæ vocant, quæ iterati Matrimonii quandam imaginem præfert, quæque tum contingit, cum aliquis post solemne Religionis, aut sacri ordinis votum, Matrimonium, sive valide, obtenta dispensatione, sive invalide contraxit & consummavit .... Carnalibus namque nuptiis, spirituales quæ præcesserant, violavit: hoc posito

Dico, per bigamiam veram, interpretativam, & similitudinariam impedimentum irregularitatis æqualiter contrahi.

De *vera* jam dictum est.

De *interpretativa*, dudum canonibus Apostolicis definitum: *si quis*, inquiunt, (*can.* 17) *viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de iis quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut presbyter, aut diaconus; aut ex eorum numero qui ministerio sacro deserviunt* ... quem locum *Balsamon* interpretans: *nota*, inquit, *præsentem canonem: vult enim non solum eum qui est sacratus, modestum esse & continentem; sed etiam ejus conjugem: & ideo mulieres quæ hic comprebenduntur, probibuit cum sacratis hominibus Matrimonio jungi, utpote quod eas continenter vivere non credatur, propter earum sordes & improbitatem.*

Concinit Concilium Toletanum I, can. 3 statuens, *ut lector fidelis, si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil sit, sed semper lector habeatur, aut forte subdiaconus.*

De iis vero quorum uxores fuerint in adulterio deprehensæ, Concilium *Neocæsariense*: *si cujus uxorem*, inquit, (*can.* 8) *adulterium commisisse, cum esset laicus, fuerit comprobatum, hic ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest; quod si in clericatu jam constituto eo, adulteravit; dato repudio, dimittere eam debet: si vero retinere ejus consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.*

Quod si cui durior hæc regula videatur, qua nimirum propter uxoris bigamiam, vel impudicitiam, cujus reus ipse non fuit, repellendus a sacro ministerio maritus decernitur, attendat hoc ideo constitutum, cum quod maritus ab hoc vitio non multum alienus præsumi jure quodam possit, quod in uxore non reprehendit; cum quod mulieris dedecus in virum redundet. Et vero si Apostolus hanc in eligendis Episcopis adhiberi voluit cautionem, ut indignos ea dignitate censuerit, qui filios incontinentes haberent; quanto magis idem judicasse putandus est de iis quorum uxores nomen integrum pudicitiæ non haberent? porro B. Paulus explicans quibus conditionibus quisque in Episcopum debeat eligi: *oportet*, inquit, (1 *Tim.* 3, 2, & 4) *Episcopum irreprebensibilem esse ... suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate ...* (*Tit.* 1) *si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios babens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos*: quem in locum S. Hieronymus *tam sanctum*, inquit, *nomen Sacerdotii est, ut nobis etiam ea, quæ extra nos sunt posita, reputentur*: *non quod propter vitia nostra Episcopi non fiamus, sed quod propter filiorum incontinentiam, ab boc gradu arcendi simus: qua enim libertate possumus alienos filios corripere, & docere quæ recta sunt, cum nobis statim possit qui fuerit correptus ingerere? ante doce filios tuos.*

Quemadmodum igitur Apostolus liberorum incontinentiam redundare in patrem existimavit, quanto magis de uxore erga maritum idem sanxisse putari debet? longe enim sanctiore vinculo vir cum muliere, cum qua factus est una caro, quam pater cum filiis jungitur.

De *similitudinaria* denique, quamquam primis temporibus incognita foret; constat novo jure irregularitatibus annumeratam. *Sacerdotes illi*, inquit Alexander Papa III (*Extra*: *de cler. conjug. cap.* 4) *qui nuptias contrahunt, post longam pœnitentiam officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, ejus executionem babere* .... & *Innocentius* III: *ille autem*, ait, (*Extra de Bigamis non ordinandis, c. a nobis*) *qui in subdiaconatus ordine constitutus, de facto tantum (quia de jure non potuit) duxit viduam in uxorem, profecto bigamus non existit, sed nec viduæ potest in veritate dici maritus; cum inter ipsum & illam non fuerit vinculum maritale contractum: cum eo tamen contra doctrinam Apostoli, tamquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed*

ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto . . . affectum enim ad duplex Matrimonium carnali copula probat; ac de facto, quantum in ipſo eſt, contrabit, quamvis jure nullum & irritum propter voti præcedentis impedimentum.

Quær. 3, utrum bigami ab omnibus ordinibus, tam minoribus quam majoribus arceantur?

R. 1. Apoſtolum locis citatis, ſolos Epiſcopos, presbyteros, & diaconos ſub hoc impedimento concludere; nec mirum: hi enim ſoli ordines prima Eccleſiæ ætate vigebant; necdumque iis fuerant ſubdiaconi & Clerici minores in ſupplementum adjuncti: nihil ergo cauſæ Apoſtolo erat, quidquam de miniſtris nondum exiſtentibus præſcribendi.

R. 2. A ſæculis Apoſtolica tempora ſubſecutis ad provectam uſque Eccleſiæ ætatem, ſanctionem B. Pauli de bigamis a diaconatu, presbyteratu, & Epiſcopatu excludendis ubique uniformiter obſervatam: quantum vero ad ſubdiaconos, iiſque ſubjectos miniſtros variam pro diverſitate locorum & temporum diſciplinam fuiſſe.

Sic enim canones Apoſtolici, bigamos abſolute vetant ad clerum admitti: *ſi quis poſt baptiſma*, ait canon 17, *ſecundis fuerit nuptiis copulatus . . . non poteſt eſſe Epiſcopus, non presbyter, aut diaconus, aut prorſus ex numero eorum qui miniſterio ſacro deſerviunt*: & canon 18, *ſi quis viduam aut ejectam acceperit, aut ancillam, vel aliquam de iis quæ publicis ſpectaculis mancipantur; non poteſt eſſe Epiſcopus aut presbyter, aut diaconus, aut ex eorum numero, qui miniſterio ſacro deſerviunt*. Pariter *Innocentius I*, in Ep. jam citata: (*Ep.* 2, *cap.* 6) *qui ſecundam*, inquit, *duxit uxorem, ne clericus fiat*: & Concilium *Neocæſarienſe* can. 8, *ſi cujus uxorem adulterium commiſiſſe, cum eſſet laicus, fuerit comprobatum; hic ad miniſterium Eccleſiaſticum admitti non poteſt: quod ſi in clericatu jam conſtituto eo, adulteravit; dato repudio dimittere eam debet: ſi vero retinere ejus conſortium velit, non poteſt ſuſcepto miniſterio perfrui*.

In contrarium Synodus Toletana I, bigamos a minoribus ordinibus non repellit, quamquam ad ſuperius promoveri prohibeat: *conſtituit S. ſynodus*, inquit, (*can.* 3) *ut lector fidelis, ſi viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil ſit, ſed ſemper lector habeatur, aut forte ſubdiaconus . . .* (*can.* 4) *ſubdiaconus autem defuncta uxore, ſi uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter boſtiarios, vel lectores*: eodem pertinet decretum *S. Leonis* M. Pontificis Max. quod bigamos a ſolis majoribus ordinibus ſuſcipiendis excludit: *quamlibet quis*, inquit, (*Ep.* 84, *cap.* 1) *bonis moribus præditus, & ſanctis operibus inveniatur ornatus; nequaquam tamen vel ad diaconii gradum, vel ad presbyterii honorem, vel ad Epiſcopatus culmen aſcendat, ſi aut ipſum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuiſſe claruerit*.

R. 3. In 2 generali *Lugdunenſi* concilio, verſus finem ſæculi 13, (*anno* 1274) celebrato, ab omnibus indiſcriminatim ordinibus, ipſaque prima tonſura bigamos lege perpetua fuiſſe repulſos: verba ejus ſunt: (*can.* 16) *Bigamos omni privilegio clericali declaramus eſſe nudatos, & correctioni fori ſæcularis addictos, conſuetudine contraria non obſtante: ipſis quoque ſub anathemate prohibemus, deferre tonſuram vel habitum clericalem:* idemque in Concilio Trid. ſancitum: *quod ſi*, inquit, (*Seſſ.* 23, *de reform. c.* 17) *miniſteriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cœlibes præſto non erunt; ſuffici poſſint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonſuram & habitum clericalem in Eccleſia geſtent*.

Quær. 4, utrum quiſquis nuptias duplicat, vel cum vidua Matrimonium contrahit, abſolute & ſine reſtrictione pro bigamo & irregulari habendus ſit?

R. Negative, non enim in irregularitatem inciditur, niſi primum viri, aut viduæ Matrimonium fuerit conſummatum. Ita ab *Innocentio III* Pontifice Max. definitum: conſultus ille ab Epiſcopo *Metenſi*, an qui Mulierem ab alio ductam, ſed non cognitam matrimonialiter ſibi copulavit, poſſit ad ſacerdotium promoveri? affirmanter reſpondit: *Cum duo ſint in conjugio*, inquit, (*Extra de bigamis non ordinandis, c. debitum*) *videlicet conſenſus animorum, & commixtio corporum; quorum alterum ſignificat caritatem, quæ conſiſtit in ſpiritu, inter Deum & juſtam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apoſtolus*: qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo: *reliquum vero deſignat conformitatem, quæ conſiſtit in carne inter Chriſtum & Eccleſiam, ad quod pertinet illud, quod Evangeliſta teſtatur*: verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: *profecto conjugium illud, quod non eſt commixtione corporea conſummatum, non pertinet ad illud conjugium deſignandum, quod inter Chriſtum & Eccleſiam, per incarnationis myſterium eſt contractum: juxta quod Paulus explicans illud quod dixerat proto plaſtus*: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; & propter hoc relin-

Digitized by Google

quet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: *statim subjungit*: hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia: *cum ergo propter Sacramenti defectum inhibitum sit, ne digamus aut Maritus viduæ præsumat ad sacros ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius: profecto ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest istiusmodi signaculum Sacramenti: unde is qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam, duxit uxorem, quia nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit ad sacerdotium promoveri.*

VII

Impedimentum ex defectu perfectæ lenitatis.

Rerum sacrarum ministros mansuetos esse debere, ab humani sanguinis effusione, omnique crudelitatis specie alienos, naturæ videtur esse præscriptio, interdum ab ipsis gentilibus observata: sic enim referente *Aulo Gellio* (*noctium atticarum lib.* 10, *c.* 15) flamini diali, Sacerdoti scilicet, qui Jovis ministerio a *Numa Pompilio* assignatus fuerat, religio erat exercitum armatum videre: *idcirco*, inquit, *rarenter flamen dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur*: item, *vinctum, si ædes ejus introiret, solvi necessum erat, & vincula ejus foras in viam demitti: item, si quis ad verberandum ductus, ad pedes ejus supplex procumberet, eo die verberari piaculum erat.*

Memoria dignum, quod de *Tito* Imperatore, *Titi-Flavii Vespasiani* filio, narrat *Svetonius*, (*de* 12 *cæsaribus lib.* 8) non alia conditione summum Pontificatum ab eo esse susceptum, nisi ut liceret sibi, neminem morte damnare, & ab omni effusione sanguinis abstinere: *Pontificatum Maximum*, inquit, *ideò se professus accipere, ut puras servaret manus; fidem præstitit; nec author posthac cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non deesset: sed periturum se potius, quam perditurum adjurans.*

Quod si mansuetudinis exercendæ officium nec ipsos gentiles sacrificos latuit, quibus pars veluti quædam Religionis crudelitas erat; quanto magis a veri Dei ministris decuit in Christi Ecclesia observari, quibus ab ipso Salvatore est dictum: *discite a me, quia mitis sum & humilis corde: nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat? . . . Quomodo enim*, ait Yvo Carnotensis, (*Epist.* 246) *Ecclesia judicare debet, fundendum sanguinem alienum, quæ a primo ortu jussa est fundere sanguinem proprium?*

Merito ergo a majoribus constitutum, capitale judicium, quale in sæculari foro profertur, omnemque mortis aut mutilationis quantumvis justæ ac necessariæ non perpetrationem tantum, sed etiam procurationem, qualis fit a judicibus, notariis, & aliis quomodolibet officio suo juste fungentibus; item ab accusatoribus, denunciatoribus, & testibus; item a militibus in bello justo pugnantibus, irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis inferre: cujus rationem explicans S. Thomas: (*in* 4, *dist.* 25, *q.* 2, *art.* 2) " irregularitas, *inquit*, non „ incurritur propter peccatum tantum, sed „ principaliter propter ineptitudinem personæ, „ ad Sacramentum Eucharistiæ ministrandum: „ & ideo judex & omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares, propter „ hoc quod effusio sanguinis non decet mini„ stros tanti Sacramenti „.

Quam porro antiqua hæc sanctio sit, testimoniis sequentibus palam fiet: " si quis post „ baptismum militaverit, *ait Concilium Toletanum* I (*can.* 8), & chlamydem sumpse„ rit, aut cingulum ad necandos fideles; etiamsi „ gravia non admiserit; si ad clerum admis„ sus fuerit, diaconii non accipiet digni„ tatem „.

Innocentius I " designata sunt genera, *in„ quit*, (*Ep.* 4, *c.* 3) de quibus ad clerica„ tum pervenire non possunt: id est, si quis „ fidelis militaverit, si quis causas egerit, „ (*criminales nimirum*) &c. . . . (*Ep.* 23, *c.* „ 2) quantos ex eis qui post acceptam baptis„ mi gratiam, in forensi exercitatione versa„ ti sunt . . . . . accitos ad sacerdotium esse „ comperimus? quantos ex militia, qui cum „ potestatibus obedierunt, severa necessario „ præcepta sunt executi? quantos ex curiali„ bus, qui dum parent potestatibus, quæ sibi „ sunt imperata fecerunt? . . . . quorum om„ nium neminem, ne ad societatem quidem „ ordinis clericorum, oportuerat pervenisse? .... „ quicumque tales ordinati fuerint, cum ordi„ nibus suis deponantur „.

Concilium Toletanum 11 (*anno* 675) *Can.* 6: *His, quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet: & ideo magnopere talibus excessibus prohibendum est: ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant, aut truncationes quibuslibet personis inferant per se, aut inferendas præcipiant: quod si quis immemor horum præceptorum, aut in Ecclesiæ suæ familia, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, concessi ordinis honore privetur & lo-*

co,

Digitized by Google

co, sub perpetuo quoque damnationis teneatur ergastulo religatus: cui tamen communio ex hac vita exeunti non est neganda, propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur & vivat.

Eadem repetens, suaque auctoritate confirmans *Alexander* III Pontifex Max. *clericis in sacris ordinibus constitutis*, inquit, (*extra ne clerici sæcularibus negotiis se immisceant: cap. 5*) *ex Concilio Toletano judicium sanguinis agitare non licet: unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas: quod si quis tale quid fecerit, honore privetur & loco.*

Quod si clericus quispiam ad hujusmodi exercenda judicia fuerit a sæculari Principe specialiter delegatus; non ideo irregularitatem effugiet: ita *Alexander* III Archiepiscopo Panormitano respondit, quando de quibusdam Saracenis malefactoribus ab eo consultus, author ei fuit, ut si Rex Siciliæ hos sibi aliisve Episcopis puniendos committeret; *posset eos pecuniaria pœna mulctare, & etiam flagellis afficere, ea*, inquit, (*extra de Raptoribus c. 4*) *moderatione adhibita, quod flagella in vindictam sanguinis transire minime videantur: si vero ita gravis fuerit excessus, quod mortem vel detruncationem membrorum debeant sustinere; vindictam reserves Regiæ potestati.*

Quin nec ipsi accusatores antiquo jure ab hac irregularitate immunes sunt; si talis accusatio sit, quam probabiliter capitalis sententia sequi debeat: notum ex historia Ecclesiastica, quantum in se bonorum omnium indignationem concitarint Episcopi duo *Idacius* & *Ithacius*, propterea quod *Priscillianum* impurissimum hæresiarcham accusassent apud *Maximum* Imperatorem, a quo sententia capitali damnatus est: ob hanc enim immanitatem, ab Ecclesiæ misericordia adeo alienam, communi consensione proscripti sunt; nec flecti unquam S. *Ambrosius* potuit, ut cum eis communionem haberet; diuque referente *Sulpitio Severo*, (*hist. libr. 2*) flevit *S. Martinus* Turonensis Episcopus, quod ad horam cum *Ithacianis* communicasset, cum aliter non posset *Priscillianistis* consulere, quorum salutem exoraturus, ad Imperatorem confugerat: *satius æstimans*, ait laudatus Scriptor, *ad horam cedere, quam his* (Priscillianistis) *non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat.*

Objectio.

Non dissimulandam contra irregularitatem hanc quædam argumenta haud sane contemnenda pugnare. Irregularem enim ideo aliquem fieri, quia in causa criminali, mortis sententiam tulit, aut ferendæ consiliarius fuit, quid aliud est quam culpas, etiam gravissimas, approbare, & scelera impunita velle? hoc porro jure divino ac naturali vetamur, quo constituta reis supplicia sunt: perperam ergo sub immisericordiæ obtentu judices, & eorum quomodolibet adjutores a sacra ordinatione arceantur.

℟. Verbis S. *Aug.* in Epist. ad *Macedonium* (*Ep. 54, aut 153*) a quo simili fuerit quæstione pulsatus: " quæris a me, *inquit*, cur „ officii sacerdotii nostri esse dicamus, intervenire pro reis, & nisi obtineamus offendi, „ quasi quod erat officii nostri minime reportemus: ubi vehementer te dicis ambigere, „ utrum istud a Religione descendat . . . . . „ adhuc gravius urges, & dicis nos probare „ quod volumus impunitum . . . . . & culpæ „ societate vinciri, quoties eum impunitum „ esse volumus, qui culpæ tenetur obnoxius.... „ *cui S. Doctor* " nullo modo, *inquit*, culpas „ quas corrigi volumus, approbamus, nec quod „ perperam committitur, ideo volumus impunitum esse, quia placet: sed hominem miserantes, facinus autem detestantes, quanto „ magis nobis displicet vitium, tanto minus „ volumus inemendatum interire vitiosum: facile enim est atque proclive, malos odisse „ quia mali sunt; rarum autem & pium, eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, ut „ in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes: ac propterea culpam justius „ oderis, quod ea fœdatur natura quam diligis: non est igitur iniquitatis, sed potius „ humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis „ liberator. Morum porro corrigendorum nullus alius quam in hac vita est locus. Nam „ post hanc quisque id habebit, quod in hac „ sibimet conquisierit: ideo compellimur humani generis caritate intervenire pro reis; „ ne isti vitam sic finiant per supplicium, ut „ ea finita non possit finire supplicium: noli „ ergo dubitare hoc officium nostrum ex Religione descendere: cum Deus apud quem „ nulla est iniquitas, cujus summa potestas „ est, qui non tantum qualis quisque sit videt, verum etiam qualis futurus sit prævidet, qui solus potest judicando non labi, „ quia cognoscendo non potest falli, facit tamen, sicut Evangelium loquitur, solem suum „ oriri super bonos & malos & pluit super „ justos & injustos „.

Inst. Quomodo scelera non velle impunita Ecclesia dici potest, quæ intercedit ne puniantur, suosque ministros ab altaribus amovet, si pœnæ corporalis malefactoribus infligendæ vel auctores vel adjutores aliquatenus fuerint?

Digitized by Google

Reſpondet S. Aug. (*ib.*) " ad pœnitentiam „ volumus adduci, pro quibus intervenimus, non „ eorum peccatis vel parcimus, vel faveмus. „ Nam quoſdam quorum crimina manifeſta „ ſunt, a veſtra ſeveritate liberatos, a ſocie- „ tate tamen removemus altaris, ut pœnitendo „ placare poſſint, quem peccando contempſe- „ rant, ſeque ipſos puniendo . . . . „ deinde *Macedonium* exemplo proprio, quaſi argumento ad hominem refutans: "ſcio ego te ipſum, „ *inquit*, cum aliis amicis tuis in Eccleſia „ Carthaginenſi interceſſiſſe pro clerico, cui „ merito ſuccenſebat Epiſcopus: & utique nul- „ lum ibi diſcrimen ſanguinis, ſed incruenta „ diſciplina timebatur: nec cum id quod eti- „ am vobis diſplicebat, inultum eſſe velletis, „ tamquam delicti approbatores vos judicaba- „ mus, ſed tamquam humaniſſimos interceſſo- „ res audiebamus. Si ergo vobis fas eſt, Eccle- „ ſiaſticam correptionem intercedendo mitiga- „ re; quomodo Epiſcopus veſtro gladio non „ debet intercedere: cum ille exeratur, ut in „ quem exeritur bene vivat, iſte ne vivat? „ poſtremo ipſe Dominus apud homines inter- „ ceſſit, ne lapidaretur adultera, & eo modo „ nobis interceſſionis commendavit officium, „ &c. „

Inſt. inſuper. Saltem diffiteri non poſſumus quam in miniſtris ſuis Eccleſia requirit miſericordiam, humanis divinisque legibus, ad ultionem ſcelerum conſtitutis, contrariam eſſe.

Reſpondet S. Aug. (*ib.*) " non ſane fru- „ ſtra inſtituta ſunt poteſtas Regis, vis gla- „ dii, ungulæ carnificis, arma militis, diſci- „ plina dominantis, ſeveritas etiam boni Pa- „ tris: habent iſta omnia modos ſuos, cau- „ ſas, rationes, utilitates: hæc cum timen- „ tur, & coercentur mali, & quietius inter „ malos vivunt boni: non quia boni pronun- „ tiandi ſunt, qui talia metuendo non peccant: „ (non enim bonus eſt quiſpiam timore pœ- „ næ ſed amore juſtitiæ:) verum tamen non „ inutiliter etiam metu legum, humana coer- „ cetur audacia, & ut tuta ſit inter impro- „ bos innocentia, & in ipſis improbis, dum „ formidato ſupplicio frænatur facultas, invo- „ cato Deo, ſanetur voluntas; ſed huic ordi- „ nationi rerum humanarum, contrariæ non „ ſunt interceſſiones Epiſcoporum: immo vero „ nec cauſa, nec locus intercedendi ullus eſ- „ ſet, ſi iſta non eſſet: tanto enim ſunt in- „ tercedentium & parcentium beneficia gra- „ tiora, quanto peccantium juſtiora ſuppli- „ cia „.

Inſt. ultimo. Quis non videat hac Eccleſiæ indulgentia & interceſſione Epiſcoporum omni ſcelerum generi fræna laxari? eo enim quiſque ad peccandum audacior erit, quo certius in miniſtris ſacris patrocinium eſt reperturus.

Reſpondet S. D. (*ib.*) *cum intercedimus pro peccatore damnando, ſequuntur aliquando quæ nolumus, ſive in ipſo qui noſtra interceſſione liberatur, ut vel immanius impunita graſſetur audacia, ſubdita cupiditati, ingrata lenitati, atque unus morti ereptus plurimos necet; vel ipſo per beneficium noſtrum in melius commutato, moribusque correpto, alius male vivendo pereat, ſibique hujus impunitate propoſita, talia, vel graviora committat. Non, ut opinor, hæc mala imputanda ſunt nobis, cum interdicimus vobis; ſed potius illa bona, quæ cum id facimus, intuemur & volumus; ideſt; commendatio manſuetudinis, ad conciliandam dilectionem verbo veritatis, &, ut qui liberantur a temporali morte, ſic vivant, ne in æternam unde numquam liberentur, incurrant. Prodeſt ergo & ſeveritas veſtra, cujus miniſterio quies adjuvatur noſtra: prodeſt & interceſſio noſtra, cujus miniſterio ſeveritas temperatur & veſtra: non vobis diſpliceat, quod rogamini a bonis, quia nec bonis diſplicet, quod timemini a malis . . . . nihil nocendi cupiditate fiat, ſed omnia conſulendi caritate; nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter; ita formidetur ultio cognitoris, ut nec interceſſoris Religio contemnatur: quia & plectendo & ignoſcendo hoc ſolum bene agitur, ut vita hominum corrigatur.*

Proponitur & reſolvitur quæſtio quædam.

Q. Utrum omnes generatim, ac ſine exceptione fiant irregulares, qui mortis alteri inferendæ cauſa vel occaſio ſunt?

℟. Negative. Pleraſque enim hoc impedimentum exceptiones admittit. Sic

1. Irregulares non ſunt Epiſcopi & Abbates temporalem juriſdictionem habentes, quando *Ballivis* ſuis, ſive delegatis judicibus, cauſas criminales committunt: ita definitum a *Bonifacio* VIII Pontifice Max. *Epiſcopus*, inquit, (*titulo: ne clerici vel monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant, in c. Epiſcopus*) *ſeu quicumque alius prælatus, vel clericus juriſdictionem obtinens temporalem, ſi homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in juriſdictione ſua commiſſo*, Ballivo *ſuo, aut alii cuicumque injungat, ut ſuper hoc veritatem inquirens, juſtitiæ debitum exequatur, irregularis cenſeri non debet: quamvis ille* Ballivus, *vel alius contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit juſtitia mediante: Nam licet clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat; eas tamen cum juriſdictionem obtinent temporalem, debent & poſſunt,*

possunt, *metu irregularitatis cessante aliis delegare*.

2. Ab irregularitate immunes sunt Episcopi, clericos pro enormi crimine derradatos, brachio sæculari tradendo; tametsi morte plectendos certo sciant: modo exterius intercedant, quamvis noverint intercessionem inefficacem futuram: ita idem Pontifex: tit. de homicidio: cap. 2, in 6.

3. Ab ea pariter eximuntur clerici qui de injuriis damnisque sibi illatis, contra malefactores suos, querelas ad judicem deferunt; etiamsi judex, sic exigente justitia, contra illos mortis sententiam ferat: modo protestentur expresse, quod pœnam sanguinis non intendunt. Idem *Bonifacius*, *Prælatis vel clericis quibuscumque*, inquit, (*Tit. de homicidio, in 6, cap. Prælatis*) *qui de laicis suis malefactoribus querelam penes sæcularem judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expresse quod ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt; imputari non debet, quamvis aliis in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si judex mortem illis inferat justitia exigente: alioquin si prælati aut clerici propter metum hujusmodi, quia judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere deprædandi*.

4. Idem de iis dici debet, qui contra laicos contumaciter recusantes solvere decimas, Regiam potestatem implorant; licet ad earum solutionem sine sanguinis effusione compelli vix possint: *quia*, inquit Innocentius III de hac re ab Episcopo quodam consultus, (*extra: de homicidio, cap. 21*) *si te hujusmodi querimoniam simpliciter deponente, Rex in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem; eorum erit duritiæ aut malitiæ imputandum*.

5. Unicuique sine irregularitatis incurrendæ periculo licitum est, pro innocente a calumnia vindicando testem adesse; etiamsi inde secuturum prævideat, ut contra calumniatorem capitalis sententia decernatur: in hoc enim casu veritatem quam calumniator in injustitia detinet, manifestans, non pravi accusatoris pœnam, sed innocentis liberationem intendit: unde si reus pro merito puniatur, hoc præter ejus accidit voluntatem.

6. Secundum jurisprudentiam Gallicanam, testes a judice compulsi non censentur irregulares, quando in causa criminali testimonium ferunt: idemque de Notariis & scribis judicium est; non enim proxime, sed remote tantum, causa mortis inferendæ, Gallorum judicio æstimantur: nec quemquam moveat hæc illorum a cæteris Ecclesiis in hac parte diversitas. Irregularitas enim ex defectu perfectæ lenitatis, disciplinæ res est, non divino sed humano jure sancita. Porro non una omnium eademque disciplina est, itaque nec cæteris gentibus diversa Gallorum, nec Gallis contraria aliorum consuetudo præjudicat.

7. Ab omni irregularitatis metu tutus est sacerdos, magistratus adhortans & admonens, ut in improbos pro officii debito sæviant, etiamsi alicujus mortem inde secuturam prævideat, remotior enim hic concursus est, quam ut auctor mortis censeri queat: idem dicendum de sacerdote qui intendens flagitia reprimi, principi suadet ut legem ferat, qua certorum criminum rei morte plectantur: eadem ratione non est irregularis confessarius, qui negat absolutionem judici suum officium deserenti, & sceleratos ex legum præscripto non castiganti; modo generatim loquatur, nec pœnam mortis directe significet inferendam: ab omni pariter irregularitatis periculo liber est sacerdos, reo restricte præcipiens, ut juridice interrogatus a legitimo judice, crimen suum confiteatur: rem enim bonam suadet ac necessariam: idem putandum de capellanis castra sequentibus, quando milites adhortantur in bello justo, ut pro Rege vindicando, & patriæ liberatione strenue pugnent. Hæc enim adhortatio non ad homicidium, sed ad officii executionem directe tendit.

§. TERTIUS.

Quædam dubia resolvuntur.

Supersunt quædam difficultates priusquam progrediamur ulterius, explicandæ.

Q. 1. Utrum ab ipsa criminis gravitate, irregularitas *ex delicto* petenda sit?

℟. Negative. Equidem antiquitus per plura sæcula consuetudo obtinuit, ut crimine quolibet, aut vehementi ejus suspicione incurreretur irregularitas; cum nemo ad sacros ordines eorumve functiones admitteretur, nisi ex præscripto Apostolico irreprehensibilis esset; sed cum labentibus sæculis vetus disciplina collapsa esset, passimque persuasum foret, per Sacramentalem pœnitentiam, impedimentum quodlibet non secus ac crimen deleri, ut huic licentiæ modum Ecclesia poneret, statuit quorumdam criminum reos, etiam post exactam pœnitentiam & reconciliationem obtentam, nihilominus a sacris ordinibus, eorumque executione arcendos: hic autem criminum delectus magis voluntate & arbitrio factus est, quam ex ipsa scelerum gravitate libratus: unde contigit

tigit non ab ipso in se crimine, sed a juris expressione irregularitatem ex delicto esse petendam: nec ab uno ad alterum, æqualis licet, & forte majoris enormitatis illationem valere: consentanee ad hanc regulam a Bonifacio VIII Pontifice Max. responsum est: (*cap. 18, de sent. excommunic. in 6*) *quod is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus, majori excommunicatione nodatis, scienter celebrare præsumpsit; licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen laqueum non incurrit, cum id non sit expressum in jure.*

Q. 2. Utrum ad irregularitatem ex crimine contrahendam, ejus admittendi voluntas sufficiat?

℟. Negative. Irregularitas enim cadit in factum, non in voluntatem, quæ licet pessima fuerit in eo qui scelus perpetrare proposuit; si tamen ab opere malo abstinuit, vel quia defuit occasio, vel quia in melius voluntas mutata est, pro irregulari non est habendus.

Q. 3. Utrum irregularitas sive ex *delicto* sive ex *defectu* contracta, non tantum ab ordinibus susceptis aut suscipiendis, sed etiam a beneficiis amotionem importet?

R. Negative. Nam juxta hodiernam disciplinam, ordo & beneficium disjunctæ res sunt, cum plerosque videamus beneficio ordinari, aut sine ordine, sola initiatos tonsura, beneficia possidere: quod itaque aliquis a suscipiendis ordinibus, aut ab eorum jam susceptorum exercitio repellatur, minime sequitur a beneficio amoveri, nisi expressum in jure fuerit: quomodo de homicidio voluntario a Concilio Trid. juxta Canones antiquos decretum est: *qui sua voluntate*, inquit, (*sess. 14, de ref. cap. 7*) *homicidium perpetraverit; etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit: nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat: sed omni ordine ac beneficio Ecclesiastico perpetuo careat.*

Dixi: *juxta hodiernam disciplinam*: antiquitus enim cum ordines & beneficia simul conferrentur, nec quisquam fructus ex bonis Ecclesiasticis provenientes perciperet, nisi qui suis in Ecclesia ordinibus fungeretur; eadem irregularitas ad ordines simul & beneficia aditum præcludebat: postquam vero hæc duo disjuncta sunt, & provisio beneficiorum ab ordinum collatione avelli cœpit; ipsa quoque irregularitas ad ordines solos, eorumque executionem restricta est, eo quod antiqui canones de solis ordinibus loquerentur; atque ita paulatim contra pristinam disciplinam receptum fuit, ut irregularitas, a beneficiis eorumque functionibus, nisi expressa juris foret declaratio, non arceret.

Q. 4. utrum irregularitas qualibet, sive ex crimine, sive ex defectu, humana dispensatione tollatur?

R. negative. Quisquis enim quæ percensuimus impedimenta diligenter inspexerit, pro comperto habebit, quædam cum jure divino nitantur, nulla posse hominum dispensatione laxari: cujusmodi est, impedimentum sexus, itemque alterum ex defectu baptismi proveniens: quædam, propterea quod cum ordinum executione conciliari non possunt, causam dispensationis legitimæ non admittere; qualia sunt, pueritiæ, amentiæ, obsessionis, servitutis, cæcitatis, insignis mutilationis, aliaque id genus: quædam, licet executionem ordinum non impediant, quia tamen ab Ecclesia sunt gravibus de causis inducta, nullaque utilitate eorum remissio compensatur, locum dispensationi legitimæ non relinquere: quale est impedimentum ex defectu confirmationis: quædam, quia talia sunt, ut nec ad jus divinum pertineant, nec ordinum executioni obicem ponant, tantumque personæ splendorem obscurent, vel a perfecta Sacramenti significatione deficiant, indulgentiæ locum faciliorem præbere, qualia sunt impedimenta bigamiæ, natalium, corporeæ deformitatis, præsertim quando iis obstrictos, aut necessitas Ecclesiæ postulat, aut meritorum prærogativa commendat: quædam denique quia a delicto proveniunt, non debere nisi expiatis criminibus condonari.

Q. 5. utrisnam facilius dispensatio concedenda, ex delicto aut ex defectu irregularibus?

R. absolute loquendo difficiliorem videri esse debere indulgentiam irregularitatis ex delicto, quam ex defectu contractæ: quo enim aliquis sacris ordinis honore indignior est, eo minus ei dispensationem sperare licet: porro sacri ordinis gradu indignior est qui voluntate peccavit, quam qui patitur defectum non voluntate, sed naturæ necessitate contractum: aliunde vero irregularitas ex defectu difficilius plerumque remittitur, quam irregularitas ex crimine: ratio est, quia crimen pœnitentia aboletur, defectus nulla potest ratione resarciri, aut corrigi. Sic enim possunt Episcopi dispensare cum *Criminosis*, prout ab *Innocentio III* expresse est declaratum: (*extra de bigamis non ordinandis c. 6*) quibus tamen non licet dispensare cum bigamis: cujus discriminis causam hanc canonistæ cum Glossographo afferunt: *criminosus*, inquiunt, *post peractam pœnitentiam restitutus videtur in pristinum statum*,

Digitized by Google

tum, & incipit esse quod non fuit: & ideo cum talibus dispensatur: sed bigamus non prohibetur promoveri propter crimen, sed propter Sacramenti defectum, quia carnem suam divisit in plures, ab unitate recedendo: & hoc Sacramentum amplius restitui non potest per aliquam satisfactionem, cum non sit crimen.

Q. 6. Utrum per solam dispensationem quælibet irregularitas auferatur?

R. negative: Etsi enim ordinarie non nisi per dispensationem tollatur; aliquando tamen etiam sine dispensatione evanescit; si nimirum defectus propter quem fuerat contracta cessaverit: si quis exempli causa a servitute in libertatem, ab amentia ad usum rationis redierit: pariter tollendi impedimenti ex defectu *natalium*, non una ratio est. Nam præter quam quod dispensatione, etiam professione religiosa, aut subsequenti parentum matrimonio solvitur, prout est antiquis decretis sancitum: de Monastica quidem professione extat celebris *Pictaviensis* Concilii canon, relatus, *extra: de filiis Presbyterorum, cap.* 1, ubi postquam declaratum est, filios Presbyterorum, & alios concubitu illegitimo natos, non debere ad sacros ordines promoveri: *nisi*, addit canon, *aut Monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter vivant*. Idem constat *ex Concilio Nannetensi*, an. 1127, ex *Lateranensi* II, an. 1139, sub Innocentio II, can. 21, ex Innocentio III, *l.* 14, Ep. 118, ex *Ivone Carnotensi*, in præfatione ad decretum, & ex communi Ecclesiæ praxi: notandum tamen, excipi Episcopalem dignitatem, & Regulares prælaturas, ad quas sine speciali dispensatione promoveri non possunt; etiam si monasticam, & Religiosam vitam professi solemniter fuerint: *prælationes vero nullatenus habeant*, ait canon Pictaviensis modo laudatus, cui pleraque Ecclesiæ & summorum pontificum decreta consentiunt.

De subsequente vero parentum matrimonio, quin per illud natalium defectus purgetur, nulla dubitatio est: *tanta est vis matrimonii*, ait Alexander III, (extra: *qui filii sint legitimi: cap. tanta*) *ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*: unde sequitur quod non ad ordines tantum Episcopatui subjectos, sed & ad Episcopatum ipsum, & ad prælaturas, sine dispensatione valeant promoveri: ii tamen excipiuntur, qui ex incestu, aut adulterio nati sunt, omnesque generatim quorum parentes conjunctionis illegitimæ tempore, Matrimonium contrahere propter dirimens aliquod impedimentum non poterant: *si autem*, ait ibidem Alexander III, *vir vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit; licet post mortem uxoris eamdem duxerit; nihilominus spurius erit filius.*

Q. 7. Penes quos auctoritas sit, super Irregularitatibus dispensandi?

R. In aliquibus dispensare Episcopos, cæterarum autem relaxationem sum. Pontifici, propter sedis Apostolicæ eminentiam, consentiente Ecclesia, reservatam. Sic e. c. illegitimo concubitu natus, dispensante Episcopo potest ad ordines minores, & simplicia beneficia promoveri; ad majores vero ordines, & beneficia curam animarum habentia, aut præcipuam quandam inferentia dignitatem, non potest sine concessione Pontificis Max. evehi. *Is qui defectum patitur natalium*, inquit Bonifacius VIII, (Extra: *de filiis presbyterorum c.* 1, *in* 6) *ex dispensatione Episcopi licite potest, si ei aliud canonicum non obsistat, ad ordines promoveri minores, & obtinere beneficium, cui animarum cura non immineat; dummodo sit tale, super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari: ad ordines quoque majores, vel, beneficia curam animarum habentia, super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione sedis Apostolicæ promoveri non potest.*

Pariter impedimentum ex defectu corporis sola Pontificis Max. indulgentia tolli Ecclesiæ consuetudo demonstrat: quod quidem ita observatur, ut locorum Episcopis reservetur auctoritas judicandi, an corporis defectus sit talis, ut possit sine scandalo ad ordines, qui eo afficitur, promoveri: hæc enim Romanæ cancellariæ præcipua clausula est: *Committatur ordinario, qui inspecto per se ipsum, & considerato diligenter dicto defectu, si talis non sit, nec ex eo proveniat tanta deformitas, quæ scandalum generet populo, aut divinis impedimentum præstet, (super quo ejusdem ordinarii conscientia oneretur,) cum eodem oratore, dummodo ad id reperiatur idoneus, vitæque ac morum probitas, & virtutum merita sibi suffragentur; nec aliunde ei obstet impedimentum, dispenset.*

De impedimento ex defectu lenitatis oborto eadem disciplina est, ut a solo sum. Pontifice relaxetur, data proprio Episcopo facultate ut „ cum oratore dispenset, si preces veritate „ niti compererit, & dummodo orator repe„ riatur idoneus, vitæque ac morum probitas, „ aliaque merita sibi suffragentur; nec aliud „ obstet canonicum impedimentum, & quod „ de cætero a similibus abstineat.“

Quantum ad impedimentum bigamiæ, olim consuetudo invaluerat, ut ab Episcopis, saltem quoad minores ordines tolli posset. Papa potest dispensare totaliter, inquit S. Thomas (*in* 4 *sent. dist.* 26, *quæst.* 3, *art.* 3): *Sed Episcopus quantum ad minores ordines*: verum con-

tra-

Digitized by Google

trario deinceps more inductum, ut dispensatio a bigamia, ita soli Pontifici max. reservaretur, ut ne ad primam quidem tonsuram, possit eo inscio bigamus quisquam assumi: cujus rei evidens argumentum Concilii Trid. auctoritas suggerit: *quod si*, inquit, (*Sess.* 23, *de Refor. c.* 17) *ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cælibes præsto non erunt; suffici possint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonsuram & habitum clericalem in Ecclesia gestent*: censuit ergo S. Synodus, bigamum ad minores ordines non posse Episcoporum dispensatione admitti: alioquin enim nihil causæ erat decernendi minorum ordinum functiones non posse a laicis bigamis exerceri: eadem sacræ congregationis Concilii Trid. interpretis, nec semel, declaratio fuit: refert *Fagnanus*, (*in* 1 *partem libri* 1 *decr.*) *quod cum quidam Episcopus cum sibi subdito vere bigamo dispensasset super bigamia, eique primam tonsuram, & beneficium simplex contulisset, contra sententiam sacræ congregationis concilii Trid. interpretis, quæ declaravit Episcopo hanc facultatem non competere: quamvis congregatio niteretur eum excusare, tum quia pœna suspensionis a jure imposita, non videtur latæ sententiæ, sed ferendæ, tum quia super hoc articulo inter primarios doctores maxime dissidetur: tamen* Sixtus *V in consistorio respondit, significandum Episcopo ipsum esse suspensum a collatione ordinum; item promotum incidisse in pœnas, juxta declarationem congregationis: licet adjecerit se benigne acturum cum utroque, ubi absolutionem, & dispensationem peterent*. „

Circa irregularitates ex delicto provenientes major Episcoporum potestas est: solo namque excepto homicidio voluntario, impedimentum omne ex delicto occulto contractum, inconsulto Pontifice Max. remittere possunt: *liceat Episcopis*, ait Concilium *Trid.* (*Sess.* 23, *de Ref. cap.* 6.), *in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari: idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum vicariis sit permissum*.

Cur autem impedimenta quædam Episcoporum nutu, alia solius Pontificis Max. auctoritate tollantur, non aliunde quam ab instituto Ecclesiæ causa petenda, quæ sicuti potuit certis notatos defectibus, aut quorumdam criminum reos ab altaris ministerio amovere; decernere pariter potuit, ut quorumdam irregularitatum dispensatio a solo sum. Pontifice, aliarum etiam a simplicibus Episcopis fieret: hæc enim, nemine diffitente, legislatoris potestas est, tum ut leges condat, tum ut earum relaxationem quibus voluerit conditionibus circumscribat.

Objectio.

Bene est, inquiet aliquis, qui condit legem, ejusdem pro libito laxandæ jus habet: porro bigamos a sacris ordinibus repellendos, non Ecclesiæ, sed Apostolorum sanctio est, in sacris litteris consignata: *oportet*, ait Apostolus, *Episcopum sine crimine esse*, *unius uxoris virum:* ergo impedimentum hoc nec Pontificis Maximi, nec Ecclesiæ arbitrio tolli potest.

℞. Concessa maj. dist. min. Bigamos a sacris ordinibus repellendos Apostolorum sanctio est, *ad jus humanum pertinens*, conc. *constituta jure divino*, n. min. & conseq.

E. R. Non omnia quæ in sacris litteris legimus ab Apostolis instituta, ad jus divinum pertinere putanda sunt: pleraque enim tamquam Rectores Ecclesiæ, assistente quidem Sp. Sancto, sed proprio tamen arbitrio decernebant ad disciplinam spectantia, quæ sicuti instituere, ita poterant pro diverso statu, locorum ac temporum immutare. Porro non minor hodie Ecclesiæ auctoritas est, quam Apostolicis temporibus fuit. „Non potest, *inquit S. Thomas*, „ (*in* 4 *sent. dist.* 27, *quæst.* 3, *art.* 3.) ab „ hominibus dispensari, quantum ad ea quæ „ sunt de jure naturali, & quantum ad ea „ quæ sunt de necessitate Sacramentorum & „ fidei; sed in aliis quæ sunt de institutione „ Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc „ eamdem potestatem statuendi & destruendi, „ quam ab initio habuit, potest per eum qui „ primatum in Ecclesia tenet dispensari. „

Et Quodlibeto 4, qu. 8, art. 2, in corp. „ quæ„ cumque sunt instituta per Ecclesiam, vel „ Ecclesiæ prælatos, sunt dispensabilia a Pa„ pa: hæc enim dicuntur esse juris humani vel „ juris positivi: circa ea vero quæ sunt juris „ divini, vel juris naturalis dispensare non po„ test; quia ista habent efficaciam ex institu„ tione divina ..... quamobrem in his solis „ quæ sunt de lege naturæ, & in articulis fi„ dei, & Sacramentis novæ legis, dispensare „ non potest: hoc enim non esset pro verita„ te, sed contra veritatem: manifestum est „ autem, quod bigamum non promoveri, ne„ que est de lege naturæ, neque pertinet ad „ articulos fidei, neque est de necessitate Sa-

„ cra-

Digitized by Google

„ cramenti: quod patet ex hoc quod si biga-
„ mus ordinetur, recipit ordinis Sacramentum:
„ sed hoc pertinet ad quamdam determinatio-
„ nem divini cultus: unde circa hoc potest
„ Papa dispensare, licet dispensare non debeat
„ nisi ex magoa & evidenti causa. “

Et ib. in resp. ad 2. „ Apostolus dupliciter
„ in doctrina sua aliqua proposuit; quædam
„ quidem sicut promulgans jus divinum: sicut
„ illud quod habetur ad Galatas 5, v. 2, *si*
„ *circumcidamini*, *Christus nihil vobis prode-*
„ *rit*: & multa alia hujusmodi & in hoc Pa-
„ pa non potest dispensare: quædam vero, si-
„ cut propria auctoritate aliquid statuens. Nam
„ ipse dicit 1 ad Cor. 11, v. ultimo: *cætera*
„ *cum venero disponam*: & infra, c. 16, v.
„ 2, mandat, ut collectæ quæ fiunt in san-
„ ctos, per unam Sabbati fiant: quod non per-
„ tinet ad jus divinum: & similiter etiam quod
„ dicitur de bigamo non promovendo, non est
„ juris divini, sed institutio auctoritatis hu-
„ manæ, divinitus homini concessæ. “

Q. 8, utrum occulti criminis reum, talem nimirum ut juridice probari non possit, & ordinari volentem, Episcopus ad sacrum ministerium admittere teneatur?

℟. negative. Immo tenentur Episcopi, suo ut muneri satisfaciant, ab altaris ministerio criminosos omnes arcere, qui sive publice, sive in occulto peccaverint, nihilominus divinum infregere mandatum: *estote sancti*, *quoniam ego sanctus sum*; eoque sæpe periculosius, quo secretius deliquerunt, quia quanto cautiores ad effugienda judicia hominum facti sunt, eo evaseruot ad peccandum procliviores: *hujus rei gratia reliqui te Cretæ*, ait Apostolus Paulus, (*Tit.* 1, 5) *ut ea quæ desunt corrigas*, *& constituas per civitates presbyteros*, *sicut & ego disposui tibi*: *si quis sine crimine est &c.* ubi occultum crimen non distinguit a manifesto: nedum ergo nimii rigoris accusandi sint Episcopi, quando laicos aut minores clericos propter crimen occultum ab altaribus amovent; hoc majorem laudem coram Deo & hominibus consequuntur. „ Cum proprie Epi-
„ scoporum munus sit, *ait Concilium Trid.*
„ (*Sess.* 14, *de ref. in proœmio*) subditorum
„ omnium vitia redarguere; hoc illis præcipue
„ cavendum erit, ne clerici, præsertim ad
„ animarum curam constituti, criminosi sint,
„ neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus
„ ducant. Nam si eos pravis & corruptis mo-
„ ribus esse permittant: quo pacto laicos de
„ ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis
„ sermone convinci possent, quod clericos ip-
„ sis patiantur esse deteriores? qua etiam li-
„ bertate laicos corripere poterunt sacerdotes,
„ cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se
„ admisisse quæ corripiunt? monebunt pro-
„ pterea Episcopi suos clericos, in quocumque
„ ordine fuerint, ut conversatione, sermone,
„ & scientia, commisso sibi Dei populo præ-
„ eant, memores ejus quod scriptum est: *san-*
„ *cti estote*, *quia & ego sanctus sum*: & jux-
„ ta Apostoli vocem: *nemini dent ullam of-*
„ *fensionem ut non vituperetur ministerium*
„ *eorum*: *sed in omnibus exhibeant se sicut*
„ *ministros Dei*, ne illud Prophetæ dictum im-
„ pleatur in eis: *sacerdotes Dei contaminant*
„ *sancta*, *& reprobant legem* .... (*ib. cap.* 1)
„ cum honestius ac tutius sit subjecto, debi-
„ tam præpositis obedientiam impendendo, in
„ inferiori ministerio deservire, quam cum
„ præpositorum scandalo, graduum altiorum
„ appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sa-
„ cros ordines a suo prælato, ex quacumque
„ causa, etiam ob occultum crimen quomodo-
„ libet, etiam extrajudicialiter, fuerit inter-
„ dictus; aut qui a suis ordinibus seu gradibus,
„ vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspen-
„ sus, nulla contra ipsius prælati voluntatem
„ concessa licentia, de se promoveri faciendo,
„ aut ad priores ordines, gradus, & dignita-
„ tes, sive honores, restitutio suffragetur.“

Objectio.

Contra opponitur *Alexandri III* Pontif. Max. decretum, ad cujusdam Episcopi consultationem sic respondentis: (*cap.* ex tenore *extra*: de temporibus ordinationum) *quoniam peccatum ipsius occultum dixisti*, *mandamus*, *quatenus pœnitentiam ei condignam imponas*, *& suadeas ut parte pœnitentiæ peracta*, *ordine suscepto utatur*: *quo contentus existens*, *ad superiores amplius non ascendat*. *Veruntamen quia peccatum occultum est*, *si promoveri voluerit*, *eum non debes aliqua ratione prohibere*. Ergo &c.

℟. nego conseq. & dico decretalem hanc a Concilio Trid. in hac parte esse correctam. S. Synodi judicio præiverat decretum *Lucii III*, qui *Alexandro III* sub finem 12 sæculi immediate successit. „ Ad aures nostras perve-
„ nit, *inquit in rescripto ad Archiepiscopum*
„ *Turonensem* (*sub eodem titulo cap.* ad aures)
„ quod Religiosi quidam, ad superiores desi-
„ derant ordines promoveri, sed prælati eo-
„ rum desideriis contradicunt: tuæ igitur quæ-
„ stioni respondemus, quod honestius & tu-
„ tius est subjectis, debitam præpositis obe-
„ dientiam impendendo, in inferiori ministe-
„ rio deservire, quam cum præpositorum scan-
„ dalo graduum appetere dignitatem: nec est
„ in hac parte subjectorum desiderium confo-
„ vendum: quoniam esse potest, quod præla-

„ ti eorum commiſsa ſecreta noverint, ex „ qnibus conſtat eis, quod ſalva conſcientia „ nequeunt ſublimari, quia non in ſublimita- „ te graduum, ſed in amplitudine caritatis „ acquiritur regnum Dei. "

Contendunt plerique verba *Lucii Alexandri* conſtitutioni nihil habere contrarium: duplici ratione conciliari affirmat S. Raymundus, *in ſumma*: (*lib.* 3, *tit. de ætate ordinandorum* §. 17) 1 ſi dixerimus, caput: *ex tenore*, de clerico ſæculari; caput, *ad aures*, de Regulari debere intelligi. *Regulares enim*, inquit, *ſunt fortius addicti ſuis prælatis, quam ſæculares*: 2 ſi decretum *Alexandri* de clerico beneficium habente, *Lucii* vero, de clerico beneficium non poſsidente interpretemur: *ſi habet*, inquit, *clericus jus petendi ordinem, forte ratione beneficii cui eſt ordo annexus*; *non poteſt Epiſcopus eum prohibere, quamvis ſciat illum commiſiſſe peccatum occultum*: & *ita poteſt intelligi decretalis*: ex tenore. *Si vero non habet jus petendi, non tenetur eum Epiſcopus ordinare*: & *ita intelligas illam*: ad aures.

S. Raymundo Hoſtienſis, Barboſa, Fagnanus, aliique vulgo adhærent: „ verum, *inquit* „ *Fagnanus*, (*in* 2 *partem libri* 1 *decret.*) „ ex ſententia S. Congregationis Concilii, eo „ decreto, seſs. 14 de Ref. cap. 1 corrigitnr „ diſpoſitio textus (Alexandri III) in ea par- „ te in qua determinat, criminoſum occultum „ eſſe tantummodo commonendum, ſed non „ prohibendum aſcendere ad ſuperiores ordi- „ nes: & diſpoſitio capitis proximi, *ad aures*, „ quod de Regularibus loqnitur, extenditur „ etiam ad clericos ſæculares; ac præterea „ ampliatur in eo, quia Epiſcopus non ſolum „ poteſt ob crimen occultum prohibere aſcen- „ ſnm ad ordines, ſicut poterant prælati in „ vim dicti capitis proximi, ſed etiam eos „ ſuſpendere ab ordinibus, gradibus, & di- „ gnitatibus jam ſuſceptis: quod nec Epiſco- „ po, nec prælatis Regularibus, ante Concilium licebat. "

Magnum inde, inquies, incommodum ſequi poteſt: ſub occulti namque criminis obtentn Epiſcopus, privato ut ſatisfaciat odio, ab altari optimum quemque repellet.

R. In hoc caſu ad Sedem Apoſtolicam patere recurſum (*cap.* ex litteris *extra*: *de in integrum reſtitutionem*) „ cum olim de hoc „ ipſo dubitatum eſſet quoad Epiſcopos, *in-* „ *quit Fagnanus ib.* ſacra congregatio re ad „ *Gregorium* XIII delata, edidit deciſionem, „ quæ poſtea perpetuo obtinuit in dataria, „ videlicet: quotieſcumqne Ordinarius recuſa- „ verit quemquam ordinare, committendum „ eſſe Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo, „ ut ab eodem Ordinario prius requirat, cur „ recuſaverit: qno cauſam legitimam non al- „ legante, liceat illi eumdem recuſatum or- „ dinare. "

CAPUT SECUNDUM.

De dotibus & conditionibus ad ordinationem neceſſario afferendis.

PArum eſset ad ordinationem accedentibus, omni irregularitate carere, niſi ad illam dotes & conditiones afferrent ſacris miniſtris ex præſcripto divinæ legis neceſſarias. Tres porro præcipuæ numerantur: vocatio, doctrina, morum probitas: de quibus ſigillatim dicendum.

§. PRIMUS.

De neceſſitate divinæ vocationis..

Neminem niſi a Deo vocatum, debere in clerum adſcribi, Chriſtus ipſe verbo & exemplo nos docuit. „ Non vos me elegiſtis, *in-* „ *quit*, (*Joan.* 15, 16) ſed ego elegi vos, „ & poſui vos, ut eatis & fructum afferatis, & „ fructus veſter maneat .... (*ibid.* 10, 1) „ amen, amen dico vobis, qui non intrat per „ oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro: qui autem intrat „ per oſtium, paſtor eſt ovium: huic oſtia- „ rius aperit, & oves vocem ejus audiunt: " *quia nimirum vocem Chriſti ipſe audivit*, & *vocanti obediens fuit*. Chriſtus enim ovilis eſt oſtium: *Ego*, inquit, (*Ib. cap.* 10, *v.* 9) *ſum oſtium: per me ſi quis introierit ſalvabitur*: & *ingredietur*, & *egredietur*, & *paſcua inveniet*: idem exemplo a Chriſti humanitate petito confirmans Apoſtolus: *nec quiſquam*, inquit, (*Hebr.* 5, 4) *ſumit ſibi honorem*, *ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*: *ſic* & *Chriſtus non ſemetipſum clarificavit*, *ut Pontifex fieret*, *ſed qui locutus eſt ad eum*: *filius meus es tu*, *ego hodie genui te*. *Quemadmodum* & *in alio loco dicit*: *tu es ſacerdos in æternum*, *ſecundum ordinem Melchiſedech*. Hinc Apoſtoli in locum Judæ proditoris aliquem ſuffecturi, qui ſacrum nnmerum adimpleret, Deum ſic precati leguntur: (*Act.* 1, 24) *tu Domine qui corda noſti omnlum*, *oſtende quem elegeris* ... *accipere locum miniſterii hujus* & *Apoſtolatus*, *de quo prævaricatus eſt Judas*, *ut abiret in locum ſuum*.

Itaque nihil a Deo efflagitandum ardentius, quam ut ejus noverimus voluntatem, eaque Prophetæ verba frequenter ad auctorem & fontem totius luminis dirigenda (*Pſal.* 142, 8): no-

notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam: eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Quod si olim ab Assuero Persarum Rege constitutum, (*Est.* 4, 11) ut qui sive mulier, sive vir, non vocatus atrium Regis introiret, absque mora & indulgentiæ spe interficeretur: quantis putamus plectendum pœnis, qui sine cœlesti vocatione in Ecclesiasticam professionem irrumpit, & ordinationis honorem furatur? si nemo terreni cujusquam principis, eo non præcipiente, non eligente, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia tractare audet; quantæ & quam gravis insolentiæ est, sine supremi numinis vocatione ingerere se rebus divinis, & ministerium angelis tremendum arripere? *non mittebam Prophetas*, ait Deus, (*Jer.* 23, 21) *& ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant* . . . (*Os.* 8, 4) *ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi*.

Atqui multos esse hujusmodi, qui Deo non vocante, in sacrum ministerium se ipsos fraudulenter intrudunt, dolet lugetque Ecclesia: „ alii enim, *inquit Concili Trid. Catechismus*, „ (*par.* 2, *tit. de Sacram. ord. n.* 4) eo con„ silio ad hanc vivendi rationem se conver„ tunt, ut quæ ad victum vestitumque neces„ saria sunt, parent; ita ut præter quæstum „ nihil aliud in sacerdotio, quemadmodum „ vulgo cæteri omnes in quovis sordidi arti„ ficii genere, spectare videantur: quamvis „ enim ex Apostoli sententia, natura & di„ vina lex jubeat, ut qui altari servit, ex al„ tari vivat: tamen quæstus & lucri causa „ ad altare accedere, maximum sacrilegium „ est: alios honorum cupiditas & ambitio ad „ sacerdotalem ordinem ducit: alii vero ut „ divitiis affluant, initiari volunt: cujus qui„ dem rei illud argumentum est, quod nisi „ opulentum iis beneficium Ecclesiasticum de„ feratur, nullam sacri ordinis cogitationem „ habent: hi vero sunt, quos Salvator noster „ *Joan.* 10, *v.* 12, Mercenarios appellat; & „ quos Ezechiel cap. 3, v. 2, dicebat, semetip„ sos & non oves pascere, quorum turpitudo „ & improbitas, non solum sacerdotali ordini „ magnas tenebras offundit; . . . . verum et„ iam efficit, ut ipsi nihil amplius ex sacer„ dotio consequantur, quam Judas ex Apostola„ tus munere, quod illi sempiternum exitium „ attulit. "

Itaque ii soli in sacrum altaris officium, per ostium introire putari debent, qui legitime vocati Ecclesiastica munera hoc fine suscipiunt, ut Dei honori inserviant.

At, magnus inde, inquies, scrupulis & anxietatibus campus aperitur: quis enim certo scire potest, utrum a Deo vocatus sit, aut repulsus?

℟. Etsi divinæ vocationis tanta certitudo esse non possit, quanta eorum quæ sensibus experimur, aut ex principiis naturaliter notis eruimus; ejus tamen non deesse tum externa, tum interna indicia, quæ sedandis scrupulis satis sint.

Et 1. Tribus præsertim argumentis interna Sp. Sancti vocatio innotescit.

Primum est, conscientiæ puritas & innocentia morum, vel a baptismo usque servata, vel per pœnitentiæ labores recuperata, *quisquis ergo*, ait S. Gregorius M. (*in libro pastorali c.* 10) *quolibet horum vitio subigitur*, (id est, si cœcus claudusve fuerit, aliisve defectibus laboraverit, qui a sacerdotio arcebant Judæos, quosque spiritualiter explicat S. Doctor) *panes Domino offerre prohibetur, ne profecto diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria devastant*.

Secundum est, laboris amor, Ecclesiasticæ disciplinæ studium, mens a sæculi moribus ac vanitatibus aliena: magna enim & gravia sacris ministris onera incumbunt: nam

1. Cœlibatus lege in Ecclesia Latina tenentur.

2. Pietatis, omniumque virtutum exercitatione debent fideli populo prælucere, juxta præceptum Apostoli (1 *Tim.* 4, 12) *nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, & castitate* ... (*Tit.* 2, 7) *in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*.

3. Necesse est, ut parati sint ad animarum curam, & pastorale officium, ubi expedire Episcopus judicaverit, obeundum: qui enim clericatui dant nomen, ut in otio vitam inutilem ducant, de eorum numero sunt, de quibus propheta: *in labore*, inquit, (*Ps.* 72, 6 *& seq.*) *hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia; operti sunt iniquitate & impietate sua*.

Tertium est, recta intentio, seu bonitas finis propter quem aliquis clericatui nomen dat: si enim liber ab omni terreno affectu, expers ambitionis & avaritiæ, ad clerum, Deo deserviendi & salutis proximi procurandæ causa, se conferat, *digitus Dei est hic*, *dextera*

Digitized by Google

Domini fecit virtutem, *dextera Domini ipsum exaltat:* sed si rapit ambitio, si existimulat avaritia, si otiositas allicit, si domesticæ curæ impatientia induxit: certa hæc argumenta sunt, divinam deesse vocationem: hanc porro intentionis rectitudinem Christus commendans: *lucerna corporis tui*, inquit, (*Matth.* 6, 22) *est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex*, *totum corpus tuum lucidum erit*: *si autem oculus tuus fuerit nequam*, *totum corpus tuum tenebrosum erit:* nam oculus hoc loco, intentio intelligitur: „ oculus noster, *inquit S. Aug.* „ (*tract. de sermonibus Domini*) intentio est, „ quæ si recta fuerit, & simplex, opera no„ stra munda facit, Deoque placentia: si ve„ ro appetitu rerum temporalium inquinatur; „ ipsum quoque opus ea intentione susceptum „ sordescit. “

2. Externum vocationis indicium est, si quis a proprio Episcopo ad clericatum, & ad curam pastoralem vocetur: cui quidem vocationi potest homo christianus suæ tenuitatis intuitu, & ex humilitate aliquantum resistere; debet vero si in proposito persistat Episcopus, eadem humilitate parere, nisi persuasum certis argumentis habuerit, se ad sacrum ministerium inhabilem esse: regulam hanc secutus est S. Aug. doctorum humillimus, humiliumque doctissimus: etsi enim, ut narrat *Possidius* in ejus vita, studiosissime eas omnes civitates declinaret, quarum vacare sedes rumor erat; cessit tamen populi & Episcopi Hipponensis, vim sibi inferentium votis, consensumque tandem adjecit suum, ut presbyter primum, deinde Episcopus crearetur: *compulsus*, inquit historicus, *atque coactus succubuit*, *& Episcopatus ac majoris loci ordinationem suscepit*: pari exemplo S. Ambrosius, cum nihil intentatum reliquisset, ut ordinationi semetipsum subtraheret, cessit tandem populi, Imperatoris, & totius Ecclesiæ votis, ut refert S. Paulinus.

Debent pari ratione se gerere, quos voluntas Episcopi ad ministerium vocat: renuant sane quantum possunt propriæ tenuitatis intuitu, sed obediant imperanti, si non volunt superbe humiles esse: „ contra justitiam fa„ ciunt, *inquit Julianus Pomerius*, hi qui me„ rito suæ conversationis vel conditionis ele„ cti, otiosum studium fructuosæ utilitati re„ gendæ multitudinis anteponunt; & cum pos„ sint laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ „ administrationis laborem refugiunt. “

§. SECUNDUS.

De necessitate doctrinæ.

Sacræ ordinationi scientiam prærequiri, vel ipsum divini ministerii nomen significat; nam veritatum cœlestium dispensationem, expositionem, defensionem clericis a Deo crediram esse scriptura sæpius contestatur.

Deuteronomii 17, v. 8: „ si difficile & ambi„ guum apud te judicium esse perspexeris ... „ surge & ascende ad locum quem elegerit „ Dominus Deus tuus: veniesque ad sacerdo„ tes levitici generis ... quæresque ab eis: „ qui indicabunt tibi judicii veritatem. “

Oseæ 4, 6: „ quia tu, *ait Deus*, scientiam „ repulisti, repellam te, ne sacerdotio fun„ garis mihi. “

Malachiæ 2, 7: „ labia sacerdotis custodient „ scientiam, & legem requirent ex ore ejus, „ quia Angelus Domini exercituum est. “

Matth. 15, 14: „ Cæcus si cæco ducatum „ præstet, ambo in foveam cadunt. “

Ib. 23, 16: „ Væ vobis duces cæci. “

Ad Titum 1, 7: „ Oportet Episcopum sine „ crimine esse, ... amplectentem eum qui „ secundum doctrinam est, fidelem sermonem, „ ut potens sit exhortari in doctrina sana, & „ eos qui contradicunt arguere. “

Ex his, aliisque quamplurimis ejusdem sensus testimoniis manifesto patet, clericum sacræ doctrinæ rudem & imperitum, posse equidem dici sacerdotem, sed venerandum nomen ad sui aliorumque perniciem ignominiose jactare: *si sacerdos est*, inquit S. Hieronymus, (*comm. in c.* 2 *Aggæi.*) *sciat legem Domini*, *si ignorat legem*, *ipse se arguit non esse Domini sacerdotem*: *sacerdotis enim est*, *scire legem*, *& ad interrogationem respondere de lege* ... (*in c.* 2. *Malach.*) *idcirco in sacerdotis pectore rationale est*, (vide Exod. 28, 30. Levit. 8, 8) *& in rationali doctrina & veritas ponitur*, *ut discamus sacerdotem doctum esse debere*, *& præconem dominicæ veritatis*.

Non solum autem sacerdotes, verum & inferioris ordinis clericos debere studio sacrarum litterarum incumbere, idem S. Doctor affirmat: „ qualis, *inquit* (*in c.* 2 *ep. ad Tit.*) „ erit ædificatio discipuli, si se intelligat ma„ gistro majorem? unde non solum Episcopi, „ prebyteri, & diaconi debent magnopere pro„ videre, ut cunctum populum cui præsident, „ conversatione, sermone, & scientia præce„ dant; verum etiam & inferior gradus, exor„ cistæ, lectores, æditui, & omnes qui domui Dei „ deserviunt; quia vehementer Ecclesiam Dei „ de-

„ destruit, meliores esse laicos quam cleri-
„ cos."

Hinc *Gelasius* Pontifex Max. *nemo*, inquit (*Ep.* 1), *illitteratos ad clericatus ordinem promovere præsumat, quia litteris carens, sacris non potest aptus esse officiis*: & S. Leo (*ep.* 22): *si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia?* & Concilium Toletanum 8, can. 8, *nullus ad sacra veniat indoctus, nullus ignorantiæ tenebris cæcutiens; sed quem morum innocentia, & litterarum splendor reddunt illustrem.*

Ad hæc scripturarum oracula & patrum documenta attendant, qui Sacrum ministerium amplecti se velle profitentur, dum interim a divinarum studio litterarum penitus adhorrent; ipsique secum sedulo reputent, num velle finem putandus sit, qui non vult media ad finem conducentia: multos vero hujusmodi esse, quotidiano comprobatur experimento: vulgo equidem scholas Theologicas adeunt sacrorum ordinum candidati: verum quam parvus eorum numerus est, qui munus propositum impleant? alii enim postquam Theologiæ nomen dederunt, divinam sapientiam dedignantur, nugis puerilibus ac studiis inutilibus serviunt; quodque omnium pessimum est, in inertiam convertuntur, totius malitiæ magistram; dictatas a præceptoribus dissertationes ne legunt quidem, aut oscitanter ac perfunctorie legunt; tumque officio suo satisfecisse se putant, cum voces aliquas & sententias interrogati recitaverint, ante solis occasum memoria elapsuras: ac tandem evoluto duorum triumve annorum curriculo, cum nihilo doctiores sint, quam si de divino dogmate numquam cogitassent; amant nihilominus Theologi appellari, venditant emendicata studii testimonia, præter quæ unde se probent Theologos nihil habent; irrepunt in gratiam Episcoporum, ordinibus sacris furtim & dolo initiantur, quodque deplorandum magis, promoventur ad beneficia, & cura animarum onerantur, aliorum ut saluti invigilent, qui nec se ipsos regere prudenter sciunt; ut sint magistri in Israel, qui discipuli numquam fuerunt.

Quisquis ergo tam exitiosum a se malum avertere voluerit, expendat serio quæ sequuntur, & pro virili adimpleat.

1. Numquam intermittat studium doctrinæ sacræ, illudque sibi dictum putet: *age quid agis*: dictata a magistris legat attentis oculis, relegatque, donec medullitus in mente defixerit, & quasi propria fecerit: difficultates, quæcumque occurrerint omni qua poterit mentis intentione, donec enodaverit, introspiciat, ad scholas numquam nisi vel ad aggrediendum, vel ad propugnandum paratus accedat: *non respiciat*, inquit S. Thomas (*Opus.* 68), *a quo audiat, sed quidquid boni dictum fuerit, memoriæ recommendet: nemini se multum familiarem ostendat, quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis a studio materiam subministrat: cellam frequentare diligat, colloquia inutilia fugiat, non immisceat se negotiis alienis: quidquid denique boni poterit, in armariolo mentis recludat: ita enim fiet, ut vere Theologus dici possit, & ad sacrum ministerium aliquando provectus, det uberes doctrinæ fructus in tempore opportuno.*

2. Quia fidei Catholicæ dogmata majori ex parte continentur in sacrarum scripturarum Thesauro, assuescat quantocyus divinorum voluminum lectioni, *in quibus*, inquit S. Ambrosius, *est substantia Sacerdotii nostri*; omnemque diem perdidisse se putet, qua sive ex veteri sive ex novo testamento, sententias aliquas non collegerit: præ cæteris vero legendi hi libri sunt, quorum usus in Ecclesia frequentior & magis necessarius est: quales sunt ex testamento veteri, liber psalmorum, & ex novo Evangelium cum Epistolis S. Pauli: *Sanctum Evangelium, & Epistola B. Pauli Apostoli*, ait Concilium 3 Turonense, can. 2, *non solum crebro lectitent Clericis, sed etiam quantum possunt, memoriæ studeant commendare*: idemque Psalmis Davidicis sæpissime a SS. Patribus & Conciliis præscriptum: idque perquam merito: dictu namque pudendum est, viros Ecclesiasticos toto vitæ decursu Hymnos sacros concinere, perpetua Ecclesiæ consuetudine consecratos, quorum ne litteralem quidem sensum plerique intelligunt, nedum valeant sciscitantibus aperire.

Nec eorum excusatio admittenda, qui ideo a scripturis legendis se abstinere posse credunt, quod provectam nondum ætatem attigerint: est enim divini Testamenti lectio omni ætati accommodata, ut docet Apostolus: *tu vero, o Timothee*, inquit, (2 *Timot.*) *permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi; sciens a quo didiceris: & quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu: omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Quemadmodum igitur Timotheus ab infantia Sacras litteras noverat, ita pro divinæ illustrationis mensura easdem nosse possunt, qui ejusdem vocationis sunt: adeoque turpe est sub frivolo ætatis junioris prætextu, ab eo tam necessarium studium prætermitti, qui ad Ecclesiasticos

cle-

clesiasticas functiones aspirat: *tanta est*, inquit *S. August.* (*Epist.* 137, *al.* 3, *ad Volusianum*), *christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem; si eas solas ab ineunte pueritia, usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere . . . latet in scripturis altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate addiscendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet*: Eccl. 18, 6, *cum consummaverit homo, tunc incipit*.

Et alibi: (*Tract.* 3 *in Joan.*) *quisquis*, ait, *novit natum se esse ex Sp. Sancto, avide inhiat uberibus matris suæ, & cito crescit: est autem mater, Ecclesia; & ubera ejus, duo testamenta scripturarum divinarum: hic sugatur lac omnium Sacramentorum, temporaliter pro æterna nostra salute gestorum: ut nutritus & roboratus perveniat ad manducandum cibum, qui est*: in principio erat verbum.

Quod consulit S. Augustinus omnibus de Spiritu S. renatis, a fortiori debent sibi præscriptum intelligere, qui ad clericatum contendunt.

3. Quia Catholica veritas non in scripturis tantum, sed & in divinis Apostolicisque traditionibus continetur, quas ad nos usque Sancti Patres & concilia, quasi de manu in manum inviolatas transmiserunt; optandum foret ut juniores Clerici, selecta quædam patrum opuscula, brevemque Canonum collectionem, quam mature posset fieri, legerent; ita enim veluti cum patribus colloquendo, ad veritatis notitiam facilius pervenirent.

Nec est quod opponatur exercitationem hanc plurimum difficultatis habere: sunt enim, ut prædixi, quædam patrum opera, mole quidem voluminis parva, sed principiis doctrinæ sanæ refertissima: qualia sunt e. c. Tertulliani liber *de præscript. contra Hæreticos*; Vincentii Lirin. *commonitorium*, contra prophanas hæresum novitates: Concilii Trid. *decreta* & *canones*, in quibus præcedentium Conciliorum præclarissimam epitomen demiramur: Catechismus, ejusdem Concilii decreto, & Sum. Pontificum auctoritate editus: aliaque hujus generis, quæ brevi horarum spatio, cum summa utilitate legi possunt.

4. Quo propius ad sacri ordinis culmen accedunt, eo profundiorem divinorum mysteriorum, quorum voluit Deus eos esse dispensatores, tenentur habere notitiam: hinc præcipit Concilium Trid. (*Sess.* 23, *de Ref. c.* 14) „ ut illi tantum ad presbyteratus ordinem assumantur, qui diligente examine præcedente, idonei comprobati fuerint ad populum „ docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad Sacramenta administranda. “

5. Denique quia proprios habet fontes doctrina Sacra, scripturam videlicet & traditionem: caveant Clerici ab omni novitatis amore; & a recentioribus opinionibus, contra scripturam & traditionem inventis, tamquam a cruentissima peste abhorreant: casuum conscientiæ resolutionem, non ex probabilismo versatili, sed ex antiquis Canonibus, decretis sum. Pontificum, & SS. Patrum definitionibus hauriant: ut enim præclare monet doctissimus Card. Bellarminus, in opusculo ad Episcopum *Theanensem* nepotem suum: „ si quis velit in „ tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & „ non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: &, si rei certitudo non „ possit ad liquidum apparere; debet omnino „ tutiorem partem sequi, & nulla ratione, „ nullius imperio, nulla utilitate temporali „ proposita, ad minus tutam partem declinare; agitur enim de summa rei, cum de salute æterna tractatur, & facillimum est, „ conscientiam erroneam exemplo aliorum inducere; & eo modo conscientia non remordente, ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non exstinguitur. “

Meminerint itaque clerici, se non aliter errorem vitare posse, quam antiquitatem sectando, ut enim dudum a patribus observatum, omnium hæresum origo fuit vana curiositas, & nova comminiscendi libido: „ o Timothee, „ *inquit Apostolus*, (1 *Timot.* 6, 20) depositum custodi, devitans prophanas vocum „ novitates, & oppositionem falsi nomini scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt . . . “ quem in locum *Vincentius Lirinensis*, (*commonitorii cap.* 27) „ quis est hodie Timotheus, *inquit*, nisi vel „ universa Ecclesia, vel specialiter totum „ corpus præpositorum, qui integram divini „ cultus scientiam, vel habere ipsi debent, „ vel aliis infundere? quid est, depositum „ custodi? custodi, *inquit*, propter fures, „ propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania, super illud tritici bonum semen, quod seminaverat filius hominis in agro suo: depositum, *inquit*, „ custodi: quid est depositum? id est, quod „ tibi creditum est, non quod a te inventum, „ quod accepisti, non quod excogitasti: rem „ non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis „ privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te „ perductam, non a te prolatam, in qua non „ author debes esse, sed custos, non institutor,

„ tot, sed sectator, non docens, sed sequens: „ depositum, *inquit*, custodi: catholicæ fidei „ talentum inviolatum illibatumque conser- „ va . . . aurum accepisti, aurum redde . . . „ nolo pro auro, aut impudenter plumbum, „ aut fraudulenter æramenta supponas: nolo „ auri speciem, sed naturam."

§. TERTIUS.

De probitate morum ad sacros ordines afferenda.

Morum probitatem & sanctitatem vitæ ad ordines suscipiendos necessario prærequiri, abunde probant, tum quæ de irregularitatibus ex delicto prædicta sunt, tum aliæ ab ipsa sacri ministerii professione petitæ rationes: nam

1. Ad eam dignitatem clerici evehuntur, qua major esse non potest; cum fiant ministri & dispensatores mysteriorum Dei: *quod itaque sunt professione*, ait S. Ambrosius, (*lib. de dignitate sacerd. c.* 3) *actione potius demonstrent quam nomine; ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini: ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio, & illicita actio.*

2. Clerici debent laicis verbo & opere prælucere: unde lux mundi, & sal terræ a Christo dicuntur: quomodo vero utrumque esse poterunt, si peccatorum fœdati contagio, & sæculi corruptione fuerint maculati? „ si is qui „ in Episcopatu mortale aliquod peccatum ad- „ miserit, *inquit S. Isidorus Hispalensis*, (*lib.* „ 2 *de Eccl. offic. c.* 5) non debet offerre „ panes Domino: quanto magis ante ordina- „ tionem peccator inventus, repudiari debet „ ut non ordinetur? quapropter quia lex pec- „ catores a sacerdotio removet, consideret se „ unusquisque, sciens quia potentes potenter „ tormenta patientur; retrahat se ab hoc non „ tam honore, quam onere, & aliorum lo- „ cum qui digni sunt, non ambiat occupare: „ qui enim in erudiendis atque instituendis ad „ virtutem populis præerit, necesse est ut in „ omnibus sanctus sit & irreprehensibilis: qui „ alium de peccatis arguit, ipse a peccato „ debet esse alienus; nam qua fronte subje- „ ctos arguere poterit; cum illi statim corre- „ ptus possit ingerere: *ante doce te ipsum*, „ *quæ recta sunt?*"

3. Sacerdotum munus est, orare pro populo: *quomodo autem*, inquit S. Gregorius (*in lib. pastorali c.* 11) *aliis veniam postulat, qui utrum sibi Deus sit placatus ignorat? qua in re formidandum est, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur.*

His, aliisque de causis, quas parte sequenti de sacris in speciali ordinibus agendo, enucleatius explicabimus, antiquis canonibus sæpe declaratum, neminem debere ad ordines promoveri, nisi qui vel innocenter vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturna pœnitentia expiarit: *hic enim*, inquit S. Gregorius Nazianzenus (*orat.* 1), *naturalis rerum ordo est, purgari prius, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita demum sapientia alios instruere; lux fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & deinde alios ad Deum deducere: sanctificari, & postea sanctificare.*

LIBRI OCTAVI

SECUNDA PARS.

De ſingulis in ſpecie ordinibus.

Secundam hanc de sacris ordinationibus disputationem septem sectionibus complectemur.

***Prima erit**, de tonsura clericali. **Secunda**, de quatuor minoribus ordinibus. **Tertia**, de Subdiaconatu. **Quarta**, de Diaconatu. **Quinta**, de Presbyteratu. **Sexta**, de Episcopatu. **Septima**, de Chorepiscopatu.*

SECTIO PRIMA.

De Tonsura Clericali.

PRima tonsura, non ordo, sed mera ad ordines accipiendos præparatio est, simplexque deputatio ad cultum divinum: quemadmodum enim homo ad baptismum, exorcismis, ad matrimonium, sponsalibus præparatur; sic qui tonso capillo, Deo consecratur, aditum sibi ad ordinem aperit.

I

Definitio primæ tonsuræ.

Describi prima tonsura potest, *cæremonia sacra ab Ecclesia, juxta Christi spiritum instituta, qua quisquis insignitur, a sæculo & sæculari vita sejungitur, & ad ejusdem Christi sacrificium, suo tempore offerendum destinatur.*

Dicitur 1, *cæremonia*, ritus scilicet in capillorum detonsione, & orationibus adjunctis consistens.

Dicitur 2, *cæremonia sacra*: sacrum namque est, quidquid ad Dei gloriam, ejusque cultum promovendum solemniter in Ecclesia celebratur; porro primam tonsuram hujusmodi esse, perspicuum est.

Dicitur 3, *ab Ecclesia, juxta Christi spiritum, instituta*: quod quidem Christum immediatum auctorem non habeat, inde probatur, quod de ea scriptura, & prisca traditio sileat; quod antiquitus plerique legantur, lectores, exorcistæ, diaconi &c. sine tonsura prævia ordinati; & denique quod non fuerit ab omnibus Ecclesiis uniformiter observata: nec ideo tamen velut inutilis contemnenda, vel accusanda superstitionis, (quæ hæreticorum tetra calumnia est:) eam enim Ecclesia, potestate a Christo accepta, & spiritu ejus regente, non secus ac plerasque alios sacros ritus instituit.

Additur 4, *qua quisquis insignitur, a sæculo & sæculari vita sejungitur*: ut nimirum totum se Deo & cultui ejus, a negotiis mundanis alienus devoveat, solique militet Christo: unde manifestum est, enormis criminis & sacrilegii reos esse, qui non ideo ut sæculo abrenuntient, clero accenseri volunt, sed ut sæculum in Ecclesia quærant, sub obtentu pietatis, ambitioni, avaritiæ, otio, & mundanis cupiditatibus serviendo.

Dicitur 5, *& ad ejusdem Christi sacrificium suo tempore offerendum destinatur*: ideo enim instituta tonsura est, ut ordinis sacri, cujus præcipua functio est sacrificium, in ea tyrocinium poneretur: quemadmodum itaque nemo monasticum habitum induit, & ad novitiatum admittitur, nisi de quo probabilis conjectura est, quod velit vitam religiosam amplecti, & emissis votis solemniter profiteri; ita ad tonsuram nemo recipiendus, nisi vitæ sacerdotalis sectandæ voluntatem significaverit.

II

Dispositiones ad tonsuram afferendæ.

Quales esse debeant, quibus clericalis tonsura confertur, docet Concilium Trid. his verbis: (*sess.* 23, *de ref. c.* 3) " prima tonsura non initientur, qui confirmationis Sacramentum non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse . . . . ex quo S. Synodi decreto, sequitur, inquit *Navarrus*, (*de orat. & horis canonicis c.* 7) magna

,, magna laude dignos esse Episcopos, qui primam tonsuram & quatuor minores non conferunt, nisi ei qui per se, si fuerit adultus, aut per parentes, si puer, juraverit, se velle ad majores legitimo tempore ascendere... sequitur insuper, quampluribus qui prima tonsura, aut quatuor minoribus initiantur, satius fore ipso ordinationis die frangere crura, quam eos prima tonsura, aut quatuor minoribus initiari: tum propter proxime dicta, tum quod non se ordinant ad finem debitum, nimirum ut serviant Deo in officiis Ecclesiasticis; quandoquidem non intendunt initiari sacris, aut munera sacra ut tales subire,,.

III

Primæ Tonsuræ quis minister.

Ordinarius primæ tonsuræ minister, solus Episcopus: quamquam enim ordo ipsa non sit, quia tamen communi ordinationis nomine vulgo comprehenditur, ad solum Episcopum ejus conferendæ potestas ordinaria pertinet: *unusquisque*, ait Concilium Trid. (*sess.* 23, *de ref. c.* 8) *a proprio Episcopo ordinetur.*

Ejusdem vero ministros extraordinarios, abbates & simplices presbyteros, olim fuisse, & etiamnum ex privilegio esse, idem Concilium Trid. pro certo & explorato habet: " abbatibus, *inquit*, (*ib. cap.* 10) ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre . . . . . sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus S. Synodi decretis continentur, ad Episcopos intra quorum diœcesis fines existunt, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus; etiam immemorabilibus,,.

Vide quæ de extraordinario subdiaconatus & minorum ordinum ministro prædicta sunt, 1 parte hujus libri, qu. 6, c. 2, art. 3.

IV

Primæ Tonsuræ ritus.

Sacram primæ tonsuræ cæremoniam, juxta Pontificale Romanum, hac oratione Pontifex inchoat. " Oremus, fratres carissimi, Dominum nostrum Jesum Christum, pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum, pro ejus amore festinant, ut donet eis Sp. Sanctum, qui habitum Religionis in eis in perpetuum conservet,,.

Deinde recitatur Ps. 15, *Conserva me Domine, quoniam speravi in te &c.* Interimque Episcopus unicuique initiando, in quatuor locis, extremitates resecat capillorum, in fronte scilicet, in occipitio, juxta utramque aurem, & tandem in medio capitis.

Hæc dum aguntur, singuli initiandi propheticum versum pronunciant: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Deinde adprecatur illis Episcopus Sancti desiderii prosperum exitum. " Præsta quæsumus, *inquit*, omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, & eos sine macula in perpetuum custodias,,.

Sequitur superpellicei singulis impositio, quam comitantur hæc verba. *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.*

Totam denique cæremoniam claudit Antistes, sic Deum exorans: *Ut sicut similitudinem coronæ tuæ, eos gestare facimus in capitibus; sic tua virtute hæreditatem consequi mereantur &c.*

V

Clericorum nomen.

Tum primum Clerici appellari incipiunt, quod nomen cum Sacris ministris commune habent. Dicuntur vero *Clerici* a voce Græca κλῆρος quæ ut alibi dictum est, sortem, sive hæreditatem significat; ut nimirum intelligant, contemptis rebus omnibus temporalibus, nullam sibi præter Deum ambiendam hæreditatem. ,, Clericus qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, *ait S. Hieronymus*, (*Ep.* 2 *ad Nepotianum*) & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græce, sors Latine appellatur; propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, idest, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & a Domino possideatur. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: *Pars mea Dominus*: nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, v. g. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem: cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis ejus;

„ ejus; nec accipio partem inter cæteras tri-
„ bus, sed quasi Levita & Sacerdos, vivo de
„ decimis, & Altari serviens, Altaris obla-
„ tione sustentor: habens victum & vestitum;
„ his contentus ero, & nudam crucem nudus
„ sequar „.

VI

Clerici ad dimittendum patrimonium non obligantur.

Quæ a S. Doctore non eo dicta animo sunt, ut interdictam Clericis temporalium rerum possessionem significaret: (qui Joannis Wicleffi error fuit, in Concilio Constantiensi damnatus:) sed ut ostenderet eos ab omni studio avaritiæ alienos, ab omnique mundana sollicitudine & curis sæcularibus liberos, iis quæ ad victum & vestitum sufficiunt contentos esse debere: *Obsecro itaque te*, inquit, (*ibid.*) *& repetens iterum iterumque monebo, ne officium Clericatus, genus antiquæ militiæ putes; idest, ne lucra sæculi in Christi quæras militia; ne plus habeas quam quando Clericus esse cœpisti . . . . . Nonnulli enim sunt Clerici, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant: ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.*

Itaque quod Clerici profitentur, cum tonsura initiantur, *Dominus pars hæreditatis meæ:* non ita debet intelligi, quasi revera teneantur omni terrenæ possessioni renuntiare: satis namque ipsis est, si bona hujus mundi habentes, tamquam non habentes sint, in solo Deo cujus se ministerio consecrarunt spem omnem ponendo & amorem defigendo. Nam more loquendi scripturæ, pars alicujus dicitur esse, id quod summo in pretio habet, & quod cæteris quibusque rebus amore vehementissimo anteponit. Quo sensu homines carnalibus dediti voluptatibus, quorum Deus venter est, *hæc est pars*, inquiunt, *& sors nostra*. (*Sap.* 2, 9) Longeque meliori ratione Propheta*: Portio mea*, inquit, (*Ps.* 118, 57) *Domine, dixi custodire legem tuam.* Hoc sensu partem si Clericus habuerit extra Deum, pars ejus Deus non erit, quia nemo potest duobus Dominis servire.

Cæterum posse a Clericis, ipsisque Sanctis temporalem pecuniam reservari, vel suis, vel pauperum usibus suggerendam, tum ratio adstruit, tum auctoritas. Sicut enim David qui dixerat: *Dominus pars hæreditatis meæ*: & Sancti Patriarchæ qui hoc ipsum vere dicere potuerunt, bonis terrestribus abundarunt. Ita Clericus & vere dicere potest: *Dominus pars hæreditatis meæ*: & nihilominus temporalium facultatum dominus esse: tantumque ei cavendum, ne qui dominus esse debuerat, vile mancipium fiat. *Divitiæ si affluant*, ait idem S. Propheta, (*Psalm.* 61, 11) *nolite cor apponere*.

Quid quod Dominus pro parte habere, omnibus qui nomine Christiano censentur commune est, quamquam speciali ratione sit proprium Clericorum, qui Sacris officiis ac ministeriis deputantur? atqui Laici fideles, non ideo quia eorum hæreditas Deus est, tenentur temporalia bona abjicere. Idem ergo de Clericis est dicendum. *Clerici*, inquit S. Thomas (*in* 4, *dist.* 24, *qu.* 1, *art.* 1, *quæstiuncula* 3) *in hoc quod coronam accipiunt, non renunciant patrimonio, neque aliis rebus temporalibus, quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem Clerici deputantur, sed nimia eorum sollicitudo*, quia, *ut ait S. Gregorius*, (*lib.* 10 *moral. cap.* 17) non census in crimine, sed affectus.

Præterea, in præscriptionibus Evangelicis consilium a præcepto distingui debet; atqui terrenis possessionibus revera & effective nuntium mittere, consilii res est, non præcepti.

Ergo eas Clerici absolute relinquere non tenentur.

Nec desunt exempla ex veteri lege ad propositum pertinentia. Nam Levitæ qui Clericorum novæ legis typus & forma fuerunt, bona temporalia possidebant: ipsis siquidem civitates ad habitandum fuerant attributæ, & suburbana ad pecorum alimentum (*Num.* 51) *Jeremias* sacerdos a patruele suo agrum emit, (*Jer.* 32, 7) & hæreditatem se habuisse testatur: (*ib. c.* 12, 7) *Juda Machabæus*, & fratres ejus levitæ, cum bellorum ductores essent, & populi principes, temporales dubio procul Domini erant*:* de *Barnaba* levita in actis Apostolicis legitur, (*Act.* 4, 36) quod agrum possederit, cujus pretium ad pedes Apostolorum deposuit: quod ergo in scriptura *Levitis* legimus vetitum quidquam possidere (*Num.* 18) scriptura ipsa interprete, intelligi debet de portione terræ promissæ distincta ac divisa a cæteris: necessarium namque erat, *Levitas* omnibus tribubus permisceri, quorum opera verus Dei cultus apud omnes servandus erat ac promovendus: unde consequens fuit, ut quibus nulla peculiaris portio terræ obtigerat, de omnibus viverent, & Deo factis oblationibus alerentur: rem ita explicat, præter cæteros, quos laudare in promptu foret, S. Martyr *Cyprianus*: *scriptum est*, air, (*Ep.* 66) *nemo militans Deo, obligat se molestiis sæcularibus, ut possit placere ei, cui se probavit: quod cum de omnibus dictum sit; quanto magis clerici molestiis & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui spiritualibus occupati, ab Ecclesia rece-*

recedere, & ad terrenos & sæculares actus vacare non possunt? cujus ordinationis & religionis formam levitæ prius in lege tenuerunt; ut cum terram dividerent, & possessiones partirentur undecim tribus, levitica tribus quæ templo, & altari, & ministeriis divinis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet; sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum atque alimentum, ab undecim tribubus, de fructibus qui nascebantur, decimas perciperet: quod totum fiebat de auctoritate & dispositione divina; ut qui operationibus divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare aut agere sæcularia cogerentur: quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis & negotiis sæcularibus alligentur; sed in honore sportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificio non recedant; sed die ac nocte cælestibus rebus & spiritualibus inserviant.

VII

Tonsura clericalis cur in modum coronæ disposita.

Hujus ritus causæ plurimæ a Theologis afferuntur.

1. Est, memoria spineæ coronæ, qua adorandum Christi caput in passione fuit redimitum.

2. Regia dignitas, quæ licet fidelium omnium vera ratione communis sit, dicente Petro de omnibus, (1 *Pet.* 2, 9) *vos autem genus electum, regale sacerdotium*: & Joanne in Apocalypsi: (*Apoc.* 1, 6) *fecit nos* (Christus) *regnum Deo & patri suo*: iis tamen longe excellentius convenit, qui in sortem Domini sunt vocati.

3. Est, rerum externarum & temporalium facultatum contemptus: quando enim capilli resecantur, significatur terrestrium omnium desideriorum ac vitiorum excisio, veterisque expoliatio hominis: *quam renovationem*, inquit S. Isidorus Hispalensis, (*de offic. Eccl. lib.* 2, *c.* 4) *in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi mens noscitur habitare*: indeque est quod Episcopus Deum pro initiandis exorans: *ut donet eis*, inquit, *Sp. Sanctum, qui habitum religionis in eis perpetuum conservet, & a mundi impedimento ac sæculari desiderio corda eorum defendat; ut sicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus, virtutis tribuat eis incrementa, & ab omni cæcitate spirituali & humana oculos eorum eripiat, & lumen eis æternæ gratiæ concedat.*

4. Est, vitæ pœnitentis significatio, quam clerici pro officio amplectuntur, tum ut sibi, tum ut cæteris Deum placatum efficiant: pœnitentes enim antiquitus tonderi solebant.

5. Est, significatio clericalis perfectionis inde petita, quod circulus figurarum omnium absolutissima sit: *rotunditas quæ remanet crinium*, inquit author libri, cui titulus *gemma animæ*, c. 195, *est ornatus virtutum: capilli vero in circulum coæquantur, quia omnes virtutes in caritatis concordia consummantur.*

Has rationes pene omnes compendio Angelicus præceptor complexus est: *eis*, inquit, (*in* 4, *dist.* 24, *q.* 3, *art.* 1, *quæstiuncula* 1) *qui ad divina ministeria applicantur, competit tonsura & rasura in modum coronæ, & ratione figuræ, quia corona est signum regni; & ratione perfectionis, cum sit circularis; illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent: competit etiam eis ratione subtractionis capillorum, & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur; & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvantur.*

VIII

Tonsuræ antiquitas.

Addunt alii sextam rationem, ab exemplo S. Petri petitam, quem hujus ritus institutorem existimant: *Petrus Apostolus*, inquit Gregorius Turon. (*de gloria martyrum lib.* 1, *c.* 27) *ad humilitatem docendam, caput desuper tonderi instituit . . . neque vero*, inquit Geofridus Abbas, apud Bedam Ven. (*hist. gentis Anglorum lib.* 5, *c.* 12) *ob id tantum in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco & nos, qui per eamdem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte gestamus.*

Eadem *Amalarii*, *Alcuini*, *Rabani*, *Ratramni*, *ordinis Romani*, & plerorumque scriptorum opinio fuit.

Non ita tamen solidis innixa visa est fundamentis, quin a plerisque recentioribus velut omni probabilitate carens rejecta sit: nam, inquiunt, primis Ecclesiæ temporibus, quantum ad externum corporis cultum, clericorum a laicis nulla distinctio erat: & vero impru-

dentiæ potuissent haud immerito accusari, si sæviente, præsertim contra sacerdotalem ordinem, tyrannorum persecutione, se ipsos sine causa, nullaque necessitate compulsi, exteriori quodam indicio prodidissent.

Deinde priscæ ætatis canonibus, præscribitur quidem clericis in comæ & barbæ cultu modestia, ut videre est in concilii 4 Carthaginensis decretis: de tonsura orbiculari & coronæ instar conformanda nihil legitur.

Quid quod contrarium morem *Optatus Milevitanus* videtur innuere, idcirco contra *Donatistas* invectus, quod sacerdotum capita per summam injuriam radere ausi fuissent: *dicite*: inquit, (*lib.* 1) *ubi vobis mandatum sit, radere capita sacerdotibus; cum e contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere*.

Quidquid sane de hac disputatione sit, fatendum tamen tonsuræ clericalis tum in Occidente, tum in Oriente antiquissimum esse morem.

1. Enim *Gregorius* Turon., qui 6 sæculo floruit, ejus originem ab Apostolo Petro, ut prædiximus, repetendam duxit: ergo jam tum tanta antiquitate usus ille firmatus erat, ut viros etiam doctos ejus lateret initium.

2. Narrat idem *Gregorius*, sæculo 5 desinente, *S. Nicetium*, qui postea *Trevirensis* Archiepiscopus fuit, ex utero matris, tonsura insignitum, per miraculum prodiisse: quod præsagium futuram ejus sanctitatem & professionem prænunciavit: 5 itaque sæculo tonsura in usu erat.

3. Hujus rei argumentum aliqui petunt, ex quadam *S. Aniceti* versus 2 sæculi finem Pontificis max. Ep. decretali, ubi de tonsura clericali expressa est sanctio: sed ut ingenue dicam, futilis hæc, nulliusque momenti probatio est: constat enim decretalem hanc, uti & cæteras quæ ad *Siricium* usque sum. Pontificum nominibus ementitis circumferuntur, supposititias esse: idemque de *Pontificali* vulgo Papæ *Damasi* dicto, ubi pariter tonsura facienda præscribitur, eruditorum, nemine contraeunte judicium est: itaque his omissis, nullius fidei testimoniis:

4. *Amalarius* 8 sæculi scriptor: *interrogatus ab aliquibus*, inquit, (*de divinis officiis c.* 15) *quis primus tonsus sit more nostro? legi in Epist. cujusdam viri*: Petrus: *sed quia non tantæ auctoritatis est, maluimus eam silentio præterire: non tamen abs re est, si dixerimus illum, vel aliquem ejus successorem, primo fuisse tonsum more nostro; quoniam ab illa Ecclesia sumptus est ille usus, in qua illi sederunt*.

5. In Concilio *Aquisgranensi* 9 ineunte sæculo habito, (*ann.* 816) referuntur verba S. *Isidori* l. 2 de Eccl. officiis, c. 4 sic loquentis: *tonsuræ Ecclesiasticæ usus Nazaræis, ni fallor, exortus est, qui prius crine servato, denuo post magnam vitæ continentiam devotione completa, caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent: hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi qui in divinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, Sancti Dei, crine præciso innoventur: hoc quippe & Ezechieli Prophetæ jubetur . . . hoc & Nazaræos illos, Priscillam & Aquilam in Actibus Apostolorum primum fecisse legimus: Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi qui in hujusmodi cultu mirandi extiterunt, &c.*

6. Quod ad Orientalem spectat Ecclesiam, *Nicæna* II Synodus œcumenica VII, (*an.* 787) can. 14 vetat eos, qui tonsuram clericalem in pueritia acceperunt, & lectores ab Episcopo non sunt ordinati, in missa & sacris officiis legere ad ambonem, etiam in monasteriis: ergo apud Græcos solemne ab antiquo fuit, tonsura clericali, absque ullo ordine, pueros ipsos initiari.

Idem Euchologia antiqua confirmant, in quibus ritus tonsuræ administrandæ præscribitur: „ deinde, ajunt, tondetur coma, & dicit „ Pontifex: *tondetur servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti*: “ sequitur ibidem oratio ad faciendum e laico clericum, his verbis concepta: *dominator Domine Jesu Christe, te rogamus, & te precamur, respice in nos & in præsentem servum tuum, & benedictione tua spirituali, qua Melchisedech sacerdotem, crines suos, juxta præceptum tuum detonsum benedixisti, ipsum benedic: & in reverentia & tremore, in sanctitate & justitia tibi obsequentem, mandata tua custodire concede: omni Ecclesiastico ordine ministerium ejus adimple: ut tibi beneplacens omnibus diebus vitæ suæ perseveret*.

Ea vero capitis detonsio, ait *Goarius* Græcorum rituum peritissimus, (*in rituali Græc.*) *confundi non debet cum ordinatione lectoris: licet enim vulgo utraque conjungi soleat; in detonsione tamen stare clerici dignitatem, canonistæ Græci non obscure profitentur*: „ simul ac aliquis accepit tonsuræ signum manu Antistitis, *inquit Balsamon in notis ad canones Synodi Trullanæ*, eum pro clerico canon habet “: *idemque Græci alii scriptores communiter docent*.

Digitized by Google

IX

Superpelliceo quid significetur?

Superpelliceum ab Episcopo novi clerici induuntur, ut intelligant se a sæculo ad sanctuarii ministerium esse translatos; adeoque mundani vestimenti servitute deposita, & sacræ religionis habitu sumpto, novos homines esse debere: id quod candor ipse superpellicei innuit: morum enim innocentiam, vitæque integritatem significat: unde ipsos induens Episcopus sic precatur: *induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

X

Clericorum quæ vestis propria?

Primis Ecclesiæ temporibus nulla, quantum ad civilem & domesticum usum, fuit clericorum propria species indumenti: nam præterquam quod veteres canones & decretales Epistolæ, vel de eorum veste omnino silent, vel solam parcitatem modestiamque præscribunt; hujus rei præclarum est argumentum in Ep. *Cælestini*, 5 sæculo Pontificis Max., ad Episcopos Viennensis & Narbonensis Provinciæ, anno 428 directa, ubi clericorum quorumdam morem præposterum arguit, qui distinctionem in vestibus affectabant: „ didicimus, *inquit*, „ quosdam Domini sacerdotes, superstitioso „ potius cultui inservire, quam mentis vel fidei „ puritati amicti pallio, & lumbis præcincti, „ credunt se scripturæ fidem, non per spiritum, sed per litteram complecturos .... „ discernendi a plebe vel cæteris sumus, doctrina, non veste; mentis puritate, non „ corporis cultu ".

Sed nec panni color proprius prioribus sæculis, clericis ad quotidianum & usuale indumentum, uspiam legitur assignatus: refert *Theodorus lector*, *Acacium* Episcopum Constantinop. ut conceptum ex tyrannica persecutione dolorem exterius demonstraret, *se ipsum, & Episcopalem thronum, & altare nigris operuisse*: *Palladius* in dialogo de vita *S. Joannis Chrysost.* narrat Sanctum præsulem paulo ante quam e vivis excederet, album induisse vestimentum: *vitæ suæ*, inquit, *convenientia, candida vestimenta quæsivit; exutusque prioribus, ea sibi induit.*

Itaque clericorum cum laicis, quoad exteriorem habitum, summa primitus uniformitas fuit; cujus causa si quæritur, duplex occurrit: prima inde petitur, quod beata illa ætate, æqualis fidelium omnium modestia, & in corporis cultu parcitas foret: omnium enim animis radicitus infixa Apostoli sententia erat: *glorificate & portate Deum in corpore vestro: modestia vestra nota sit omnibus hominibus*: nihil ergo causæ erat, cur diversum a laicis habitum clerici gestarent: altera erat, quotidie imminentis aut sævientis persecutionis necessitas: cum enim præsertim in clericos tyrannorum immanitas effervesceret; imprudenter se se gessissent, si semetipsos, singularem gestando habitum prodidissent; itaque quod hodie in Anglia, Batavia, cæterisque ubi hæresis regnat provinciis, & inter barbaras gentes, a missionariis & sacerdotibus inculpate observatur, ut communem induant vestem, ne nimirum Evangelii proventum habitus singularitate impediant; id ipsum antiquis temporibus facto opus fuit.

Postquam vero moribus laicorum in pejus ruentibus, & devastato barbarorum incursionibus Romano imperio, luxuriæ via aperta est, & in ipsis vestibus ambitiosissime patuit: tum sane necesse fuit, ut Ecclesia clericis vestimenti modum ac rationem præscriberet: qua in re, ne quis fallatur, nihil novi commenta est: tantum enim veteri Romanorum usu retento, sancivit ut talari veste, uti antehac in more fuerat, induti procederent: nedum ergo inductæ novitatis hanc ob rem redargui Ecclesia possit; dicendum e contra ideo usum vestis talaris esse perenni lege præscriptum, ut novitas omnis ac singularitas vitaretur.

XI

Conferendæ tonsuræ locus, & tempus.

Jam si quæratur, quo in loco, quove tempore debeat tonsura conferri?

R. Ad 1, cum majores ordines ex præscripto canonum debeant in loco sacro administrari; conveniens esse, ut idem erga primam tonsuram observetur: posse tamen extra locum sacrum, si aliqua adsit necessitas, hanc cæremoniam fieri, tum usu compertum est, tum in Romano Pontificali notatur, ubi dicitur tonsuram & minores ordines, ubicumque posse, in propria tamen diœcesi, administrari.

R. Ad 2, quolibet anni die, & qua hora Episcopo visum fuerit, posse conferri; ut eodem Pontificali Romano præscribitur; cui Ecclesiæ usus, & decreta Synodorum consentiunt.

XII

Digitized by Google

XII

Qua ætate prima tonsura conferri possit.

Ætatem omnem, nec puerili excepta, primæ tonsuræ suscipiendæ absolute esse capacem, non inficiabitur qui attendet posse infantes ad ipsos ordines sacros valide promoveri: verum hinc non quid absolute possit, sed quid fieri deceat quærimus: de hac re nihil in Concilio Trid. & antiquioribus Synodis præscriptum legimus: tantummodo Tridentini statutum, (*sess.* 23, *de ref. c.* 4) *ut prima tonsura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

Ita Trid. Patres, quorum verbis si litteraliter hæreamus, prima pueritia tonsuræ suscipiendæ idonea judicabitur: majoris tamen Episcoporum partis more receptum, nemini honorem hunc deferendum, qui 14 ad minus ætatis annum nondum attigerit: *quid enim indecorum magis*, ait Concilium Coloniense, anno 1536 habitum, (*par.* 1, *c.* 27) *quam admoveri infantes, qui non intelligant qui agatur, imo ne capiant quidem, quid clerici nomen significet? qui enim in clerum alleguntur, rem profitentur minime ridiculam; nempe se particulariter in sortem Domini adscitos, quibus post hæc omnia sordeant, ac solus Dominus sors & pars hæreditatis futurus sit*: merito itaque in diversis provincialibus Synodis constitutum, tonsuram ante annos discretionis non conferendam: *circa primam tonsuram*, ait Eminent. Card. Hieronymus Grimaldi Archiepiscopus Aquensis, (*in statutis Synodalib. de sacr. ordinat.*) *e qua velut e radice totius Ecclesiastici ordinis integritas pendet, statuimus neminem illa fore initiandum, qui natus non sit ad minus annorum* 14.

Objectio.

Numquid enim vero, inquies, res bona non est, ab ipsa infantia pueros Domino consecrare; cum *Anna* in veteri lege *Samuelem* infantulum *Heli* sacerdoti præsentaverit, (1 *Reg.* 1) *ut Domino ministraret*: & Christus in Evangelio dixerit: *sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum?*

R. Optimum hoc quidem futurum, si eodem quo *Anna* spiritu, parentes filios suos Domino commodarent, eumdemque sibi proponerent finem: si, quomodo *Samuel* Heli sacerdoti statim a sua oblatione traditus est, in loco sancto sub ejus oculis educandus, ita clerici statim atque initiati sunt, Episcoporum curæ committerentur, pietatis & doctrinæ principiis imbuendi; si denique in Episcoporum arbitrio foret, ab Ecclesiasticis beneficiis arcere indignos: verum longe aliter accidere, quotidiano experimento compertum est: 1 enim parentes ambitione, ut plurimum, & avaritia æstuantes, filios suos ideo tonderi procurant, non ut Domino, sed ut divitiis consecrentur ac serviant: 2 juniores clerici, non in seminariis, pietate, sed in paternis domibus, sæculi moribus imbuuntur: 3 quod pessimum est, simul ac novi clerici tonsura sunt insigniti, ad beneficia simplicia inconsultis, immo renuentibus, nec impedire valentibus Episcopis, plerumque promoventur: nedum itaque debeant nimiæ severitatis redargui, laude summa digni Antistites sunt, qui neminem nisi probatum ad primam tonsuram admittunt, eaque ætate qua veræ vocationis argumenta edere queat.

XIII

Tonsuræ clericalis effectus.

Primæ tonsuræ effectus quadruplex.

1. Est præparatio ad ordines, & sacri ministerii veluti tyrocinium: quo fit, ut quemadmodum nemo ad vitæ religiosæ professionem admittitur, nisi qui novitiatum compleverit; ita nemo debeat ad ordines promoveri, nisi in vita clericali probatus.

2. Qui tonsura sunt insigniti, ordini Ecclesiastico accensentur: unde

3. Consequens est, ut de foro Ecclesiæ sint, & omnibus cleri privilegiis gaudeant: id quod Episcopus in ipso ordinationis actu declarat, eos ex Romani Pontificalis præscripto sic alloquens: *hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & privilegia clericalia sortiti estis: cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis*: iis tamen non eo ipso fruuntur, quo prima tonsura sunt initiati, nisi positis conditionibus a Concilio Trid. præfixis: *nullus*, inquit, (*sess.* 23, *de ref. c.* 6) *prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum, beneficium possit obtinere: is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat; aut clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur.*

Non

Non putandum tamen, ita clericos per primam tonsuram de foro Ecclesiæ fieri, ut siot a legum civilium observatione immunes: non enim ideo Christus Ecclesiam instituit, suoque sanguine acquisivit, ut temporalem domioium conturbaret; sed ut summo Deo, etiam Dominis temporalibus obsequeodo, serviret: non ideo venit redimere quod perierat, ut terrestria regna, cœlestia promittendo, eriperet; sed, ut quæ Dei sunt, Deo, quæ suot Cæsaris, Cæsari, a suis cultoribus fideli obsequio redderentur: porro nemo non videt, temporales respublicas conturbandas, & penitus subruendas, si Ecclesiasticæ jurisdictionis prætextu, clerici ab observatione legum civilium immunes evaderent: *clerici*, inquit Dominicus Soto, (*in* 4 *sent. dist.* 25, *quæst.* 2, *art.* 2, *concl.* 4) *non obstante clericatu, sunt cives reipublicæ, & ejus membra: sed respublica civilis non gubernatur nisi legibus principum: ergo quatenus prædictæ leges ad pacem & tranquillitatem reipublicæ spectant, clerici tenentur eis parere: alioquin*, inquit ibidem, *clerici Hispani non magis tenerentur legibus Hispanis obtemperare, quam Gallicis: quod est falsum*.

4. Clerici hoc ipso quod prima tonsura donati sunt, ad beneficia Ecclesiastica capessenda jus habeot: est enim prima tonsura, ut prædiximus, gradus quidam & præparatio, ordinibus ex instituto Ecclesiæ necessario præmittenda: indeque est, quod nemo nisi qui tonsus fuerit, debeat ad ordioes promoveri; atqui si ad originem attendamus, unum idemque est, promoveri ad ordinem, & beneficium consequi: cum ergo clerici, si nomini mores respondeant, ad ordines suscipiendos jus habeant, idem de Ecclesiasticis beneficiis est dicendum: quod ut planius explicetur:

XIV

Quid beneficium Ecclesiasticum, quæque ejus origo sit?

Beneficium Ecclesiasticum est, *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ provenientes, ipsius Ecclesiæ auctoritate firmatum, competens clerico propter sacrum ministerium, seu officium spirituale quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus bonis alitur ac sustentatur*.

Dicitur 1, *Jus perpetuum*: qua prærogativa a pensionibus, dignitatibusque, aut administrationibus temporariis omnioo differt; nec enim si cui pars aliqua Ecclesiastici reditus, eleemosynæ aut quovis alio titulo ad tempus concessa sit, vel si Episcopi vicarius fuerit, ideo beneficiarius dici potest; cum nec proventum stabilem, nec dignitatem perpetuam habeat.

Dicitur 2, *Jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ provenientes*: ex iis videlicet bonis quæ Ecclesiæ, vel populorum vel principum liberalitate ad sacrorum ministrorum sustentationem legata sunt.

Dicitur 3, *ipsius Ecclesiæ auctoritate firmatum*: quamquam enim bonis temporalibus dotare Ecclesiam in principum & secularium personarum potestate atque arbitrio fuerit; ut tamen in perpetuum beneficii titulum erigerentur, & clericis propter præstitum Ecclesiæ officium immobiliter attribuerentur, in solius Ecclesiæ potestate erat, modoque est: quapropter *capellaniæ*, sive reditus ob missarum celebrationem fundati, quamquam perpetuitatem habeant, oisi ab Ecclesia in beneficii titulum erigantur, non beneficiis, sed nudis ministeriis, quotidianum stipendium annexum habentibus acceoseotur.

Dicitur 4, *competens clerico propter sacrum ministerium, seu officium spirituale, quod exhibere debet Ecclesiæ, cujus bonis alitur ac sustentatur*: communi namque doctrina & pro axiomate certo receptum est, *beneficium propter officium dari*: quemadmodum enim prædia quæ profanis olim militibus, tum ad belli onera sustinenda, tum propter collatam reipublicæ operam concedebantur, *beneficia* dicta sunt; sic eodem nomine appellantur sanctuarii reditus, clericis sacra munia obeuntibus attributi: unde intelligere pronum est, beneficia & largitiones Ecclesiæ, non desidiæ esse præmia, sed laboris; & quemadmodum jure naturali ac divino præscribitur, ut qui altari serviunt, de altari vivant; ita iniquissimum, monstrique simillimum esset, quod is de altari vivat, qui traducens vitam in otio, altari servire detrectat: *sicut stipendium non debetur nisi militanti*, ajunt patres Concilii Coloniensis (*anno* 1549) tit. 9, c. 3, *ita nec bono jure is, qui non servit altari, de altari vivit*.

Quale autem impendi Ecclesiæ officium debeat, ut jure quis beneficio potiatur; ex ipsa qualitate ac fine beneficii æstimandum: tantum generatim mooemus, officium non sola breviarii recitatione, ut plerique sinistre putant, arctari; sed omnia officia comprehendere, quæ sacro ministerio connectuntur, quibusque divisim sumptis diversa beneficia, intentione Ecclesiæ correspondent: qualia suot, præter debitum divinas laudes cantandi, Sacramentorum administratio, prædicatio Evangelii, sacrificii incruenti oblatio, & generaliter omnia quæ Christus & Apostoli clericis præscripserunt.

Jam si beoeficiorum origo quæratur, facilis responsio est, tam antiqua beneficia, quam ipsos ordines & Ecclesiastica officia esse: statim

Digitized by Google

tim enim ac sacra ministrorum instituta hierarchia fuit, æquum ac necessarium visum est, ut qui omni sæculari cura neglecta, soli Deo servire proposuerant, de altari viverent, & unicuilibet pro gradu diverso rerum temporalium utenda portio attribueretur: itaque vero quodam sensu Ecclesiastica beneficia ordinibus ipsis coæva sunt: non eadem tamen semper eorum forma ac ratio fuit: primitus enim, quando sub Apostolicis & proxime secutis temporibus, nemo dicebat aliquid proprium, sed erant fidelibus omnia quæ habebantur, communia, facultatem temporalium quantum cuique opus erat dietim tribuebatur: quæ vero supererant, in opera pietatis, sub Episcoporum moderamine a sacris œconomis diaconis, sancta prodigalitate impendebantur: nec enim beata illa ætate dies crastinus, sed sola cogitabatur æternitas: itaque primis temporibus clerico cuilibet quotidianus victus & vestitus beneficii loco erat.

Postmodum vero quando crescente fidelium multitudine Ecclesiæ facultates adauctæ sunt, in remedium gliscenti avaritiæ constitutum, ut bona temporalia in quatuor veluti portiones tribuerentur, quarum prima Episcopo, secunda Clero, tertia pauperibus, quarta in reparationem ædificiorum & sacræ supellectilis cederet: nec ibi unde cœperat, diu substitit disciplina nova: ut enim ingruentibus ambitionis & avaritiæ malis, quoad poterat fieri, obviam iretur, majorum judicio constitutum, non clero generatim, sed unicuique divisim clerico portionem quamdam propriam, in perpetuum de fundis, ac proventibus Ecclesiæ assignandam, quæ beneficium, quomodo hodie intelligitur, dicta est, indeque tanta beneficiorum discrepantia, inæqualitasque emersit, quorum aliis liberalitate fidelium insigniter locupletatis, alia vel in pristino statu manserunt, vel in proventus vilissimos iniquitate temporum sunt redacta, ita ut vix possessoribus suis alendis sufficiant: inde etiam repetenda videtur sive occasio sive causa, cur minorum sacerdotio ordinum, vel exstinctum penitus, vel neglectum enormiter exercitium fuerit: eum enim de augendis ac locupletandis sacerdotiis, a plerisque cogitaretur, ad lectores, ostiarios, &c. cæterosque alendos gradus inferioris ministros, qui attenderent paucissimi sane reperti sunt: unde consequens fuit ut officia omni beneficio destituta negligerentur, & tandem penitus evanescerent: quam pauci enim hodie reperiuntur (si reperiuntur tamen) qui ordinis ac beneficii titulo in exorcistatu, lectoratu, acolythatu, subdiaconatu consistant? cum e contrario pro gradibus furtim ac præcipitanter sine exercitio proprio decurrendis vulgari opinione reputentur.

XV.

Beneficiorum divisio multiplex.

Beneficiorum varias species, mutatio disciplinæ diversis temporibus introducta, invexit; cum enim primitus cuilibet clerico pro aliquâ Ecclesia ordinato, executio ministerii in quo fuerat constitutus, esset proprii beneficii titulus; simplicissima beneficiorum idea ac notio erat: nec aliunde quam a majore vel minore sacri ministerii portione repeti eorum divisio poterat: postmodum vero mutata, ut prædiximus, disciplina, divisio multiplex beneficiorum emersit, distingui namque cœperunt:

1. Beneficia curam animarum habentia, & non habentia: animarum curam annexam habent, Episcopatus, cura parochialis, decanatus, Abbatia, prioratus regularis &c. ab hoc vero onere eximuntur, canonicatus, prioratus simplices, præbendæ, capellaniæ &c.

2. Beneficia quibus cura animarum annexa est, alia sæcularia, alia regularia dicta sunt: sæcularia clericis tantum sæcularibus; regularia solis regularibus conferenda, clericis nimirum qui in ordine aliquo religioso beneficiorum capace, solemnem professionem emiserint, vel intra annum sint emissuri: *regularia beneficia*, inquit Concilium Trid. (*sess.* 14, *de ref. cap.* 10) *in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis, vel iis qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis.... conferantur.*

3. Beneficia curam animarum non habentia, præter quam quod alia pariter sæcularia, alia regularia sunt; rursum distinguuntur in ea quibus annexa dignitas est, & præeminentia singularis, (cujus generis in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis pleraque sunt:) & ea quæ dignitate carent, qualis simplex præbenda aut capellania est.

4. Beneficia distinguuntur in ea quæ ad residendum in loco ubi habentur non obligant, propterea quod ab onere curandi animas eximantur, nullumque proprium munus annexum habere videantur; & ea quæ obligant, eo quod portionem aliquam sacri ministerii Ecclesiæ exhibendi conjunctam ex sua institutione importent: hujusmodi porro simplicia beneficia, ut obiter dicam, naturam veri beneficii non habere, ipsa ejus definitio paulo ante explicata demonstrat: cum enim beneficium Ecclesiasticum non aliter clerico competat, nisi

pro-

Digitized by Google

propter sacrum ministerium seu officium spirituale, quod debet Ecclesiæ exhibere, quomodo beneficiarius dici potest, qui ejus Ecclesiæ bonis sustentatur & alitur, cui nedum inserviat, ne præsens quidem esse dignatur? non hæc sane sanctissimo Mediolanensium Archiepiscopo *Carolo* beneficii simplicis, ab omni officio vacui, appellatio arridebat, cui præter cætera ad veteris disciplinæ reparationem necessaria, in votis maxime erat, ut cuilibet sine discrimine beneficio, proprium officium attribueretur, personaliter exequendum: si, inquit Concilium Mediolan. 1, eo præside habitum, (*const. part.* 2, *tit.* 26) *aliqua dignitas, personatus, aut officium in Ecclesia fuerit, cui neque ab institutione, neque a jure communi, neque a propriis constitutionibus quæ probatæ sint, neque his decretis, proprium munus in divinis officiis sit attributum, aut quod sit, non satis constet: Episcopi duobus adhibitis de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a capitulo deligatur, assignent singulis dignitatibus & officiis proprium munus, quemadmodum cum sententia sacrorum canonum, & cum propriæ Ecclesiæ probatis constitutionibus, & cum his sanctionibus, pro ratione loci magis congruere judicabunt: cæteris etiam beneficiis, quæcumque jam ab Ecclesiasticis officiis immunia reperiuntur, sive canonicatus, sive clericatus, sive etiam simplicium nomine appellentur, iis Episcopus propria munera restituat: ac si non constat satis qualia essent, pro fructuum ratione munera imponat, aut missas divinaque officia celebrandi: aut si clericatus, simpliciave beneficia sint, minorum etiam ordinum functiones, obeundi, ad divini cultus propagationem.*

5. Beneficia, alia in commendam, alia in titulum conferuntur: beneficia commendata vocant, quæ cum regularia sint, clericis sæcularibus, eadem eorum natura manente, velut administratoribus commendantur: horum inde origo venit, quod olim cum beneficia morte interveniente, legitimis pastoribus viduata, novis subrogatis statim impleri non possent, sive bellorum, sive contagii, sive alia quavis causa impediretur electio, viciniori cuidam, bonique nominis clerico ad tempus administranda committerentur: beneficia in titulum ea sunt, quæ electionis aut nominationis virtute, summo jure, & non quasi precario administrantur atque reguntur.

XVI.

Beneficia utrum & quatenus plura ab uno & eodem haberi possint.

Generatim loquendo, plurima ab uno clerico beneficia retineri turpissimum est: beneficium enim propter officium datur: porro debere Ecclesiastica officia in plurimos dividi, quo melius & decentius impleantur, tum res ipsa clamat, tum antiquis canonibus sæpe constitutum: „ singula Ecclesiastici juris officia, „ *ait S. Gregorius M. referente Joanne Diacono*, (*in ejus vita lib.* 2) singulis quibus„que personis singulatim committi jubemus: „ sicut enim in uno corpore multa membra „ habemus, omnia autem membra non eum„dem actum habent: ita in Ecclesiæ corpo„re, secundum veridicam Pauli sententiam, „ uni eidemque spirituali conferendum est hoc „ officium; alii committendum est illud: ne„que uni quantumlibet exercitatæ personæ, „ uno tempore duarum rerum officia commit„tenda sunt: quia si totum corpus est ocu„lus, ubi auditus? sicut enim varietas mem„brorum per diversa officia, & robur corpo„ris servat, & pulchritudinem repræsentat; „ ita varietas personarum, per diversa nihi„lominus officia distributa, & fortitudinem „ & venustatem sanctę Dei Ecclesiæ manifestat: „ & sicut indecorum est, ut in corpore hu„mano alterum membrum alterius fungatur „ officio; ita nimirum noxium, simulque tur„pissimum, si singula rerum ministeria per„sonis totidem non fuerint distributa. “

Quantæ autem deformitatis sit, beneficiorum in unum collecta pluralitas, ita S. Thomas demonstrat. „ Quædam sunt actiones, *in„quit*, (*Quod. lib.* 10, *qu.* 7, *art.* 2) quæ „ de se indifferentes sunt ad bonum & ma„lum, inter quarum numerum quidam com„putant habere plures præbendas .... Sed „ hoc non videtur esse verum; cum hoc quod „ est habere plures præbendas, plurimas in „ se inordinationes contineat: utpote, quia „ non est possibile, aliquem in pluribus Ec„clesiis deservire, in quibus est præbendatus, „ cum præbendæ videantur esse ordinatæ, „ quasi quædam stipendia, Deo ibidem mini„strantium. Sequitur etiam diminutio cultus „ divini, dum unus loco plurium instituitur. „ Sequitur etiam in aliquibus defraudatio vo„luntatum testatorum, qui ad hoc alia bona „ Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo „ deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæ„qualitas, dum unus pluribus beneficiis abun„dat, & alius nec unum habere potest. Et

„ multa alia (sequuntur) hujusmodi, quæ de „ facili patent: unde non potest contineri inter „ indifferentes actiones, & multo minus inter „ eas, quæ sunt secundum se bonæ, ut dare „ eleemosynam & hujusmodi . . . . Unde qui „ non unus, sed plures est in beneficiis, non „ unus sed plures erit in suppliciis, ut dicit „ S. Bernardus. "

Plures itaque deformitates beneficiorum pluralitas continet.

Non ita tamen generalis hæc regula censeri debet, quin exceptiones aliquas patiatur. Quas ut breviter explicemus:

Dico 1. Plura incompatibilia beneficia, ab uno & eodem legitime haberi nulla ratione posse, qualia Theologorum omnium & Canonistarum judicio sunt plures Episcopatus, plures curæ Parochiales, plures in eadem Ecclesia dignitates, plures sub eodem tecto uniformes præbendæ. Ita Sacris Canonibus sæpe sancitum.

„ Quia nonnulli modum avaritiæ non po„ nentes, *ait Concilium Lateran. III sub Ale„ xandro III celebratum*, (*ann.* 1179)*can.* 13, „ dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures „ Ecclesias Parochiales contra sacrorum ca„ nonum instituta nituntur acquirere; ita ut „ cum unum officium vix implere sufficiant, „ stipendia sibi vindicent plurimorum: ne id „ de cætero fiat, districtius inhibemus. Cum „ igitur Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministe„ rium committi debuerit, talis ad hoc per„ sona quæratur, quæ residere in loco, & cu„ ram ejus per se ipsam valeat exercere. Quod „ si aliter fuerit factum, & qui recepe„ rit, quod contra canones accepit, amit„ tat; & qui dederit, largiendi potestate pri„ vetur. "

Pari sententia Concilium Lateran. IV sub Innocentio III (*ann.* 1215) can. 19: „ Præ„ senti decreto statuimus, *inquit*, ut quicum„ que receperit aliquod beneficium, habens cu„ ram animarum annexam, si prius tale ob„ tinebat, eo sit jure ipso privatus. Et si for„ te illud retinere contenderit, alio etiam spo„ lietur: is quoque ad quem prioris spectat „ collatio, illud post receptionem alterius li„ bere conferat, cui merito viderit conferen„ dum: & si ultra sex menses conferre distu„ lerit, non solum ad alium, secundum sta„ tutum Lateran. Concilii ejus collatio devol„ vatur, verum etiam tantum de suis cogatur „ proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est „ illud beneficium, assignare, quantum a tem„ pore vacationis ipsius constiterit ex eo esse „ perceptum. Hoc idem in personatibus de„ cernimus observandum, addentes ut in ea„ dem Ecclesia nullus plures dignitates aut „ personatus habere præsumat, etiamsi curam „ non habeant animarum. "

Ita Innocentius III, cujus decretum S. Synodus Trident. confirmans: *quicumque*, inquit, (*Sess.* 7, *de Ref. c.* 4) *de cætero plura curata aut alia incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine & titulo, contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentii III, quæ incipit*: de multa: *recipere ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat.*

Et alibi: (*Sess.* 24, *de Ref. c.* 17) *illi*, inquit, *qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscumque dispensationibus ac unionibus ad vitam non obstantibus, una tantum Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere: alioquin tam Parochiales, quam beneficia omnia quæ obtinent, ipso jure vacare censeantur, ac tamquam vacantia libere aliis idoneis conferantur; nec ipsi antea illa obtinentes, tuta conscientia fructum, post dictum tempus retineant.*

Dico 2. Plura beneficia residentiam postulantia, etiam si diversi generis sint, in diversis Ecclesiis nefas esse ab uno & eodem haberi.

Hoc enim ipso quod possessorum præsentiam postulant, tam non possunt ab uno eodemque retineri, quam impossibile est unum hominem simul esse in pluribus locis: & sane cum beneficia non ideo conferantur, ut quis in otio vivens redditibus Ecclesiæ gaudeat, sed ut fructum temporalem percipiat, propter spirituale officium ei Ecclesiæ præstitum, cui beneficium est annexum; iniquum prorsus est, & a ratione alienissimum, quod velit aliquis de eo altari vivere, cui propter absentiam servire non potest: qui non laborat, non manducet, ait alicubi Scriptura. Porro gradus Ecclesiasticus, ex Christi intentione, labor assiduus & perpetuus esse debet. *Messis quidem multa*, ait in Evangelio Salvator, (*Luc.* 10, 2) *operarii autem pauci*: *rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*... Et Apostolus (1 *Timoth.* 3, 1, 5): *Fidelis sermo, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat . . . Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* . . . . (2 *Tim.* 4, 5) *tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple*, &c. Accedit altera ejusdem

Digitized by Google

dem aſſertionis probatio, inde petita, quod ratione beneficii & ſacri miniſterii Clericus cum Eccleſia ubi beneficium ſitum eſt, ſpirituale Matrimonium contrahat, eique ſuam in perpetuum fidem obſtringat: ſpiritualis ergo polygamiæ reus eſt, & fidei violatæ convincitur, qui pluribus ſimul beneficiis vult potiri . . . Præterea licitum putari nequit, cujus malum principium eſt, quodque plurium radix eſt & origo malorum; atqui multorum captatio beneficiorum, ſi bene attendimus, tum ex peſſimo ambitionis & avaritiæ principio profluit; tum innumerabilium origo malorum eſt. *Inde enim fit*, ait Joannes XXII Pontifex Max. (*Extra.* Execrabilis: *tit. de præbendis*) *quod interdum unus, qui unicum, quamvis modicum, vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vindicet ſtipendia, quæ multis litteratis viris, vitæ puritate, ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abunde ſufficere, æqua diſtributione collata.* Deinde: *habentibus ipſa, paratur vagandi materia; divinus cultus minuitur; hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur: & dum non ſunt ſui in unaquaque regione rectores, Eccleſiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defenſorum auxilio, in juribus ſuis & libertatibus multipliciter collabuntur: & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat deceſſorum: (quod amarius eſt dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum perículoſe præbetur.*

His tantis & tam gravibus malis S. Synodus Trid. volens efficax afferre remedium, præter cætera, iſtud decretum emiſit: (*Seſſ.* 24, *de Ref. c.* 17) *cum Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum: ſancte ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſe ipſos, non Deum, decipientes, ea quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt: S. Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari; ſtatuit ut in poſterum unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod quidem ſi ad vitam ejus cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſæcularia, quam Regularia quæcumque, etiam commendata, pertineant, cujuſcumque tituli ac qualitatis exiſtant.*

Dico 3. Plura, cujuſcumque generis beneficia etiam ſimplicia & ex conſuetudine reſidentiam non poſtulantia, niſi acceſſerit Sum. Pontificis diſpenſatio, ex juſta & rationabili cauſa obtenta, ab uno & eodem illegitime poſſideri.

Generatim, inquam, loquendo, plurium ſimul beneficiorum, cujuſvis naturæ ſint, poſſeſſio illicita eſt; quia, ut ſæpe dictum eſt, beneficium propter officium, ſive propter Sacrum miniſterium datur, quod debet in ea Eccleſia, ubi ſitum beneficium eſt, adimpleri. Vera hæc & ab antiquo accepta notio beneficii eſt; noſtris enim majoribus incognita erat beneficiorum compatibilium & incompatibilium, ſimplicium & non ſimplicium, reſidentiam poſtulantium & non poſtulantium, de novo inducta diſtinctio. *Si quis objecerit nobis*, inquit Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus (*lib. de collatione benefic. c.* 6), *ex Eccleſiis in quibus non compellitur fieri reſidentia: dicimus quia non eſt libertas ex conſtitutione vel fundatione; ſed magis ex longa conſuetudine & Clericorum malitia uſurpata.*

Hinc inter cæteros Reformationis articulos ad Concilium Trid. ab oratoribus *Caroli IX* Galliarum Regis delatos iſti leguntur: *Unum tantum beneficium uni conferatur, ſublata, quod attinet ad pluralitatem, compatibilium & incompatibilium differentia: quæ diſtinctio, ut eſt nova, & antiquis decretis incognita, ita Eccleſiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit: dentur autem Regularia Regularibus, ſæcularia ſæcularibus. Qui vero duo vel plura poſſident; aut illud tantum retineant, quod intra breve tempus elegerint, aut in pœnas antiquorum canonum incidant.*

Cui quidem Regis Chriſtianiſſimi poſtulationi S. Synodus acquieſcens, decreto modo laudato conſtituit, unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis eſſe conferendum: hancque ſanctionem ad omnia beneficia tam ſæcularia quam Regularia voluit pertinere, cujuſcumque tituli ac qualitatis exiſtant.

Accedit Synodorum provincialium Concilio Trid. poſteriorum conſenſus. *Beneficium etiam ſimplex obtinenti, quod ad vitæ ſuſtentationem ſatis eſt*, inquit Concilium Mediolan. IV, (*part.* 2, *tit. de Benef. collatione*) *ſi alterum ſimplex, aut Eccleſia etiam Parochialis, aliudve beneficium cujuſvis generis conferatur; ubi is alterius beneficii, cujuſcumque generis illud ſit, poſſeſſionem pacificam adeptus eſt, aut ſi per eum ſteterit, quominus duobus menſibus, quos a die quo alterum collatum eſt, præſtituimus, illam adipiſcatur; primum ipſo*

jure vacare censeatur : cum ex Trid. Concilii sententia unum & alterum item ab illo simul retineri nullo modo liceat . . . . Beneficii quacumque auctoritate deinceps collati, unde satis ad victum sumitur, possessionem pacificam quis adeptus, si nulla sibi facultate, dispensationeve legitime concessa, beneficii prioris quod obtinebat, censum exegerit . . . . Illius duplum ad Ecclesiæ usum restituat : tum alia ratione etiam mulctetur, plectaturve Episcopi arbitratu.

Pluralitas beneficiorum, ait Synodus Mechliniensis (*ann.* 1607) Tit. 19, cap. 5, *& certum continet animarum periculum, & totius ordinis Ecclesiastici pervasio est: ideoque mandat hæc Synodus exacte servari, quidquid de ea... Sacris canonibus, & præsertim in S. Concilio Trid. statutum & decretum est.*

Posse vero certis de causis, accedente dispensatione legitima, plura simul beneficia simplicia, aut quorum unum sit simplex, aliud curam animarum habens, interdum possideri, vera & certa doctrina est : puta, si propter ministrorum penuriam, necessitas Ecclesiæ sic requirat ; aut si adeo tenue beneficium sit, (qualia sane plurima sunt) ut ad vitam honeste sustentandam non sufficiat ; vel si quis propter excellentiam meritorum plus Ecclesiæ profuturus prævideatur, quam plures alii quibus divisim beneficia conferrentur. His, inquam, similibusque de causis, tum legitima dispensatio, tum licita plurium beneficiorum possessio est. *Sunt quædam actiones*, inquit S. Thomas supra laudatus, (*Quodlib.* 10) *quæ absolute consideratæ deformitatem vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur : sicut occidere hominem vel percutere, in se deformitatem quamdam importat: sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam ; vel percutere delinquentem, causa disciplinæ ; non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse, habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat ; tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur : ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ vel tantumdem, absens, quam alius præsens : &, si qua alia sunt hujusmodi. Et tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione superveniente, si consideretur tantum jus naturale, quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed solum ad positivum. Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat, in aliqua Ecclesiarum ubi est præbendatus : non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur ; quia cum tali intentione & unum beneficium habere, (quod nullam inordinationem importat) esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum jus naturale, etiam nullo jure positivo superveniente. Nunc autem certum est, per antiqua jura hoc esse prohibitum . . . Si ergo antiqua jura quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante, certum est, non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione; etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundum considerationem juris naturalis actum poterant honestare.*

Proponitur & resolvitur quæstio quædam.

Quæritur si aliquis nulla urgente causa rationabili, dispensationem super beneficiorum pluralitate obtinuerit, numquid ea possit tuta conscientia retinere?

℟. Negative. Dispensatio enim falso prætextu, contra jus divinum obtenta, conscientiam in tuto non ponit; nisi dicamus inde aliquem liberari a crimine, unde magis gravatur & novo se crimine onerat : sed plura ab uno eodemque Clerico, sine causa rationabili, beneficia possideri, juri divino repugnat, quod nulla potest dispensatione infringi. *Quod si objecerit nobis* (aliquis), ait Guillelmus Parisiensis, (*de collatione benefic. c.* 6) *de dispensationibus Apostolicis*: *Respondemus, quod illæ supra nos sunt, & quod diligentius consideratæ irritæ sunt: & de omni dispensatione* (contra jus divinum) *facta, idem sentimus, nec interpretari præsumimus. E contrario indubitanter sciendum est, quod Romanus Pontifex, quantumcumque largam dispensationis gratiam videatur facere in beneficiis cum aliquibus personis; tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum: non enim intendit pascere vel nutrire pestes vitiorum de bonis temporalibus Ecclesiasticis, quæ plene novit ad sustentationem servorum Dei in ejus servitio, esse Domino oblata.*

Pari ratione quorumdam similem oppositionem retundens S. Bernardus: (*Ep.* 7 *ad Adam Monachum*) *Apostolicam*, ait, *inquiunt illi, licentiam quæsivimus & impetravimus. Utinam non licentiam quæsissetis, sed consilium; id est, non ut liceret, sed an liceret! Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret quod non licebat? facere itaque volebatis quod non licebat: sed quod non licebat, malum erat: mala igitur erat intentio, quæ in malum tendebat... Hujus patrandi mali quærendam putastis esse licentiam. Sed ad quid? an, ut quanto licen-*

tius,

Digitized by Google

tius, tanto securius, & quo securius, eo & periculosius peccaretis? mira cautela, & stupenda providentia! malum quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fuerunt non implere, nisi cum licentia: conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum. Quo lucro? quove saltem compendio mali? Numquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum est, quia Papa concessit? Quis vero malum esse neget, assensum præbere malo? Quod tamen Sum. fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.

Sancti Thomæ & optimorum quorumcumque Theologorum ac Canonistarum auctoritas suffragatur; quos si ordine lubeat allegare, integrum erit volumen describendum. *Sine his circumstantiis*, ait S. Thomas in quodlibeto sæpe laudato, *licitum non est, plures præbendas habere, quantumcumque dispensatio interveniat; eo quod dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solum ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.*

„ Non excusetur peccatum mortale, *ait* „ *Cardin. Cajetanus*, (*in Summa verbo*, Be- „ neficium, *n.* 9) propter dispensationem Papæ „ sine rationabili causa; quoniam dispensatio „ Papæ cadit supra jus positivum, & non super „ jus divinum aut morale: pluralitas autem „ beneficiorum, sine rationabili causa, est „ contra jus divinum & morale, quo com- „ munia Ecclesiæ bona distribui juste debent „ patribus Ecclesiæ. “

Et *Cardin. Bellarminus*, in monitis ad Episcopum *Theanensem* nepotem suum: „ quia „ multi, *ait*, multa beneficia ex dispensatio- „ ne Pontificia possident; sciendum est, Pon- „ tificiam dispensationem, quando non adest „ justa causa dispensandi, valere in foro fori, „ *exteriori nimirum & coram hominibus*, sed „ non in foro poli, *conscientiæ nimirum*, & „ *coram Deo*, ut aperte docet S. Thomas. “

Id quod verbis diversis, eodem tamen sensu explicans *Panormitanus* ib. a Bellarmino citatus: *dispensatur etiam per Papam*, inquit, *circa pluralitatem istorum beneficiorum, sine causa, etiamsi sit tutus quoad Ecclesiam militantem; non tamen quoad triumphantem: & sic non videtur dispensatio quoad Deum.*

Nec est quod ex intentione bona beneficiorum pluralitas excusetur, si nimirum ideo quis plura velit habere, quo plures pauperibus & largiores eleemosynas eroget. Hoc enim quid aliud est, quam excusare excusationes in peccatis? Porro plura beneficia, sine rationabili causa habere peccatum est. Cum itaque nemini liceat facere mala, ut inde eveniant bona, nec copiosioris eleemosynæ largiendæ prætextu, potest beneficiorum pluralitas excusari. Quocirca qui hoc prætextu suam nituntur ambitionem aut avaritiam occultare; idem mihi videntur agere, ac si quis furtum licitum inde probare vellet, quod aliquis ad sublevandos paupetes bonum alienum surripuisset. Bonum enim alienum invadit, qui beneficio fruitur, cujus officium nec implet, nec alio occupatus implere potest. „ Quam ridiculosum sit, „ *ait Guillelmus Parisiensis*, (*de collat. benefi-* „ *cior. c.* 6) quod quidam dicunt, quod po- „ test habere quælibet, & quantumcumque „ pinguia temporaliter beneficia quivis, dum „ ea bene expendat, ex his apparet. Licet „ enim medicus salarium in quantumcumque „ pios usus expendat, quod ab ægro pro eo „ medicando recepit; non omnino propter hoc „ satisfacit ægro, qui (*ejus negligentia*) nec „ minus ægrotat. Idem dicimus & de bella- „ tore, quantumcumque large & magnifice „ expendat stipendium . . . . Similiter & de „ vinitore, & de advocato eis objici potest. „ Non enim solam dispensationem tempora- „ lium suscipiunt proventuum Clerici institu- „ tione, vel vocatione sua, sed officium me- „ dicandi sauciatum, de quo loquitur Chri- „ stus (Lucæ 10), & officium agendi bellum „ Dei: similiter & officium allegandi causam „ animarum, & officium operandi in vinea „ Domini. “

Ita prædictus scriptor, cui *Dionysius Carthusianus* subscribens, sic loquitur: „ (*in tractat. contra pluralitatem benef. art.* 12) „ hos- „ pitalitatem servare, & eleemosynas eroga- „ re, non est sufficiens causa habendi hujus- „ modi beneficia plura, cum ex hoc aliunde „ proveniant multa inconvenientia graviora. „ Deus quoque non exigit ab aliquo hospitali- „ tatem, & eleemosynarum largitionem, ul- „ tra vires ipsius, seu ultra id quod sibi de „ uno competenti beneficio superest. “

At, inquis, plurium beneficiorum possessionem licitam esse, Theologi plerique congestis hinc inde argumentis, longeque plures Clerici exemplo suo ostendunt.

℟. Nec vanis novellæ probabilitatis commentis, nec pravis multorum exemplis, posse rem malam fieri bonam. Non enim ex hominum judiciis vel exemplis, sed ex legis divinæ sententiis, quæstio de beneficiorum pluralitate, licita an illicita sit, solvi debet. Nec ideo quis se tutum putare debet; quia vel probabilitatis subsidio, vel exemplis contra jus militantibus gloriatur. Immo eo in periculo majori versatur, quo audacius dubium suum, non ex legis decretis, sed ex hominum æstimatio-

matione resolvit; quia hoc ipso convincitur hominem Deo, & cupiditatem officio anteponere. Porro Clericum uno beneficio contentum esse debere, nec, plura habendo, aliter excusari posse, quam ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ. veritas est in natura beneficii, & in verbo divino fundata. „ Scitis quia „ diligo vos, *ajebat S. Bernardus*, (*Ep.* 271) „ *Theobaldo Principi Campaniæ comiti, a quo* „ *rogatus fuerat, ut pro filio suo, jam unum* „ *beneficium possidente, alterum impetraret.* „ Scitis quia diligo vos: sed quantum novit „ Deus, melius quam vos; me quoque diligi „ a vobis non dubito, sed propter Deum. Quem „ si offendero, non erit quod me diligere debeatis, cum jam non fuerit in causa Deus. „ Quis enim ego sum, ut de me tantillo tantus Princeps curetis, nisi quamdiu Deum „ in me esse creditis? Ergo ut offendam eum, „ fortassis nec vobis expedit: offendo autem „ procul dubio, si facio quod requiritis. Nam „ honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas digne secundum Deum „ administrare & velint & possint. Porro eas „ acquiri parvulo filio vestro precibus meis, „ vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel „ adulto, plures in pluribus Ecclesiis habere „ licet; nisi dispensatorie quidem ob magnam „ vel Ecclesiæ necessitatem, vel personæ utilitatem. Quamobrem si vobis videtur hic durus sermo, & placet quod cogitastis implere: parcite mihi in hoc. Nam vos satis, „ ni fallor, per vos & per alios amicos istud „ obtinere potestis. Ita nec vos minus quod „ vultis efficitis: nec ego peccavi. Sane Wilelmulo nostro cupio bene per omnia; sed „ ante omnia Deum. Hinc est quod contra „ Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat „ Deum. Quod si alius secus voluerit: nolo „ per me habeat; ne perdam & ego Deum. "

Sequitur

SECTIO SECUNDA.

De ordinibus minoribus.

De prima tonsura, & beneficiis ad quæ obtinenda jus tribuit, pro instituto nostro sat dictum. Jam ut propositum persequamur, minores ordines & conjuncta iis officia explicabimus.

I

Minorum ordinum nomen.

Minorum ordinum, non ludibrii aut contemptus, sed officii inferioris est nomen. Ideo namque sic dicti, quod Subdiaconis, Diaconis, Presbyterisque subjaceant, nec adeo prope ad sacrum Altare accedant. Aliunde vero si comparate ad ministros superiores, minores sunt, respectu Laicorum, magno & præcellenti pretio æstimandi, quia Altari deservire, & divinum ministerium exequi, non potest non honorificentissimum esse: tanto sane olim in honore erant, ut Sanctis Confessoribus propter fidei veritatem coram Tyrannis libere ac intrepide prædicatam, & summi meriti viris ad pietatis & scientiæ commendationem tribuerentur. Cujus rei insigne in Epistolis S. Cypriani, de *Aurelio* & *Celerino* Confessoribus, ad Lectoratus gradum provectis testimonium extat.

De *Aurelio* quidem sic loquitur: (*Ep.* 33) *in ordinandis Clericis, fratres carissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. Sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia.* Aurelius *frater noster, illustris adolescens, a Domino jam probatus & a Deo vocatus est, in annis novellus, sed in virtute ac fidei laude provectus; minor in ætatis suæ indole, sed major in honore gemino hic agone certavit, bis confessus, & bis confessionis suæ victoria gloriosus . . . Ita & dignitate excelsus est, & humilitate sublimis, ut appareat illum divinitus reservatum, qui ad Ecclesiasticam disciplinam cæteris esset exemplo, quomodo servi Dei in confessione virtutibus vincerent, & post confessionem moribus eminerent. Merebatur talis, Clericæ ordinationis ulteriores gradus, incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandus. Sed interim placuit, ut ab officio lectoris incipiat: quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis divinis lectionibus personare; post verba sublimia, quæ Christi martyrium prosecuta sunt, Evangelium Christi legere, unde martyres fiunt, ad pulpitum post catastam venire; illic fuisse conspicuum gentium multitudini, hic a fratribus conspici; illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur fratres dilectissimi, a me & collegis qui præsentes aderant, ordinatum sciatis, &c.*

De

De Celerino vero, hunc, inquit, (*Ep.* 34) *ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio & miraculo ejus ipsius qui se persecutus fuerat, illustrem, quid aliud quam super pulpitum, idest, super tribunal Ecclesiæ oportebat imponi? ut loci altioris celsitate subnixus, & plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta & Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur: vox Dominum confessa, in his quotidie quæ Dominus locutus est, audiatur .... Nihil est, in quo magis confessor fratribus prosit, quam ut dum Evangelica lectio de ore ejus auditur, lectoris fidem quisquis audierit, imitetur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat cum quo & divini honoris societate conjunctus est.*

Notum omnibus Sancti *Martini* exemplum, quem *S. Hilarius* Pictaviensis cum Diaconum ordinare frustra tentasset (tanta ejus humilitas erat) ad ordinem exorcistatus, non renuentem promovit. *Tentavit Hilarius*, ait Severus Sulpitius, (*in Vita S. Martini*) *imposito Diaconii officio, sibi eum arctius implicare. Sed cum sæpissime restitisset, indignum se esse vociferans, intellexit vir Dei, hoc eum modo posse constringi, si id ei officium imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque exorcistam eum esse præcepit; quam ille ordinationem non repudiavit* ... Ubi quod Sulpitius dicit, (*in quo quidam locus injuriæ videretur*) non de ipso in se exorcistatu, sed de Martino intelligi debet, cujus præcellentia merita ordo exorcistatus non adæquabat.

II

Minorum ordinum in Latina Ecclesia numerus & antiquitas.

Subdiaconatui subjectos ordines quatuor latina Ecclesia habet, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolythatum: quem numerum antiquissimum esse, & a proximis saltem Apostolorum successoribus institutum, constat ex dictis hujus libri prima parte, quæstione secunda, cap. 1. *Dicendum*, inquit S. Thomas, (*in 4, dist. 24, quæst. 1, art. 2, quæstiuncula 2, ad 2*) *quod in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria Diaconis committebantur ... Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una Diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus, & Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis*. Ita Angelicus Doctor. Eadem enim Ecclesiæ, quæ solet hominum esse, cautio fuit, quorum dum tenuis fortuna est, est etiam ad domesticos usus familia modica; si vero reditus augeantur, servorum pariter crescit numerus, eoque magis, quo locupletiores ac spectabiliores evadunt. Sic in primordiis Evangelii, parvula adhuc & paupercula Ecclesia, paucos habebat functionum Sacrarum ministros, & quidquid ad Dei cultum, oblationem sacrificii, prædicationem Evangelii, & alia hujus generis pertinet, inter Episcopos, presbyteros, & diaconos dividebat. Crescente autem fidelium multitudine, & auctis facultatibus, cum soli Diaconi omnia exequi ministeria pari qua antehac facilitate non possent; diversa officia distinctis ministris sunt distributa: quo factum est ut splendidiore apparatu Sacri ritus celebrarentur.

III

Græcorum & Orientalium disciplina diversa, reprehensibile nihil habet.

Porro cum ordinum minorum numerus, non ex divina institutione immediate descendat, sed ad meram disciplinam pertineat; si quis ideo Græcos reprehensione dignos putaret, quod e minoribus ordinibus solum lectoratum olim habuerint, hodieque habeant; næ ille ridiculum se præberet: in iis enim quæ ad fidem aut disciplinæ essentiam ubique receptam non pertinent, summa semper Ecclesiarum libertas fuit: & sicuti Græcis mores Latinorum peculiares reprehendere numquam licuit, ita nec Latinis fas est, contra Græcos, propterea quod ostiariis, exorcistis, & acolythis careant, importunam movere litem: qua in re, ut in cæteris, Romanorum Pontificum erga Græcos summa semper æquitas ac moderatio fuit; sæpe enim ab illis Græcorum consuetudo probata, sæpe decretum debere cum suis ordinibus suscipi, nec quemquam cogendum, ut sub obtentu alicujus inferioris ordinis prætermissi de novo ordinaretur.

Quamquam vero minores ordines, solis demptis lectoribus non admittant: non ideo tamen iis annexa ministeria neglexerunt, sed ea inter Lectores, subdiaconos, & Diaconos diviserunt, ut ex eorum euchologiis, & Libris Pontificalibus constat. Immo, ut dicam ingenue, majori quam Latini scrupulo procurarunt, ne officia ad sacrum ministerium pertinentia, a laicis & trivialibus hominibus exercerentur.

IV

IV

Minores ordines qui & quatenus Sacramenta dici possint.

Minores ordines si in fonte spectentur unde manarunt, nimirum in Diaconatu qui plenitudo est ministerii sacerdotibus exhibendi; non est dubium esse Sacramenta. Si vero divisim spectentur, quatenus propria singuli actione, & seorsim a Diaconatu traduntur, Sacramenta nisi improprie dici nequeunt: veri enim nominis Sacramentum est, *res sensibus subjecta, ex divina institutione, sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habens*: ex divina, inquam, institutione immediata. Nam Sacramenta immediate instituere solus ille potest, qui solus potest elementis sensibilibus gratiæ conferendæ virtutem communicare; atqui quatuor minores ordines divisim ac formaliter sumpti, non sunt a Deo immediate, sed ab Ecclesia progressu temporis instituti. Ea ergo ratione Sacramenta dici non possunt, & quidquid gratiæ suscipientibus conferunt, non ex opere operato, sed ex opere operantis consequuntur: quod si cui scholarum præjudiciis occupato displiceat; sentiat, per nos licet, contrarium: caveat tamen, ne Christo injuriam irroget, ritus, non ab illo, sed ab Ecclesia institutos, pro veris Sacramentis habendo.

Vide quæ ad hujus assertionis probationem dicta sunt, hujus libri parte prima, q. 2, c. 3.

V

Ostiariatus quid sit, & quæ ejus officia.

Minorum ordinum primus est ostiariatus, per quem potestas confertur, Ecclesiæ fores dignis aperiendi, & indignis occludendi: remota ejus materia sunt, claves Ecclesiæ: proxima, earumdem traditio ab Episcopo facta: forma, ordinantis Episcopi verba: *sic age, quasi redditurus Deo rationem, pro his rebus quæ his clavibus includuntur*. Ita Concilio Carthag. IV, can. 9, & Pontificali Romano præscriptum.

Præcipua ostiariorum officia sunt,

1. Templi claves & januam custodire, arcere ab ejus aditu infideles, hæreticos, excommunicatos, interdictos, fideles & dignos admittere.

2. Ostiarios oportet pulsare campanam: quamobrem eos statim post ordinationem Archidiaconus ad ostium Ecclesiæ ducit, aperire jubet & claudere, funemque campanæ tradit: quæ potestatis acceptæ executio, & veluti in ejus possessionem missio est.

3. Dum sacrum perageretur, olim juxta altare ostiarius assistebat, curaturus ne quis laicus propius quam par esset, sanctuario propinquaret, & sacerdoti divinis mysteriis operam danti importune obstreperet.

4. Ad illum pertinet fideles in Ecclesia congregatos in officio continere, ut reverenter, modeste, situ, habituque decenti in loco sancto consistant.

5. Episcopo verbum Dei annuncianti, librum sacrum quondam ostiarius aperiebat.

6. Ostiariorum curæ altaria, vasa sacra, ornamenta, totaque ministrorum sacra supellex committebantur, ut nimium nihil indecens aut immundum in divinis functionibus compareret.

7. Invigilare debent ostiarii, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem claudunt & aperiunt; sic invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium dictis & exemplis suis claudant diabolo, reserent Deo; ut divina verba quæ audierint, corde retineant, & opere compleant, qua de re eos admonet Episcopus ex Romani Pontificalis præscripto; ut zelo domus Dei ardeant, vereque cum Propheta dicere possint: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

VI

Lectoratus, & ejus officia.

Sequitur gradus Lectoris, ordinatio scilicet, per quam traditur potestas, veteris & novi Testamenti libros clara & distincta voce legendi: ejus materia apud Græcos, impositio manuum; forma, oratio quam fundit Episcopus manus imponendo; apud Latinos materia remota, sacrorum librorum codex; proxima, ejusdem traditio ab Episcopo ad manum dexteram ordinandi facta: forma, verba ab Episcopo codicem dante prolata: *accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

Quando olim clerici in lectoratu notabili temporis spatio consistebant, diversa eorum officia erant.

1. Episcopo concionaturo præibant, & partem Evangelii, sive alterius cujusvis libri sacri, quam explicandam assumpserat, populo prælegebant.

2. Eorum intererat Catechumenos ac Neophytos elementis fidei informare, Dei & Ecclesiæ præceptis imbuere, modum orandi docere, iisdem orationem Dominicam, & Apostoli-

stolicum symbolum, quomodo a Catechistis fit, explicare.

3. Panem & fructus novos benedicebant: cujus officii meminit Pontificale Romanum, quamquam a solis Presbyteris modo peragatur.

VII

Exorcistatus & ejus officia.

Tertius gradus est exorcistarum, ordo scilicet per quem invocato Dei vivi & veri nomine, dæmones ex energumenorum corporibus ejiciendi facultas confertur: ejus materia est, traditio libri exorcismorum, ut Concilio *Carthag. IV*, Can. 7, *ordine Romano*, & aliis Ritualibus libris præscribitur: qui liber si defuerit, loco ejus missarum codicis porrectionem Romanum Pontificale permittit: forma, verba sunt ibidem notata: *accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos*. Unde intelligere est, exorcismos huic ordini assignatos, eos esse qui in energumenos fiunt, non qui ad baptismi cæremonias pertinent: ii enim ad sacerdotes solos, aut diaconos baptismi ministros, ex veteri instituto spectant. *Episcopus exorcistas initiaturus Deum rogat, ut famulos suos in officium exorcistarum benedicere dignetur: ut per impositionem manuum & oris officium, potestatem & imperium habeant, spiritus immundos coercendi; ut probabiles sint medici Ecclesiæ, gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati*.

Exorcistarum officia sunt,

1. Exorcismos agere, & dæmones a corporibus baptizatorum ac Catechumenorum abigere.

2. Salem & aquam, & cætera præparare necessaria ad aquæ lustralis consecrationem, qua Ecclesia ad pellendos dæmones uti solet.

3. Episcopo vel sacerdoti exorcismos agenti assistere.

4. In aquæ benedictæ aspersione sacerdotem comitari, eidemque vas aqua sancta plenum præferre.

Quales porro debeant esse exorcistæ, & quibus moribus informati, declarant verba quibus eos Episcopus ex Romani Pontificalis præscripto hortatur: *studete*, inquit, *ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus vestris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis, ne illis succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis: discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare: tunc enim recte, in aliis, dæmonibus imperabitis, cum primum in vobis multimodam eorum nequitiam superabitis.*

Quod spectat ritus in exorcismis observandos, consulendi libri Rituales, & Concilia Mediolanensia 1, & 4 sub Sancto Carolo celebrata.

VIII

Acolythatus & ejus officia.

Quartus denique gradus est acolythorum, ordo nimirum per quem traditur potestas deferendi accensos cereos in Missæ sacrificio, præsertim vero cum sacrum Evangelium legitur; & præterea parandi in urceolis vinum & aquam, ad incruentum sacrificium necessaria. Quapropter hujus ordinis materia duplex: candelabri cum cereo, & urceolo vacui porrectio: sic enim Concilium *Cartag. IV*, veteres officiorum Ecclesiasticorum Scriptores, librique omnes Rituales, tum antiqui tum recentiores præscribunt: forma utrique materiæ accommodata, ex edicto Romani Pontificalis, hoc ipso tempore ab Episcopo pronuntiatur, quo sigillatim tradunt ordinandi instrumenta sui ordinis propria: tangentibus quidem candelabrum manu dextera: *accipite*, inquit, *ceroferarium cum cereo, & sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini: amen*. Tangentibus similiter urceolum vacuum: *accipite*, inquit, *urceolum, ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini: amen*.

Acolythos ordinaturus antistes Deum orat, ut eos benedicere dignetur; *quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant; ut quo eorum mentes & lumine scientiæ illustret, & pietatis rore irriget*: eos insuper ante ordinationem monet, *ut lucem Dei manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviant, & hoc aliis exempla perfidiæ præbeant, sed impleant quod veritas jubet: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*: & quod Apostolus Paulus ait: *in medio nationis pravæ & perversæ lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes: ut sint filii lucis, ut abjiciant opera tenebrarum, & arma lucis induantur, ut fructus lucis afferant in omni bonitate, & justitia, & veritate: ut se ipsos, & alios, & Dei Ecclesiam illuminent: tunc enim in Dei sacrificium suggesturos vinum & aquam, si ipsi Deo sacrificium, per castam vitam, & bona opera oblati fuerint*.

Acolythorum officia sunt,

1. Cereos accendere, eosque solemniter in-

ter missarum solemnia, & in Religiosis processionibus deferre.

2. Vinum & aquam ad incruentum sacrificium præparare.

3. Deferre thuribulum, & thura certis occasionibus adolere.

4. Subdiacono, Diacono, & Presbytero in sacris fuoctionibus ministrare.

5. Acolythis quondam dum ordioabantur, sacculus ab Episcopo porrigebatur, quem in Missa Pontificia gestare solebant, ad excipiendas oblationes consecratas, tum quæ ad fidelium communiooem, ipso sacrificii tempore frangebantur, tum quæ sub mystico *Fermenti* nomine, ad *Titulos* sive Parochias urbis Romæ, in signum caritatis, unitatis, & concordiæ diebus Dominicis distribuebaotur: habemus hujus consuetudinis gravissimum testem *Innocentium I* Pontificem Max. Ep. 29 ad *Decentium* sic loquentem: *de fermento quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti; cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum Presbyteri quia die ipsa, propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos.*

De horum acolythorum numero erat *Tharsitius* Martyr, de quo Scriptores Ecclesiastici (*Beda*, *Ado*, & *Usuardus* ad 18 *Kal. Septembr.*) io Martyrologio sic loquuntur: *Romæ via Appia, in cœmeterio Callixti, Natale S. Tharsitii Acolythi & Martyris, quem Sacramenta Corporis Domini deferentem Pagani cum reperissent, cœperunt disquirere quid gereret. Is indignum ratus margaritas porcis prodere, ab eis tamdiu fustibus & lapidibus mactatus est, donec spiritum exhalavit: evoluto eius corpore, sacrilegi, nihil Sacramentorum Domini in eius manibus aut vestibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore.*

I X

Acolythi nomen quid significet?

Superest ut nomen ipsum explicemus, ordini de quo agimus attributum: quos *Acolythos* communiter appellamus, alii malunt *Acoluthos* dicere. Græcum utrumque vocabulum est: utrumque rei significandæ bene convenit, *ἀκώλυθος* namque Græce idem est, quod Latine *non prohibitus*: id est, ab altaris ministerio non semotus. Nam olim inferioribus clericis ad sanctuarium propius accedere, & sacrificanti ministrare noo permittebatur; solisque *Acolythis* hoc concessum erat, qui propter sui ordinis necessarias functiones arceri a sacra mensa non poterant: *ἀκόλουθος* vero idem est ac Latine assecla, sive comes, ac famulus: quod sane nomen in hunc de quo agimus ordinem optime quadrat. Acolythi enim ideo dicti, quia ministros majores Subdiaconos & Diaconos in sacro ministerio comitantur, eorum lateri indivulse hærent, iisque operam dare tenentur, ampullas cum vino & aqua ad sacrificium admovendo, Thuribulum, & accensos cereos defereodo, & cætera denique officia exequendo.

X

Minorum ordinum conferendorum minister, locus, & tempus.

De ministro tum ordinario, tum extraordinario minorum ordinum dictum est 1 parte hujus libri, quæst. 4, c. 1, & 2.

Locus pariter in quo cooferri debent aut possunt, ex Romano Pontificali est designatus, sectiooe præcedente, n. 11.

Quod ad tempus spectat, dicimus singulis diebus Dominicis & festis duplicibus, tempore matutino conferri posse, si ordinatio generalis non sit: si vero sit generalis, extra jejunia quatuor temporum non debere, ex lege communi administrari: nititur hæc responsio Romani Pontificalis auctoritate, & Alexandri III decretali, (*extra: de temporibus ordinat. c. de eo*) cujus hæc sunt verba: *de eo autem quod quæsivisti, an liceat extra jejunia quatuor temporum aliquos in ostiarios, lectores, exorcistas, vel acolythos, aut etiam subdiaconos promovere; taliter respondemus, quod licitum est Episcopis, Dominicis & aliis festivis diebus, unum aut duos ad minores ordines promovere.* Ita Pontifex Maximus: an autem plures quam duo possint ordinari die Dominico aut festivo, dubium est. *Glossa* plurium promotionem non prohiberi insinuat; modo non sit ordinatio generalis: eadem Sancti Antonini, Innocentii IV, Sylvestri, & aliorum sententia est: in contrarium alii textui scrupulose hærentes, affirmant non licere pluribus quam duobus minores ordines iis diebus conferre; aut certe tutius esse hunc numerum non excedere, quia *Alexandri* verba, non ultra duos potestatem illam extendunt, & *quia in dubio*, inquit Ulpianus, *melius est verbis edicti servire*: ita sentiunt *Angelus de Clavasio*, *Hostiensis*, aliique non pauci.

Digitized by Google

X I

Utrum & quanti temporis interstitia inter minores ordines observanda?

Lex antiqua Ecclesiæ est, non debere quemquam una die ad diversos ordines promoveri, sed in unoquoque certis ac definitis temporibus immorandum, nec ad majores ante progressum debere permitti, quam in minoribus fuerit unusquisque notabili intervallo exercitatus. Ita sancitum in Concilio Sardicensi (*anno* 347) Can. 10, ubi præscriptum legimus, *sic decurrendos esse singulos gradus, ut uniuscujusque ministerium ordine peragatur, & in unoquoque clerici probentur, antequam ad superiores promoveantur.*

Idem constitutum a Summ. Pontificibus, *Siricio* Ep. 1, *Zozimo* Ep. 4, *Gelasio* Ep. 9, *Innocentio I* Ep. 4, c. 5, sic loquente: *tempora a majoribus constituta serventur; nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat: quia in minoribus officiis si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur.*

Accedit veterum Conciliorum auctoritas, *Toletani* IV can. 19, VIII Generalis can. 5, Aurelianensis III can. 6, Arelatensis IV can. 1, & aliorum longe plurium. Tantus vero fuit in hac parte antiquæ disciplinæ rigor, ut qui aliter forent ordinati, tum graviter a patribus redarguerentur, tum e gradibus per fraudem susceptis dejiciendi decernerentur, prout ab *Adriano I* in Ep. ad Græcorum imperatores, a *Nicolao I* Ep. 1, & a Sanctis Antistitibus sæpe legimus constitutum.

Causa vero interstitia præscribendi multiplex, valdeque necessaria fuit.

1. Idea ipsa ac notio ordinis suggerit, quæ stabilitatem quamdam importat: est enim ordo status peculiaris hominum, qui benedictione propria consecrati, sacerdotio, aut ministerio aliquo sacro ad sacrificium quomodolibet pertinente funguntur: unde generatim definitur: *Sacramentum, quo potestas spiritualis traditur ordinato, sive ad Sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, sive ad alias functiones, & ministeria Ecclesiastica obeunda:* indeque Ecclesiastica Hierarchia exurgit, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris: ministris, inquam, qui gradu dispari, altari & Ecclesiæ serviant: quomodo porro ordini sua hæc constaret stabilitas, si nullo intervallo temporum observato, non gradu, sed præcipiti cursu, una eademque die unusquisque ostiarius, lector, exorcista, acolythus, subdiaconus fieret? quomodo a diversis ministris diversa officia implerentur, si par omnium & æqualis in sacro ministerio exequendo potestas esset? igitur merito constitutum ut in quolibet ordine competens statio fieret, adeoque interstitia

2. Interstitia instituta sunt, ad probationem ordinandorum, ut in inferioribus gradibus, tamquam in novitiatu ac tyrocinio sacerdotii, qualis unusquisque in ordine superiori futurus sit, conjectura probabili prænoscatur: *longa enim*, inquit Homisdas Pontifex Max. (*Ep.* 4) *debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ:* & S. Gregorius M. *cum scriptum sit*, ait, (*Ep. libr.* 7, *Ep.* 110) *ut prius quis probetur, & sic ministret; multo ante probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ populi, sacerdotes mali.* Consentit *Joannes VIII*, neminem ad sacerdotium promoveri debere decernens, (*Ep.* 117) *nisi qui in minoribus officiis sic diu perdurent, ut vota eorum pariter & obsequium comprobentur, ut per tempora a majoribus instituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum sacerdotium postmodum veniant.*

3. Ideo instituta sunt, ut clerici quæ sui officii sunt, mature discerent, antequam alios edocendi curam susciperent: non enim sola fidei & dogmatum doctrina sunt imbuendi, qui ad sacerdotium destinantur; sed insuper praxim sacri ministerii & Ecclesiæ disciplinam callere debent: quæ scientia diuturnum ac frequentem usum requirit. *Necesse est*, inquit S. Gregorius M. (*Ep.* 110, *lib.* 7) *ut quamvis inculpati quisque sit meriti, ante tamen per distinctos ordines Ecclesiasticis exerceatur officiis, videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat; ut postea non debeat errare, qui eligitur viam erranti demonstrare: diu ergo religiosa meditatione poliatur, ut placeat, & sic lucerna posita super candelabrum luceat, ut adversa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam, non extinguat, sed augeat.*

Jam vero quod ad interstitia minorum ordinum attinet, quamquam ex antiqua & nova disciplina sit certum, debere ab non suscepto ad alterum, aliquod intervallum temporis intercedere; nullibi tamen regula universali legimus constitutum, quanto dierum spatio in unoquoque morandum foret. Unde merito colligitur, Episcoporum prudentiæ, & propriis uniuscujusque Ecclesiæ constitutionibus id esse relictum: tantum ex decretis Concilii Trid. eruitur, mentem ejus ac votum fuisse, ut in minoribus ordinibus conferendis, quatuor anni temporum intervalla observentur; ita ut tertio quoque mense ab ostiariatu ad acolythatum

Digitized by Google

conscensus fieret: atque ita a primo ad ultimum unius saltem anni spatium impleretur. *Minores ordines*, inquit, (*sess.* 23, *de ref. c.* 11) *iis*, *qui saltem Latinam linguam intelligant*, *per temporum interstitia*, *nisi aliud Episcopo expedire magis videatur*, *conferantur*; *ut eo accuratius*, *quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri*, *ac in unoquoque munere*, *juxta præscriptum Episcopi se exerceant*, *idque in ea cui adscripti erunt Ecclesia*, (*nisi forte ex causa studiorum absint*) *atque ita de gradu in gradum adscendant*, *ut in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat*: *quod & bonorum morum exemplum*, *& assiduum in Ecclesia ministerium atque major erga Presbyteros & superiores ordines reverentia*, *& crebrior quam antea Corporis Christi communio maxime comprobabunt*: *cumque hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus*, *nemo iis initietur*, *quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat*: *hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum*, *ad sacros ordines promoveantur*: *nisi necessitas*, *aut Ecclesiæ utilitas*, *judicio Episcopi aliud exposcat*.

XII

***Interstitia ab Episcopis*, *aut eorum vices gerentibus*, *justis de causis remitti possunt*.**

In iis enim quæ ad disciplinam pertinent, ut generalis mutatio, sic peculiaris dispensatio pro temporum exigentia esse potest; atqui interstitia in collatione minorum ordinum observanda, non secus ac ordines ipsi, per disciplinam Ecclesiæ constituta sunt. Ergo interstitia rationabili causa exigente remitti possunt: ita sane fieri posse pro certo ac rato habuit *S. Carolus*, in Concilio Mediolan. IV sic statuens: (*Tit. de his quæ pertinent ad Sacramentum ordinis*) *stata illa temporum intervalla*, *ordinibus tum minoribus*, *tum majoribus suscipiendis*, *Concilii Trid. decreto præscripta*, *ne facile ac passim sine ullo delectu prætermittantur*, *omittanturve*: *quod si de iis aliquid ab Episcopo remitti*, *dispensarive contigerit*, *in litteris dimissoriis*, *testimonialibusque ordinum*, *adscripta etiam dispensationis causa*, *testatum plane fiat*.

Hujus autem concessionis causa rationabilis est, 1 Ecclesiæ cujusdam particularis necessitas, si desint ministri: 2 utilitas, si in magno numero ministrorum pauci reperiantur idonei; tunc enim in gratiam bonorum relaxatio disciplinæ, & splendorem conciliabit Ecclesiæ, & Christianam æmulationem poterit excitare: 3 ordinandorum ætas provectior, qui boni futuri judicantur ministri, numquam sat cito ad gradus altiores vocari possunt: 4 studii in aliqua universitate peragendi circumstantia, ne nimirum proventui clericorum obex ponatur: 5 ad curam animarum, aut Ecclesiasticam dignitatem, cui ordo superior necessario sit annexus, provectio. Hujusmodi enim ab onere interstitiorum liberandos, ne plebs Christiana Pastore diu viduata languescat, neve Ecclesia ministerio careat justitia, & æquitas postulant.

Indeque est quod Concilium Trid. antiqua Sum. Pontificum & Conciliorum decreta renovans statuit, (*sess.* 22, *de ref. cap.* 4) *ut ii qui dignitates*, *personatus*, *officia*, *præbendas*, *portiones*, *ac quælibet alia beneficia obtinent*, *aut in posterum obtinebunt*, *quibus onera varia sunt annexa*, *videlicet*, *ut alii Missas*, *alii Evangelium*, *alii Epistolas dicant seu cantent*; *quocumque privilegio*, *exemptione*, *prærogativa*, *generis nobilitate sint insigniti*, *teneantur*, *justo impedimento cessante*, *infra annum ordines suscipere requisitos*: *alioquin pœnas incurrant*, *juxta constitutionem Concilii Viennensis*, *quæ incipit*: ut ii qui: *quam præsenti decreto innovat*: *coganturque Episcopi eos diebus statutis*, *dictos ordines per se ipsos exercere*, *ac cætera omnia officia*, *quæ debent in cultu divino præstare*, *sub eisdem*, *& aliis etiam gravioribus pœnis*, *arbitrio eorum imponendis*: *nec aliis in posterum fiat provisio*, *nisi iis qui jam ætatem*, *& cæteras habilitates integre habere dignoscantur*: *aliter irrita sit provisio*.

Et alibi: (*sess.* 24, *de ref. cap.* 12) *neminem*, inquit, *deinceps ad dignitatem*, *canonicatum*, *aut portionem recipiant* (*Episcopi*) *nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus*, *quem illa dignitas*, *præbenda*, *aut portio requirit*; *aut in tali ætate*, *ut infra tempus a jure*, *& ab hac S. Synodo statutum*, *initiari valeat*.

XIII

***Quatuor minorum ordinum exercitium*, *usumque restitui*, *Ecclesia in votis maxime habet*.**

Ut quid, *inquiet aliquis*, minorum ordinum excellentia tanta emphasi prædicatur, eorumque officia tanta diligentia expenduntur, & interponenda singulis interstitia præscribuntur; cum eorum jam nullus pene usus, nulla exercitatio sit? ecquæ enim modo reperietur Ecclesia, ubi ostiariorum, lectorum, exorcistarum, acolythorum officia, a ministris inferioribus, in hunc finem, ex præscripto veteri, specialiter ordinatis adimpleantur? cum e contrario

trario ea quotidie videamus a laicis, conductitiisque personis, non sine sacrorum mysteriorum dispendio & irreverentia exerceri: quæ cum ita sint, vel deberent ordines penitus aboleri, quorum solum, sine officio, nomen retentum est; vel nulla saltem causa est, cur præscripta antiquis canonibus in iis suscipiendis temporum intervalla serventur, sed multo magis haberi debent pro gradibus, quos cum recipere & negligere idem sit, liberum unicuique est uno die recipere.

R. Equidem, ut fert argumentum, minorum ordinum exercitium, jam inde a pluribus annis, magno sacri ministerii detrimento esse neglectum, indeque hæreticis, implacabilibus Ecclesiæ inimicis, cachinnandi occasionem oblatam; sed nego in Ecclesiam accusationem illam jure refundi: nihil enim magis in votis habet, quam ut ordines ad officii divini splendorem laudabiliter instituti juxta priscam disciplinam exerceantur: & vero piissima mater, id omne vehementer exoptat, quod optimum de se est; atqui hujusmodi foret antiquæ disciplinæ circa minorum ordinum observantiam restitutio, quæ si fieret, tum Deus majori splendore ac reverentia coleretur; tum in populos exemplum, & ædificatio efficacior redundaret; tum in unoquoque gradu clerici, status proprii spiritum plenius, exercitatione assidua compararent; tum denique Episcoporum certius in eligendis ministris superioribus judicium esset; quin ergo hoc Ecclesia enixe desideret, nemini dubium esse debet: quod ne falsis conjecturis innixum putetur, referam Trid. Concilii de hac restitutione decretum. „ Ut Sanctorum ordinum, *inquit*, (*sess.* 23, „ *de ref. cap.* 17) a diaconatu ad ostiariatum „ functiones, ab Apostolorum temporibus in Ec„ clesia laudabiliter receptæ, & pluribus in lo„ cis aliquamdiu intermissæ, in usum juxta „ sacros canones revocentur; nec ab hæreti„ cis tamquam otiosæ traducantur: illius pri„ stini moris restituendi desiderio flagrans S. „ Synodus decernit, ut in posterum hujusce„ modi ministeria non nisi per constitutos in „ dictis ordinibus exerceantur; omnesque & „ singulos prælatos Ecclesiarum in Domino „ hortatur, & illis præcipit, ut quantum fieri „ commode poterit, in Ecclesiis cathedrali„ bus, collegiatis, & parochialibus suæ diœ„ cesis, si populus frequens, & Ecclesiæ pro„ ventus id ferre queant, hujusmodi functio„ nes curent restituendas, & ex aliqua parte „ redditum, aliquorum simplicium beneficio„ rum, vel fabricæ Ecclesiæ, si proventus „ suppetant, aut utriusque illorum, eas fun„ ctiones exercentibus stipendia assignent: qui„ bus, si negligentes fuerint, ordinarii judi„ cio, aut ex parte mulctari, aut in totum „ privari possint: quod si ministeriis quatuor „ minorum ordinum exercendis clerici cœli„ bes præsto non erunt, suffici possint etiam „ conjugati vitæ probatæ, dummodo non bi„ gami, ad ea munia obeunda idonei, & qui „ Tonsuram & habitum clericalem in Eccle„ sia gestent „.

Ita Trid. patres, ad quorum mentem S. Carolus, Magnus ille antiquæ disciplinæ zelator ac restitutor, in quarto Provinciali Concilio sic decrevit: *ut minorum ordinum functiones ad usum revocentur, & per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt; ad Tridentinæ constitutionis præscriptum hæc decernimus: ubi fabricæ Ecclesiæ, capitula, monasteria, universitates, confratriæ, collegiave item cujusvis generis, ac alii præterea quivis homines, laicum, custodis, aut monachi, vel alio nomine, certis etiam huic muneri attributis bonis, fructibus, redditibus, aut alio quovis modo nomineve, etiam pro libito suo constituta mercede, habere adhibereve solent, qui Ecclesiam custodiat, claudat, aperiat, campanas pulset, aliasve hujusmodi Ecclesiasticas functiones obeat, aut alius census est quavis ratione huic sustentationi attributus: ejus Laici hominis loco clericus deligatur qui pro ratione ordinum minorum quos susceperit, earum functionum munus præstet; atque is constitutam illi mercedem, aut attributos fructus reddituSve capiat; qui si satis non sint, illa vel capitula, vel monasteria, vel collegia, vel alii ut supra, ad quos ullo modo pertinet, quod deest suppleant.*

Itaque functiones ad unumquemque ordinem pertinentes, a clericis in hunc finem promotis esse exercendas, Ecclesiastica constitutio est.

SECTIO TERTIA.

De subdiaconatu.

Subdiaconus, Græce ὑποδιάκονος, ut ipsum indicat nomen, idem est ac subminister, seu minister secundarius sub altero constitutus: hinc subdiaconatus intelligitur, *ordo*, *per quem datur potestas, ut quis diacono ad altare solemniter ministranti, proxime inserviat.*

I

Quæ apud Græcos Materia subdiaconatus, & forma?

Ejus materiam apud Græcos solam esse manuum impositionem, formam vero, orationem ad-

adjunctam Euchologiis declaratur, ordinationis ritum sic praescribentibus:

Pontifici in speciosa porta sedenti, ante missae principium Ordinandus in subdiaconum offertur, moxque ter caput ejus cruce signans, manumque imponens hanc orationem dicit „ Domine Deus noster, qui per unum & eumdem Sp. Sanctum, singulis eorum quos elegisti gratias distribuis, qui diversos ordines Ecclesiae tuae largitus es, & in ea ministerii gradus differentes, ad Sanctis & illibatis mysteriis tuis famulandum constituisti: qui praesentia tua ineffabili hunc quoque servum tuum, dignum qui S. Ecclesiae tuae ministret, esse definivisti: ipse Domine, inculpatum illum in omnibus conserva, & domus tuae decorem diligere, sancti templi tui foribus astare, & tabernaculi gloriae tuae lucernam accendere concede, & velut olivam fructiferam justitiae fruges referentem, in Ecclesia tua sancta illum insere: perfectumque servum tuum in adventus tui tempore, eorum qui tibi placuerint, mercede perfruiturum renuncia: quia tuum est regnum, & virtus & gloria, Patris, & Filii, & Sancti Sp. nunc & semper, & in saecula saeculorum. “

Et dicto: Amen: accipiens Pontifex Mantile, (manipulum) *imponit sinistro humero ejus qui ordinatur: similiter praebet illi vas ad infundendum aquam pro lotione manuum; ille vero vas accipiens, deosculatur manum ipsius, & aquam infundit ad manus Pontificis qui eas lavat: tandem accepta benedictione discedit, statque prae foribus sanctuarii . . . . sic fit ordinatio subdiaconi: & si multi sunt qui ordinantur, oratio ad multos accommodatur.*

Itaque subdiaconorum apud Graecos ordinatio, manuum impositione & oratione ipsam comitante, tamquam materia & forma perficitur: mantile enim & vas, quod porrigere deinceps subdiaconus debet, lavandis Pontificis vel Sacerdotis manibus, quia completa ordinatione, ei a Pontifice exhibentur, materiae loco esse non possunt.

II

Quae subdiaconatus materia & forma apud Latinos?

In hoc conferendo ordine, Latini a Graecis plurimum discrepant: quod, praeter caetera, argumentum convinceus est, divinam immediate institutionem non habere, nec Sacramentum formaliter dici posse, si divisim a diaconatu spectetur: quod enim veri est nominis Sacramentum, eamdem ubique materiam & formam importat: porro subdiaconus in Latina Ecclesia, ut Concilio IV Carthag. can. 5 est declaratum, *manus impositionem non accipit:* ejus itaque materia est, instrumentorum sibi propriorum porrectio, patenae scilicet vacuae & Calicis vacui, ab Episcopo ordinante factae; item, Urceolorum, cum vino & aqua, & linteolo quo manus absterguntur, ab Archidiacono recepti: forma vero respondens materiae, verba quae profert Episcopus ex Romani Pontificalis praescripto, dum ordinandi patenam & Calicem successive tangunt: quod ut planius intelligatur, exhibeo verba ex Sacramentario S. Gregorii M. desumpta.

Ordinatio subdiaconi.

„ Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum: de manu Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, mantile, ac manutergium. Exhibeatur in conspectu Episcopi patena & Calix vacuus, & dicat Episcopus: “ *Vide cujus ministerium tibi traditur: & ideo si usque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodo debes esse assiduus; si usque nunc somnolentus, amodo vigil; si usque nunc ebriosus, amodo sobrius; si usque nunc inhonestus, amodo castus . . . ideo te admoneo: tu talem te exhibe, ut Deo placere possis.*

Oratio.

Oremus Deum ac Dominum nostrum, ut super illos servos suos, quos ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem & gratiam suam &c.

Benedictio subdiaconi.

„ Domine sancte, pater omnipotens, aeterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos, quos ad subdiaconatus officium eligere dignatus es, uti eos sacrario tuo sancto strenuos sollicitosque coelesti militiae instituas, & sanctis altaribus fideliter subministrent, & requiescat super eos spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiae & pietatis: repleas eos spiritu timoris tui, & eos ministerio divino confirmes, ut obedientes facto, atque dicto parentes, tuam gratiam consequantur, per Dominum nostrum Jesum Christum &c. “

III

III

Traditio Libri Epistolarum in ordinatione subdiaconi, non de antiquo more suscepta.

Hujus enim nec mentionem ingerunt Græcorum Euchologia, sive antiqua, sive recentiora; nec veteres Latinorum libri rituales, ante quadringentos ab hinc annos descripti: indeque facile scholasticorum opinio refutatur, obtendentium materiam subdiaconatus in codicis Epistolarum porrectione esse ponendam. Enim vero, *inquiunt*, materia subdiaconatus in eo consistit, quod a consecratore Episcopo traditur ordinandis, cuique propria quædam forma adhæret: atqui Episcopus ordinans tradit ordinandis librum Epistolarum: huicque traditioni propria forma conjuncta est, his verbis concepta: *accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas, in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen:* Ergo &c.

℟. Nego ant. hæc enim non est subdiaconatus propria materia, quæ perpetuitatem non habet, sed non ita pridem ritui primitivo accrevit: atqui traditio libri Epistolarum non fuit in Latina Ecclesia perpetuo observata: ejus enim nec Concilium *Carthag.* IV, nec antiqui libri rituales, nec S. *Isidorus* Hispalensis, in libris de officiis Ecclesiasticis, nec *Rabanus Maurus* in lib. de institutione clericorum, nec denique priscæ ætatis probati scriptores alicubi meminerunt, licet omnes accurate ordinationes, & ritus in iis observandos diligentissime explicuerit.

Deinde, cæremoniam hanc a quadringentis circiter annis, ritui primitivo, lege solemni adjunctam probat, veterum Sacramentariorum, *Ivonis* Carnotensis, *Hugonis* a S. Victore, *Magistri sentent.* ipsiusque *S. Thomæ* silentium.

Præterea, hoc ipsum evincitur ex *Amalario Fortunato*, ita loquente: (*lib.* 1 *de divinis offi. cap.* 11) " miror qua de re sumptus „ usus in Ecclesia nostra, ut subdiaconus frequentissime legat lectionem ad missam; cum „ hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato „ in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo ... " Ita sæculo 9 *Amalarius*.

At Vero Author operis de Ecclesiasticis observationibus, cui *Micrologi* nomen inditum, *solis subdiaconis*, inquit, (*cap.* 8) *inter inferiores gradus, Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti Epistolam legant ad missam; quod tamen non ex sua consecratione, sed potius ex Ecclesiastica consensione meruerunt obtinere.*

Ad Argumentum subjectum distinguendo maj. illud est materia subdiaconatus, quod ab Episcopo traditur ordinandis, & propriam formam hærentem habet; *materia*, inquam, *integralis, ad ornatum ordinis adjuncta*, conc. *materia stricte dicta*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

Hoc unum probat argumentum quod ultro fatemur, ritui nimirum antiquo, ad majorem ornatum, adjunctam nova disciplina libri Epistolarum cum forma convenienti porrectionem, non vero esse hujus ordinis propriam & stricte dictam materiam: quamquam, ut verum fatear, totum argumentum concedi potest: subdiaconatus enim, ut sæpius diximus, divinam, formaliter & divisim institutionem non habet, nec aliter quam in sua origine pro vero Sacramento haberi potest: quemadmodum itaque ab Ecclesia institui potuit, sic & potuit eadem auctoritate materia ejus pro temporum diversitate varia, modoque simplicior, modo compositior esse: indeque contigit, ut Græci sola manuum impositione contenti fuerint, Latini vero, manuum impositione relicta, instrumentorum porrectionem materiam ejus esse maluerint: nihil ergo mirum, si postquam subdiaconis munus Epistolam legendi commissum est, ipsa libri Epistolarum porrectio, hujus ordinis materia, saltem partialis putata est.

IV

Quæ vestes sacræ subdiaconorum propriæ?

Qui ad subdiaconatum promoventur, amictum, dein manipulum, postremo tunicam accipiunt ab Episcopo dicente: *accipe amictum &c.* prout in pontificali præscribuntur: contendunt aliqui sacrum hunc ornatum in ordinatione subdiaconorum tenere locum materiæ: perperam illud quidem: in hoc enim ritu subdiaconatus materia non consistit, sine quo olim conferebatur: atqui nulla olim subdiaconorum erat propria vestis sacra: testatur namque *S. Gregorius* M. (*in Ep. ad Joannem Episc. Syracus.*) primis temporibus subdiaconos in Romana Ecclesia *spoliatos*, idest sine sacra veste processisse, donec cuidam Romano Pontifici placuit, ut *vestiti* procederent, eumque deinceps morem in Græciam introductum. *Unde habent Græci*, inquit, *ut subdiaconi in tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt?*

Vide Goarium in rituali Græcorum, editionis Paris. pag. 247, col. 1.

De amictu & tunica nihil in præsenti disceptiendum occurrit.

Quod

Quod ad manipulum ſpectat ſciendum, origine ſua partem indumenti ſacri non fuiſſe, ſed Sudarium, ſive mappulam, brachio ſiniſtro alligatam, qua faciei ſudor, & narium pituita abſtergebatur. *Mappula*, inquit Alcuinus, (*de divinis offic.*) *quæ in ſiniſtra parte geſtatur, qua pituitam oculorum & narium detergimus, præſentem vitam deſignat, in qua ſuperfluos humores patimur*: eadem *Amalarii* l. 2, c. 24, doctrina eſt: Scribit *Rabanus Maurus* l. 1, c. 18, mappulam illam vulgo *Phanonem* vocari, olimque tergendis manibus inſerviſſe. Author *Gemmæ Animæ*, l. 1, c. 208, *ſacerdos*, inquit, *Phanonem in ſiniſtrum brachium ponit, qui & mappula & ſudarium vocatur, per quod olim ſudor, & narium ſordes extergebantur*: hujus mappulæ ſive manipuli uſum eumdem ſuo adhuc tempore viguiſſe innuit *Hugo a S. Victore* (*de ſacr. lib.* 2, *part.* 4, *c.* 12) ſæculi 12 ſcriptor.

Itaque olim manipulus ad ordinationem ſubdiaconi, tamquam proprius aliquis ejus ornatus non pertinebat: indeque factum, ut de eo in antiquis ritualibus ſileretur.

V

Subdiaconorum officia.

Præcipua ſubdiaconorum munia ſunt, apud Græcos:

1. Tempore tremendi ſacrificii portas ſanctuarii cuſtodire, ne quis prophanus introeat.

2. Edictum prolatum a diacono, de Catechumenis aliiſve immundis a templo arcendis, executioni mandare.

3. In menſa propoſitionis ad ſacrificii celebrationem vaſa ſacra diſponere, quæ poſtea a diacono ad altare deferuntur, quæque deinceps tangere, præſertim quando Corpus & Sanguinem Chriſti continent, ſubdiacono non licet: hinc in Concilio *Laodiceno* (*ſæc.* 4) can. 21 ſancitum, *quod non oportet ſubdiaconos locum habere in diaconis, & ſacra vaſa contingere.*

Apud Latinos vero ad ſubdiaconos ſpectat:

1. Ad miniſterium altaris, Calicem, patenam, aliaque præparare.

2. Ipſam ſacrificii aptare materiam, panem ſcilicet, vinum, & aquam.

3. Calicem & patenam in uſum ſacrificii diacono offerre.

4. Oblationes quæ ad altare a fidelibus deferuntur, recipere.

5. Epiſtolam inter miſſarum ſolemnia decantare.

6. Diacono in functionibus miniſterii ſubſervire.

7. Librum Evangelii dum a diacono legitur ante conſpectum ejus tenere; eumdemque deinceps Epiſcopo, aut Sacerdoti, & clero deoſculandum præbere.

8. In proceſſione crucem præferre: quæ non omnium eſt Eccleſiarum conſuetudo; in multis enim locis, hoc officium eſt acolythis attributum.

9. Purificatoria, corporaliaque, & ſacra alia linteamina prius levi manu abſtergere, quam laicis purganda tradantur.

VI

Subdiaconatus antiquitas.

Antiquiſſimam ſubdiaconatus inſtitutionem eſſe, ex Eccleſiaſticis monumentis notiſſimum eſt: tertio ſæculo, ſeptem Romæ diaconos totidemque fuiſſe ſubdiaconos, luculentum teſtimonium eſt in Ep. S. *Cornelii*, Pontificis Max. & martyris, ad *Fabium* Epiſcopum Antiochenum, quam refert *Euſebius* in hiſtoria Eccleſ. (*lib.* 6, *c.* 43). Eodem tempore *Optatum* quemdam ſubdiaconum a ſe ordinatum, ſcribit *S. Cyprianus* Ep. 24: ſubdiaconorum pariter meminerunt, Ep. ad *Antiochenos*, ſub S. Ignatii nomine, conſtitutiones Apoſtolicæ l. 8, Concilium *Laodicenum* can. 21, aliique numero longe majore ſcriptores.

VII

Majores & Sacri ordines a minoribus & non ſacris quì differant?

Quandoquidem in ordines Acolythatu majores diſputatio incidit; haud abs re erit exponere, quodnam majorum & ſacrorum, a minoribus & non ſacris diſcrimen ſit: quam quæſtionem ut explicem, primum omnium advertо, quemlibet Eccleſiaſticum gradum, abſolute in ſe ſpectatum & magnum, & ſacrum eſſe: *Magnum*, inquam, quia ſacris altaribus deſervire, & in divino Sacrificio miniſterium aliquod exercere, non poteſt parvum putari: *ſacrum* vero tum ratione officii, eo ipſo quod Deo impenditur, ſancti: tum ratione conſecrationis, quia quiſquis ad Eccleſiæ miniſterium antiquitus vocabatur, Deo in perpetuum & irrevocabiliter conſecratus manebat, etiam ſi in infimo gradu miniſterii collocatus foret; ita ut a ſtatu clericali ad ſæculum non poſſe ſine ſacrilegio regredi putaretur: quem in ſenſum in Concilio Chalcedonenſi, can. 7, (*an.* 451) clericis omnibus militiæ ſæcularis ſuſceptio, omniſque mundanæ dignitatis ambitus prohibetur; & hujus regulæ tranſgreſſores

Digitized by Google

res, nisi ad statum redeant, quem propter Deum primitus elegerunt, anathemate percelluntur.

Synodi Hispalensis II, S. *Isidoro* præside, Can. 2, (*an.* 619) par sanctio fuit in clericos Ecclesiarom pro quibus ordinati sunt desertores: *eo quod*, inquiunt patres, *sicut legibus principum cautum est ut agrorum coloni maneant in locis, ubi commorari cœperunt; ita canonibus sancitum sit, ut Clerici qui in Agro Ecclesiæ operantur, in iis locis permaneant, pro quibus sunt ordinati*.

Nec quemquam movere debet, qood eo canone, aliisque similibus, Clericis tantum prohibeatur ab una Ecclesia in alteram transmigratio: quibus enim vetitum erat, in diversis alternatim parochiis, priore deserta susceptum officium exercere, quanto magis interdictum putari debet, statum absolute deserere, & clericatui nuntio remisso, ad vitam sæcularem redire?

Et hoc quidem ad veterem disciplinam spectat, quam Græci hodieque retinent, distinctionem ordinum sacrorum non facientes, ab iis qui hoc nomine non censentur: postmodum vero sacros & majores ordines, a minoribos & non sacris distinguendi, Latinæ Ecclesiæ triplex potissimum, eaque admodum rationabilis causa fuit.

1. Majores & sacri ordines dicti sunt, eorum qui ad altare propius accedunt, & præcipuas divini ministerii functiones implent: quemadmodum enim in civili Republica, eo major est magistratus, quo majorem habet in legum latione, & populo regendo auctoritatem; ita in divina Republica majores ordines esse, quibus potestas major, & nobilior functio annexa est, facile intelligitur.

2. Eo nomine sunt donati ordines, qui divino cultui irrevocabiliter, & sine potestate resiliendi addicunt: quales sine controversia sunt, presbyteratus & diaconatus.

3. Hujus discriminis faciendi a cœlibatu occasio sumpta est, ad quem lege Ecclesiæ Latinæ sanctissima aliqui adiguntur; cum aliis & contrahere Matrimonium, & contracto uti liberum sit.

Jam patet, minores ordines a majoribus differre:

1. Quia minora officia implent: quis enim audeat functiones ostiariorum, lectorum, exorcistarum, acolythorum, presbyteri & Diaconi ministerio comparare?

2. Quia juxta disciplinam a sæculo decimo tertio in Latina Ecclesia receptam, acolythis & inferioribus clericis, gradum revocandi & ad sæculum redeundi, plena libertas concessa est.

3. Quia in iis ordinibus positi, inire Matrimonium & eo libere, consentiente Romana Ecclesia, uti possunt: quem in sensum a Trid. concilio superius laudato statutum, (*sess.* 23, *cap.* 17) *ut ubi ministeriis quatuor ordinum exercendis clerici cœlibes præsto non erunt, sufficii possint etiam coniugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei*.

VIII

Subdiaconatus in Latina Ecclesia nunc est ordo sacer, non semper fuit.

Ab initio & per aliquot deinceps sæcula subdiaconatus minoribus ordinibus annumerabatur, (quomodo etiamnum apud Græcos) nec ei annexa erat lex cœlibatus: magnum quippe subdiaconatum inter & diaconatum discrimen antiquitus ponebatur.

1. Tres tantum ordines, Episcopatus, presbyteratus, diaconatus, quasi nulli alii stricte loquendo, hoc nomine digni forent, vulgo censebantur.

2. Majores nostri diaconatum in tertio & infimo gradu Sacerdotii collocabant.

3. Diaconorum ordinationem a solis Episcopis fieri debere, exemplo ab ipsis Apostolis accepto decretum erat; cum interim promotio subdiaconorum simplicibus chorepiscopis permitteretur.

4. Intra Sanctuarium, Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus conferebantur: Subdiaconatus vero extra sanctuarium.

5. Diaconis, non subdiaconis, plebes regendæ committebantur.

6. Ex ordine presbyterorum ac diaconorum, non vero ex subdiaconatu assumi Episcopi poterant.

7. Episcopatus, presbyteratus, & diaconatus in Latina Ecclesia, semper usu Matrimonii interdicti sunt: non item subdiaconatus.

Quorsum vero tam latum, tamque multiplex diaconos inter ac subdiaconos discrimen intercessisset; si utrosque sacris & majoribus ordinibus, pari conditione annumerandos creditum foret?

Ætate progrediente lex cœlibatus ad ipsos subdiaconos pertigit: vix ulla elapso sexto sæculo subdiaconorum occurrit memoria, qui continentiæ voto adstricti non fuerint. Romæ jam ab iis tempore *Pelagii* II hac ætate desinente (*ad an.* 577, *ad an.* 590) Pontificis Max. servabatur: subdiaconis enim Siciliæ præcepit, ut more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ matrimonio nullatenus uterentur: prout testatur S. *Gregorius* M. proximus ejus in S. Sede Successor, Ep. 42, l. 1, & 34, l. 3.

A Romana ad alias occidentis Ecclesias propagata sanctior disciplina fuit, qua occasione factum putamus, ut subdiaconatus a minoribus ordinibus paulatim distingui cœperit, & inter majores ac sacros locari: cum enim prius extra altare & Sanctuarium conferretur, ut constat ex *Amalario*, l. 2 de div. officiis, c. 6, (quod etiamnum a Græcis & Orientalibus observatur) quorumdam postea Episcoporum consuetudo invaluit, subdiaconos intra missarum solemnia consecrandi; atque ita majoribus ordinibus sensim est æquiparatus; sensim, inquam; longum enim tempus intercessit, antequam honorem hunc fixa & generali lege consequeretur: cujus rei testis est *Petrus Cantor*, sæculi 12 scriptor, de subdiaconatu sic loquens, apud *Hugonem Menardum* in notis ad Sacramentarium S. Gregorii M. *de novo institutum est, subdiaconatum esse sacrum ordinem.*

Consulantur *Joannes Morinus* de sacris ordinationibus parte 3, Exercit. 12, & *Cardin. Bona*, Rerum liturg. l. 1, c. 25.

Jam si quis roget quo primum tempore ad ordines majores & sacros evectus fuerit subdiaconatus, lege universali ubique recepta? Respondemus sæculo duodecimo contigisse: ab eo enim tempore neminem forte reperies a quo in gradum ordinum minorum contentiose detrusus sit.

Pro majore itaque & sacro sine controversia est habendus, tum quia stabilitatem, sine spe retrocundi importat; tum quia perpetuam castitatem annexam habet; tum quia ministerium ejus speciali quadam ratione est sacrum: *ordo*, inquit S. Thomas, (*in 4, dist. 24, q. 2, art. 1*) *dicitur sacer dupliciter: uno modo secundum se, & sic quilibet ordo est sacer . . . . alio modo ratione materiæ circa quam habet aliquem actum: & sic ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam: & sic sunt tantum tres ordines sacri: scilicet Sacerdos, & Diaconus qui habent actum circa Corpus Christi & Sanguinem consecratum: & subdiaconus qui habet actum circa vasa consecrata: & ideo eis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint qui Sancta tractant.*

IX

Subdiaconorum obligationes.

Tres obligationes contrahunt, qui ad subdiaconatum promoventur.

1. Est, obligatio tituli, sive in Beneficiô, sive in patrimonio, sive in Evangelicæ paupertatis communi vita fundati; ne videlicet cura & sollicitudine rerum temporalium a sacro ministerio distrahantur.

2. Est, castitatis, huic ordini, Latinæ Ecclesiæ inviolabili lege annexæ.

3. Est, obligatio officii Ecclesiastici sive breviarii recitandi.

De his pro rei gravitate accuratius est dicendum.

X

Obligatio tituli.

Antiqua, ut sæpe diximus, præscriptio fuit, neminem absolute ordinandum, quin peculiari adscriberetur Ecclesiæ, in qua sacrum ministerium exerceret, cujusque proventibus vel obventionibus aleretur: beneficii hic *titulus* erat, præter quem non alium Ecclesia longo sæculorum decursu admisit: constat enim ex priscis canonibus,

1. Quemlibet clericum ordinatione sua, Episcopi a quo consecratus foret, potestati ac jurisdictioni sic vindicatum, ut eo vel invito vel inscio, nihil eorum quæ ad divinum ministerium spectant, sive intra sive extra diœcesim sibimet arrogare proprio judicio posset.

2. Ordinatione sua clericos particulari cuidam Ecclesiæ perpetuo addictos assignatosque fuisse, uti inibi residere, & officia susceptis ordinibus convenientia exequi tenerentur.

3. Ex residentia, & proprii ministerii executione, clerico jus comparatum ad eam bonorum Ecclesiæ portionem, quæ sustentationi congrueret: jus autem illud proprie id ipsum fuisse, quod modo beneficium appellamus.

Anno 1179, in Concilio *Lateran.* 3, sub *Alexandro* III Pontifice Max. cœpit titulus patrimonii ex dispensatione permitti: concessum videlicet, ut sine Ecclesiastico beneficio ordinari possent, quibus paterna bona ad victum & vestitum suppeterent: sic enim Can. 5 sancitum: *Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum, vel presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua Ecclesia, communia ei stipendia vitæ clericalis assignet, nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel de paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.*

Quam deinceps concessionem S. Trid. Synodus confirmavit, & pro regula certa haberi voluit: *Cum non deceat*, inquit, (*sess. 21, de Ref. c. 6*) *eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; compertumque sit, complures plerisque in locis, ad sacros ordines nullo fere delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit*

Digitized by Google

statuit S. Synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere: id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit: & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum: eoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint: antiquorum canonum pœnas super his innovando.

Ita Concilium Trid. pœnarum autem nomine, quas contra ordinationes sine titulo antiquitus latas innovat, debent intelligi:

1. Pœna suspensionis iis inflicta, qui absque titulo ad majores ordines per fraudem promoti forent.

2. Mulcta, ut sic dixerim, pecuniaria, ex *Gregorianis* decretalibus imposita Episcopis qui clericum absque titulo ad ordines sacros promoverint: tenentur enim ad alimenta eidem subministranda, donec beneficium Ecclesiasticum competens, vel ab ipso ordinatore, vel ab alio fuerit assecutus: ita teste *Fagnano* declaravit sacra congregatio Concilii Trid. interpres: quin, si plures Episcopi clericum, ratione originis aut domicilii sibi subditum, ad diversos ordines, sine titulo, promoverint, quilibet tenetur in solidum alimenta præbere sic ordinato: idemque onus ad eorum successores & hæredes, canonistarum judicio transit.

Itaque secundum hodiernam disciplinam sacri ordines, duobus, beneficii, & patrimonii titulis conferuntur: quibus tertium adjici status Religiosi ac cœnobitici conditio postulavit: cum enim Monachi & viri Religiosi, (hujus status præcise habita ratione) a cura animarum liberi sint, adeoque beneficiorum sint incapaces; aliunde vero omnem terrenam possessionem, ut Deo liberius servirent abjecerint; Ecclesiæ indulgentia dignum fuit, ut possent sub paupertatis titulo ordinari, id est, ex fidelium Eleemosynis, dietim, omni in crastinum anxietate deposita, soloque divinarum laudum cantu, & celebratione incruenti sacrificii indesinenter occupati, mente hilari victitarent.

In hujus porro tituli acceptatione observandum, quod a S. *Carolo*, ex mente *S. Pii V* Pontificis Max. in 2 provinciali Mediolan. Concilio constitutum est: *Ut*, inquit, (*decr. 23*) *quod Sum. Pontifex Pius V in explicatione decreti Concilii Trid. quod est sess. 21, cap. 2, constituit, executionem habeat; Episcopus nec Clericum ullum regularem; neque sæcularem, qui Regularium more, in communi vitæ disciplina sit, beneficiumque Ecclesiasticum non habeat, ordinibus sacris adscribat, nisi a superiore fidem ille attulerit, se Religionis cui adscriptus est, professionem confecisse: juratusque affirmet scripto manu sua subsignato coram Episcopo, se id sponte fecisse, aut ratum habuisse: illud autem scriptum in Archivio asservandum Episcopus curet.*

Jam si quæratur, utrum & quale peccatum sit, ordines sacros sub confictis & fraudulentis titulis, non tam suscipere, quam subripere?

R. Esse sine dubitatione gravissimum. Nam

1. In re tanti momenti, nolle Ecclesiæ imperanti obtemperare, non potest leve esse peccatum.

2. Mentiri in gravi materia, Ecclesiam decipere, & Episcopum malis artibus circumveniendo, sternere sibi ad sacrum ministerium iter, non modo peccatum, sed multorum criminum complexio est: sed qui supposito beneficii, aut patrimonii falso titulo, ad altare irrepunt, mentiuntur in gravi materia, deludunt Ecclesiam, & iniquo artificio Episcoporum vigilantiam fallunt: ergo &c.

3. Inspicienti mala ex suppositiciis titulis emergentia facti iniquitas manifesto patet: cum enim necessitas ad turpia cogat, hoc ipso quod aliquis nec ex paterna domo, nec ex beneficio habens unde vivat, in sacros ordines involavit, necessario sequitur, ut cum dedecore ordinis suscepti mendicet, ut sordidum quæstum exerceat; ut sacrificii oblationem in vilem mercaturam convertat; ut status immemor in quo soli Deo militare oportet, implicet se negotiis sæcularibus, & tempus in omne suum vile mancipium fiat.

Merito ergo antiquis canonibus, quos S. Synodus Trid. novo decreto probavit, constitutum, fraudulentos hujusmodi clericos, in ultionem tanti sceleris, suspensione susceptorum ordinum ipso facto esse plectendos, eosdemque, si sine dispensatione ordines exercuerint, irregulares futuros.

XI

Obligatio Castitatis.

Quoniam continentiæ, & cœlibis vitæ ducendæ, ad majores omnes clericos constitutio

 perti-

pertinet; quæ de hac re antiquitus tum Latinæ tum Græcæ Ecclesiæ disciplina fuerit, expendendum.

Ad Latinos quod attinet,

Dico 1, Eorum Episcopos, presbyteros, & diaconos semper abstinere jussos fuisse, etiam ab uxoribus quas ante ordinationem duxissent: cujus rei fidem faciunt Conciliorum & Sanctorum patrum innumera testimonia.

S. Hieronymus: *Apostoli*, inquit, (*Ep.* 50) *vel Virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.*

Et alibi: (*cont. Jovin. lib.* 1, *cap.* 19) *si laicus, & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est: si semper orandum est: ergo semper carendum Matrimonio* .... (*in Apol. ad Pammachium*) *Ecce perspicue nuptias dicimus concedi in Evangelio: sed tamen easdem in officio suo permanentes, præmia castitatis capere non posse: quod si indigne accipiunt mariti, non mihi irascantur, sed scripturis Sanctis; imo Episcopis, presbyteris, & diaconis, & universo choro Sacerdotali & levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.*

Siricius Pontifex Max. in Ep. ad *Himerium* Tarraconensem c. 7, *plurimos*, inquit, *Sacerdotes Christi atque levitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de conjugibus suis propriis, quam etiam de turpi coitu, sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa: dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimet quod in lege Mosis, passim sacris ordinibus a Domino laxata sunt fræna luxuriæ, cur eos quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens:* Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester? *cur etiam procul a suis domibus anno vicis suæ habitare jussi sunt Sacerdotes? hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent: quibus etiam expleto deservitionis suæ tempore, uxorius usus solius successionis causa fuerat relaxatus, quia non ex alia nisi ex tribu Levi, quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti* ... *& quia aliquanti de quibus loquimur, ut tua Sanctitas retulit, ignoratione lapsos se esse deflent: his, hac conditione misericordiam dicimus non esse negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, in quo reperti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent; si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere: hi vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ sedis auctoritate dejectos; nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt: & quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, presbyter, atque diaconus, deinceps talis fuerit inventus, jam sibi omnem indulgentiæ per nos aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.*

Concilium *Arausicanum* I, (*an.* 441) Can. 22, *deinceps*, inquit, *non ordinentur diaconi conjugati, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem* ..... & can. 23, *si quis autem post acceptam benedictionem leviticam cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur* .... & can. 24, *de his autem qui prius ordinati, in hoc ipsum inciderunt, Taurienesis Synodi sequendam esse sententiam, qua jubentur non ulterius promoveri.* Porro Concilii *Taurinensis* aliquot ante annis habiti (*an.* 397) canon 8 his verbis conceptus erat: *hi autem qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio filios genuerunt, ne ad majores gradus ordinum permittantur, Synodi decrevit auctoritas.*

Idem denique Latini patres, & Conciliorum innumeri canones, quos referre longius esset, verbis expressis & consensu unanimi attestantur.

Dico 2, in eadem Latina Ecclesia primis sæculis subdiaconos ab usu Matrimonii ante ordinationem contracti abstinere jussos non fuisse, lege saltem generali, quæ nimirum ubique, in omnibus ejus provinciis obtineret; sed diversam fuisse diversarum Ecclesiarum consuetudinem: donec subdiaconatu sacris & majoribus ordinibus annumerato, perpetuæ continentiæ lex subdiaconis, haud secus ac aliis majoribus clericis fuit universim imposita.

Quam quidem assertionem adstruunt, 1 majorum decreta, quibus continentia ab uxoribus, Episcopis, presbyteris, ac diaconis, nulla facta subdiaconorum mentione præscribitur: unde manifesto sequitur, ab illa lege plerisque saltem in locis, fuisse immunes: quorsum enim patres tanto studio Episcopos, presbyteros; & diaconos, prætermissis subdiaconis, nominarent, si par eorum putarent cum diaconis, aliisque majoribus clericis vinculum esse, æqualemque conditionem?

2. Huc pertinent diversarum Ecclesiarum decreta contraria, quorum alia Matrimonii ante initi

Digitized by Google

initi usum penitus, aliis permittentibus, subdiaconis interdicunt.

Sic e. c. Concilium *Carthag.* V, (*an.* 398) can. 3, *præterea*, inquit, *cum de quorumdam clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur; placuit Episcopos, & presbyteros, & diaconos, secundum priora statuta, etiam ab uxoribus* (propriis) *abstinere: quod ni fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio: ceteros autem clericos ad hoc non cogi; sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere*. Sane subdiaconi in eo Clericorum numero sunt, quos recensitis diaconis, presbyteris, & Episcopis, *ceteros clericos* vocat decretum Carthaginense: quosque declarat ad continentiam non cogendos, nisi ubi illa consuetudo viguerit: generatim ergo & ubique hæc disciplina non servabatur.

Paulo ante præcesserat Concilium *Carthagin.* II (*an.* 397), in quo *Epigonius* Episcopus sic loquens inducitur, Can. 2, *cum in præterito Concilio, de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur . . . . . Episcopos, & presbyteros, & diaconos placuit . . . . continentes esse in omnibus . . . ab universis Episcopis dictum est: omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant: ab omnibus dictum est: placet, ut in omnibus & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt*.

Pari sensu Concilium *Agathense* (*an.* 506) can. 9, sic statuit: *placuit etiam ut si diaconi & presbyteri conjugati, ad Thorum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii Ordinatio, & Siricii Episcopi auctoritas, quæ est his canonibus inserta, conservetur*.

Porro *Siricii* Pontificis Max. decretum sic erat: (*Ep.* 4 *ad Africanos*, *c.* 9) *præterea, quod dignum, & pudicum, & honestum est, suademus ut Sacerdotes & levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia in ministerio divino quotidianis necessitatibus occupantur: ad Corinthios namque sic Paulus scribit, dicens:* (Cor. 1, 7, 5) abstinete vos, ut vacetis orationi: *si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes videri: quanto magis sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? quod si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? . . . . . qua conscientia, quo merito exaudiri se credit, cum dictum sit*: omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?

Siricii sanctionem iisdem pene verbis repetit & confirmat *Innocentius* I, tum in Ep. 2 ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum cap. 9, tum in Ep. 3 ad *Exuperium* Episcopum Tolosanum c. 1. Sacerdotibus itaque ac Diaconis continentiæ perpetuæ legem hi duo Pontifices imposuerant, qua subdiaconos adstringendos, cum nulla hic eorum mentio sit, dubio procul non intendebant: quod enim *levitarum* nomine ipsos etiam subdiaconos significatos quidam opponunt, puerile ac nugatorium est, cum eo nomine nusquam appellati in veteribus monumentis comperiantur.

In contrarium occurrunt alii canones, in quibusdam Latinæ Ecclesiæ partibus, priscis temporibus editi: sic integro pene sæculo ante Siricii Pontificatum Synodus *Eliberitana* (*Initio sæc.* 4) non Episcopis tantum, presbyteris, & diaconis, sed ipsis etiam subdiaconis, legem perpetuæ continentiæ imposuerat: *placuit*, inquiebat can. 33, *in totum prohiberi Episcopis, presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis, & non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur*: eadem itaque eo tempore, in quibusdam saltem Hispaniæ provinciis, subdiaconorum cum majoribus clericis, in hac parte, conditio erat.

Romanæ Ecclesiæ disciplinam eamdem 5 sæculo fuisse, consuetudine roboratam, & ex pietate observatam, testis idoneus est *S. Leo* Pontifex Max. in Ep. 84 ad *Anastasium* Episcopum Thessalonicensem, c. 4, sic loquens: *cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; ut & qui habent, sint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares: quod si in ordine qui quartus a capite est, dignum est custodiri: quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est; ne aut levitico ministerio, aut presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frenasse detegitur?*

Itaque non unam eamdemque fuisse, erga subdiaconos, Latinæ & Occidentalis Ecclesiæ disciplinam, discrepantia antiquorum canonum manifesto probat.

Sed post annum millesimum, auctis subdiaconorum honoribus, eoque ordine majoribus & sacris annumerato, quæ nunc viget praxis, ubique obtinuit, subdiaconos ad perpetuam continentiam adigendi: in Concilio namque *Melfitano*, Urbani II temporibus celebrato (*ann.* 1090) can. 2, sic constitutum: *sacrorum canonum instituta renovantes, præcipimus ut a tempore subdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere; quod si deprehensus aliquis fuerit,*

fuerit, ordinis sui periculum sustinebit . . . . & can. 12, *porro eos qui in subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine removemus, officio atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus: quod si ab Episcopo commoniti non se correxerint, principibus licentiam indulgemus, ut eorum fœminas mancipent servituti; si vero Episcopi consenserint eorum pravitatibus, ipsi officii interdictione mulctentur.*

In Concilio *Londinensi*, quod *Paschali II* Pontifice Max. a S. *Anselmo Cantuariensi* Archiepiscopo celebratum est, (*an.* 1102) can. 3, sancitum, *ut nullus Archidiaconus, presbyter, canonicus, uxorem ducat, aut ductam retineat: Subdiaconus vero quilibet qui canonicus non est, si post professionem castitatis uxorem duxerit, eadem regula constringatur* . . . . & can. 6, ib. statutum, *ut nullus ad subdiaconatum aut supra ordinetur sine professione castitatis.*

Concilium *Lateran.* I sub *Callixto* II Pontifice Max. (*an.* 1122) can. 3, *presbyteris*, inquit, *diaconibus vel subdiaconibus concubinarum & uxorum contubernia penitus interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem, præter quam synodus Nicæna, per solas necessitudinum causas habitare permisit; videlicet matrem, sororem, amitam, aut alias hujusmodi, de quibus nulla valeat juste suspicio oriri.*

Lateranense II sub *Innocentio* II (*an.* 1139) can. 6, *decernimus etiam, ut ii qui in ordine subdiaconatus, & supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Ecclesiastico beneficio careant: cum enim ipsi templum Dei, vasa Domini, sacrarium spiritus sancti debeant esse & dici: indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire.*

Idem ejusdem Concilii can. 7, & in Concilio *Lateran.* III sub *Alex.* III (*an.* 1179) constitutum.

Idem denique, ne plura referam, in Concilio *Trid.* sess. 24, can. 9, confirmatum his verbis: *si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto; & oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum: anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.*

XII

Græcorum & Orientalium de hac re disciplina exponitur.

Sequitur ut de Græca & Orientali Ecclesia, quæ olim ejus fuerit, hodieque sit disciplina quæramus: quod ut perspicue fiat.

Dicimus 1, In Orientali Ecclesia numquam licuisse Episcopis, nec etiamnum licere, uti matrimonio ante ordinationem contracto.

1. Enim nullum hujusmodi concessionis exemplum afferre hactenus potuerunt Hæretici, licet sæpius provocati: immo in contrarium allegari a nobis, si res postularet, plurima possent: sic in *Alexandrinorum* Patriarcharum historia legitur, murmur & scandalum inter fideles obortum, eo quod *Demetrius*, quem constabat uxorem habere, ad Patriarchicam dignitatem evectus esset: unde ejus electionem, quippe contra canones factam, irritam publice dictitabant: quod cum *Demetrius* audivisset, scandalum repente sedavit, Sancte ac Religiose contestans, se cum uxore sua haud aliter hactenus, ac cum sorore vixisse: quam ejus declarationem Deus miraculo confirmavit: quæ vero Hæretici, magno verborum strepitu, exempla exaggerant, contra nos nihil faciunt; constat enim eos qui in Episcopatu matrimonium contraxerunt, vel antea contracto usi sunt, in Græca & Orientali Ecclesia damnatos super fuisse, & pœnis Canonicis, ipsaque excommunicatione punitos: quamobrem hujusmodi exempla opponere, idem est ac si quis *Simoniam* inde excusare vellet, quia constat multos fuisse in Ecclesia Simoniacos.

Accedit Concilii quinisexti, *Trullani* dicti auctoritas, (*an.* 692) can. 12 sic definientis: *porro hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa & Libya, & aliis locis, quidam ex iis qui illic sunt religiosissimi præsules cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos procedit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum afferentes . . . nobis visum est, ut nihil hujusmodi deinceps ullo modo fiat.*

Idem denique hodierna Græcæ & Orientalis Ecclesiæ disciplina invicte probat; juxta quam certum est, neminem ordinari Episcopum, nisi vel virgo, vel viduus sit; vel si uxoratus, perpetuam continentiam promittat: indeque est, quod in toto late Oriente vulgo Episcopi e statu Monastico assumuntur: nec est quod reponatur disciplinam hanc a Latinis esse invectam, & sub eorum dominatu susceptam: nemo enim ab eo quem summe odit, recipit normam & præcepta vivendi: atqui certum est Græ-

Græcos & Orientales jam inde a multis sæculis, hæresi & schismate a Latinis avulsos, eos odio prosequi: ridiculum ergo est fingere, ad Latinorum exemplum, Græcis Episcopis continentiæ legem impositam: quo circa dicendum, regulam hanc priscis Canonibus, hæresi ac schismate Græcorum antiquioribus constitutam.

Dicimus 2. Erga presbyteros ac Diaconos eamdem disciplinam in Oriente, sex prioribus sæculis observatam: cujus assertionis argumenta plurima sunt.

1. Enim si Presbyteris & Diaconis in Oriente per sex priora sæcula licuisset, uti uxoribus ante ordinationem ductis, Græci quorum maxime interest, canone aliquo, vel legitimo exemplo ab antiqua ætate petito, hodiernam suæ Ecclesiæ praxim vindicare & adstruere non refugerent: atqui nihil hactenus proferre hujusmodi potuerunt, licet a nostris sæpius lacessiti: ergo &c.

2. Adstipulatur Concilii *Niceni* I auctoritas, (*an.* 325) can. 3 ita decernentis: *interdicit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ omnem suspicionem effugiunt* .... si enim presbyteris & Diaconis quarto sæculo licitum fuisset uti matrimonio ante ordinationem contracto; Nicæni patres inter mulieres quas apud se retinere possent presbyteri & Diaconi, legitimas eorum uxores præcipue nominassent: cum itaque de iis omnino siluerint, argumento est a maritorum ante eorum ordinationem habitorum contubernio prorsus fuisse exclusas.

3. Suffragatur *S. Hieronymus*, contra *Vigilantium* hæreticum ita scribens: *proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint ... quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & sedis Apostolicæ? quæ aut Virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.*

Ita ne vero S. Doctor Orientalem Ecclesiam contra Vigilantium allegaret, nisi ex canonica hujus temporis disciplina clerici omnes tenerentur a re uxoria abstinere?

4. Accedit S. *Epiphanii* testimonium, hæresi 59, ubi postquam Ecclesiam bigamos a Sacerdotio merito arcere præmisit, de sacrorum hominum continentia sic prosequitur: *quin eum qui adhuc in matrimonio degit, & liberis dat operam; tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, presbyteri, Episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit; sed eum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine se se continuerit, aut ea sit orbatus: quòd in iis locis præcipue fit, ubi Ecclesiastici canones accurate servantur.*

Igitur ex S. *Epiphanio* non in rebus indifferentibus presbyterorum ac diaconorum continentia ponebatur; sed Ecclesiæ canonibus hæc disciplina firmata erat: unde cum eodem loco objectionem sibimet S. Doctor proposuisset, ab eorum exemplo petitam, qui ad diaconatum ac presbyteratum promoti, ad uxoribus suis non abstinebant: reponit, *Non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam ...., nam quod ad ipsam Ecclesiam attinet, ea utpote a Sp. Sancto bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum instituit, ut quæ divino numini ministeria præstantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur: utque spiritualia omnia officia quam optima conscientia gerantur: nam si illis etiam qui e populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit, ut ad tempus vacent orationi: quanto id magis Sacerdoti præscribit? nimirum nullis ut impedimentis a sacro negotio avocetur?*

Idem denique docent, idem *S. Epiphanius*, in Expositione fidei catholicæ, c. 21, *Eusebius Cæsariensis*, l. 1 demonstr. Evangelicæ c. 9, S. *Cyrillus Hierosol.* catechesi 12, *S. Gregorius Nissenus*, lib. de Virginitate, c. ultimo: iisque antiquior *Origenes* hom. 23 in librum Numerorum: ergo &c.

Dicimus 3. Toto illo temporum intervallo, quod ab Ecclesiæ primordiis ad septimum sæculum fluxit, ipsis etiam subdiaconis in Ecclesia Orientali, non modo licitum non fuisse, post susceptam ordinationem inire matrimonium, sed ne eo quidem uti permissum quod foret ante ordinationem contractum.

Primam partem adstruit, tum canon 27 Apostolicus, quo nuptias ineundi facultas, solis cantoribus & lectoribus indulgetur: tum *Justiniani* sexto sæculo Imperatoris edictum his verbis conceptum: (*Codicis lib.* 1, *tit.* 3, *de Episcopis & clericis, lege* 45) *sacris canonibus, neque Deo amantissimis presbyteris, neque Reverendissimis Diaconis aut Subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus: sed solis Reverendissimis Psaltis & Lectoribus id concedentibus: animadvertimus quosdam despicientes sacros canones &c.* ... tum denique canon 6 *Trullanæ Synodi*, (*an.* 692) sic decernens: *quoniam in Apostolicis canonibus dictum est, eorumquè non ducta uxore in Clerum promoventur, solos lectores & cantores uxorem posse ducere,*

& nos

Digitized by Google

& nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero, post sui ordinationem contrahere liceat: si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur: eo igitur cursu temporum ipsis subdiaconis vetitum erat conjugia celebrare.

Secundam vero partem inde probamus, tum quod nullo antiquo canone ostendatur, subdiaconis in Ecclesia Græca, per sex priora sæcula indultum fuisse, ut ante ordinationem contracto Matrimonio uterentur; tum quod expresse contrarium *S. Epiphanius* modo laudatus affirmat: *cum*, inquit, (*hær.* 59) *qui adhuc in matrimonio degit, & liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, presbyteri, Episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia: sed eum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine se se continuerit, ut ea sit orbatus; quod in iis locis præcipue fit, ubi Ecclesiastici canones accurate servantur.*

Dicimus 4. Græcos & Orientales, sexto elapso sæculo antiquam disciplinam emolliisse, tumque cœpisse clericos omnes, solis exceptis Episcopis, eximi lege cœlibatus.

In Concilio enim Constant. de quo sæpe diximus, an. 692 habito, quod *quini-sextum* est dictum, eo quod velut ad supplementum Synodorum 5, & 6 convocatum foret: in eo, inquam, Concilio sic a Græcis constitutum: (*can.* 13) *nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis, ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris, legitima conjugia, deinceps quoque firma & stabilia esse volumus: nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua, tempore convenienti, consuetudine privantes: quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet: sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum: ne a Deo constitutas, & sua præsentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur . . . si quis ergo fuerit ausus, præter Apostolicos canones incitatus, aliquem eorum, qui sunt in sacris presbyterorum, vel diaconorum, vel hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore, & consuetudine privare: deponatur.*

Canonem hunc quo lex Ecclesiastici cælibatus concutitur, & disciplina castissima reprehenditur, sacris ministris usum conjugii interdicens, numquam Romana recepit aut usu probavit Ecclesia: quia tamen intellexit rei uxoriæ abstinentiam clericis divino jure non esse præceptam, Græcos ab usu matrimonii non abstinentes, non ideo anathemate feriit, sed patientissime toleravit, & etiamnum tolerat, immo ad communionem suam admittit.

Dicimus 5. Matrimonii ante contracti usum, Græcis & Orientalibus presbyteris, cæterisque sacris ministris, sic esse concessum; ut si in viduitatem inciderint, ad secunda vota transire nullatenus permittantur.

Hoc enim Episcoporum a presbyteris & inferioribus ministris discrimen, vetus novaque disciplina constituit; ut illi quidem statim ac ad Episcopatum essent promoti, tenerentur ab uxoribus, etiam legitimis, abstinere; istis vero usus matrimonii ea conditione concederetur, ut simul ac ab uxore prius conducta soluti forent, novam non quærerent, sed vitam cœlibem perpetuo ducerent: de nuptiis in sacerdotio iterandis, quin prohibitio fuerit, hodieque sit, nemo dubitabit qui sciverit polygamiam successivam sacri ordinis suscipiendi & exercendi, impedimentum apud Græcos non secus ac apud Latinos esse, semperque fuisse, juxta præscriptionem Apostoli præcipientis ministros altaris unius debere esse uxoris viros, id est, vel non omnino nupsisse, vel connubium unum non excessisse.

Quod vero ad illos spectat, qui ante ordinationem matrimonium non contraxerint, non minus est certum, iis ad nuptias, postquam ordinati fuerint, aditum omnem præcludi: nam præter quam quod mirabile, indignumque foret, ut quos Virgines ad sacrum ministerium excepit Ecclesia, pateretur post consecrationem suam, continentiæ abdicato proposito, ad nuptias involare; hujus rei, absque eo quod argumento egeamus, fidem certissimam facit quæ ubique in Oriente viget disciplina Græcorum: cui autheticum testimonium perhibens *Jeremias* Patriarcha Constantin. Responsione 1 ad Lutheranos *Augustanæ confessionis* propugnatores: *dicitis*, inquit, *melius esse nubere quam uri; vereque dicitis: hac enim de causa, iis qui Virginitatem servare non possunt, antequam ordinentur permittimus, ut fœdera matrimonii jungant: matrimonium enim a Deo institutum non ignoramus: at, regeritis, Clerici quibus obeundi matrimonii licentia denegatur, turpia multa committunt: neque hoc nos latet: verum qui continentiam Deo promisit, stare promissis omnino debet; indeque est, quod ei nulla nubendi potestas relinquitur: nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* 9, 62): *quod si aliqua humana infirmitate vincatur, pœnitentia, confessione, macerationibus, & mali amotione protinus castigatur, ut divinæ misericordiæ non sit expers.*

Hæcque circa Græcorum & Latinorum disci-

sciplinam generatim observasse in præsenti sufficiat: nam de cœlibatu clericorum, ad finem hujus sectionis redibit iterum sermo, ubi recentiorum Hæreticorum impietatem & inverecundiam data opera refutabimus: interim quæ ad subdiaconatum pertinent ordine prosequemur, ne series doctrinæ interrumpatur.

XIII

Obligatio divini Officii recitandi.

Publicæ preces, quas divinum officium dicimus, ab ipsa ineunte Ecclesia, traditione Apostolica institutæ: ad illas, sive in publico Conventu fidelium, quoad fieri commode potest, sive privatim fundendas, clerici omnes in sacris ordinibus constituti, iique etiam qui in ordinibus minoribus beneficia possident, sub pœna peccati mortalis tenentur: eaque Ecclesiæ lex, sive generalis consuetudo vim legis habens, in jure divino fundatur: clerici enim conditione ac statu suo, divino sunt cultui consecrati, cujus major pars in orandi & Deum laudandi exercitatione consistit: æquum ergo est, ut quorum omnis cogitatio in Deum & de Deo esse debet, aliquot saltem diei horas in hujus officii persolutione impendant: „ clericus, *inquit S. Thomas*, (*quodlib. 6, qu. 5, art. 2*) ex hoc ipso quod est clericus, & „ præcipue in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere horas canonicas: videntur enim „ tales specialiter esse assumpti ad laudem divinam, secundum illud Isaiæ 43, v. 7: *omnem* „ *qui invocat nomen meum, in laudem meam* „ *creavi illum.*"

Ita S. Doctor. Lethalis ergo peccati reus est, qui sine causa legitima, vel urgentissima necessitate officium Canonicum, aut ejus partem notabilem prætermittit: *non existiment*, ait Concilium Aquilejense (*ann. 1596*) cap. 11, *qui ad subdiaconatus ordinem & superiores provecti sunt, si beneficio Ecclesiastico careant, horis canonicis recitandis obstrictos non esse: omnino vero intelligant, quemadmodum qui beneficium habent Ecclesiasticum, horas Canonicas non recitantes, ultra peccati mortalis reatum, amissione fructuum plectuntur; ita illos omittendo horas Canonicas mortaliter peccare, nec se prætextu beneficii non adepti excusare posse.*

Et vero si Monachi & Religiosi professi, ad chorum destinati, ipsæque sanctimoniales, ad divini officii recitationem, etiam cum absunt a choro sub pœna mortalis peccati tenentur; quanto magis clericos beneficiatos, aut sine beneficio in sacris & majoribus ordinibus constitutos, eadem lege teneri est confitendum? atqui non est dubium Monachos, & Religiosos viros, ipsasque choro deputatas sanctimoniales ad recitationem divini officii professione sua adstringi: *tenentur ad horas Religiosi professi*, inquit S. Antoninus, (*3 p. tit. 13, cap. 4, §. 1*) *quorum Religio ad actus vitæ contemplativæ est instituta, & per Ecclesiam confirmata: & hoc ratione suæ professionis, quia non solum sunt institutæ hujusmodi Religiones ad orandum particulariter pro se, sed etiam ad orandum pro universali utilitate fidelium: ad hujusmodi autem orationem faciendam in persona totius populi Christiani, pro utilitate omnium sunt institutæ specialiter horæ Canonicæ: Religio autem instituta ad opera vitæ contemplativæ, est status Monachalis: Religio vero Mendicantium utramque complectitur, scilicet activam & contemplativam .... igitur ad horarum Canonicarum persolutionem Monachi, Religiosi, & Moniales professæ tenentur*: cujus rei prætercætera, argumentum convincentissimum est, in diversis eorum Regulis, ab Ecclesia approbatis, quæque nihil magis quam officii recitationem commendant: quanto ergo magis clericos hæc obligatio afficit, quippe qui singulari quadam & præcipua ratione Deo consecrati, Deum inter & populum velati sequestri & mediatores existunt?

Nec putandum ab hoc solvendo debito clericum quemquam propter tenuitatem beneficii excusari: non enim ideo ad recitationem officii obligatur, quia præcise beneficium habet, sed quia minister est Christi: porro ministerium sacrum ex consecratione ipsa, non ex temporalibus proventibus æstimandum: *ad horas Canonicas*, inquit S. Antoninus, (*Ib.*) *tenentur, 1 ordinati in sacris, scilicet in subdiaconatu & supra: & hoc tam secundum omnes Theologos, quam canonistas.... tenentur 2, ex præcepto quilibet clerici beneficiati, & non existentes in sacris: nec excusare se possunt ratione exiguitatis beneficii, si ex eo non percipiant necessaria; sed imputent sibi, ex quo se fecerunt ad illud intitulari.*

Neque etiam fingendum, divinum officium, cum ex primaria institutione publicum sit, & in conventu publico recitandum, eos tantum obligare qui choro intersunt, adeoque ab hoc solvendo penso liberos esse, qui communibus precibus, quavis causa impediente non adsunt: quamquam enim id quod res est fateamur, preces quæ in templis publice fiunt, primariæ divini officii institutioni congruentius pleniusque respondere; quæ tamen privatim funduntur, ad totam pariter Ecclesiam pertinent, & ad totius fidelium societatis bonum ordinantur: adeoque vero quodam sensu pu-

publicæ sunt & appellantur: prout egregie demonstravit *Petrus Damiani*, in libro cui titulus: *Dominus vobiscum*: ubi erudite ostendit, preces quæ plurali numero enunciantur; ut *Dominus vobiscum: venite exultemus Domino: benedicamus Domino:* aliasque id genus plurimas, etiam ab iis qui privatim officium recitant, mutari non debere, aut prætermitti: *deinde*, non ita ad communitatem horarum canonicarum recitatio spectat, quin etiam pensum sit clericis singulis viritim impositum: sive ergo choro intersint, sive abesse, quacumque de causa cogantur, ab hoc debito persolvendo immunes esse non possunt: *præterea* difficultatem omnem, si qua sit, antiqua disciplina præcludit, quæ generaliter ab omnibus Ecclesiis acceptata, dudum pro inviolabili lege habita est: constat enim hoc munus clericis sive præsentibus, sive absentibus a choro, sine discrimine ullo impositum: id quod exempla Sanctorum, & antiqua decreta demonstrant.

Sic *S. Gregorius Nyssenus* de suo in Arabiam itinere loquens: *Vehiculum*, inquit, *nobis pro Ecclesia & Monasterio erat, omnibus per totam viam psallentibus.*

De S. *Germano* Parisiensi Episcopo narrat *Venantius Fortunatus* in ejus vita, (*cap.* 76) *quod equitans in itinere semper de Deo aliquid, aut verbo contulerit, aut cantaverit.... nudo capite dicens, etsi nix aut imber urgeret.*

Palladius in vita S. *Joannis Chrysost.* de 40 Episcopis loquens, propter fidei defensionem in exilium relegatis: *reversi*, inquit, *Episcopi, vigilias intra sua diversoria celebrarunt.*

S. Basilius in Regula (*cap.* 107): *unusquisque*, inquit, *tota mente & devotione complere debet id quod scriptum est*: Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: *si enim corporaliter non occurrat adesse eum cæteris ad orationis locum, in quocumque loco inventus fuerit, quod devotionis est expleat.*

S. Benedictus in Regula: (*cap.* 50) *fratres qui omnino longe sunt in labore, & non possunt hora competenti occurrere ad oratorium.... agant ibidem opus Dei ubi operantur, cum timore divino flectentes genua: similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ.... & servitutis pensum non negligant reddere.*

Regularum, S. *Pachonii*, c. 142, SS. *Pauli & Stephani Abbatum*, c. 12, S. *Ferreoli* c. 11, eadem præscriptio est.

Nec prætermittendum quod de S. Patriarcha *Dominico*, in ejus vita legitur apud *Surium*: *quando extra Monasterium erat, audito primo signo nocturnarum precum, surgebat; & fratres excitans, cum multa devotione totum divinum officium absolvebat horis & temporibus suis tum nocturnis, tum diurnis, nihil penitus omittens: persoluto completorio, etiam in itinere positus cum sociis, silentium non minus servabat, quam si esset in monasterio.*

Accedunt Ecclesiastici canones, diversis temporibus editi.

Concilium *Toletanum IV*, can. 10, omnibus generatim clericis stricte præcipit, *ut Dominicam orationem quotidie, aut in publico aut in privato officio recitent:* ergo ante 7 sæculum lege Ecclesiæ clerici Hispani ad privatam divini officii recitationem tenebantur.

Concilium *Nannetense* can. 19, *presbyter*, inquit, *mane matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ canendo, primam, tertiam, sextam, nonamque persolvat; ita tamen ut postea horis competentibus, juxta possibilitatem . . . publice compleantur . . .* Viden ut officium publicum a privato hic distinguatur? vocem enim *canere*, non de publico & solemni cantu, sed de privata horarum recitatione, quæ etiam summissa voce fit, debere intelligi, quæ sequuntur in canone aperte significant: *ita tamen ut postea horis competentibus publice compleantur.*

Si longe ab Ecclesia aliquis fuerit, ait Crodegandus Metensis Episcopus in regula pro canonicis scripta, (*cap.* 27) *ut ad opus Dei per horas Canonicas occurrere non possit, agat opus Dei cum tremore divino, ubi tunc fuerit. . .* quicumque ex clero in itinere cum Episcopo, vel cum alio proficiscuntur, ordinem suum in quantum ratio vel iter permiserit, non negligant.

Concilium *Basileense*, sess. 21, can. 5, *quoscumque beneficiatos*, inquit, *seu in sacris ordinibus constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati, diurnum nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant.*

Dubium itaque non est, quin clerici sive in sacris ordinibus constituti, sive beneficium possidentes ad recitationem divini officii obligentur; cum hoc tamen discrimine, quod beneficium habentes, præter quam quod quoties divinum opus facere negligunt, peccato semetipsos mortali contaminant, ad fructuum temporalium restitutionem, servata proportione, irremissibiliter teneantur: ita a *Leone* X Pontifice Max. constitutum in *Lateran. V* Concilio sess. 9: *quilibet*, inquit, *habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat*, pro

Digitized by Google

pro rata omiſſionis recitationis officii, ſed eos tamquam injuste perceptos in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel in pauperum eleemoſynas erogare teneatur: ſi vero ultra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso privetur, cum propter officium detur beneficium.

Concilium Rothomagense (an. 1581) cap. *de cultu divino in genere: ab omnibus*, inquit, *ad sacros ordines promovendis, libri ad divinum officiam necessarii habeantur: promoti vero ſciant ſe ad breviarium obligari.... ſciant inſuper beneficiati, qui breviarium recitare neglexerint, abſque legitima excuſatione, graviter peccare, & suorum beneficiorum fructus pro rata omiſſi officii & temporis, ſuos non facere, ſed eos tamquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneri, ex proximi Lateranensis Concilii decreto, per sanctæ memoriæ Pium V declarato.*

Concilium *Aquense*, (*an.* 1581) *qui horas Canonicas*, inquit, *legitimo cessante impedimento intermiſerint, quicumque eas recitare tenentur, ſciant ex Bulla Pii V, non ſolum gravi ſe peccato obstrictos; ſed omnes etiam beneficiorum suorum fructus, qui in ſingulos dies eis obtingerent, ſi quotidie in ſingulas horas dividerentur, ammittere, neque a confeſſario ulla ratione abſolvi poſſe, etiam jubilæi cujuscumque gratia ſuffragante; niſi fructuum quos indebite perceperint, facta prius ad dictæ bullæ præſcriptum reſtitutione.*

Concilium *Aquilejense* (*an.* 1596) cap. 11: *non tamen existiment qui ad ſubdiaconatus ordinem, & ſuperiores provecti ſunt, ſi beneficio Eccleſiaſtico careant, horis Canonicis.... recitandis obstrictos non eſſe; omnino vero intelligant, quemadmodum qui beneficium habent Eccleſiaſticum, horas Canonicas non recitantes, ultra peccati mortalis reatum, amiſſione fructuum plectuntur: ita illos omittendo horas Canonicas mortaliter peccare, nec ſe prætextu beneficii non adepti excuſare poſſe.*

Idemque diverſis Provincialium Synodorum decretis, quæ exſcribere longum eſſet, sæpe præſcriptum.

Jam ſi quæratur, quis in recitatione divini officii ritus servari, quæve debeat forma teneri?

R. de hac re, uti & de cæteris ad diſciplinam ſpectantibus, regulam generalem præſcribi non poſſe: habent enim ſingulæ Eccleſiæ mores ſuos: alius Græcorum, alius Latinorum eſt ritus: nec Græcorum aut Latinorum in diverſis reſpective provinciis plena conſenſio reperitur: quia nec duas forte diœceſes reperias, in pſalmorum & aliarum divini officii partium distributione plene uniformes: itaque unicuique clerico Eccleſiæ in qua conſtitutus fuerit, diſciplina & conſuetudo ſequenda: *clericus*, ait S. Thomas, (*quodlib.* 6, *quæſt.* 5, *art.* 2) *ex hoc ipso quod eſt clericus, & præcipue in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere horas Canonicas . . . ſed in quantum eſt clericus beneficiatus in hac Eccleſia, tenetur dicere officium ſecundum modum illius Eccleſiæ.* Quod porro de clericis univerſim eſt dictum, debet pariter de Monachis, & diverſis virorum Religioſorum ordinibus intelligi: tenentur, inquam, omnes & ſinguli ad Breviarium, prout probante Eccleſia in ſuis Monaſteriis ac Religionibus diſpoſitum eſt, recitare.

XIV

Quantum temporis intervallum inter postremum gradum ordinum minorum, & ſubdiaconatus ſuſceptionem debeat intercedere?

Ab acolythatu ad ſubdiaconatum ſolidi anni interstitium eſſe ſervandum, Concilii Trid. præſcriptio eſt, ſeſſ. 23, in decreto de Reformat. c. 11, ubi poſtquam de clericis ad minores ordines promovendis decretum tulit, *hi vero*, inquit, *nonniſi poſt annum a ſuſceptione postremi gradus minorum ordinum, ad ſacros ordines promoveantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi aliud expoſcat.*

XV

Quæ ætas ad ſubdiaconatum, & alios majores ordines requiſita?

Nullus in poſterum, inquit Concilium Trident. (*ib. cap.* 12) *ad ſubdiaconatus ordinem, ante vigeſimum ſecundum, ad diaconatus, ante vigeſimum tertium, ad presbyteratus, ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur, ſciant tamen Epiſcopi, non ſingulos in ea ætate constitutos, debere ad hos ordines aſſumi, ſed dignos duntaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit: regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque, quoad hoc, penitus excluſis.*

Digitized by Google

XVI

Quo tempore subdiaconorum ordinatio celebranda?

Subdiaconatus olim non secus ac minores ordines quibus annumerabatur, qualibet anni die, modo Dominica esset aut solemnis, conferri poterat; ex quo vero sacri & majoris ordinis titulo & honore donatus est, cœperunt subdiaconi, non secus ac alii majores clerici, quatuor anni temporibus ordinari, ut ex antiquis Pontificalibus certum est: eaque consuetudo variis conciliorum & sum. Pontificum decretis firmata, vim legis obtinuit: *prohibemus*, inquit Synodus Dalmatica (*ann.* 1099) can. 2, *ne aliquis Episcopus, nisi quatuor temporibus .... aliquem ad sacros ordines promovere præsumat: solus enim Romanus Pontifex Dominicis diebus subdiaconos ordinare potest*... unde manifestum est, quæ olim singulis inerat Episcopis, facultatem, subdiaconos die qualibet solemni ac Dominico consecrandi, soli deinceps Romano Pontifici servatam: ita ab *Alexandro* III declaratum, l. 1 decretalium, tit. 21, c. 1: *subdiaconos*, inquit, *nulli nisi Romano Pontifici liceat diebus Dominicis ordinare*.

XVII

Quo in loco Subdiaconatus conferendus?

Græcæ quondam Ecclesiæ disciplina fuit, & viget etiamnum, ut majores quidem ordines, id est, Episcopatus, presbyteratus, & diaconatus intra Sanctuarium; cæteri vero extra Sanctuarium conferrentur: eamdem fuisse Latinæ Ecclesiæ disciplinam, testatur *Amalarius Fortunatus*, l. 2 de divinis officiis c. 6, ubi adducto quodam sub S. Ambrosii nomine testimonio: *juxta verba Ambrosii*, inquit, *intelligimus subjectos ordines diacono & presbytero, non debere ordinationem accipere circa altaria*: postquam vero in sacrorum ordinum numerum subdiaconatus in Ecclesia Latina relatus est, pari conditione ac reverentia intra Sanctuarium debere administrari decretum est: cujus rei Pontificalia fidem faciunt.

XVIII

Ad præcedentem sectionem, contra recentiores Hæreticos de Cœlibatu Clericorum, appendix.

Sub specioso Reformationis obtentu, nova Lutheri Calvinique hæresis morum corruptelæ, totiusque disciplinæ exterminio latissimam viam aperuit: parum enim perditissimis hominibus visum foret, fideles omnes quamlibet peccatores, ab onere pœnitentiæ, jejunii, abstinentiæ, & satisfaciendi debito liberare, ac cætera quæque ad normam Evangelii a majoribus constituta diruere, nisi clericorum incontinentiæ patrocinium afferendo, sacrum ordinem pudendo dedecore deturpassent: audita est tum temporis per universas Germaniæ, finitimasque provincias prædicatio nova, tantum ab Evangelio Christi diversa, quantum novelli præcones ab Apostolis differebant.

„ Clericos in majoribus ordinibus constitutos, ipsosque cœnobitas solemni voto obstrictos, posse impune contrahere nuptias, contractasque, nihil impediente contrario voto, nec obstante lege Ecclesiæ, esse validas: doctrinam contrariam prædicare, nihil aliud esse quam nuptiis inferre injuriam, & Dei ipsius mandatum infringere: *crescite & multiplicamini*: posse proinde omnes uxoribus copulari, etiam si continentiam voverint, qui uon sentiunt se castitatis habere donum...“ Ne vero doctrinæ novæ nova & portentosa exempla deessent, sectator libidinum præceptorque vitiorum Lutherus, stupente orbe Christiano, maximo omnium scandalo, nec Religiosæ professionis, nec Sacerdotii memor, quo jam inde a pluribus annis homo scelestissimus fungebatur, nec tactus verecundia provectioris ætatis, ereptam e claustro Sanctimonialem Virginem publice uxorem duxit: parum videlicet ratus, Sanctissimam legem violare, nisi quam thori nefandi sociam habere meditabatur, sacrilegii complicem ac consortem haberet.

Ut vero non ibi unde cœperunt, prava exempla consistunt; quos suæ hæresis ac rebellionis, eosdem intemperantiæ detestabilis sectatores homo nefandissimus nactus est: statim enim quasi signo dato, cœlibatus undique cum indignatione ejectus: *Evangelicum* esse, (hoc enim sibi nomen impudentissime arrogabant) idem fuit ac esse sacrilegum: a novellis ubique prædicatoribus ad incestuosas nuptias palam ac publice involatum: novus quisque Apostolus coapostolam suam habere gloriabatur: inauditis hactenus Epithalamiorum cantibus tota Ger-

Digitized by Google

ta Germania perstrepebat: utque verbo dicam, nec Sacerdotio, nec Religiosæ professioni, nec sanctissimis Virginum recessibus parcitum, quin sub prætextu Religionis fœdissime contaminarentur: his videlicet artibus Lutherus ejusque socii, dum nihil se præter Christi gloriam, & decorem Ecclesiæ quærere jactitabant, laxatis impudicitiæ habenis, puritatem Evangelii & morum castimoniam, (si Deo placet) postliminio revocabant. *Quis non jure admiretur*, ajebat Erasmus, (*Epist. ad fratres inferioris Germaniæ*) *oviculas mactationi destinatas, nihil in hoc mundo quærentes præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas, onus tum miserum, tum grave, non posse vivere sine uxoribus, quas tam multi ob leviores causas aut non ducunt, aut ductas nollent? at istis omnis tragœdia exit in catastrophem comicam: ubi contigit uxor, occinitur*: valete & plaudite: *quæ (malum) est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere? unde tanta carnis rebellio, in his qui se jactant agi Spiritu Christi?*

Restabat, ut Doctrinæ novæ quæ bonorum ubique omnium offensionem, & ingens scandalum excitaverat, aliqua auctoritas, vel saltem, ad fucum simplicibus faciendum, auctoritatis species conciliaretur: hanc sane Romana non præbebat Ecclesia, quam constabat, disciplina antiquissima cœlibatum clericis majoribus injunxisse. Plusculum videbatur afferre præsidii Græca & Orientalis, ubi presbyteri, iisque inferiores clerici, etsi matrimonium post consecrationem inire non possint, eo tamen ante ordinationem contracto vetusta consuetudine uti permittuntur: itaque pseudo-Reformatorum in hoc cura, totaque industria fuit, ut hinc quidem latinos, tamquam legis divinæ, propter interdictas clericis nuptias, contemptores, maligno dente discerperent, ac conviciis onerarent; illinc vero indulgentiam Græcorum exaggerando Episcoporum, presbyterorom, omnium denique clericorum matrimonio, nihil in Oriente esse communius mentirentur.

Nostrum est, Latinam & Græcam Ecclesiam a calumnia vindicare, simulque ostendere ab utriusque Ecclesiæ more recentiores Hæreticos immensum exorbitasse: id quod sequentibus capitibus exequemur.

CAPUT PRIMUM.

Latina Ecclesia ab Hæreticorum calumniis vindicatur.

Ostenditur nimirum,

Sacri Ordinis cœlibatum, etsi juris divini non sit; habere tamen in Sacris litteris, Apostolorum exemplis, ipsaque ratione certissimum fundamentum.

PROBATIO I. PARTIS.

Ac primum quidem difficultatem non habet: quidquid enim hæresis mentiatur, numquam is fuit Latinæ Ecclesiæ sensus, a re uxoria continentiam sacris & majoribus clericis jure divino esse injunctam.

Quod enim nec scriptura nec traditio præscribit veluti absolute necessarium, ad jus divinum non pertinet: atqui abstinentiam ab uxoribus, nullibi legimus majoribus clericis, veluti rem absolute necessariam, divina ordinatione esse præscriptam: de tali præcepto scriptura silet, traditio nihil habet: nusquam ergo in hac sententia Latina Ecclesia fuit.

Deinde: ideo dici posset cœlibatus majoribus Clericis divina lege præscriptus, quia inter usum Matrimonii & sacrum ministerium aliqua pugnantia foret: atqui duo hæc invicem non pugnant, quod aliquis utatur matrimonio; & sacro altari deserviat: res enim sancta & bona cum altera sancta utique & bona non pugnat: atqui sanctum equidem altaris officium est; propter quod sacris ministris est dictum: *estote sancti quoniam ego sanctus sum*: at nihilominus matrimonium suapte natura & divina institutione est sanctum; unde *honorabile connubium* dicitur, & *thorus immaculatus*: ergo altaris functionibus, absolute loquendo, nec repugnat, nec officit.

Præterea si credidisset Latina Ecclesia cœlibatum clericorum, divini juris, & Apostolici præcepti rem esse, Græcos & Orientales disciplinæ contrariæ sectatores sua communione privasset, nec errorem eorum, non resistendo, probasset: ubi enim de præscriptione divina tractatur, neque indulgentia neque œconomia habet locum: atqui Græcos & Orientales clericos matrimonio utentes, jam inde a pluribus sæculis Latina Ecclesia toleravit, nec toleravit tantum, sed in suam communionem ultro citroque recepit: cujus rei fidem faciunt quæcomque supersunt Ecclesiastica monumenta: in iis enim tam obstinatis Græcorum contra Latinos dissidiis, nusquam legimus Græcos cleri-

Digitized by Google

eos propter nuptiarum usum accusatos divinæ legis infractæ: quoties in Conciliis de pace conciliandа tractatum est, nullibi declaratum debere Græcos presbyteros ab uxoribus legitimis abstinere: semper e contrario cum suis moribus sunt suscepti: indeque est, quod *Innocentius* III Pontifex Max. interrogatus de filio cujusdam Græci presbyteri, utrum legitime posset Episcopus ordinari? affirmanter respondit: „ nos igitur, *inquit*, (*cap. cum olim*: *de clericis conjugatis*) attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto: mandamus, quatenus, nisi pro eo quod Græci hujusmodi inter Latinos conversantur, regionis consuetudo repugnet, & si aliud canonicum non obsistat, ad confirmationem & consecrationem sine dubitatione procedas„. Ergo &c.

Insuper, hæc veritas confirmatur auctoritate *Ancyrani* Concilii, can. 9, sic præscribentis: „ Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic (*in cœlibatu*) manere non possunt: hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit: quicumque sane tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt . . . . *Synodus Ancyrana* hoc tempore habita est, (*ann.* 314) quo clerici majores opinione continentiæ præcellebant, non in Latina tantum, sed & in Orientali Ecclesia: permittunt tamen Patres, ut si quis ante ordinationem protestatus fuerit, non posse se in cœlibatu manere, libere deinceps matrimonium possit inire. Ergo legem cœlibatus non esse majoribus clericis divina auctoritate præscriptam, quarto ineunte sæculo communis & ubique recepta doctrina erat.

Denique, disciplina quæ canonibus Ecclesiasticis accensetur, quæque mutationi obnoxia creditur, dici non potest in divino & immutabili præcepto fundari: atqui disciplina cœlibatus antiquorum Patrum judicio, canonibus mere Ecclesiasticis, iisque mutabilibus accensetur: sic *S. Epiphanius* (*hær.* 59) clericorum ab uxoribus abstinentiam, in illis præcipue locis vigere affirmat, *ubi Ecclesiastici canones accurate servantur*. Pariter *Socrates* (*hist. Eccl. lib.* 5, *cap.* 21) quod clericus cum uxore ante ordinationem ducta non dormiat, rem *consuetudinis* esse dicit, quam non ubique esse receptam affirmat: *Presbyteri*, inquit, *& Episcopi etiam*, *nulla lege coacti ab uxoribus abstinent*. *Nam non pauci illorum*, *dum Episcopatum gerunt*, *etiam liberos ex uxore legitima procreant* . . . . eodemque sensu *Trullana Synodus* (*an.* 692) *canone* 13, "Quoniam Romanæ Ecclesiæ, *inquit*, pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos: nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris, legitima conjugia deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua, tempore convenienti, consuetudine privantes &c. . . . „ adstipulatur S. *Basilii* Magni auctoritas, innuentis cœlibatus professionem, non ordini clericorum, sed soli monasticæ vitæ esse adjunctam. *Virorum professiones*, inquit, (*Ep.* 2 *Canon. cap.* 19) *non novimus*, *præter quam si qui se ipsos Monachorum ordini addixerint*: *qui tacite videntur cœlibatum admittere* . . . . sane si perpetuæ continentiæ lex clericis majoribus jure divino foret imposita, nemo unquam ad ordines sacros esset promotus, nisi qui castitatem professus esset. Cum itaque votum illud proprium Monachorum esse affirmet S. Basilius; argumento est clericorum continentiam nusquam in divinis legibus computatam.

PROBATIO II. PARTIS.

Nec inde tamen sequitur, sacri ordinis cœlibatum aut contemni impune posse, aut tamquam juri divino contrarium profligari: disciplina namque in divinis litteris, Apostolorum & virorum Apostolicorum exemplis, ipsaque ratione fundata, non potest sine summa temeritate damnari; atqui hujusmodi Latinæ Ecclesiæ disciplina est, abstinentiam ab uxoribus a primæva antiquitate præscribens. Quod sic probamus per partes.

Ad 1 quidem de auctoritate verbi divini non dubitabit, qui Christi & Apostolorum sententias legerit: de matrimonio interrogatus a Pharisæis Salvator, (*Matt.* 19, 3°) *utrum ne liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* . . . . *dico vobis*, inquit, (*ib. v.* 9) *quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*, *& aliam duxerit*, *mœchatur*: *& qui dimissam duxerit mœchatur* . . . quo ejus responso commoti discipuli: *si ita est*, inquiunt, (*ib. v.* 10) *causa hominis cum uxore*, *non expedit nubere*: quibus continuo magister excellentissimus: *non omnes*, inquit, *capiunt verbum istud*, *sed quibus datum est*: *sunt enim Eunuchi*, *qui de Matris utero nati sunt*; *& sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus*: *& sunt*

& sunt Eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum: qui potest capere capiat.

Itaque Christo auctore & judice, castrare se ipsum propter Regnum cœlorum; id est, ad salutem facilius capessendam, renuntiare nuptiis, bonum est: adeoque habet cœlibatus in documentis cœlestibus fundamentum. Jam quæro, quibus magis conveniat vitam cœlibem ducere, quam iis qui ab omni sæculari cura abstracti, totos se altaris ministerio devovent, quod est omni angelica functione nobilius ac perfectius? fatendum ergo abstinentiam ab uxoribus, majoribus clericis in Ecclesia Latina impositam, in verbo divino fundari.

Est & alterum in eodem Matthæi cap. ejusdem rei validissimum argumentum, ubi dicenti Petro: (*ib. v.* 27) *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? amen dico vobis*, respondit Jesus, *quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel: & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quomodo, inquiet aliquis, secum ipso Christus non pugnat? paulo enim ante prædixerat: (*ib. v.* 6, & 9) *quod Deus conjunxit, homo non separet .... quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit mœchatur.* Modo vero priorem velut sententiam revocans: *amen dico vobis*, ait, *omnis qui reliquerit uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quomodo non licet dimittere, si licet relinquere? verum hæc duo accuratius introspicienti, apprime cohærere compertum erit. Quod enim primo loco est pronunciatum, ad ostendendum nuptialis fœderis vinculum inviolabile dictum est, quod non licet ulla interveniente causa abrumpi. Sequenti vero oraculo perfectionis Evangelicæ consilium continetur, quæ in hoc in primis consistit, ut quis prædominante Dei amore incitatus, vel uxorem omnino non ducat, vel postquam duxerit, usui matrimonii, consortis accedente consensu, renunciet. Christo itaque judice cœlibatus matrimonio perfectior est, cui nimirum in æterna vita promittitur ad centuplum felicitatis augmentum. Jam sic subsumo: atqui potuit & etiamnum potest Ecclesia id quod melius ac perfectius est, ministris suis præscribere: nec quisquam eam ob rem de illata sibi injuria queri potest: status enim Ecclesiasticus, res est, non necessitatis, sed voluntatis, electionis, non coactionis: verbo dicam, nemo ad ministerium altaris violenter abripitur: quisquis ergo non putat a re uxoria posse abstinere, nubat ille, (per Ecclesiam licet, quæ nuptias nedum damnat, laudat & approbat;) sed ad sacrum ministerium non aspiret; cui conditio cœlibatus, consentanee ad Evangelicam perfectionem, sapientissimo decreto adjuncta est.

Magistro veritatis Discipulus veritatis consentit, ad *Corinthios* ita loquens: (1 *Cor.* 7, *v.* 7, & *seqq.*) *volo omnes vos esse sicut me ipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic; dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego .... de virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis: existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse... solutus es ab uxore? noli quærere uxorem ... itaque dico, fratres, tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores tamquam non habentes sint ... volo autem vos sine sollicitudine esse: qui sine uxore est sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori: & divisus est ... porro hoc ad utilitatem vestram dico: non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat, sine impedimento Dominum obsecrandi ... beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.*

Quam multa in hoc testimonio occurrunt, e diametro insanis *Lutheri* & *Calvini* paradoxis contraria! volunt illi omnibus indiscriminatim nubendi præceptum impositum; unde consequens est, neminem debere a matrimonio deterreri; e contra Apostolus in cælibatu vitam ducens, adeoque, si novis reformatoribus credimus, divini mandati infractor, omnes sui similes esse desiderat, *volo*, inquit, *omnes esse sicut me ipsum.* Illi Latinam Ecclesiam sævissimæ Tyrannidis accusare non desinunt, propterea quod statuerit majoribus clericis a re uxoria abstinendum: longe vero aliter B. Paulus, ipsis etiam laicis, viris indiscriminatim ac fœminis, continentiam persuadet: *mulier innupta*, inquit, (*ib. v.* 34, 39 & *seq.*) *& virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro ... mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium*: illi

conti-

Digitized by Google

continentiam impossibilem esse affirmant, & ea propter majores suos redarguunt, quasi jugum importabile clericis imposuerint: unde, si iis credimus, sequitur Apostolum delirare, qui det impossibilis rei consilium: in iis enim solis consilium locum habet, quæ fieri non repugnat: alioquin stultus fuerit, qui consilium homini dederit, non esse ex anima concretum & corpore, aut non desiderare esse beatum: quia homo nequit intelligi sine animæ & corporis mixtione; nec potest a beatitudine appetenda cessare: illis adeo sancta matrimonii munia sunt, ut religionis officia nullatenus interrumpant: ex adverso B. Paulus: *qui cum uxore est*, inquit, *sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est . . . tempus breve est, reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint*: illi denique dum impotenti Clericorum, Religiosorum, Monachorum, & Sanctimonialium salacitati ac luxuriæ fræna laxabant, Sp. Sancto afflante loqui se impudentissime jactitabant: Apostolus e contrario sanctioris suasor auctorque propositi; *puto*, inquit, *quod & ego spiritum Dei habeam* (*ib. v.* 40).

Quamquam igitur, (ut quod res est fateamur) cælibatus majoribus clericis jure divino injunctus non fuerit; in divinis tamen consiliis locum habet, & ad majorem perfectionem, Deo ipso attestante, conducit: quis itaque audeat Latinam Ecclesiam ideo redarguere, quia clericis præscripsit genus vitæ perfectius, divinisque mysteriis dignius, quibus consecrandis incumbunt?

Jam si exempla quæruntur, non erit ab antiquissimis temporibus ea derivare difficile: ut enim de Christo taceam, qui virgo natus ex Virgine virginitatem perpetuo coluit, ejusque absolutissimam formam, quippe Sanctus Sanctorum dedit; Apostolorum nemo, præter S. Petrum, fuisse legitur conjugatus: *Apostoli*, inquit S. Hieronymus, (*Ep.* 50) *vel virgines, vel post nuptias continentes* ... & alibi: (*lib.* 1 *adv. Jovin.*) *excepto Apostolo Petro, non est manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint: & cum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum; intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet*: sed etsi daremus, quosdam præter Petrum Apostolos matrimonium inivisse; nihilominus omnes ex quo a Christo vocati sunt, ab usu matrimonii abstinuisse certissimum foret ex verbis S. Petri ad Christum directis: *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: & ex Christi ad eumdem responsione: *omnis qui reliquerit uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: quæ verba S. Hieronymus explicans: *assumpti in Apostolatum*, inquit, *relinquunt officium conjugale*.

Apostolorum exempla, qui statim, & deinceps rexerunt Ecclesiam viri Apostolici, tum in cæteris, tum in servando cælibatu secuti sunt; edant enim, si potis est, Lutherani, & Calvinistæ, quasnam S. Ignatius Martyr, S. Polycarpus, S. Irenæus, S. Athanasius, S. Basilius, aliique numero propemodum infinito, quorum memoriam Annales Ecclesiastici consecrarunt, uxores habuerint: quod si præstare non valent, neque hactenus potuerunt, fateantur tandem veritate victi atque compulsi, non esse in Ecclesia novam, nec antiquæ disciplinæ contrariam cœlibatus præscriptionem.

Adstipulatur denique ratio, multis modis persuadens a re uxoria continentiam sacris ministris esse servandam.

Quo enim status aliquis sublimior ac sanctior est, eo sanctius vitæ genus requirit: atqui status clericorum, omnium quos obire homo mortalis potest, sanctissimus & excellentissimus est: genus ergo optimum vitæ requirit: porro talem esse cælibatus conditionem solus animalis homo negabit, ea quæ sunt spiritus non percipiens: non ita sane Apostolus sentiebat, qui etsi nuptias laudaret pro merito, longe tamen melius esse contendebat non nubere: & vero matrimonii officia expendenti compertum erit, ea etsi absolute non officiant sanctitati, impedimentum tamen ei aliquod & tarditatem afferre: indeque est quod idem B. Paulus conjugatis consilium dabat, ut vacaturi orationi, ab invicem ad tempus discederent: quod si laicis usu matrimonii, auctore Apostolo, abstinendum, ut liberius ac perfectius Deo laudis sacrificium offerant; quid iis agendum dicemus, qui quotidie Deo offerre tenentur, vel offerenti assistere, & pro populo puras ad cœlum levare manus? *si oratio justi*, inquit antiquissimus Scriptor Origenes (*hom.* 2 *in lib. Numer.*), *sicut incensum offertur in conspectu Domini, & elevatio manuum ejus sacrificium est vespertinum; dicit autem Apostolus iis qui in conjugiis sunt*: nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum in idipsum sitis: *certum est, quia impeditur sacrificium indesinens, iis qui conjugalibus necessitatibus serviunt: unde videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati*.

Pari sensu S. *Epiphanius*: *Ecclesia*, inquit, (*hær.* 59) *utpote a Sp. sancto bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum insti-*

instituit, ut quæ divino numini ministeria præstantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur; utque spiritualia omnia officia quam optima lætissimaque conscientia gerantur. Hoc igitur dico propter functiones atque officia convenire, ut Presbyter, ac Diaconus, & Episcopus Deo penitus vacet. Nam si illis etiam qui e populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit, ut, inquit, ad tempus vacent orationi; quanto id magis sacerdoti præscribit? nimirum nullis ut impedimentis avocetur; quod in spiritualibus secundum Deum negotiis, in ipso usu sacerdotii administrationeque ferietur.

Et S. *Hieronymus*: *si laicus*, inquit, (*lib. 1 adv. Jovin. c.* 19) *& quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio conjugali; sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semel orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo hostias offerebant, non solum in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem provocare.*

Et Siricius *Pontifex Max.* (*Ep.* 4 *ad Af. Episcopus, cap.* 9) *præterea*, inquit, *quod dignum, & pudicum, & honestum est, suademus ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia in ministerio divino quotidianis necessitatibus occupantur: ad Corinthios namque sic Paulus scribit dicens*, abstinete vos, ut vacetis orationi. *Si ergo laicis abstinentia imperatur, ut possint deprecantes videri: quanto magis sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? qui si contaminatus est carnali concupiscentia quid faciet? . . . qua conscientia, quo merito hic exaudiri se credit, cum dictum sit*; omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?

Ergo Clericis majoribus a matrimonio abstinendum, sanctitas ipsa sacri ministerii persuadet.

Accedit altera ratio ex multiplicitate & gravitate spiritualium negotiorum petita, quæ Episcopis, Presbyteris, & generatim majoribus clericis tractanda incumbunt, quæ sane totum hominem, animumque ab omni extranea occupatione liberum postulant: quo sensu ab Apostolo dictum: *nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*; atqui inter temporales curas ac sollicitudines quæ turbare hominem anxiumque tenere solent, sine dubitatione maxima est quam matrimonii nexus importat: id quod quotidiano experimento Patres familias probant atque testantur: quo ergo liberius ac facilius clerici suscepta officia adimplent, convenientissimum fuit eos ab onere matrimonii liberari, & ad continentiam adigi; *his autem ipsis*, (Episcopis nimirum & Presbyteris) inquit Eusebius Cæsariensis (*Demon. Ev. l.* 1, *c.* 9) *ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctus a re uxoria victus adamatur, veluti iis, qui divina & incorporea sobole propaganda occupati tenentur; & non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint.*

Solvuntur Hæreticorum objectiones.

Audiamus modo & refellamus quæ in sui gratiam argumenta congerunt, libidinis & intemperantiæ audacissimi defensores.

Continentiæ servandæ lex, *inquiunt*, nullibi in sacris litteris legitur ordini clericorum præscripta. Ergo tantum illis onus imponi non debuit.

℞. Concesso ant. n. cons. Nullibi equidem in scriptura clericis legitur temperantia ab uxoribus imperata: sed pariter nullibi vetita legitur. Immo ex testimoniis Scripturæ superius adductis liquido constat, melius ac decentius esse, ut clerici a matrimonio ineundo, & ab ejus ante ordinationem contracti usu prorsus abstineant: ita insinuatum a Christo: ita ab ejus Apostolo confirmatum: ita ab Apostolis eorumque successoribus observatum, quos constat vel fuisse virgines, vel post nuptias, continentes. Jure ergo suo Ecclesia, cui condendarum legum & disciplinæ stabiliendæ facultas a Christo concessa est, id quod perfectius ac convenientius esse noverat clericis imperavit.

Inst. 1. Atqui a matrimonio continentia omnibus & singulis hominibus divino mandato vetita est. Ergo &c.

Prob. subs. Ex verbis quæ Gen. 1, v. 27, & seq. leguntur: *creavit*, inquit, *Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum & fœminam creavit eos: benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & n. conseq. Simulque suppositum argumenti. Si pro absoluto præcepto hæc ad primos homines a Deo directa verba haberi debent, & ad omnes & singulos eorum posteros ex æquo pertinere existimantur; pariter brutis ipsis animantibus idem præceptum divinitus intimatum: in hoc enim ipso cap. v. 21 & sequente legitur: *creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque mota-*

motabilem, *quam produxerant aquæ in species suas*, *& omne volatile secundum genus suum*... *benedixitque eis*, *dicens*: *crescite & multiplicamini*; atqui animantibus quippe rationis expertibus præceptum fieri nequit: dicendum ergo his verbis: *crescite & multiplicamini*: non mandatum nubendi significari, sed benedictionem ac fœcunditatem quam humanæ naturæ Deus ab initio impartivit, ut nusquam intermittenda sobole posset in perpetuum propagari.

Quod si pro formali mandato accipi debere pugnaciter aliquis contendat, non repugnabimus, modo fateatur, non ad singulos in individuo homines, sed ad totam universim speciem pertinere: alioquin enim facimus Christum Deo Creatori contrarium, quippe qui eos in Evangelio laudat, qui se ipsos propter regnum cœlorum castraverint, idest voluntario nuptiis continuerint: & facimus Apostolum ejus sacrilegum, qui videlicet omnibus indicente Deo: *crescite*, *& multiplicamini*: dare virginitatis consilium ausus fuerit, & præferre nuptiis continentiam, *qui matrimonio*, inquit, (1 *Cor.* 7, 38) *jungit virginem suam*, *bene facit*: *& qui non jungit*, *melius facit* ... *beatior erit*, *si sic permanserit*, *secundum meum consilium*: quin & Apostolos omnes, & Apostolicos viros facimus refractarios, quos constat vel a nuptiis contrahendis, vel a contractarum usu abstinuisse, adeoque divinum imperium, in hac hypothesi, infregisse: *crescite & multiplicamini*.

Inst. 2. Atqui ne ipsos quidem clericos a nubendi officio posse eximi, Scripturæ sententia est. Ergo &c.

Prob. subs. Ex verbis Apostoli: *oportet*, inquit, (1 *Tim.* 3, 2. *Tit.* 1, 6) *Episcopum irreprehensibilem esse*, *unius uxoris virum* ... *hujus rei gratia reliqui te Cretæ*, *ut* ... *constituas per civitates Presbyteros* ... *si quis sine crimine est unius uxoris vir*. Inde sic eruunt argumentum:

A nubendi debito non eximitur, quem unius uxoris virum esse oportet: atqui tales præscribit Apostolus Episcopos ac Presbyteros ordinandos, qui unius uxoris sint viri. Ergo &c.

R. 1. Si hæc Apostoli sententia necessariam nubendi conditionem significat, sine qua nemo possit Presbyter aut Episcopus ordinari: nec Paulum, nec cæteros Apostolos vere fuisse Episcopos. Nam B. Paulus se cœlibem profitetur, *omnesque desiderat esse sicut seipsum*: (*Cor.* 1, *c.* 7) reliqui vero Apostoli, ut ex S. Hieronymo sæpe prædictum est, *vel virgines fuêre*, *vel post nuptias continentes*: quin & eadem in sanctissimos priscæ & sequentium ætatum Antistites accusatio recidet, qui cum innupti perpetuo manserint, hac de causa fuerant ab Episcopatu arcendi: quod nisi vident Lutherani & Calvinistæ absurdissime blaterari, nil prorsus vident.

℞. 2. Si ex Apostolico dicto Presbyter aut Episcopus ordinari nequit, nisi quem virum unius uxoris esse constiterit; dicendum pariter a sacro ministerio debere repelli, qui ex carnali matrimonio filios non genuerit: par enim utriusque in Epistolis S. Pauli præscriptio est: *oportet*, inquit, (1 *Tim.* 3, 2, & 4) *Episcopum irreprehensibilem esse*, *unius uxoris virum* .... *suæ domui bene præpositum*, *filios habentem subditos cum omni castitate*: in Ep. vero ad *Titum* (*Tit.* 1, 6) uno tenore sic legitur: *si quis sine crimine est*, *unius uxoris vir*, *filios habens fideles*, *non in accusatione luxuriæ*, *aut non subditos*: quis porro nisi insipiens hoc concesserit, filiorum orbitatem, aut sterilitatem, repulsione a sacro ministerio castigandam? itaque

℞. 3. Nego subs. ad probat. admitto Apostoli testimonium, & concessa maj. n. min. Non enim Scripturæ verborum est sensus debere necessario uni uxori esse conjunctum, qui ad Episcopatum eligitur, sed non posse eligi qui plures successive uxores habuerit: responsionis veritatem antiqua Græcorum, Orientalium, & Latinorum disciplina invincibiliter adstruit: constat enim priscis canonibus, per universam Ecclesiam cautum esse, non ut uxorem unam haberet, qui ad Episcopatum aut Presbyteratum promoveretur; sed ut nemo mysteriis sacris præficeretur, qui nuptias duplicasset: idemque hodie mos in oriente & Occidente servatur: legantur omnes qui ubivis extant canones conciliorum, summorum Pontificum sanctiones, ac Patrum sententiæ: & si vel una reperta fuerit, ubi verba Apostoli aliter quam de *μονογάμῳ*, eo videlicet qui semel tantum nupserit, intellecta comperiantur, tum sane, per nos licet Lutherani ac Calvinistæ triumphum canant. At, audacter dicimus, quantum infeliciter hactenus, tantum hoc in posterum frustra tentabunt: hujus porro Apostolicæ & Ecclesiasticæ disciplinæ causas, quoniam alibi explicuimus, attingere de novo non convenit, ne actum agamus. (*vide sup.* 1 *p. de impedimentis ordinat.*)

Inst. 3. Præpostera hæc Apostolici textus interpretatio est. Ergo non est admittenda.

Prob. ant. Duo in hac ejus sententia debent attendi. Primum est, Episcopum oportere esse *virum*, maritum videlicet: secundum, oportere esse *unius uxoris virum*, id est non debere plures simul uxores habere; unde sic enascitur argumentum:

Præ-

Præceptum Apostoli est, non posse simultanee polygamum, ad Episcopatum assumi. Ergo pariter pro ejus præcepto haberi debet, quod monogamus sit, qui Ecclesiæ regendæ præficitur.

℟. Nego ant. ad probat. n. hunc præscriptionis Apostolicæ esse sensum, quem ei temerario Heterodoxi affingunt. Dici enim nequit Apostolum ab Episcopatu eos solum excludere voluisse, qui plures simul uxores haberent, quin pro re certa atque comperta ponatur, polygamiam simultaneam fuisse in Ecclesia toleratam atque communem: ut quid enim plurium simul uxorum maritos a sacro ministerio Beatus Paulus repelleret, si nemo hujusmodi inter fideles reperiretur? atqui constans & indubitata res est, polygamos simultaneos, nedum fuerint aliquando in Ecclesia tolerati, ab ejus communione & a cætu fidelium semper ignominiose rejectos, donec atrox facinus severissimis pœnitentiis expiassent: necesse ergo non erat ut Apostolus Titum & Timotheum admoneret, non esse ad Episcopatum assumendos, quos ne ad commune quidem fidelium consortium Ecclesia admittebat; quapropter rejecta pro merito sinistra hæreticorum interpretatione, consentanee ad universam Græcorum ac Latinorum Ecclesiam dicimus, Apostolum verbis suis non præcipere, ut unam uxorem habeat, qui Episcopus consecratur; sed ne ad divinum ministerium assumatur, qui etiam successive nuptiarum unitatem excesserit. Non quod sæpius nupsisse crederetur esse peccatum, sed quod repetitæ suspicionem effrænis concupiscentiæ præ se ferrent, & a perfecta Sacramenti significatione deficerent. Quam rationem S. Aug. expendeos: *Sacramentum nuptiarum temporis nostri*, inquit, (*de bono conjug. c.* 18) *sic ad unum maritum, & unam uxorem redactum est, ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinari, nisi unius uxoris virum: quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in baptismo peccata omnia dimittuntur; sed qui dixit*: si acceperis uxorem non peccasti: &, si nupserit non peccavit: &, quod vult faciat, non peccat, si nubat: *satis declaravit nuptias non esse peccatum. Propter Sacramenti autem sanctitatem, sicuti fœmina, etiamsi Catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurde visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse; sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam*. Ita S. Doctor, non eos qui simultanee polygami fuerint, (hos enim ne inter fideles quidem habere locum Religio patitur) sed eos qui successive singularem numerum nuptiarum excesserint, consentanee ad canones ubique observatos excludens. Porro quod Apostoli verba *unius uxoris virum*, de præcepto unam uxorem habendi, hæretici accipienda contendunt, quam absurdum ac ridiculum sit, ipsique Apostolo injuriosum, soli illi non capiunt, quibus juvat incontinentiæ fautores ac patronos esse.

Inst. 4. Atqui nequit majoribus clericis continentia ab exercendo aut ineundo matrimonio interdici, quin præceptum Domini violetur, Ergo &c.

Prob. subs. Ex verbis Christi: *non legistis*, inquit, (*Mat.* 19, *& seq.*) *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Inde sic inferunt argumentum:

Præceptum Domini est, nexum ab ipso Deo connubii fœdus, nulla debere humana auctoritate abrumpi; atqui clerici nequeunt ab usu aut contractu matrimonii interdici, quin tyrannica usurpatione sacrum nuptiarum fœdus frangatur. Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. recipio testimonium, & concessa maj. n. min. nihil ad quæstionem præsentem facit hæc tanta ostentatione jactata auctoritas: vel enim qui ad ordines sacros & majores provehitur, ante ordinationem cælebs repertus est vel maritus. Si primum: ab uxore non separatur: namquomodo separatio est ab uxore, quæ nusquam fuit; cum separatio conjunctionem necessario præsupponat? si secundum: ne tum quidem dici potest nexus connubii rumpi; etiamsi ab usu matrimonii deinceps, qui ad majores ordines est assumptus, prohibeatur: vinculum enim non frangitur, quamdiu integrum & inviolabile perseverat; atqui etiamsi ad continentiam ab uxore propria (ejus consensu ante ordinationem præmisso,) clericus adigatur, vinculum tamen matrimonii integrum & inviolabile manet; ita ut ex Christi & Apostoli sententia, *mulier alligata sit legi, quanto tempore vir ejus vivit; nec in primam libertatem restituatur, donec vir ejus dormierit*. (1 *Cor.* 7, 39) Ergo nulla ibi vinculi nuptialis fractio est: quam insulse autem ex hac Christi sententia hæretici argutiolas inferant, vel inde patet, quod eo loci, non de matrimonio contrahendo, sed de contracto agatur; *accesserunt*

Digitized by Google

serunt ad Jesum Pharisæi, inquit S. Evangelista (*ib. v. 30*), *tentantes eum*, *& dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa? qui respondens ait eis: non legistis quia qui fecit hominem ab initio &c.* Nam quod attinet ad matrimonium contrahendum, nedum ejus ineundi legem omnibus positam Christus doceat; aperte e contra ibidem insinuat, melius ac perfectius esse non nubere: dicentibus enim discipulis: (*ib. v. 10, & seqq.*) *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*: non respondet, nubere necessarium esse, sed: *non omnes*, inquit, *capiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum: qui potest capere capiat.* Non jam ergo hæretici Ecclesiam, sed Christum ipsum accusent, quippe qui, (si qua cavillationis eorum vis est,) contra Dei legem omnibus matrimonium imperantis, continentiæ doctor fuerit & suasor.

Inst. 5. Atqui ne a Thoro quidem & nuptiarum usu poterat Ecclesia majoribus clericis interdicere. Ergo &c.

Prob. subseq. Ex verbis Apostoli: *honorabile*, inquit, (*Hebr. 13, 4*) *connubium in omnibus*, *& Thorus immaculatus*. Unde sic disputant: ea legitima sanctio non est, quæ sanctitati matrimonii gravem infert injuriam; atqui prohibitio nuptiarum clericis majoribus facta, sanctitati matrimonii gravem injuriam infert, & Apostolo contradicit, connubium in omnibus personis esse immaculatum & honorabile affirmanti: qui enim dixit, *in omnibus*, neminem, & ne ipsos quidem Episcopos ac sacerdotes a contractu & usu nuptiarum exclusit. Ergo &c.

R. Nego subseq. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. falsumque suppositum. Misere hic, ut in cæteris, Aposroli textum hæretici torquent, ut eum patronum incontinentiæ faciant: nam quod τὸ *in omnibus*, de personis ipsis accipiunt, quasi dicere voluerit B. Paulus, *quivis nubat*, *& cum quovis nubat*, *suum nihilominus matrimonio integrum honorem constare*, tum absurdissimum, rum impietatis plenissimum est: quid enim si mater cum filio, pater cum filia, cum sorore frater nefando concubitu misceatur; *numquid honorabile connubium erit*, *& thorus immaculatus?* Apage sententiam, non minus naturæ, quam legi divinæ contrariam: itaque sic debent verba Apostoli accipi, ut τὸ *in omnibus* non ad nubentes, sed ad connubium ipsum pertineat, quod revera se ipsa honorabile est, & immaculatum, sive prolis ratio habeatur, sive fidei, sive Sacramenti. Unde sequitur a nemine debere matrimonium infamari, quippe quod modo præscriptos limites non excedat, & legitime contrahatur, honore laudeque dignissimum sit: hac posita quam sensus ipse communis suggerit explicatione, quid inde tandem eruere ad sui defensionem hæresis potest? *honorabile*, inquit Paulus, *connubium in omnibus*, *& thorus immaculatus*: quasi diceret: *moneo vos*, *quotquot jugum matrimonii subiistis*, *ut status vestri memores*, *sancte & juste ejusdem in omnibus officia impleatis*, *ad prolem sive suscipiendam*, *sive educandam*; *nec fidem mutuo præstitam ullatenus violetis*: unde continuo subdit: *fornicatores enim & adulteros judicabit Deus*; sed quid inde, inquam, ad causæ deploratæ præsidium Lutherani extundent? numquid quia in iis qui legitime juncti sunt, matrimonium honorabile est, pariter in sacerdotibus, & iis generaliter qui semetipsos voto continentiæ perpetuæ Deo voverint, immaculatum & honorabile reputabitur? numquid facit injuriam nuptiis, qui eis honorem debitum exhibens, non ex contemptu, sed ut liberius ac sanctius Deo serviat, a nuptiis abstinet? numquid reprehendit quod bonum est, qui quod est melius anteponit? numquid denique nuptiarum injuria est, implere votum continentiæ Deo factum? longe aliter Sancti Patres: quos inter S. Joannes Chrysost. in Ep. ad *Theodorum* lapsum: *legitima*, inquit & *justa res est conjugium*, *& ipse confiteor*: honorabile connubium, inquit *Apostolus*, & cubile immaculatum; *sed tibi jam non est integrum connubii jura servare: cælesti enim sponso semel junctum*, *illum relinquere*, *& uxoris laqueis implicari*, *adulterii crimen incurrere est*. *Quamvis millies hoc ipsum nuptias voces*; *ego tamen & adulterio illud tanto pejus affirmo*, *quanto melior mortalibus Deus*.

Inst. 6. Non debuit clericis majoribus illud interdici, cujus exemplum dederunt Apostoli; atqui Apostoli cum prædicatione Evangelii, cæterisque sacerdotii muniis usum matrimonii conjunxerunt: quod a S. Paulo aperte videtur insinuatum: *numquid*, inquit, (*1 Cor. 9, 5*) *non habemus potestatem*, *mulierem sororem circumducendi*, *sicut & cæteri Apostoli*, *& fratres Domini*, *& Cephas? aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* Ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. Nova hic hæreticorum scripturam fœde adulterantium calumnia est. Si enim ideo quia leguntur Apostoli mulieres sorores circumduxisse, quod mariti fuerint, & matrimonio usi sint, potest affirma-

Digitized by Google

firmari; nihil obstat quominus idem (quod cogitatu horrendum est) de Christo ipso dicatur: de illo namque pariter legitur, quod non unam, sed plures mulieres, Regnum Dei annuncians, circumduxerit: *factum est*, inquit Scriptor Sacer, (*Luc.* 8, 1, *& seqq. vide Mat.* 27, 55. *Mar.* 15, 40, *&* 41) *& ipse iter faciebat per civitates, & castella, prædicans & evangelizans Regnum Dei: & duodecim cum illo: & mulieres aliquæ ... Maria quæ vocabatur Magdalena ..... & Joanna uxor Chusæ ..... & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis:* dicendum itaque cum Patribus, Apostolos, non pravi exempli authores, sed bonum Christi exemplum secutos, mulieres aliquas velut sorores, prout textus ipse aperte declarat, circumduxisse; tum ut ab iis necessaria ad victum & vestitum reciperent; tum præcipue, ut iis velut adjutricibus, iis in locis quorum aditus fœminis solis permittebatur, ad propagationem Evangelii uterentur. *Qui virginitatem suadebant*, ait S. Isidorus Pelusiota, (*lib.* 3, *Ep.* 179) *& castitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem non habebant; quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, si in voluptatum cœno semetipsos volutantes deprehensi essent?* & S. Clemens Alex. (*lib.* 3, *strom.*) *Apostoli*, inquit, *prædicationi attendentes, non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in Gynæceum absque ulla reprehensione, mlave suspicione ingredi posset doctrina Domini*.

Inst. ultimo. Rei impossibilis præceptum esse non potest; atqui servare continentiam homini impossibile est: Cujus veritatis etiamsi alia deforent argumenta, vel hoc unum convincentissimum esset, quod suggerit dissolutio cleri ex nuptiarum prohibitione secuta: quot enim & quantorum malorum origo fuit, tyrannica matrimonii interdictio? quot inde, & quam horribili scandalo, adulteria, incestus, fornicationes manarunt, & quotidie consequuntur; natura videlicet, cui, aptatum ab ipso Deo, connubii remedium denegatur, in illicitas libidines erumpente? ergo sancire hujusmodi legem Ecclesia Latina non potuit.

R. concessa maj. n. min. & dico hanc Hæreticorum præsumptionem verbo divino, naturæ rationali, ipsique experimento e diametro contrariam esse: repugnat, inquam, verbo divino. Numquid enim de re impossibili Christus loquebatur, quando dicebat: (*Matt.* 19, 12) *sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum?* numquid rei impossibili coronam repromittebat, quando interroganti Petro: (*ib.* 27, *& seq.*) *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? amen*, inquit, *dico vobis,... omnis qui reliquerit .... uxorem .... propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit?* numquid rem impossibilem Apostolus, ludens illudensque suadebat quando omnes sui volebat similes esse, videlicet cultores virginitatis? (*vide* 1 *Cor.* 7, 7, *& seqq.*) numquid rem impossibilem idem Apostolus postulabat, quando propriam infirmitatem deplorans: *ne magnitudo*, inquiebat, (2 *Cor.* 12, 7, *& seq.*) *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me?* quod enim rem justam & possibilem peteret, responsum a Domino datum demonstrat: (*ibidem v.* 9) *sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur*; itaque recentiores hæretici dum impossibilem esse continentiam dictitant, verbo divino contradicere convincuntur.

Quid quod & ipsi naturæ rationali insultant, continentiam impossibilem ausu sacrilego prædicantes: numquid enim homini ratione utenti summam non facit injuriam, qui eum negat posse a re uxoria abstinere? potuerunt scilicet Gentiles plerique Philosophi, quo liberius vacarent prophanæ studio sapientiæ; potuerunt hodieque possunt infinito numero laici, ut totos se se aut mercaturæ dedant, aut negotiis sæcularibus, matrimonii oneri nuncium mittere: & non poterit homo Christianus, ne divisum cor habeat, utque cœlestem coronam majori facilitate capessat, carnis concupiscentiam refrænare? vah! imprudentes, impudentesque magistros, grege Cynicorum quam societate fidelium digniores, qui dum nubendi necessitatem exaggerant, humanæ naturæ dignitatem ad pecudum conditionem ignominiose detrudunt! quantum autem ab ipso sensu communi perversa Lutheri, ejusque similium doctrina abhorreat, præterquam quod ex prædictis est manifestum, duplici argumento confirmo.

1. Petitur ex statu viduitatis, in quo plerique, alterutrius conjugum morte incidente, quidquid reliquum vitæ est laudabiliter degunt: viduitatem sane locis innumeris, utriusque Testamenti Scriptura commendat: laudatur in veteri, fœmina sancta *Judith*, quæ florente ætate, & *eleganti aspectu nimis*, (*Judit.* 8, 4, *& seq.*) *vidua a marito relicta, in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa moraba-*

rabatur, habens super lumbos suos cilicium, & jejunans omnibus diebus vitæ suæ: laudatur in novo, (*Luc.* 2, 36, *& seq.*) *Anna Prophetissa filia Phanuel, quæ processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua: & hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die*: longum fuerit omnes quarum encomium in sacris extat litteris, recensere: neque solum inter veros Dei cultores, sed & in falsis quibusque religionibus viduitati honorem habitum constat. Porro si, ut adversarii deblaterant, continentia impossibilis est, nedum laudari viduitas debeat, execratione & odio digna erit; falso dictum fuerit ab Apostolo: (1 *Tim.* 5, 3) *viduas honora, quæ vere viduæ sunt*: hoc enim ipso quod aliquis in viduitate contra imperium naturæ persistet, libidinis & incontinentiæ convincetur; eoque magis, quo difficilius vulgo putatur, iis qui nuptias semel experti fuerint, a maritali commercio abstinere.

2. Lex ipsa matrimonii suggerit, cujus tanta severitas ac sanctitas est, ut conjugibus quamdiu uterque in vivis agit, nullo prætextu liceat, cum altero, vel cum altera commisceri: ponamus ergo id quod non raro contingit, statim post celebrationem nuptiarum, maritum aut fœminam gravi morbo corripi, qui toto vitæ decursu perduret, ac talis sit, ut matrimonii usum absolute impediat; quid tum consorti ejus florentis adhuc ætatis ac vegetæ hæretica factio consulet? numquid novum matrimonium, priore dissoluto permittet? atqui divina resistit auctoritas: *quod Deus*, inquit, (*Matt.* 19, 6) *conjunxit, homo non separet*: cui consimile est, quod ait Apostolus: (*Rom.* 7, 2, *& seq.*) *quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro &c.* numquid continentiam imperabit, ac consulet, ut solo retento mariti aut conjugis otioso vocabulo, totum vitæ tempus sine usu matrimonii miserabiliter transigat? atqui contra male suadam hæresim, conjux infœlix insurget, & eadem quibus Lutherani ac Calvinistæ utuntur, contra ipsos regerens argumenta, rem sibi impossibilem demandari causabitur; reponetque consilium continentiæ dare, idem esse, ac adulteriis, fornicationibus, omnisque generis impudicitiæ iter pandere. Quid ergo superest, nisi ut hæretici, vel secum ipsis, vel cum lege divina, quæ suprema ratio est, pugnare, invincibiliter convincantur? Fateamur itaque observationem continentiæ impossibile nihil habere, neque injustitiæ redargui posse Ecclesiam, id quod ipsis laicis aliquando necessario faciendum est, majoribus clericis lege perpetua imperantem.

Jam si continentiæ exempla quærantur, innumerabilia omni ætate occurrunt: ecquis enim recensere valeat tot Monachorum & virorum Religiosorum myriades, qui a sæculo tertio ex quo Monasticus ordo in Oriente est institutus, nec multo post in totum late Occidentem propagatus, vitam cœlibem, angelis quam hominibus similiores duxerunt? quis dinumerare sacrarum virginum choros, quæ uni sponso Christo dicatæ, in sacris recessibus virgines perpetuo permanserunt, hodieque manent? quis Episcoporum, Presbyterorum, & cæterorum inferioris ordinis ministrorum seriem perlustrare, quibus nihil fuit antiquius, quam ut ab omni carnali commercio, prout erat propositum, abstinerent? quis laicorum numerum computare, qui inter medias illecebras sæculi, vel a matrimonio temperarunt, vel in ipsis nuptiis incorruptam virginitatem servarunt? qualis Sanctus Imperator *Henricus* fuit, de quo in ejus vita legitur, quod virginitatem, raro exemplo, matrimonio junxerit, sanctamque *Cunegundam* conjugem suam, propinquis ejus, morti proximus, illibatam restituerit: igitur ad hæreticorum iniqua loquentium ora obstruenda, sufficit Ecclesiæ diuturnum experimentum, quo constat infinitos propemodum utriusque sexus fideles, virginitatis voto obstrictos reddidisse Domino votum suum, hodieque reddere; & in se ipsis probasse, quod promittente Deo, B. Paulo feliciter obtigit: *sufficit tibi gratia mea: virtus in infirmitate perficitur*.

Neque est quod exempla impudicitiæ & infidelitatis exaggerent, quæ non sine gravissimo scandalo, Ecclesiam sæpe afflixerunt, sæpeque affligunt: nam subditorum perversitas, equidem humanæ fragilitatis ac corruptionis est argumentum: sed non inde sequitur, impossibilem esse legem: si enim ideo debet lex ipsa culpari, & impossibilitatis redargui, quia a plerisque infringitur; jam nulla lex neque divina, neque humana consistet, quia constat nullam esse, quæ a plerisque non violetur: quemadmodum itaque perperam ille argueret, qui injuste vetitam simoniam, aut adulterium prohibitum blasphemaret, propterea quod multi in Ecclesia simoniaci, multique adulteri fuerint, ita lex cœlibatus clericis majoribus imposita, non potest inde concuti, quia eam multi professionis ac voti immemores infregerunt: nam legem hanc sanctam esse, nec impossibilem observatu, contraria aliorum exempla demonstrant.

Quis porro patienter audiat Lutheranos de-

scan-

scandalo conquerentes, cum ipsi offensionem omnium gravissimam, & hactenus inauditam in Ecclesia excitarint? numquid enim, per Deum immortalem! boni exempli res fuit, videre Lutherum, duplici, professionis religiosæ, & sacri presbyteratus ordinis voto ad perpetuam continentiam obstrictum, matura jam ætate non cum sæculari muliere, sed eum virgine Deo dicata infames nuptias contrahentem? numquid immune a scandalo fuit, *Carlostadii*, & aliorum *Lutheri* sequacium, simile non tam matrimonium, quam fœdissimum impudicitiæ enormis commercium? qua fronte videri volebant spurcissimi homines, Ecclesiæ & priscorum morum reformatores, quibus pro fundamento religionis erat, vota sanctissima, & leges castissimas conculcare? quis non rideat, (verius dixerim) quis amare Lutherum non lugeat, infrunitæ libidini excusationem hanc obtendenti, se nimirum ita fecisse, *ut ægre faceret mundo & diabolo, parenti quoque hoc suadenti gratificaretur?* (*Melch. Adam in vita Lutheri*)

Ratum itaque sit ac constitutum, sacri ordinis cœlibatum, etsi juris divini non sit, habere tamen in sacris litteris, Apostolorum & virorum Apostolicorum exemplis, ipsaque ratione certissimum fundamentum.

CAPUT SECUNDUM.

Ostenditur Hæreticos clericorum continentiæ subversores, Græcorum & Orientalium consensione immerito gloriari.

VEnio nunc ad Græcos & Orientales, quorum auctoritatem, in cæteris quæstionibus Lutherani & Calvinistæ arroganti supercilio contemnunt ac deprimunt, in præsenti vero controversia miris laudibus extollunt ac prædicant, quasi nimirum clericis omnibus nuptias indifferenter, antiquissima disciplina permitteret: quod quam immerito & calumniose effutiant, non erit difficile demonstrare: ad hoc enim satis erit, Græcorum mores cum hæreticorum nova corruptela conferre, ut quam immensum ab Ecclesiastica regula exorbitaverint, certum possit esse judicium.

1. Lutherani, aliique protestantes omnibus indiscriminatim ministris, ne iis quidem exceptis, quos Episcopos alicubi nominant, usum matrimonii ante contracti permittunt: Græci e contrario, omnesque generatim Orientales, Episcopos suos ad perpetuam continentiam adigunt: nemo apud illos Antistes eligitur, nisi virgo, vel viduus, vel ab uxore vivente sine spe ad contubernium redeundi abstractus: indeque est, quod apud illos Episcopi vulgo ex ordine monastico assumuntur, cui cœlibatus voti irrevocabilis obligatione annexus est: facti hic res agitur, in qua facile possumus, si aberramus a vero, mendacii argui: edant ergo si potis est, exemplum aliquod vel unius Episcopi, non dico de eorum numero, qui Romanæ Ecclesiæ & sedi Apostolicæ conjuncti sunt, vel quondam fuerunt; sed de hæreticorum aut schismaticorum diversis factionibus, qui ad Episcopatum promotus, exercuerit officium maritale: percurrant omnes Græcorum, Syriorum, Ægyptiorum, Armenorum, Æthiopum, cæterasque latissime diffusas provincias: sectas omnes Eutychianorum, Jacobitarum, Nestorianorum, cæterasque sine exceptione perlustrent, quæ gentem miseram distrahunt, &, si vel unum Episcopum possint allegare, qui probante Ecclesia, matrimonio usus sit; tum sane sævæ tyrannidis Romanam Ecclesiam fidenter accusent: unum est, fateor, quod afferre possunt, *Barsomæ* cujusdam *Nisibis* in Mesopotamia Metropolitani: vixit ille regnante Imperatore *Justino*. In tantum porro, ut in Nestorianæ Ecclesiæ historia legitur, (*Eutych. tom. 2*) incontinentiæ ac libidinis excessum erupit, ut Deo dicatam virginem, cui *Mamovia*, aut *Babovia* numen erat, publice uxorem conduxerit; simulque decretum emiserit, quo Ecclesiasticos omnes, ipsasque sanctimoniales ad ineundum matrimonium hortabatur; quod ejus sive præceptum, sive consilium, nedum Nestorianis arriserit, summa omnium indignatione atque execratione exceptum est: vibrata contra ipsum, & sæpius iterata anathematis fulmina, simulque, ut perpetua nomini ejus inureretur infamia, solemni decreto statutum, ut nemo *Nisibis* Episcopus, in *Catholicum* sive Patriarcham assumi posset: quæ sanctio pluribus sæculis perduravit.

Quantum ergo ad Episcopos spectat, nequeunt hæretici semetipsos Græcorum & Orientalium exemplo defendere.

2. Lutherani & Calvinistæ presbyteris ac ministris suis sive quocunque eos alio nomine vocitent, non modo usum matrimonii ante ordinationem contracti permittunt; sed & in ipso ministerii exercitio, celebrationem nuptiarum unicuique liberam faciunt: quid porro cum hac intemperantia Græci & Orientales commune habent, apud quos presbyteris equidem cæterisque ministris inferioribus, usus matrimonii, antequam ordinarentur, initi, *nova disciplina* permittitur; sed ad secunda, post ordinationem, vota transire, strictissime prohibetur? ita ut si sacerdos aliquis, diaconus, aut hypodiaconus, vel ipso inaugurationis die in viduitatem, quamlibet vegeta ac florentiætate inciderit, ad continentiam perpetuam antiquis

Digitized by Google

tiquis canonibus adigatur? *in nuptiis*, ait can. 27 eorum, qui Apostolici inscribuntur, *qui ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant: sed lectores cantoresque tantummodo* .... & Imperator Justinianus: (*lib.* 1, *tit.* 3, *de Episcopis & Clericis lege* 45) *sacris canonibus*, inquit, *neque Deo amantissimis presbyteris, neque Reverendissimis Diaconis aut subdiaconis nuptias contrahere, post hujusmodi ordinationem permittentibus: sed solis reverendissimis psaltis & lectoribus id concedentibus*: &c. idemque novella 22, *si quis inter Reverendissimos constitutus clericos* (*ultra cantorem & lectorem dicimus*) *omnino contraxerit nuptias, hunc ex nostra constitutione cadere sacerdotio constituimus atque volumus*: accedit Trullanæ Synodi canon 6, supra citatus: *quoniam in Apostolicis canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos lectores & cantores uxorem posse ducere*; *& nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero, post sui ordinationem contrahere liceat*: *si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur*: perperam itaque Hæretici Græcorum consensione ac patrocinio gloriantur.

Dixi, in Orientali & Græca Ecclesia, majoribus clericis usum matrimonii ante ordinationem contracti, *nova disciplina* indulgeri: mos enim non ante adultum 7 sæculum introductus, merito pro novo ac recenti habetur: atqui ut superius demonstratum est, usus matrimonii sex prioribus sæculis, clericis majoribus, ipsisque subdiaconis interdictus, in Concilio *Trullano* an. 692, tum primum concedi cœpit: (*vide sup. n.* 12, *pag.* 155 *& seq.*) ergo nova hæc & ab antiqua regula abnormis est disciplina: atque adeo illam *Lutherani & Calvinistæ* Latinorum legibus obligati, eo magis respuere & ablegare debuerant, quod constaret Græcos hac in parte a majorum vestigiis, & prisca sanctimonia recessisse.

3. Novi Reformatores ministris suis polygamiam successivam sine scrupulo ullo permittunt: immo, qua Religione sunt, nisi statim a viduitate ad novas nuptias properarent, violati divini mandati scrupulo angerentur: *crescite & multiplicamini*: itemque alterius: *oportet Episcopum esse unius uxoris virum*: itaque non modo polygamos ab Evangelii ministerio non repellunt: sed in ipso ministerii exercitio, si uxoribus viduari contigerit, de novo maritos fieri volunt; quo fit, ut polygamiæ apud illos frequentissima, peneque quotidiana exempla sint; adeo ut eorum quidam ministri ad septimum usque Thorum processisse comperti sint: atqui in hoc capite, non secus ac in cæteris, a Græcorum & Orientalium disciplina longissime secesserunt: isti enim juxta antiquos canones, nedum Sacerdotibus, cæterisque ministris nuptias secundas permittant; etiam eos qui in sæculo fuere polygami, ab ordinatione repellunt: ergo &c.

4. Denique eo Lutheranorum & Calvinistarum processit impietas, ut non modo clericos in sacris ordinibus constitutos, sed regulares ipsos castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere effutierint, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto perpetuæ continentiæ: cujus novæ constitutionis exemplum, summo, ut prædiximus, bonorum omnium scandalo *Lutherus* dedit, quando monastico deposito habitu, inverecunde cum seducta sanctimoniali matrimonium iniit: numquid vero hic audebunt Protestantes Græcorum & Orientalium venditare auctoritatem; cum nemini notum non sit, votum continentiæ Deo factum, æternum & irrevocabile, totius Orientis sensu ac judicio esse? fatendum ergo, contra universam Orientis & Occidentis Ecclesiam novos Reformatores æque pugnasse: adeoque merito ab omnibus ex æquo proscriptos.

Solvuntur Objectiones.

Quæ cum ita sint, risu potius quam seria refutatione pseudo-Reformatorum mendacia magis quam argumenta dilui debent.

Apud Ecclesias Orientales (inquit Ludolfius *Hist. Æthiop. lib.* 3, *c.* 7) clericorum incontinentiæ causam perorans, *plus valuit ratio honestarum nuptiarum, quam cœlibatus infidus, & perpetuæ concupiscentiæ obnoxius: quamobrem Græci, Armeni, Rutheni, & speciatim nostri Æthiopes, presbyteris suis uxores non modo permittunt, sed & isti maritos præferunt, ut qui presbyter fieri velit, matrimonium contrahere teneatur: nam Apostoli verba*, unius uxoris virum, *pro præcepto, & quidem ita accipiunt, ut toto vitæ tempore, una tantum illi concedatur: ideo ad secunda vota non transeunt.*

R. Quibus quidem verbis *Ludolfius* tum causam ipsam prodit, quam defendere velle videtur, tum veritati apertissime contradicit.

1. Enim si Æthiopes, cæterique Orientales, Apostoli verba, *unius uxoris virum*, pro præcepto ita accipiunt, ut tamen unam tantum ministris suis, toto vitæ tempore uxorem concedant; consequens est, ut eosdem si vidui, etiam vegeta ætate fuerint, ad perpetuam continentiam adigant: unde iterum sequitur Lutheranos & Calvinistas matrimonium in ipso ministerio duplicantes, & quoties obtigerit

tigerit viduitas, repetentes, *Æthiopibus*, cæterisque Orientalibus Ecclesiis contraire.

2. Hæc ipsa *Æthiopibus*, cæterisque attributa disciplina demonstrat, judicio *Orientalium*, cælibatum aliquem esse, qui nec infidus sit, nec perpetuæ concupiscentiæ triumphis obnoxius: perperam ergo eorum auctoritatem asciscunt Lutherani & Calvinistæ, quibus principii loco est, continentiam, rem impossibilem esse.

3. Unde habet audacissimus scriptor, *Orientales presbyteris suis non modo uxores permittere, sed & maritos præferre, ut qui presbyter fieri velit, matrimonium contrahere teneatur?* cui unquam Græcorum aut Orientalium talia effutire in mentem venir? aut cui putabat *Ludolfius* posse ista persuaderi, quorum nec exemplum nec testimonium allegaret?

4. Omnem vincit ineptiam quod addit, *Orientales* verba Apostoli, *unius uxoris virum*, pro præcepto accipere: quasi nimirum ad Episcopatum aut sacerdotium obeundum, conditio necessaria sit, uxorem habere: quam textus Apostolici sinistram interpretationem quoniam superius ratione & auctoritate explosimus, non est necesse denuo refutare.

5. Vere equidem hoc dictum est, apud Orientales societates, uti & in Occidentali Ecclesia, plus valere rationem honestarum nuptiarum, quam cælibatum infidum & perpetuæ concupiscentiæ obnoxium: plurimum, inquam, in omni Christiana societate nuptiæ valent, tantoque habentur in pretio, ut, (quod præfractæ novelli Hæretici negant,) etiam Sacramentis divinis annumerentur: sed numquid ideo dicturi sumus judicio Orientalium contractas ab Episcopis, cæterisque ministris, ipsique Monachis sacrilegas nuptias, plus valere quam cælibatum; cum constet, ex eorum antiquissima disciplina hujusmodi non tam matrimonia, quam nefanda commercia pœnis Canonicis ipsaque excommunicatione puniri? nec obstat, quod aliquorum, imo multorum si velint Hæretici semper ad calumniandum parati, cælibatus infidus sit, & perpetuæ concupiscentiæ obnoxius: non enim iis qui semel continentiam Deo voverint, licitum unquam esse potest, concupiscentiæ remedium in matrimonio quærere, neque iis dictum est: *melius est nubere, quam uri*: (1 *Cor.* 7, 9) sed tenentur reddere Domino Deo suo votum suum, & rebellem concupiscentiam vigiliis, jejuniis, orationibus, macerationibus domitare, in eo fiduciam omnem ponendo qui Apostolo *Paulo* respondit: *sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*: cui enim vero aliquando in toto passim Oriente, elapsis sæculis, Episcopo, Presbytero, Diacono, aut Monacho dictum est: *frater, si non te contines, nube, quantumque mature potes, utere divino remedio adversus concupiscentiam in nuptiis præparato?* reservabantur Luthero atque Calvino hæc nefandæ doctrinæ monstra, cujus in tota retro historia nec exemplum unum comparet.

Inst. 1. Prioribus Ecclesiæ sæculis, ante *Siricii* Romani Pontificis & *Innocentii* I ætatem, communissimum in Oriente, quotidianumque erat, videre Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos fœdera matrimonii ineuntes: ergo &c.

R. Neg. ant. ut quid enim si credi sibi volunt hæretici, rei quam communissimam prædicant, exempla non afferunt? quin Patriarcharum, Episcoporum, aliorumque ministrorum describunt catalogos, quibus impune licuerit ad nuptias convolare? quod si præstare nequeunt, uti revera neque hactenus, contradicente historia, nequiverunt; suæ eos sycophantiæ ac audaciæ tandem pudeat: quæ enim ista temeritas est, quod scriptum nullibi legitur affirmare, id vero negare quod tota retro antiquitas contestatur, Episcopis scilicet in Oriente numquam licuisse uti matrimonio ante ordinationem contracto, presbyteris vero, diaconis, & subdiaconis non ante Trullanum concilium (in pejus disciplina ruente) hanc facultatem esse concessam? Jam quod Græcorum & Orientalium cœlibatum, novis *Siricii*, & *Innocentii* I decretis describunt, supinæ ignorantiæ argumentum est, non semel a nobis, Origenis, Eusebii Cæsar. SS. Epiphanii, Chrysost. & Hieron. auctoritate confossum: ab eoque intorquendo hæretici forte temperassent, si attendissent, ex Concilio *Carthag.* II cælibatus disciplinam, non ad novam aliquam sanctionem, sed ad traditionem Apostolicam, & antiquissimam consuetudinem revocari: *omnibus placet*, ajunt Patres can. 2, *ut Episcopi, presbyteri, diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & observavit antiquitas, nos quoque custodiamus*: quid quod & hoc ipsum *Siricii* Pontificis max. constitutio significat, ubi ea præsertim de causa sacerdotes omnes atque levitæ lege continentiæ astringuntur, *quia voluit Christus ut Ecclesia sua castitatis splendore radiaret*: non ergo legem novam Siricius condidit, sed antiquam vindicavit.

Inst. 2. Probando ant. ex percelebri quodam facto quod in Nicæno I concilio contigit: *visum erat Episcopis (Nicænis,) ait Socrates, hist. l.* 1, *c.* 18, *legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initia-*

ti, sicut Episcopi, presbyteri, & diaconi, cum uxoribus quas cum erant laici in matrimonium duxissent, minime dormirent: & quoniam illis erat propositum, de hac re consilium inire, in medio eorum consessu surrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus est, non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati: honorabile esse conjugium inter omnes, & Thorum immaculatum: videndum, ne nimis exquisita præscriptione Ecclesiam gravi incommodo afficerent: omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, tamque ab omni animi perturbatione vacuam:. neque a singulorum uxoribus fortasse eam castimoniæ normam posse servari: viri autem cum uxore legitima concubitum, castimoniam appellavit; illudque satis esse, ut qui in clerum ante adscripti erant, quam duxissent uxorem, hi secundum veterem Ecclesiæ traditionem deinceps a nuptiis se abstinerent; non tamen quemquam ab illa, quam jam pridem cum laicus erat uxorem duxisset, sejungi debere: istam in Episcoporum conventu orationem habuit Paphnutius, cum ipse nuptias non modo expertus non esset, sed etiam (vere dixerim) mulierem numquam attigisset: nam a puero in monasterio se ipsum severo vitæ, disciplinæque generi totum dediderat: qui quidem propter singularem castimoniam, præ cæteris plane in magna fama celebritatis vixit: itaque cum totus Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum conventus verbis Paphnutii assensisset, controversia de hoc exorta, penitus sedata est, potestasque permissa cuique, pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi.

Socrati, *Sozomenus* l. 1, c. 22, *Nicephorus* l. 8, c. 19, *Cassiodorus* historiæ tripartitæ l. 2, c. 14, & alii plerique consentiunt: inde sic argumentum infertur: legem ab uxorum commercio abstinendi, quam condere Nicæni patres meditabantur, *novam* prædicti scriptores appellant: 4 ergo sæculo, nec multo ante *Siricii & Innocentii* I ætatem matrimonio clerici majores, ipsique Episcopi communiter utebantur.

R. 1. Hoc argumentum iis ipsis a quibus tanta ostentatione jactatur, esse contrarium: non solum enim volunt Lutherani & Calvinistæ, licitum cuique esse, uti matrimonio quod ante ordinationem contraxerit, verum etiam ministris jam ordinatis potestatem faciunt contrahendi, ne nimirum reperiantur in Dei, (ut garriunt) mandatum rebelles: *crescite & multiplicamini... oportet Episcopum esse unius uxoris virum*: econtra Socrates abstinentiam a nuptiis obeundis, iis qui in clerum antequam duxerint uxorem adscripti fuerint, ex veteri Ecclesiæ traditione injunctam agnoscit.

R. 2 cum doctissimis Cardin. *Baronio* & *Bellarmino*, aliisque optimæ notæ Theologis, supposititiam confictamque esse hanc quæ de *Paphnutio* Socrates & alii narrant historiam: cujus rei plurima gravis ponderis argumenta sunt.

1. Enim de hoc facto tam digno quod memoriæ mandaretur, acta Nicæni concilii genuina, Eusebius Cæsariensis, & alii *Socrate* antiquiores scriptores altum silent: merito ergo Socratis in hoc loco, ut in aliis multis suspecta fides: nec movere quemquam debet Sozomeni, Nicephori, & aliorum qui Socratem exscripserunt auctoritas: ubi enim necessaria momenta desunt, ad veritatem facti historici adstruendam, numerus assertorum nil facit.

2. Factum illud Nicæno concilio adversatur, can. 3 sic statuenti: *interdicit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem; nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt*: hic nulla uxorum mentio fit, inter mulieres quæ omnem suspicionem effugiunt, quas tamen nominare tum facile erat, tum necessarium, si revera *Paphnutius*, uti narrat Socrates, decreto novo quod patres meditabantur, de repellendis a thoro clericorum uxoribus, tanto strepitu obstitisset: Ergo Nicæni Concilii tempore uxorum ante ductarum usus cleriris majoribus interdictus erat.

3. Primi subsellii patribus, Concilio Nicæno vel coævis vel supparibus contrarium est: sic *Eusebius Cæsariensis*: *eos*, inquit, (*lib. 1 demonstr. Evang. cap. 9*) *qui sacrati sint, atque in Dei ministerio, cultuque occupati, continere deinceps se ipsos a commercio uxoris decet*.

Et S. *Hieronymus* contra *Vigilantium*: *quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?*

Et S. *Epiphanius*: (*hær. 59*) *qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi sit unius uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, Episcopi, aut hypodiaconi ordinem Ecclesia suscipit; sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine se se continuerit, aut ea sit orbatus; quod in illis locis præcipue fit, ubi Ecclesiastici canones accurate servantur.*

Ita laudati scriptores, quibus facile foret alios addere, nisi ex prædictis satis constaret, ab

ab uxoribus, etiam legitimis, abstinentiam, priscis sæculis majoribus clericis in Oriente præscriptam, nec ante sæculum 7 sanctioris disciplinæ rigorem fuisse emollitum.

Respondent 3 aliqui, factum, ex parte saltem, admittendo, hoc unum inde erui posse, patres scilicet Nicænos decrevisse malum tolerandum, quod extirpare penitus & impedire non possent: *dicam*, inquit Thomassinus, (*de beneficiis p.* 1, *lib.* 11, *cap.* 60) *Socratis & Sozomeni, quibus authoribus hæc circumferuntur, non tantum esse authoritatis pondus ut in re tanta, si quid soli dixerint, fidem extorqueant: vera res fortasse fuerit quæ refertur, & in eo tantum aberraverit Socrates quod adjecit de suo, potuit enim in Ecclesia Orientali ea fuisse tempore Concilii Nicæni incontinentium presbyterorum, diaconorumque multitudo, ut sapientissimis præsulibus satius visum fuerit, dissimulare immedicabile malum, quam resecando asperare: idem de Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi dixeris, nihil adversus pestem hanc statuisse, quod curationis spem abjecissent omnes; ubi vero Socrates dicit, antiqua Ecclesiæ traditione superioribus clericis solum prohiberi ne matrimonium ineant, non autem initi usum interdici; jam ad Eusebium, ad Epiphanium, ad Hieronymum appello, viros veterum Ecclesiæ consuetudinum Socrate longe peritiores: hoc igitur Socrates loquentem inducit Paphnutium, quod in ore numquam Paphnutius habuit: potuit tum cum Concilio Paphnutius, & sequentibus sæculis potuit cum eo Ecclesia Græca tota judicare tolerandum id malum potius, quam aut Ecclesiam schismatis, aut ejusmodi clericos periculo objicere incontinentiæ gravioris: illud tamen ignorari non potuit, pravam hanc fuisse & degenerem consuetudinem, quam prisci violarentur canones, & Ecclesiæ purior atque sancita ab Apostolis disciplina turparetur.*

Inst. 3. Patres Concilii *Ancyrani* paulo ante Nicænam Synodum habiti (*ann.* 314) diaconis qui continere se nolle protestati fuerint, non modo usum concedunt matrimonii ante ordinationem contracti, sed & secunda post ordinationem vota permittunt: *diaconi*, inquiunt, (*can.* 9) *quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit: quicumque sane tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt: ergo &c.*

R. Admissa auctoritate n. conseq. validissimum quidem ex hoc decreto argumentum eruitur, ad probandum continentiam majoribus clericis non esse jure aut præcepto divino præscriptam; Ecclesia enim in iis quæ sancita divinitus sunt, dispensandi auctoritatem non habet: sed minime inde sequitur, usum aut contractum matrimonii, 4 ineunte sæculo, rem communem in clero fuisse: quin morem contrarium viguisse, dispensatio aliquibus concessa demonstrat: exemptio enim a lege, legis certissimum indicium est: hujus autem œconomiæ causa fuit ministrorum raritas ac penuria, quos cum non posset Ecclesia perfecte bonos ubique habere, satagebat ut saltem minus malos haberet, de sanctioris disciplinæ rigore aliquid, indulgentia temporaria remittendo: itaque nihil ex Ancyrano canone, aliisque similibus, si qui sint, contra Ecclesiæ doctrinam ac disciplinam universalem eruitur.

Diluuntur quædam quæstiones.

Quæritur 1. Validum ne foret matrimonium a clerico majore contractum?

R. Pro varietate Ecclesiarum ac temporum diversimode quæstionem hanc resolvendam: non enim eadem Græcorum, ac Latinorum ea de re disciplina est, nec fuit semper eadem Latinorum.

Ad Latinos quidem quod spectat, dico matrimonium a majoribus clericis contractum, disciplina a multis sæculis introducta nullum & irritum esse: si quis *dixerit*, ait Concilium Trid. (*sess.* 24, *can.* 9) *clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto .... anathema sit ....* præiverat 4 & amplius sæculis concilii generalis Lateranensis I decretum (*ann.* 1122) his verbis conceptum, can. 21: *presbyteris, diaconibus, subdiaconibus & monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdicimus, contractaque matrimonia ab hujusmodi personis, disjungi præcipimus...* itemque alterum *Eugenii* III Pontificis Max. in Concilio Remensi, (*ann.* 1148) can. 7, & *Alexandri* III in Concilio generali Lateran. III, (*ann.* 1179) can. 6.

Itaque indubitata res est, a sæculo 12 ordinem sacrum, impedimentum matrimonii dirimens in Latina Ecclesia esse, a sæculo, *inquam*, 12: præcedentibus namque ætatibus nullus hujusmodi canon, nullum decretum emissum, quo clericorum matrimonia irrita declarata fuerint, & concubinatui nefando æqui-

Digitized by Google

parata: priscis quidem temporibus clerici nuptias contrahentes, a sacro ministerio, quippe in Ecclesiam rebelles amovebantur; sed matrimonia intacta manebant.

Ad Græcos vero quod attinet, respondeo eos clericorum a monachis discrimen hoc antiquitus fecisse, hodieque facere, quod matrimonia monachorum, quippe juri divino, & perpetuæ castitatis voto contraria, pro nullis & irritis habeant; tantique criminis reos diuturna ac sævissima pœnitentia plectunt; clericos vero post ordinationem nuptias contrahentes, ab altaris ministerio, matrimonio integro manente, repellant.

Q. 2. Erga *clericorum* mulieres, postquam ad ordines majores promoti sunt, quid observandum?

R. 1. Si de presbyteris, & diaconis, ac subdiaconis Græcæ & Orientalis Ecclesiæ, juxta præsentem eorum disciplinam agatur, nullam quæstionis esse difficultatem: cum enim iis usus matrimonii ante ordinationem contracti ex decreto Synodi Trullanæ permissus sit; consequens est, ut libere cum uxoribus suis, non secus ac laici habitent.

R. 2. Si de uxoribus Episcoporum quæstio sit, quibus constat fuisse semper in utraque Ecclesia usum matrimonii interdictum; item, si de presbyteris cæterisque majoribus clericis, Græcorum quidem ante Trullanum concilium, Latinorum vero ab omni retro ætate; diversam fuisse diversis locis ac temporibus disciplinam: aliquando enim injunctum clericis, cœlibatum licet colentibus, ut uxores proprias, loco sororum in suis secum domibus retinerent: aliquando a convictu & contubernio pellendas decretum: sic enim canon 6 eorum qui Apostolici inscribuntur, prohibet ne Episcopus aut presbyter uxorem propriam prætextu religionis abjiciat: *Episcopus aut presbyter*, inquit, *uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si vero rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, dejiciatur*: parique sensu S. Leo Pontifex Max. de clericis majoribus loquens: (*Epist. 92 ad Rusticum Narbon.*) *cum ad prælectos*, ait, *pervenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit: unde ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere; quo & salva sit caritas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.*

E contra concilium quini-sextum: *porro*, inquit, (*can. 12*) *hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa, & Libya, & aliis locis, quidam ex illis qui illic sunt religiosissimi præsules, cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum afferentes . . . . . nobis visum est, ut nihil ejusmodi deinceps fiat.*

Contrariis decretis præbuit occasionem, hinc quidem caritas conjugalis quæ violari videri poterat, si a viris uxores abstraherentur; illinc vero periculi fugiendi, & malæ suspicionis avertendæ necessitas: haud facile enim putabatur continentiæ servare propositum, si sub eodem tecto, ut antehac, maritus uxorque convivérent: hæcque tandem ratio vicit, ut cogerentur uxores, sine abruptione vinculi conjugalis, a viris recedere, & in monasterium velut tutissimum castitatis asylum introire: ita equidem more hodierno in Latina Ecclesia fit, quando vir uxore vivente & consentiente ad majores ordines promovetur: eamdemque in Græca & Latina Ecclesia olim disciplinam obtinuisse testatur *Ratramnus* monachus Corbejensis, in *Responsionibus* ad oppositiones Græcorum.

SECTIO QUARTA.

De Diaconatu.

Jam huc unde digressa est disputatio, redeundum, & reliqui ordines vindicandi, in quibus primus diaconatus occurrit: Διάκονος græce, idem est ac Latine minister, quod enim in lege veteri levitæ erant respectu sacerdotum, quibus sacrificantibus serviebant, id ipsum in nova lege sunt diaconi comparate ad presbyteros: ministrorum porro sive diaconorum nomen antonomastice habent, quia tenent sacri ministerii principatum; sive quia, ut dictum superius est, quidquid subdiaconis & minoribus clericis officii attribuitur, in diaconatu tamquam in fonte ac principio continetur.

I

Diaconorum officia.

Diaconorum officia olim latissime patuisse, actuum Apostolicorum historia, & quidquid superest veterum monumentorum demonstrat: *diaconus*, inquit constitut. Apostolicarum scriptor, (*lib. 2, cap. 44*) *de re omni ad Episcopum referat, ut Christus ad patrem: quæcumque potest, facta ab Episcopo potestate moderetur per se, sicut Christus potestatem creandi & providendi a patre accepit: quæ vero majora sunt Episcopus judicet: cæterum sit diaconus Episcopi auris & oculus, item, os, cor, & anima; ne Episcopus sollicitudine multarum rerum, sed graviorum tantum urgeatur . . . . .* eosdem S. Ignatius Martyr Episcopis & sacerdotibus ita comparat, (*in Ep. ad.* *Tral-*

Trallianos) ut Episcopos Christi typum affirmet in Ecclesia gerere; sacerdotes, tamquam consiliarios, unum corpus & senatum cum Episcopo constituere, cujus præses ipse & caput sit: diaconos vero, ministrantes angelos imitari, quos dicit Apostolus, (*Hebr.* 1, 14) *in omne ministerium mitti, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*: de iisdem Yvonis Carnotensis magnificentissimum encomium est: *Apostoli & eorum successores*, inquit, (*serm. de excellentia sacrorum ord.*) *decreverunt, ut in omni matrice Ecclesia septem diaconi circa aram Christi sublimiori gradu, tamquam columnæ altari assisterent ...... hi sunt septem angeli quos legimus in Apocalypsi tuba canentes ...... hi sunt septem candelabra aurea, lucem Evangelii in manibus, idest, in operibus præferentia ... hi quoque sunt tonitrua septem, hes ides mentes terribili comminatione, velut tonitru commoventia*.

Quæ porro eorum diversa munia fuerint, hodieque sint, distinctim aperiendum.

1. Aquam & vinum offerunt, non quidem consecrando ipsi per se, sed utrumque ad manum Episcopi aut sacerdotis consecraturi admovendo: indeque est, quod in libro Pontificali, *comministri & cooperatores corporis & Sanguinis Domini appellantur*: hujus officii, libri omnes rituales, & Græcorum Euchologia meminerunt.

2. Eucharistiæ communionem olim fidelibus dispensabant: *deinde*, inquit S. Justinus Martyr, (*in Apologia* 2) *distributio, communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per diaconos mittitur .... solemnibus impletis*, ait S. Cyprianus, (*serm. de lapsis*) *diaconus calicem præsentibus offerre cœpit*: & S. Ambrosius in actibus passionis S. Laurentii, hæc divi Martyris ad S. Xistum Pontificem Max. verba refert: (*lib.* 1 *de offic. c.* 41) *experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*: in tantum mos ille antiquitus inoleverat, ut quibusdam in locis diaconi Eucharistiam porrigere presbyteris ipsis præsumerent: quem abusum Nicæna Synodus gravi censura repressit: *pervenit ad sanctum magnumque concilium*, inquit, (*can.* 18) *quod in quibusdam locis & civitatibus, presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant: quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant ..... hæc igitur omnia resecentur, & in sua diaconi mensura permaneant, scientes quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem presbyteris habentur*.

3. Sacrificii tempore, fidelium animos sæpius excitabant, ut ad sacra attenderent; quod & nunc præstant apud Græcos: quando consistendum pedibus, quando flectenda genua, quando discedendum ab oratione, quando perseverandum in templo, nutu voceque monebant: quorum rituum magna pars etiam num observatur.

4. Instante sacrificii incruenti oblatione, ejiciendis e templo pœnitentibus, excommunicatis, aliisque prophanis edictum publice denuntiabant, his verbis: *recedant pœnitentes: Sancta Sanctis*: &c. quæ, uti S. Joannes Chrysost. observavit, quamdam extremi judicii speciem præferebant, ubi Angelorum ministerio hœdorum ab ovibus discretio fiet.

5. Episcopum perpetuo sequebantur, ut ei sacrum facienti, Sacramenta ministranti, aliaque sui muneris exequenti operam darent: indeque, ut prædiximus, ministri seu diaconi dicti sunt, quia ex institutione sua lateri Episcopi hærere tenentur: ut quæ ad clericorum & plebis regimen præscribenda duxerit, promote ac sedulo exequantur: consonat canonici juris præscriptio: *Diaconi Ecclesiæ*, inquit, (*c. Diaconi d.* 93) *tamquam oculi sint Episcopi, oberrantes & circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ, & perscrutantes diligentius*.

6. Episcoporum in diaconis tanta fiducia erat, ut si pergere ipsi ad Synodos, infirmitate, aut alia quavis causa impediti non possent, eo diaconos velut vicarios delegarent, per quos fidem ac traditionem suæ Ecclesiæ testatam patribus facerent: cujus rei in antiquis conciliorum subscriptionibus certissima, nec pauca sunt argumenta: quin & aliquando diaconos comites fuisse Episcoporum ad Synodos convenientium, celebre in S. Athanasio exemplum habemus, qui una cum Sancto Alexandro, Alexandrino Episcopo, Concilio Nicæno interfuit; ibidemque licet judex non sederit cum Episcopis, fidem catholicam contra Arianos argumentis invictissimis vindicavit.

7. Ad diaconos pertinebat curam gerere martyrum, & confessorum, qui in carceribus propter Christi fidem detinebantur; necessaria eis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus, quoad fieri poterat, providere, eorumque pro lapsis vota & preces excipere, quibus supplicabant Episcopis, ut in sui gratiam pœnitentiæ canonicæ tempus & rigorem moderarentur: qua de re legatur S. Cyprianus Ep. 10.

8. Diaconis aliquando concessum, in absentia Episcoporum & presbyterorum pœnitentes reconciliare, &, non Sacramentaliter quidem (quod ad solos presbyteros pertinet), sed deprecatorie, a pœnis canonicis, ipsaque excommunicatione absolvere: *Occurrendum puto fratribus*

tribus noſtris, ait S. Cyprianus, (*Epiſt.* 13) *ut qui libellos a martyribus exceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra, apud presbyterum quemcumque præſentem; vel ſi presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint: ut manu eis impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres, litteris ad nos factis deſideraverunt* . . . . ejusdem indulgentiæ meminit *Alcuinus* octavi ſæculi ſcriptor, ſuaque etiam ætate adhuc viguiſſe inſinuat: *Epiſcopi & presbyteri ſunt*, inquit, (*lib. de div. offic.*) *quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt; nec judicia iſta alius uſurpare debet: ſi autem neceſſitas evenerit, & presbyter non fuerit præſens, diaconus ſuſcipiat pœnitentem, ac det ſanctam communionem*.

9. Diaconos ordinatione ſua jus habere baptiſmi ſolemniter, (ſaltem extraordinarie, miniſtrandi, & verbum Dei, ubi & quando Epiſcopo viſum fuerit, prædicandi, Stephani & Philippi exempla probant, quorum actus Apoſtolici meminerunt.

10. Quando, ſive propter ſævientem perſecutionem, ſive alia quavis de cauſa, ſacerdotum penuria Eccleſiæ laborabant, nonnumqum parœciæ diaconorum curæ ac regimini tradebantur: *Si quis diaconus regens plebem*, ait Concilium Eliberitanum, (*can.* 77) *ſine Epiſcopo vel presbytero aliquos baptizaverit; eos per benedictionem* (confirmationem) *Epiſcopus perficere debebit*.

11. Iisdem temporalium Eccleſiæ facultatum diſpenſatio ab ipſa ſtatim diaconatus inſtitutione commiſſa fuit, ut nimirum eleemoſynas diſtribuerent, & unicuique ad victum neceſſaria providerent: *non eſt æquum*, ajunt Apoſtoli, (*Act.* 6) *nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis: conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Sp. Sancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus*, &c.

12. Longum tempus eſt, ex quo ad diaconos pertinet, in miſſæ ſolemniis publice Evangelium decantare.

II

Diaconatus veri Sacramenti naturam habet.

His, ſimilibusque officiis, ornata auctaque eſt diaconatus dignitas, quam ſi quis titulo ac natura veri Sacramenti frui negaverit, a veritate alienus deprehendetur: diaconos enim ſacerdotio ordinatione ſua proximos eſſe ſacræ litteræ conteſtantur: *non ſolum de ſacerdotibus*, inquit Concilium Trid. (*ſeſs.* 23, *cap.* 2) *ſed & de diaconis ſacræ litteræ apertam mentionem faciunt; & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent* . . . . indeque eſt quod S. Paulus, ſacris miniſtris neceſſarias virtutes deſcribens, cum Epiſcopis & presbyteris Diaconos ſemper conjungit; ut nimirum eos oſtendat divino ſervitio, non ſecus ac ſuperiores miniſtros, conſecratione myſtica mancipatos: & vero negare non poſſumus diaconos ad ſacram Hierarchiam neceſſario pertinere: *Si quis dixerit*, ait Concilium Trid. (*ſeſs.* 23, *can.* 6) *in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris: anathema ſit*: miniſtrorum porro nomine, diaconos præſertim debere intelligi, res eſt nimium manifeſta, quam ut in controverſiam mitti poſſit: cum itaque Epiſcopatui & presbyteratui ratio Sacramenti conveniat; de diaconatu negari nequit, quin eadem prærogativa fruatur: præſertim cum omnes conditiones importet, quas ſexcenties diximus Sacramentum Evangelicum conſtituere, divinam ſcilicet inſtitutionem, ritum externum, & gratiæ promiſſionem: ergo &c.

¶. Probatur ulterius, ſive magis exponitur, & confirmatur prædicta ratio. Tria neceſſaria ſunt ad veri Sacramenti rationem, ſcilicet, quod ſit ſignum ſenſibile: quod ad noſtram juſtificationem ordinetur: & quod a Chriſto Domino fuerit inſtitutum. Hæc autem Diaconatui conveniunt: quod ſic evinco. Et 1 quidem Diaconi ordinatio eſt ſignum ſenſibile. Nam Actorum cap. 6, ubi agitur de ordinatione ſeptem Diaconorum facta ab Apoſtolis, ſic legitur: *hos* (ſeptem nempe viros, quos elegerant) *ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Quibus verbis indicatur ſenſibile ſignum impoſitionis tanquam materia, & orationis tanquam forma. Deinde effectus gratiæ ex ipſa manuum impoſitione colligitur. Non enim Apoſtoli imponebant manus, & orabant, niſi ut ſuper ſeptem illos viros coram ipſis conſtitutos deſcenderet Sp. Sancti gratia. Unde Latina Eccleſia in Diaconi ordinatione hac utitur formula: *accipe Sp. Sanctum ad robur* &c. Quod demum ex Chriſti inſtitutione profluat, ex facto Apoſtolorum ſatis eruitur; quos a Chriſto Domino ritum hunc accepiſſe dubitare neutiquam debemus: quorum proinde praxim ſecuta ſemper Eccleſia eſt, quæ numquam Diaconis, & Diaconorum miniſterio caruit.

Digitized by Google

III

Quædam objectiones diluuntur.

Objiciunt: diaconatus conferri ab initio consuetus, Apostolis diaconorum primis ordinatoribus acceptus refertur; atqui diaconatus ab Apostolis primo datus, verum Sacramentum non erat: credibile namque non est, voluisse Apostolos *Stephano*, aliisque a se constitutis ministris, per Sacramentum proprie dictum, ministerium mere civile, & communia christianæ caritatis officia non excedens committere: porro ministerium primis diaconis creditum, mere civile fuit, & communibus caritatis christianæ officiis comprehensum: ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. ad probat. n. iterum min. illud enim ministerium mere civile non fuit, quod non in victus tantum temporalis, sed præcipue in verbi Dei prædicatione, & sacrorum mysteriorum dispensatione positum erat; atqui tale fuit ministerium diaconis in prima eorum ordinatione commissum: quod quidem præconium Evangelii primis diaconis fuerit assignatum, memorabile in actibus Apost. habemus exemplum: *Stephanus*, inquiunt, (*Act.* 6, 8 *& seqq.*) *plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo, surrexerunt autem quidam de Synagoga .... disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur*, *&c.* de prædicatione vero & baptismi administratione ibidem sic legitur: (*ib.* 8, 35 *& seqq.*) *aperiens Philippus os suum, & incipiens a scriptura ista, evangelizavit illi Jesum: & dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet; & respondens ait: credo filium Dei esse Jesum Christum, & jussit stare currum; & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum* .... ejusdem veritatis ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio locupletissimi testes occurrunt: sic *S. Ignatius* in Ep. ad *Trallianos*: *quid sunt*, inquit, *diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? ... diaconi ministri existentes mysteriorum Jesu Christi, secundum omnem modum debent omnibus placere: non enim ciborum & potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ Dei* ... S. Martyri accedunt Auctor constitutionum Apostol. l. 8, c. 28, Origenes, multis locis, aliique passim, quorum sigillatim testimonia recensere longius esset; ergo &c.

Ins. 1. Probando min. de ministerio primis diaconis concesso, ex verbis scripturæ ferendum judicium: sic vero loquitur S. Lucas: (*Act.* 6, 5 *& seqq.*) *in diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum: convocantes autem 12 multitudinem discipulorum, dixerunt: non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Sp. Sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus: & placuit sermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Sp. Sancto, & Philippum ... hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.*

Inde sic argumentum enascitur: ideo electi sunt diaconi & consecrati, ut ministrarent mensis, & eleemosynas dispensarent; atqui fuit hoc ministerium mere civile, nec christianæ, communisque caritatis metas excedens: ergo &c.

R. Admitto auctoritatem: ad argumentum dist. maj. ideo electi sunt diaconi & consecrati, ut ministrarent mensis; ideo, inquam, *occasionaliter*, sunt electi, conc. ideo, *principaliter*, n. & concessa min. n. conseq.

E. R. Diaconos instituendi & consecrandi occasionem proximam fuisse murmur Græcorum adversus Hebræos, inficiari non possumus, cum tam aperta in scripturis hujus rei declaratio sit: sed negamus mensarum administrationem eorum ordinandorum causam fuisse præcipuam: illorum enim consecratio ad finem nobiliorem providentia divina referebatur, qui statim atque promoti sunt, prædicandi & baptizandi facultatem ab Apostolis acceperunt; atqui Apostoli diaconis a se institutis prædicandi & baptizandi officium demandarunt: prædicavit Stephanus, ut prædiximus: baptizavit Philippus Eunuchum, & Samaritanos: (Act. 8, v. 12, & 38) quando itaque legimus ordinatos diaconos ut mensis ministrarent, occasionem, non finem præcipuum eorum institutionis æquum est intelligere: & vero si diaconi temporali tantum mensæ & eleemosynarum distributioni erant præficiendi, nihil causæ Apostolis erat, in iis eligendis tantam cautionem afferendi, & Spiritus Sancti plenitudinem ad hoc opus requirendi, cui ut par erat implendo probitas vulgaris sufficeret: *considerate*, inquiunt, *viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Sp. Sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus:* fatendum ergo Apostolos quando murmuris in Ecclesia

cle-

Digitized by Google

cleſia concitati arrepta occaſione diaconos ordinarunt, ad finem nobiliorem, prædicationem nimirum, & Sacramentorum miniſterium reſpexiſſe: quod etſi ſcriptura aperte non dicat, docet optima ſcripturarum interpres traditio: ſic *S. Juſtinus Martyr*: „ abſentibus, *inquit*, „ (*Apol.* 2) per diaconos Euchariſtia mitti- „ tur . . . . & S. Aug. (*de morib. Eccl. l.* 1, „ *c.* 22) quam multos Epiſcopos, optimos vi- „ ros, ſanctiſſimoſque cognovi? quam multos „ presbyteros? quam multos diaconos, & hu- „ juſmodi miniſtros divinorum Sacramento- „ rum? “

Inſt. 2. Quorſum ſi ad altius miniſterium ordinati ſunt diaconi, eorum inſtitutionem ſoli menſarum adminiſtrationi, velut occaſioni tribuit S. Lucas?

R. Quia hæc, minus licet præcipua, urgentior creandi diaconos cauſa fuit, qua nimirum moti ſunt Apoſtoli, ut ante meditatam, & divina voluntate ſancitam ordinationem accelerarent: neque hoc mirum videri debet: ſæpiſſime namque contingit, id quod minus in aliquo officio aut negotio eſt, ipſius officii inſtituendi, aut aggrediendi negotii, proximam eſſe & urgentiorem occaſionem.

Inſt. 3. Atqui ideo principaliter inſtituti ſunt diaconi, ut menſis deſervirent: ergo &c. probatur ſubſeq. teſtimonio S. Hieronymi, qui ut quorumdam diaconorum ſuperbia reprimat: „ quis patiatur, *inquit*, (*epiſt.* 85 *ad Evagrium*) ut menſarum & viduarum miniſter, „ ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum „ preces Chriſti corpus, ſanguiſque confi- „ citur? “

Inde ſic informatur argumentum: ille cenſet diaconos ideo principaliter inſtitutos, ut menſis miniſtrarent, qui eorum functionibus, ſacerdotum auctoritatem opponens, unam eis tribuit menſarum curam & viduarum; atqui ita S. Hieronymus: ergo &c.

R. Nego ſubſeq. ad probat. admiſto auctoritatem, & concesſa maj. diſt. min. S. Hieronymus diaconis præter menſarum & viduarum curam nil tribuit, *ratione habita occaſionis qua ſunt inſtituti*, conc. *quaſi velit hoc officio totum miniſterium comprehendi*, n. min. & conſeq.

E. R. Eo loci S. Doctor immoderatam quorumdam diaconorum ſuperbiam vellicat, qua adverſum presbyteros inſurgebant, cujus quidem faſtus & arrogantiæ multiplices cauſæ erant.

1. Paucitas diaconorum comparate ad presbyteros, quorum ſummopere excreverat in Romana Eccleſia numerus: *nam*, inquit ibid. *omne quod rarum eſt, plus appetitur, diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit.*

2. Favor Epiſcoporum & gratia qua plurimum valebant Diaconi; inde enim ſequebatur ut ad illos, neglectis presbyteris, plebs recurreret.

3. Bonorum temporalium diſpenſatio, quam diaconi antiqua conſuetudine exercebant: quo enim quiſque majorem in rerum terreſtrium diſtributione ſupra cæteros auctoritatem nanciſcitur; eo proclivius eſt, ut in ſuperbiam incidat, & in laqueum diaboli.

Hanc porro quorumdam ſui temporis arrogantiam ut coerceat S. Hieronymus, merito diaconos ad primam ſuæ inſtitutionis cauſam & occaſionem proximam revocat, ut presbyteris longe ſe eſſe inferiores intelligant: tanto enim excellentiori loco habenda ſacerdotum eſt dignitas, quanto ſubliniorem gradum ab ipſa ſua origine acceperunt: atqui ſacerdotibus, cum primum creati ſunt, nulla alia expectata occaſione, officium conſecrandi Corporis & Sanguinis Chriſti, divinaque myſteria peragendi commiſſum eſt; diaconorum vero inſtituendorum proxima, temporale miniſterium cauſa fuit: aliunde vero quidquid in illos ſpiritualis poteſtatis tranſmiſſum eſt, ſacerdotalis miniſterii decerptio & derivatio quædam erat: ergo presbyteri diaconos dignitate longe præcedunt.

Genuinus hic, niſi plurimum fallimur, oppoſitæ auctoritatis eſt ſenſus, unde ſequitur, nihil hinc diaconorum ipſiuſque diaconatus excellentiæ derogatum voluiſſe S. Doctorem; præſertim cum aliis multis locis mentem de hac re ſuam præclare aperiat: ſic in ea ipſa ad Evagrium Ep. *quod Aaron*, inquit, *& filii ejus atque levitæ fuerunt*, *hoc ſibi Epiſcopi*, *& presbyteri*, *& diaconi vindicent in Eccleſia*: quod vere non diceret, ſi non aliud ſibi in Eccleſia, præter menſarum & viduarum miniſterium, diaconi arrogare jure poſſent: & in Apologia adverſus Jovinianum: *non mihi iraſcantur*, inquit, *ſed ſcripturis Sanctis*, *immo Epiſcopis*, *presbyteris*, *diaconis*, *& univerſo choro ſacerdotali & Levitico*, *qui ſe noverunt hoſtias offerre non poſſe*, *ſi operi ſerviant conjugali*. Contendit igitur S. Hieronymus, diaconos primitus ad divini ſacrificii miniſterium inſtitutos, cum eam ob rem legem continentiæ ipſis impoſitam doceat: idemque alibi ſæpe repetit: quocirca nihil eſt, quod ex ejus ad Evagrium verbis in contrarium inferatur.

Inſt. 4. Atqui ad hoc tantum primi diaconi ordinati ſunt, ut menſis uſualibus deſervirent: ergo &c.

Probat. ſubſequens auctoritate Concilii quiniſexti, ſive Trullani (*anno* 692) can. 16 definientis, diaconos ab Apoſtolis inſtitutos, de qui-

quibus Actuum c. 6 mentio fit, non ad myſteriorum, ſed ad menſarum miniſterium, fuiſſe electos: ergo &c.

R. Nego ſubſeq. ad probat. conceſſo ant. n. conſeq.

1. Enim qui huic concilio affuere Epiſcopi, ſchiſmatici pene omnes erant, & pleraque eorum decreta, quippe a veritatis tramite aliena, Eccleſiæ Catholicæ auctoritate reſciſſa ſunt: nullius itaque ponderis eſt, petitum ab hoc canone argumentum.

2. Non negant abſolute, quoſdam diaconos ad ſacrum miniſterium inſtitutos; ſed hoc tantum inficiantur de diaconis, qui Actuum ſexto electi narrantur: duplicis namque generis diaconos errore facti diſtinguunt; alios uſibus civilibus & communi menſæ inſtruendæ deſtinatos, de quibus volunt S. Lucam in Apoſtolica hiſtoria loqui; alios ad divinum miniſterium conſecratos, de quibus in B. Pauli ad Tim. & Titum Epiſtolis præſcriptio eſt: *propterea nos quoque prædicamus*, inquiunt in hoc ipſo canone, *ut prædicti ſeptem diaconi* (menſarum videlicet adminiſtri,) *non de iis accipiantur, qui myſteriis ſerviunt*: hoc autem in capite, uti & in multis aliis Trullanos Patres pravo judicio eſſe deceptos, cum lectio Actuum Apoſtolicorum demonſtrat, ubi narratur Stephanum & Philippum, verbum Dei annuntiaſſe, & baptiſma conſecraſſe; tum Auctoritas concilii Neocæſarienſis evincit, eo ſane major, quo proximius ad ætatem Apoſtolicam, & fontem traditionis accedit: ſic enim can. 14 decretum: *Diaconi ſeptem debent eſſe juxta regulam, licet magna ſit civitas: hoc ipſum enim Apoſtolorum liber inſinuat*. Itaque ex mente Patrum Neocæſarienſium, diaconi de quibus loquitur S. Lucas, divinorum myſteriorum erant adminiſtri, nec ab iis diſtinguendi, de quibus Apoſtolus ad Titum & Tim. ſcribendo præſcribit.

Inſt. 5. Atqui prima diaconorum ordinatio, quæ regula fuit & norma ſequentium, ſacra & Sacramentalis non fuit: ergo &c.

Probat. ſubſequens: verum legis Evangelicæ Sacramentum, divinam inſtitutionem habere oportet: porro diaconatus caret illa conditione; non enim divino mandato, ſed nutu Apoſtolorum ac voluntate, ab Eccleſia ſunt electi: conſiderate, inquiunt; (*Act.* 6, 3) *viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, quos conſtituamus ſuper hoc opus*: ergo &c.

R. Nego ſubſequens; ad probat. conceſſa maj. n. min. Apoſtoli enim diaconos ordinando, divinæ voluntati obtemperarunt, & Sp. Sancti, a quo regebantur, inſtinctu, iiſdem portionem aliquam concrediti ſibi miniſterii contulerunt: hinc *S. Ignatius* ſupra laudatus, (*in ep. ad Trallian.*) inde probat deberi diaconis reverentiam, *quia*, inquit, *ex Dei præcepto miniſtrant*: eaque conſtans ac perpetua doctrina Eccleſiæ eſt: nec quidquam adducta ex actibus Apoſtolicis verba in contrarium probant: inde enim hoc unum erui poteſt, diaconos ab Apoſtolis ordinatos, quod non negamus: ſed diaconatum ipſum ab Apoſtolis, contra aut præter Dei imperium inſtitutum, ne leviter quidem innuitur.

Inſt. 6. Probando min. ex auctoritate S. Cypriani, ad Rogatianum Epiſcopum ſic loquentis: (*ep.* 65) *meminiſſe autem diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit, diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cœlos, Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros*: ergo &c.

R. Admitto auctoritatem, & n. conſeq. ex verbis enim S. Cypriani hoc unum inferri poteſt, presbyterorum a diaconis id eſſe diſcrimen, quod non ſolum ſacerdotium a Chriſto fuerit inſtitutum, ſed etiam immediate ab illo primi presbyteri conſecrati ſint; e contra vero diaconatum, ipſe equidem per ſe Chriſtus inſtituerit; diaconos tamen Apoſtolis reliquerit conſecrandos: quod vero Chriſtus nullos immediate per ſe diaconos ordinaverit; non magis hinc ſequitur diaconatum divina inſtitutione deſtitui, quam ſi quis effutiret confirmationem, aut extremam unctionem vera ideo Sacramenta non eſſe, quia ea per ſe Chriſtus non legitur contuliſſe.

Inſt. 7. Si res ita ſe habeat, nulla Cypriano cauſa fuit, tanta verborum pompa presbyteros diaconis præponendi; cum utrorumque ordinatio ex eodem fonte, Chriſti nimirum inſtitutoris voluntate deſcendat: vult ergo S. Doctor, mere humanam eſſe diaconorum inſtitutionem.

R. Nego ant. nam in hac Ep. S. Cyprianus cujuſdam diaconi retundit audaciam, qui auſus fuerat contra Epiſcopum ſuum *Rogatianum* petulanter inſurgere: merito ergo advertit, Dominum quando diaconos ab Epiſcopis voluit conſecrari, legem ipſis humilitatis & obedientiæ præſcripſiſſe: *nam*, inquit ibidem, *ſi nos aliquid audere contra Deum non poſſumus, qui Epiſcopos facit: poſſunt hi contra nos audere, a quibus diaconi fiunt? & ideo oportet diaconum de quo ſcribis, agere audaciæ ſuæ pœnitentiam, ut honorem ſacerdotis agnoſcat, & Epiſcopo præpoſito ſuo ſatisfacere*.

Addam alteram rationem propter quam dici a S. Cypriano merito potuit, *Diaconos ab Apoſtolis conſtitutos*, etſi pro rato fixoque haberet, Levitici ordinis inſtitutionem divinam eſſe.

esse, Apostoli enim in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, non superius tantum, sed & omne inferius ministerium exercebant, adeoque Diaconatu ipso defungebantur, quem plenitudo Sacerdotii comprehendit. Deinceps vero *crescente numero discipulorum*, ut in Actis habetur, (*Act.* 6, 1) cum omnia Sacri ordinis munia implere non possent, aliquam ejus portionem in electos a se Levitas, prout erat sancitum divinitus transtulerunt; tumque primum Levitici ministerii, non institutio, sed separatio facta est. Id quod Sacer textus manifesto significat. *Non est æquum*, inquiunt, (*ibid. v.* 2, *&* 3) *nos derelinquere verbum Dei*, *&* (quod ante fecimus) *ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Sp. Sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus*. A Deo ergo & ab Apostolis, primi Diaconi facti sunt: a Deo, inquam, cujus solius erat ordinem Leviticum primitus instituere, ab Apostolis vero, quando partem aliquam Sacri ministerii in electos Diaconos transfuderunt, hoc sibi quod erat præcipuum reservando. Unde necessario sequitur Diaconos Episcopis debere esse subjectos, a quibus Sacri ordinis honore & dignitate donati sunt.

Instab. S. Durandi, Cajetani, & quorumdam aliorum opinio fuit, nullum ordinem presbyteratu inferiorem, esse vere ac proprie Sacramentum. Ergo sententia quam defendimus, pro certa & constanti Ecclesiæ doctrina haberi non potest.

℞. Dato ant. n. conseq. quamquam enim quorumdam Scholasticorum eo audacia libertasque prodierit, ut Diaconatum numero Sacramentorum expungerent; nihil tamen inde veritati detractum, cui Scriptura & traditio apertissime suffragantur. Nec dubium modo est, postquam definivit Concilium Trid. Diaconos ad Sacram hierarchiam pertinere, & presbyteris ordinatione sua proximos esse, opinionem quæ negat Diaconatum esse Sacramentum, sine erroris ac temeritatis nota defendi non posse. Itaque Durandus, Cajetanus, & si qui alii similiter senserint, quamquam aliunde spectabiles, in hac quæstione sunt deserendi, ne veritas deseratur.

Inst. Ultimo. Saltem diffiteri non possumus, Hæreticos Diaconatum verum Sacramentum esse præfracte negantes, Scripturæ auctoritate revinci non posse. Ideo enim, ut prædiximus, instituti leguntur, ut mensarum civile ac prophanum ministerium exercerent: quæ sane iis demandata provincia, consecratione Sacramenti Evangelici non egebat: ergo &c.

℞. Nego ant.

1. Enim ii ipsi qui leguntur ad mensarum ministerium ordinati, in iisdem actibus baptizandi & prædicandi ministerium exercuisse narrantur: porro prædicatio & consecratio baptismi, divinæ res sunt.

2. Hoc ipsum, nisi quis aures obturaverit, aperte sonant verba quæ ibidem leguntur: *considerate viros ex vobis boni testimonii septem, & plenos Sp. Sancto*. Quasi vero plenitudo Sp. Sancti ad rem mere prophanam requireretur.

3. Apostolus a Diaconis easdem ac ab Episcopis & presbyteris virtutes requirit. Quos ergo Ipsis Ecclesiæ Antistitibus sanctitate vult esse æquales, Sacri ministerii participes, dispensatoresque esse significat.

4. Ideo S. Lucas solius curæ pauperum & Viduarum subsidii expresse meminit, quia de hac una re tum temporis agebatur, eaque sola instituendi Diaconos occasio fuerat. *In diebus illis*, inquiunt, (*Act.* 6, 1) *crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*, &c.

5. Falsum est, quod præfidenter jactant Heretici, *mensas* quarum ministerio Diaconi præpositi sunt, ad mentem S. Lucæ, mere prophanas ac usuales fuisse: utramque enim mensam, & mysticam & communem uno sermonis contextu S. Evangelista conjunxit. Unde non ait singulari numero (*mensæ*: sed *non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*.) Eoque certior illa responsio est, quod primis temporibus fideles utramque simul, ad exemplum Christi cœnam celebrarent, quotidianam nimirum ad corpus reficiendum, & mysticam, in qua corpore & sanguine Christi, ad nutrimentum animæ vescebantur. Quod ne gratis confictum aliquis putet, legat C. 11 Epistolæ 1 ad Cor. insuperque advertat, more loquendi Scripturæ, *mensæ* nomine Sacrum plerumque altare intelligi, in quo Sacrificia offeruntur. Quo sensu idem Apostolus ait, *non potestis*, (1 *Cor.* 10, 21) *mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum*. Ubi quod Altare paulo ante prædixerat, nunc mensam appellat. *Nonne*, inquiebat, (*ib. v.* 18.) *qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* Quando itaque S. Lucas primos Diaconos ad mensarum ministerium memorat ordinatos, duplex eorum officium una voce complexus est.

6. Denique Diaconatum pro vero Sacramento ex Scriptura habendum esse, inde eruitur quod primi Diaconi oratione & manuum impositione, ritu nimirum ordinationi presbyterorum & Episcoporum per omnia simili fuerint consecrati. Qua de re in præsenti operosius inquirendum.

IV

IV

Diaconatus tradendi Ritus.

Quo ritu consecrandi sint Diaconi, ita Romanum Pontificale præscribit: accedunt qui ordinandi sunt, & Pontifici offeruntur ab Archidiacono his verbis: „ Reverendissime Pa„ ter postulat S. mater Ecclesia Catholica, „ ut hos præsentes subdiaconos ad onus Dia„ conii ordinetis." *Scis illos dignos esse?* inquit Pontifex. Cui Archidiaconus, *quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio & testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.*

Tum Pontifex dicto *Deo gratias*, ad ordinationem procedit. Quam priusquam inchoet, primum electionem ordinandorum Clero & populo annunciat dicens. „ Auxiliante Domino „ Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo, eli„ gimus hos præsentes subdiaconos in ordinem „ Diaconii. Si quis habet aliquid contra illos, „ pro Deo & propter Deum cum fiducia ex„ eat, & dicat; verumtamen memor sit con„ ditionis suæ."

Deinceps facta aliqua mora, ad ordinandos sermonem convertit, dicens:

Provehendi, filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare. Sane in veteri lege, ex duodecim una tribus Levi electa est, quæ speciali devotione Tabernaculo Dei, eiusque sacrificiis, ritu perpetuo deserviret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus, nisi ex ejus stirpe, ad divinum illum cultum atque officium ministraturus assurgeret: adeo ut grandi quodam privilegio hæreditas, & tribus Domini esse mereretur, & dici: quorum hodie, filii dilectissimi, & nomen & officium tenetis, quia in ministerium tabernaculi testimonii, idest, Ecclesiæ Dei, eligimini in Levitico officio, quæ semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat, unde ait Apostolus: non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Quam Ecclesiam Dei, velut tabernaculum, portare & munire debetis, ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto.* Levi quippe interpretatur, additus, *sive* assumptus: *& vos, filii dilectissimi, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quæ militant adversus animam; estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei; ut digne addamini ad numerum Ecclesiastici gradus; ut hæreditas & tribus amabilis Domini esse mereamini: & quia comministri & cooperatores estis corporis & Sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura:* mundamini, qui fertis vasa Domini. *Cogitate B. Stephanum merito præcipuæ castitatis ab Apostolis ad officium istud electum. Curate, ut quibus Evangelium ore annunciatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur:* Beati pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona. *Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis, in præparatione Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam. Amen.*

Sequitur invitatio ad orandum pro electis Diaconis. *Commune votum,* ait Pontifex, *communis oratio prosequatur* &c.

Oremus, fratres carissimi, Deum patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium Diaconatus dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eisque consecrationis indultæ propitius dona conservet, & preces nostras clementer exaudiat; ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio, & quos Sacris mysteriis exequendis, pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua benedictione sanctificet, confirmet, &c.

Deinde Pontifex manum dexteram extendens, & capiti cujuslibet ordinandi imponens: *Accipe,* inquit, *Sp. Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus, in nomine Domini.*

Quo erga omnes sigillatim facto sic prosequitur: „ Emitte in eos quæsumus Domine Sp. „ Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter „ exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere „ roborentur. Abundet in eis totius forma „ virtutis, auctoritas modesta, pudor con„ stans, innocentiæ puritas, & spiritualis ob„ servantia disciplinæ. In moribus eorum præ„ cepta tua fulgeant; ut suæ castitatis exem„ plo imitationem sanctam plebs acquirat; & „ bonum conscientiæ testimonium præferen„ tes, in Christo firmi & stabiles perserve„ rent, dignisque successibus, de inferiori „ gradu, per gratiam tuam, capere potiora „ mereantur. Per eumdem Dominum no„ strum &c."

Post hæc Pontifex sedens cum mitra, cuilibet ordinando ante se genuflexo, stolam quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis: *Accipe stolam candidam de manu Dei, adimple ministerium tuum: potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit & regnat &c.*

Post hæc Pontifex accipiens Dalmaticam, induit ea quemlibet successive, usque ad humeros, dicens cuilibet: *induat te Dominus indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & Dalmatica justitiæ circumdet te semper. In nomine Domini. Amen.*

Postremo Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextra tangunt, dicens: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen.*

V

Sola manus impositio orationi conjuncta essentiam Diaconatus constituit.

Evidens est ex prædictis in ordinatione Diaconorum, ritus plurimos observari, qui materiæ loco haberi possunt, quibusque singulatim distinctæ preces, quasi totidem formæ respondent. 1 enim manus impositio fit. 2 stolæ. 3 Dalmaticæ admotio. 4 porrectio libri Evangeliorum. Quæritur utrum omnes ad essentiam ordinationis pertineant? Cui quæstioni ut satisfiat:

Dicimus 1, Ritum stolæ ac Dalmaticæ imponendæ, & utrique adjuncta verba ad essentiam Sacramenti nil facere.

Cum enim Scriptura de Diaconorum, non institutione tantum, sed & ordinatione apertam faciat mentionem; non aliud affirmari debet ad hujus Sacramenti essentiam pertinere, præter illud quod Apostoli in ejus consecratione usurpaverunt. Atqui in prima Diaconorum inauguratione ab Apostolis facta, nec Dalmaticæ, nec stolæ mentio est: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum*, ait textus Sacer, (*Act.* 6, 6.) *& orantes imposuerunt eis manus*: ergo &c.

Deinde. Ritus, Diaconatus materiam & formam constituens, utrique, Græcæ & Latinæ Ecclesiæ debet esse communis; cum utrobique verus sit Diaconatus; atqui

1. Ritus Dalmaticæ imponendæ, Græcæ Ecclesiæ hactenus incognitus fuit; nec in Latina olim obtinuit, ut constat ex silentio Sacramentarii Gregorii M. ad cujus præscriptum antiquitus ordines in Occidente conferebantur.

2. Quod ad stolam pertinet, in antiquis Latinis Ritualibus non paucis omittitur: apud Græcos vero imponitur, postquam perfecta ordinatio est, nullaque verba conjuncta habet hæc impositio, quæ pro forma Sacramentali haberi possint: ergo &c.

Insuper. In illo Ritu non consistit essentialis Diaconatus materia, qui nec effectum hujus Sacramenti, nec potestatem Diacono attributam significat. Atqui stolæ & Dalmaticæ impositio, nec effectum Diaconatus, nec potestatem Diacono datam significat; nec aliâ de causa, ut consentiunt Theologi, ritui antiquo adjuncta est, quam ut majori solemnitate ordinatio Sacra perageretur, majorve Sanctissimo ordini reverentia conciliaretur, ipsique, per hæc insignia, Diaconi, sui admonerentur officii, & ad illud strenue adimplendum incitarentur: ergo &c.

Dicimus 2, Diaconatus essentialem ritum in traditione libri Evangeliorum, & verbis eam comitantibus non consistere.

Cum enim non potuerit Ecclesia pro arbitrio quidditatem sive naturam Sacramentorum instituere aut mutare, quippe quæ tota pendeat ex immutabili Dei voluntate; manifestum est in eo ritu non consistere Diaconatum, qui est Sacrorum ministrorum institutione recentior. Porro traditio libri Evangeliorum, recentior est Diaconorum institutione. Quando enim Diaconi ab Apostolis ordinati sunt, nondum scriptum erat Evangelium, quod ipsis in manus porrigi posset. Quod ultra fatebitur, quisquis attendet, non multis post descensum Sp. Sancti diebus, primos Diaconos constitutos; Matthæum vero primum, ordine temporis, Evangelii scriptorem, non ante annum trigesimum nonum Æræ communis, sexto scilicet post Christi ascensionem anno, Evangelium exarasse.

Deinde ritus ille ad diaconatus essentiam non pertinet, qui semper in Ecclesia universali non viguit, etiam ex quo Evangelium est descriptum, atqui traditio libri Evangeliorum, etiam ex quo Evangelium scriptum est, perpetuo in Ecclesia universali non viguit: nam

1. Illam Græci nec antiquitus observarunt, nec hodie observant, ut ex omnibus eorum Euchologiis manifesto apparet: iniquissimum porro fuerit affirmare Græcos & Orientales vero diaconatu carere; quin & Ecclesiæ Latinæ injuriosum, quæ Græcos diaconos sine nova ordinatione quotidie recipit, id prorsus non commissura, si crederet, sine porrectione Evangelii diaconatum stare non posse.

2. Quod ad Latinos spectat, communis eruditorum sententia est, legem de Evangeliorum libro porrigendo, 600, aut 700 ad summum annis antiquiorem non esse: & sæpe antiqui libri rituales quotquot ad sæculum usque undecimum prodierunt de hoc ritu penitus silent: quin eum ab ordinatione diaconorum expresse videtur excludere *Amalarius Fortunatus* ineuntis 9 sæculi scriptor: „ primævo „ tempore, *inquit* (*lib.* 2 *de offic. c.* 12.) „ diaconus non legebat Evangelium, quod „ nondum erat scriptum: sed postquam sta-„ tu-

„ tutum est a patribus nostris, ut diaconus
„ legeret Evangelium; statutum ut & subdia-
„ conus legeret Epistolam."

Testatur insuper *Durandus* (*in* 4, *dist.* 24, *q.* 3.) qui floruit sæculo 14, juxta antiquissimum Sacramentarium, diacono cum ordinaretur, non fuisse traditum librum Evangeliorum, hujusque servandæ cæremoniæ formulam se ipsum manu propria addidisse Pontificali, Ecclesiæ cui præerat, ut se ad aliorum exemplum componeret: ergo &c.

Dicimus 3, essentialem ritum diaconatus, impositione manus & oratione ei correspondente, plene absoluteque contineri.

Cujus assertionis argumentum est multiplex.

1. In hoc ritu diaconatus natura ponenda est, quem solum scriptura, concilia, & Sancti Patres præscribunt; atqui solam manuum impositionem cum adjuncta oratione scripturæ & traditionis sacra monumenta assignant: *hos statuerunt ante conspectum Apostolorum*, ait S. Lucas, (*Act.* 6, 6.) *& orantes imposuerunt eis manus: Diaconus cum ordinatur*, inquit Concilium Carthag. IV, can. 4, *solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur .... diaconum effecies o Episcope*, ait Author constitutionum Apostolic. (*lib.* 8, *cap.* 17.) *imponens ei manus* .... & Dionysius, vulgo Areopagita, (*Eccl. Hier. c.* 5.) *dexteram manum Pontificis qui eum consecrat, super caput habet; ab eoque consecratur iis precationibus, quibus ministri consecrari solent*: idemque confirmat veterum ritualium & Euchologiorum auctoritas, hoc unum præscribentium, ut manus impositio & oratio fiat.

2. Nisi in sola manuum impositione consisteret essentialis diaconatus materia, consequens foret diaconos in Græca & Orientali Ecclesia nullos esse: inibi enim, ut prædiximus, cum diaconus ordinatur, nulla libri Evangeliorum, cum forma conveniente porrectio fit, sed sola manuum impositio, his verbis conjuncta: *divina gratia quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Reverendum subdiaconum, in diaconum: oremus igitur pro ipso, ut veniat super ipsum gratia Sp. Sancti .... Domine Deus noster qui in præsentia tua, super destinatos ab imperscrutabili tua virtute, ut ministri fiant, & illibatis mysteriis tuis deserviant, sancti tui spiritus copiam effundis: ipse Domine, & hunc quem tibi a me promoveri complacuit in Diaconi ministerium, in omni bonestate conserva, habentem Sacramentum fidei in pura conscientia: gratiam Stephano Proto-martyri tuo, in opus ministerii bujus a te primum vocato concessam largire, & gradum a bonitate tua sibi præstitutum, secundum beneplacitum tuum administrare præbe... non enim in manuum mearum impositione, sed in abundantium miserationum tuarum visitatione, gratia datur iis qui te digni sunt, &c.*

Porro sine temeritate dici non potest, in toto Oriente non usurpari materiam, diaconorum ordinationi essentialem: idque multis de causis.

1. Quia eo ritu celebratur, non solum a schismaticis, sed etiam ab iis qui Romanæ Ecclesiæ communione conjuncti sunt; immo & in ipsa urbe Roma, sciente & probante Pontifice Max.

2. Quia semel in Græca Ecclesia ordinatis, & a schismate redeuntibus, nova ordinatio non confertur.

3. Quia cum in Concilio Florentino, ex utraque Orientis & Occidentis parte coacto, multæ hinc inde contentiones efferbuissent; de hac re nec verbum habitum est, sed Græcorum ordinatio agnita & probata.

4. Durum nimis & asperum est, ne quid gravius dicam, inficiari Orientem totum, & Græciæ omnes provincias, olim caruisse & etiamnum carere vero diaconatu: ad quam tamen opinionem necessario adiguntur, qui diaconatus essentiam ita in libri Evangeliorum porrectione reponunt, ut manuum impositionem pro mera & accidentali cæremonia reputent.

5. Nisi manuum impositio sit essentia ordinationis diaconorum, nullo scripturæ & patrum testimonio probari contra hæreticos poterit, ordinationem hanc esse verum legis Evangelicæ Sacramentum: in tantum enim verbo Dei scripto & tradito veritas hæc demonstratur, in quantum manuum impositione & adjunctis precibus diaconatum conferri, eadem auctoritate monstratur; cum præter hæc duo, nihil aliud in scripturæ & patrum monumentis reperiatur, quo significata diaconorum ordinatio fuerit: ergo si negetur in hoc ritu essentiam diaconatus consistere, probari non poterit quod sit Sacramentum.

6. Denique quando in alicujus Sacramenti administratione duo ritus usurpantur, quorum alter omnium ætatum, omniumque Ecclesiarum consensione est celebratus, alter vero nec perpetuo usu receptus, nec etiamnum ab omnibus observatur, ille sane pro vero est agnoscendus, qui universalitatem, perpetuitatem, & omnium Ecclesiarum uniformitatem ostentat; præsertim si ejus origo de scripturarum fonte descendat; atqui traditionem codicis Evangelici nec omnis ætas admisit, nec modo Græci admittunt: e contra, manuum im-

impositio ubique gentium, quavis ætate recepta est, ejusque observandæ legem scriptura ipsa divina præscripsit: ergo merito dicitur in sola manus impositione essentia diaconatus, tamquam in proprio elemento consistere: unde iterum sequitur, formam ejus non aliam esse quærendam, præter verba manuum impositioni adjuncta: hæc enim vera & essentialis diaconatus est forma, quæ intimum cum ejusdem materia nexum habet, & practice effectum Sacramentalem significat: porro hujusmodi verba sunt, quæ Pontifex manum imponendo pronunciat: *accipe Sp. Sanctum ad robur* &c. *Adesto quæsumus omnipotens Deus* &c. ergo &c.

V I.

Stola quid significetur.

Stola, sive *Orarium*, diaconorum insigne est, & proprium ornamentum: στόλη Græco sermone, idem quod Latine vestimentum sonat: unde vero *Orarium* dictum sit, inter Ecclesiasticos scriptores non convenit: sunt qui velint, ab ore primitus dictum *Orarium*, quia putant diaconorum stolam, quomodo de subdiaconorum manipulo dictum est, olim nihil aliud fuisse quam fasciam lineam, sive linteum oblongum ori detergendo accommodum: eoque sensu, inquiunt, legitur in actis martyrii S. Cypriani, ejus demortui sanguini excipiendo *Oraria* a fratribus fuisse apposita: quæ certe alia esse non poterant, quam linteamina.

Magis arridet concilii *Toletani* IV sententia, ab orando, diaconici *Orarii* etymon repetentis: cui consentiens Vener. Beda: *bene*, inquit, (*cap. de 7 ordin.*), *orationibus convenit orarium, tamquam congruens officio instrumentum*: eademque Græcorum doctrina est, apud quos diaconus arrepta digitis stolæ extremitate, invitat populum ad orandum, cantores ad psallendum, Pontificem ad sacrum faciendum, & quo quidque tempore sit agendum denunciat: *Orarium gestare*, inquit Balsamon, *ad solos diaconos spectat: hi enim sacerdotibus assistentes, & sanctorum orationum mysteria observantes, eis qui sunt in Ambone diaconis, per orarium significant, quando debeat fieri pronunciatio, sive oratio pro catechumenis, reliquisque aliis*: indeque est quod Simeon Thessalonicensis stolas Diaconorum alis angelis comparat: *stola diaconica*, inquit, *quasi alas angelici ordinis subindicat: quare & Cherubim facies suas obvelantis diaconus imitaturus, & ipse cum Sacramentum percepturus est, stola ad corpus succingitur: sed & in ea hymnum angelicum*, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, scriptum ostentat, quo ministratorius angelorum ordo exprimitur.*

VII.

Diaconi quo numero ordinandi?

Diaconi septenario numero primitus ab Ecclesia electi, & ab Apostolis ordinati: *considerate*, inquiunt, (*Act. 6. & seq.*) *viros ex vobis bonis te timonii septem, plenos Sp. Sancto & sapientia quos constituamus super hoc opus . . . . & placuit sermo coram multitudine: & elegerunt Stephanum virum plenum fide & Sp. Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Simonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum: hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.*

Ad Apostolorum exemplum primis temporibus constitutum erat, non debere in unaquaque Ecclesia plures diaconos esse quam septem: morem hunc ab Evaristo Pontifice Max. in Romanam Ecclesiam inductum, multorum opinio est: ejusdem rei, medio 3 sæculo in Ep. *Cornelii* sum. Pontificis, ad *Fabium* Antiochenum, (*vide Euseb. lib. 6, cap. 43*) præclarum testimonium extat: *ille Evangelii vindex*, ait de Antipapa Novatiano, *ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat presbyteros quidem esse 44, septem autem diaconos, totidemque subdiaconos*, &c. eodem pertinet concilii *Neocæsariensis* (*anno 314*) canon 15: *diaconi*, inquit, *septem esse debent ex canone, etiam si magna sit civitas: ejus autem fidem facit liber Actorum.*

At vero cum meræ disciplinæ hæc constitutio fuerit, potuit, ut pleraque alia, immutari, reveraque mutata est: sic enim sæculo 6 *Justinianus* Imperator clericos recensens quos in majore Ecclesia Constantinopolitana ministraturos decernit: *Sancimus*, inquit, (*Nov. 3*) *non ultra* 60 *presbyteros, in sanctissima majore Ecclesia esse: diaconos autem masculos centum* &c. . . . itaque quoto numero debeant diaconi ordinari Episcoporum arbitrio, tum in Oriente tum in Occidente relictum est.

VIII.

Archidiaconus a diacono quid differat?

Ἀρχιδιάκονοι, non ordinationis novæ, sed Ecclesiasticæ dignitatis est nomen, qua cæteris diaconis, sic volente Ecclesia, archidiaconus eminet: primum hujus præcellentiæ fundamentum in Stephano occurrit, qui cæteris, ubi

ubi de electione diaconorum ageretur, prælatus est, de quo proinde haud incongrue dicitur, quod primus archidiaconus fuerit: *vide*, inquit S. Joanne Chrysost. hunc locum interpretans, *quomodo etiam in illis septem, unus cæteris præferebatur, & primatum habebat.*

Pleraque Archidiaconis attributa munia, pleraque diversis temporibus, disciplinæ vicissitudine, vel addita vel detracta: apud Græcos quidem & Orientales præcipua ejus privilegia sunt, quod Evangelium in Ecclesia publice legat, & erga cæteros diaconos jurisdictionem exerceat: indeque est quod in inauguratione Archidiaconi, Evangelium pectori ejus imponitur, eique ad manum traditur baculus pastoralis, auctoritatis insigne: apud Latinos vero Archidiaconi officium est, clericorum per totam late diœcesim moribus, honestati, & decentiæ in habitu & tonsura prospicere, cultui Ecclesiarum earumque refectioni invigilare, ordinandos Episcopo præsentare, visitare diœcesim &c. indeque est, quod Archidiaconus, oculus Episcopi, sacris canonibus vocitatur, ut scilicet vice ejus inspiciat omnia, & quæ corrigenda sunt, ejus auctoritate emendet.

SECTIO QUINTA.

De presbyteratu.

Πρέσβυτερ ex etymo nomen est ætatis, seniorem significans: usu vero Ecclesiæ, officii nomen est, iis attributum qui præfecturam Ecclesiæ gerunt.

Presbyteratus bene definitur, *ordo sacer per quem datur potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, ipsius sacrificium offerendi, & peccata dimittendi aut retinendi.*

1. Quod presbyteratus, verus sit ordo, prima hujus libri parte probatum est.

2. Quod potestas Eucharistiæ consecrandæ, & sacrificii offerendi ejus propria sit, tum verba Christi manifesto probant: *hoc facite in meam commemorationem*: tum fuse libro quinto ostendimus.

3. Huic ordini adjunctam esse facultatem dimittendi aut retinendi peccata, constat ex Christi verbis: *accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: qua de re libro sexto, de pænitentia, dictum est.

Hinc liquet quam merito qui tantis deputantur officiis, presbyteri ac sacerdotes dicti fuerint: presbyteri quidem sive seniores, tum quia maturam ætatem attigisse debent; tum propter morum gravitatem, doctrina & prudentia decoratam, ut illud impleant sapientis monitum: (*Sap.* 4, 8.) *senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.* Sacerdotum vero appellatio inde petita, tum quia Deo specialiter sacri & devoti sunt, tum quia ex officio res sacras & divinas pertractant.

I

Presbyteratus conferendi ritus.

Primum omnium Pontifex post recitatas litanias, nullo cantu, nullaque oratione præmissa, imponit simul utramque manum capiti cujuslibet ordinandi, successive, & nihil dicens: idemque faciunt omnes sacerdotes qui adsunt.

2. Sequitur immediate altera manuum impositio, qua tam Pontifex, quam sacerdotes tenent manus dexteras extensas super ordinandos, eamque manuum impositionem Episcopalis benedictio, sive oratio comitatur: de hac Concilium Carthag. IV ita præscribit: (*Can.* 3.) *presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus extensam tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Eamdem manuum impositionem, adjunctasque orationes Sacramentarium Gregorii M. sic exhibet: primo manuum impositio a Pontifice & assistentibus Presbyteris facienda præcipitur. Deinde sequitur

Oratio ad Presbyteros ordinandos.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, & super eosdem Sancti Sp. & gratiæ sacerdotalis infundat virtutem.

Oremus. Exaudi nos quæsumus Domine Deus noster, & super hos famulos tuos benedictionem Sancti Sp. & gratiæ sacerdotalis infunde virtutem: ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua tui muneris largitate prosequaris. Per Dominum nostrum &c.

Postea fit

Consecratio.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus . . . . da quæsumus in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem: innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis . . . . sint probi cooperatores ordinis nostri, & luceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ redditurі, æternæ beatitu-

Digitized by Google

titudinis præmia consequantur. Per eumdem D. N. J. C. &c.

3. Episcopus stolam humeris ordinandorum adaptans, & singulis ad pectus in formam crucis apponens, *accipe*, inquit, *jugum Domini, jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.*

4. Imponit Pontifex cuilibet ordinando casulam usque ad scapulas, quam tenet quilibet super humeros complicatam, & parte anteriori deorsum dependentem, dicens singulis: *accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur: potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, & opus perfectum.*

5. Manus ordinandorum sacro oleo inungit, in hunc modum orans: *consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas, per istam unctionem & nostram benedictionem, ut quæcumque benedixerint, benedicta sint, & quæcumque sanctificaverint, sanctificentur* ..... unguntur autem manus in formam crucis, quia Sp. Sanctus fons est benedictionum omnium, quas passione & morte sua Christus nobis promeruit.

Interim canitur Hymnus: *Veni Creator Spiritus* &c.

6. Omnium & singulorum unctis manibus & consecratis, Episcopus tradit cuilibet successive calicem cum vino & aqua, & patenam superpositam cum hostia, singulis dicens: *accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.*

7. Tandem in fine ordinationis, & omnibus communicatis, tertia & ultima manuum impositio fit ab Episcopo, utramque manum super capita singolorum tenente, ac dicente: *accipe Sp. Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*: hæc ultima manuum impositio post sacrum expletum, & post communionem fit: cætera quæ præcedunt, intra missarum solemnia, post Epistolam quidem & tractum, sed ante cantum Evangelii peraguntur.

II

Non omnes Presbyteratus conferendi ritus ex æquo ad ejus essentiam pertinent.

Horum si quid prætermissum fuerit, necessario (in Latina Ecclesia) esse supplendum, nemo ambigit: nulli enim ministro licitum est, ritum Ecclesiæ in qua degit, aut aliquam ejus partem, eo prætextu quod non sit essentialis, negligere: sed tenetur quilibet tutiorem in praxi partem amplecti. Porro tutius est, immo hoc solum est tantum, in administratione Sacramentorum, ea omnia exequi quæ more & instituto Ecclesiæ præscribuntur. Ergo quæcumque ejus pars, quantumvis tenuis, omissa comperiatur, necessario, prout a Pontificibus Maximis sæpe est declaratum, suppleri debet.

Verum scholasticorum, rerum naturas intimius perscrutantium more quæritur, utrum omnia quæ in presbyteratus administratione servantur, ad ejus essentiam ex æquo pertineant? pro cujus enodatione:

Dicimus 1, Materiam & formam presbyteratus, in stolæ & casulæ impositione, cum adjunctis orationibus non consistere.

Quæ sententia omnium pene Theologorum communis est, & quidem merito: nam ille ritus sacerdotii materiam & formam non continet, a quo minime dependent effectus ejus, character nimirum & gratia; quoque duntaxat significatur, quænam sint ordinis sacerdotalis insignia, quave ratione debeant mores suos componere, qui ad hunc tam sublimem gradum promoti sunt. Porro stolæ & casulæ impositio non aliud quidquam significant. Ergo &c.

Dicimus 2, Manuum unctionem cum oratione conjuncta, materiæ & formæ Presbyteratus rationem non importare.

In eo namque ritu non consistit Presbyteratus essentia, qui numquam in Græca & Orientali, nec semper in Latina Ecclesia viguit: alioquin enim dicendum foret, Græcos hactenus, Latinos per multa sæcula vero sacerdotio caruisse; quod nemo capitis sani admittet, quippe a veritate, & ab omni sensu Religionis prorsus abhorrens: atqui ritum unctionis manuum cum oratione adjuncta, hactenus Græcos non admisisse in confesso est apud omnes: Latinis vero hunc eumdem ritum, longo sæculorum decursu fuisse incognitum certo probat tum antiquissimorum ritualium, & Scriptorum veterum de hac cæremonia silentium, tum expressa *Nicolai I.* sæculo 9 Pontificis Max. auctoritas, ad *Rodulphum* Bituricensem in Gallia Episcopum sic scribentis: (*Ep.* 39) *præterea sciscitaris, utrum solis Presbyteris, an & Diaconibus debeant, cum ordinantur, manus Chrismatis liquore perungi? quod in sancta hac* Romana, *cui Deo auctore, deservimus Ecclesia, neutris agitur; sed quia sit a novæ legis ministris actum, nusquam, nisi nos fallat oblivio, legimus.* Ergo &c.

Dicimus 3, Porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia; quæque interim ab Episcopo proferuntur verba: *accipe potestatem &c.* ad essentiam Presbyteratus non pertinere.

In eo enim Presbyterorum ordinatio, tamquam in ritu essentiali non est ponenda; sine quo verum olim sacerdotium datum est, & etiam num confertur. Nam quia res quælibet non potest esse sine sua essentia, (alioquin enim

posset

Digitized by Google

posset esse sine se ipsa, quod absurdissimum est:) merito negatur ad rei essentiam pertinere, sine quo res ipsa consistit: atqui sine porrectione instrumentorum & verbis eidem correspondentibus, verum olim in Ecclesia Latina sacerdotium datum est, & etiamnum in Græca & Orientali administratur.

Quantum quidem ad Latinos spectat,

1. Totis mille prioribus annis, hunc ritum adhibuisse nemo legitur: de illo in Sacramentario Gregorii M. Isidoro Hispalensi, Alcuino, Amalario, Rabano, Ritualibus omnibus Romanis, Gallicis, Anglicanis, & aliis altissimum silentium est, atqui hæc tam constans, tam perpetua, in re tam gravi taciturnitas aperte clamat, instrumentorum porrectionem priscis temporibus fuisse incognitam: cui enim persuaderi poterit, ritum Presbyteratui essentialem, decem sæculorum curriculo, ab iis scriptoribus prætermissum, qui omnium Sacramentorum cæremonias adamussim & summa diligentia descripserunt; quorum proinde tantopere interesrat, ea non negligere, quibus sacerdotalis ordinatio essentialiter constat? Ergo &c.

2. Porrectionem instrumentorum a Presbyterorum ordinatione vetera monumenta excludunt. Cujus rei in can. 5 Concilii IV Carthagin. non leve est argumentum: *subdiaconus*, inquit, *cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi, urceolum cum aqua, & manutergium.*

Inde sic efflorescit argumentum: Ex Patrum Carthaginensium decreto, ideo in ordinatione Subdiaconorum porrectio instrumentorum facienda præscribitur, quia non accipiunt manuum impositionem. Ergo ad eorum mentem e contrario inferendum, instrumentorum porrectionem, in Presbyterorum consecratione necessario fieri non debere, quia manuum impositionem accipiunt.

Idipsum evincit canon 27 Concilii IV Toletani, sic statuens: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in 2 Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario, de manu Episcopi: si Episcopus, orarium, annulum, & baculum: si Presbyter, orarium, & planetam: si Diaconus, orarium & albam: si Subdiaconus, patenam & calicem: sic & reliqui gradus ea in reparationem sui suscipiant, quæ cum ordinarentur susceperunt.*

Hinc proclive est argumentum deducere pro nostra sententia validissimum: præcipit Synodus, ut Presbytero cum in gradum suum restituitur, ea reddantur quæ de manu Episcopi in ordinatione sua susceperat; atqui præter orarium & planetam nil reddi jubetur. Ergo hoc unum in ordinatione sua de manu Episcopi susceperat: atque adeo porrectionem instrumentorum a Presbyterorum ordinatione Toletani Patres excludunt.

3. Qui de hac instrumentorum porrectione primi scripserunt, minime essentialem esse observant, hocque una de causa dicunt ab Ecclesia institutam, ut signum esset potestatis in ordinatione acceptæ: " Accipiunt, *inquit* " *Hugo a S. Victore*, (*lib. 2 de Sacram. par.* " 3, *cap.* 12.) Presbyteri calicem cum vino, " patenam cum hostiis de manu Episcopi, qua- " tenus his instrumentis potestatem se acce- " pisse agnoscant, placabiles Deo hostias of- " ferendi ... " parique sensu, & iisdem pene verbis Magister sentent. *accipiunt*, inquit, (*lib.* 4, *dist.* 24.) *calicem &c. ut per hoc sciant se accepisse potestatem, placabiles Deo hostias offerendi:* non ait Magister, *accipere*, sed, *accepisse*: intelligit ergo potestatem hanc per manuum impositionem, ante fuisse acceptam; adeoque ad essentiam Presbyteratus porrectionem instrumentorum nil facere.

Jam de Græcis & Orientalibus nulla difficultas est, quando constat porrectionem instrumentorum illis hactenus fuisse incognitam: de ea enim penitus silent Scriptores quos omni ætate habuerunt; silent euchologia tum priscæ, tum recentioris ætatis: & tamen datus ab illis Presbyteratus ab Ecclesia Latina agnoscitur & probatur, nec ulla unquam de ejus veritate in Occidente quæstio fuit.

Dicimus 4, Non primam, nec tertiam manuum impositionem, cui oratio Episcopi correspondet: *accipe S. Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* ad Presbyteratus essentiam pertinere.

1. Pars hoc simplici argumento adstruitur: in illa manuum impositione non consistit essentialis Presbyteratus materia, quæ nec in usu fuit 10 prioribus sæculis, nec formam ullam annexam habet; atqui primam manuum impositionem nec prisca ætas ad millesimum usque annum admisit, ut ex scriptorum omnium silentio constat, nec ulla verborum formula comitatur. Ergo &c.

2. Pars sic probatur: ritus ille Presbyteratus materiam & formam non conficit, qui nec olim fuit in Ecclesia celebratus, nec modo servatur ab omnibus; atqui tertia manuum impositio cum oratione conjuncta, nec olim solemnis in Ecclesia fuit, cum de ea antiqua Latinæ Ecclesiæ Ritualia, ante 12 sæculum scripta, altum sileant; nec etiamnum ab omnibus observatur, cum in Græcia & Oriente prætermittatur. Ergo &c.

Dicimus 5, Ritum eſſentialem Presbyteratus in ſecunda manuum impoſitione conſiſtere, quæ adjunctam habet orationem Epiſcopi.

In hoc enim ritu poni debet materia eſſentialis Presbyteratus ac forma, quem Scripturæ divinæ auctoritate præſcriptum, Sancti Patres perpetua conſuetudine & conſenſione univerſali ad nos tranſmiſerunt; atqui hujuſmodi eſt ſecunda manuum impoſitio, Epiſcopi orationem adjunctam habens.

1. Scripturarum auctoritate præſcribi, aperte declarant ejus teſtimonia in decurſu hujus libri ſæpe laudata.

2. Antiqui, Græci & Latini Scriptores, ſolius meminerunt impoſitionis manuum & orationis; traditionem inſtrumentorum nec verbo quidem inſinuant: hinc communi vocabulo, ſacrorum miniſtrorum conſecratio χειροτονία dicta eſt; hinc S. Epiphanius errorem *Aerii* refutans, qui Presbyterorum ordinandorum jus Presbyteris ſimplicibus tribuebat: *quìnam vero*, inquit (*hær.* 75.) *fieri poteſt, ut is Presbyterum conſtituat, ad quem creandum, manuum imponendarum jus nullum habet*? hinc Synodus Carthaginenſis IV, ſacræ ordinationis ritum ex profeſſo deſcribens: *Presbyter cum ordinatur*, inquit, (*Can.* 3.) *Epiſcopo eum benedicente, & manus ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*. Hinc Dionyſius, vulgo Areopagita, *Sacerdos*, inquit, (*de Eccleſ. Hier. cap.* 5.) *flexis ante aram genibus, capiti ſuo admotam Pontificis manum dexteram habet, atque a Pontifice qui eum conſecrat, ſanctis precationibus ſanctificatur*. Hinc denique, ut multa alia prætercam, Concilium Trid. antiquam doctrinam confirmans, poſtquam docuit, (*Seſs.* 14, *c.* 3.) extremæ unctionis miniſtros eſſe presbyteros: *quo nomine*, inquit, *non ætate ſeniores intelligendi veniunt; ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinati, per impoſitionem manuum presbyterii*.

3. In hac adſtruenda presbyteratus materia & forma omnium Eccleſiarum plena conſenſio eſt. Cujus rei certiſſimum argumentum præbent libri omnes Rituales, Syrorum, Ægyptiorum, Græcorum, Orientalium denique omnium & Latinorum: quorum etſi in cæteris haud modica diſſenſio ſit; una tamen eſt vox, presbyteratum manuum impoſitione & oratione conferri. Nulli ergo dubitare licet, quin ritus ille ad eſſentiam presbyteratus pertineat. Cum enim idem ſit apud omnes Sacramentum, eamdem quoque apud omnes materiam & formam eſſe oportet, quam a Chriſto acceptam Apoſtoli, Eccleſiæ lege immutabili tradiderunt: niſi velimus Sacramentorum materias & formas, arbitrariæ diſciplinæ res eſſe, poſſeque viciſſitudine perpetua variari; ita ut quod heri neceſſarium fuerat elementum, poſſit hodie novo ſubſtituto, mere accidentarium reputari: quod ſane quam parum tutum fuerit, quamque a bona Theologia alienum, nemo non videt: ergo &c.

III

Scholaſticorum oppoſitiones diluuntur.

Et hæc quidem ſententia, alias, niſi fallimur, quæ circumferuntur Scholaſticorum opiniones ratione & auctoritate vincit. Ne tamen videamur ab iis qui contra ſentiunt temerario diſſentire; argumenta proferemus quibus ſtatuere aggrediuntur, presbyteratus materiam & formam, vel in ſola porrectione inſtrumentorum, cum verbis adjunctis, vel ſaltem in utroque ſimul ritu conſiſtere, impoſitionis manuum, & porrectionis inſtrumentorum.

Opponunt itaque. In ſtatuendo Theologico dogmate caute cavendum, ne a communi Theologorum judicio recedamus, ne ſcilicet temeritatis, erroriſve incurramus notam, privatas opiniones communibus magiſtrorum effatis anteponendo; atqui materiam & formam presbyteratus in porrectione inſtrumentorum, & in verbis adjunctis poſitam eſſe: *Accipe poteſtatem* &c. Theologorum communis doctrina eſt: ergo &c.

R. 1. Nego min. quam enim doctrinam defendimus, antiquiſſimi & Scholarum celeberrimi Theologi tenuerunt: ſcilicet, S. Thomas 3 part. qu. 84, a. 4, S. Bonaventura, Guillelmus Altiſſiodorenſis, Durandus, Paludanus, Hoſius Cardinalis, Petrus Soto, Bellarminus, & alii longe plures, quos inter ſic loquitur Maldonatus, Societatis Jeſu inſignis Theologus: *impoſitio manuum*, inquit, (*de ord. par.* 2, *quæſt.* 3.) *non eſt habenda tamquam cæremonia non neceſſaria, ſed tamquam pars eſſentialis Sacramenti: idque videtur tenendum fide Catholica: primum quia in ſcripturis ubicumque fit mentio de Sacra ordinatione declaratur per impoſitionem manuum; & videtur mihi eſſe temerarium, ſcripturam deſerere, & conſectari chymæras, ideſt, rationes naturales*. 2 *Quia veterem Eccleſiam numquam ordinaſſe ſine impoſitione manuum, ex omnibus auctoribus antiquis perſpicuum eſt: de traditione autem Calicis & hoſtiæ, nulla eſt mentio apud illos*. 3 *Quia videtur durum nimis eſſe, cæremoniam quam nobis perſpicue tradunt Apoſtoli, excludere a natura Sacramenti, & inducere illam, de qua nulla mentio fit in Scriptura*.

Dein-

Deinde ab iis qui Theologorum adversum nos consensionem tanta emphasi jactitant, quærimus, numquid putent patres antiquos Theologorum nomine sat dignos non esse? Nam si in eo præcipue veri Theologi nomen officiumque versatur, quod de rebus divinis accurate edisserat, earumque veritatem contra refractarios argumentis convincentibus tueatur; quibus magis laus illa debetur, quam Ecclesiæ patribus, summisque magistris, qui in hoc curam omnem & studium posuerunt, ut divina dogmata apte, concinne, robustissima scripturæ & traditionis auctoritate illustrarent ac vindicarent? Porro in tanto numero patrum qui a primis temporibus ad ortum usque Scholasticæ Theologiæ floruerunt, nec unum reperias qui porrectionem instrumentorum & adjunctam formulam, pro essentia etiam partiali Sacræ presbyterorum ordinationis habuerit: falso ergo & immerito Theologorum contra nos numerus & concordia venditatur.

Quod vero dictum de patribus, hoc ipsum de veteribus Latinorum Ritualibus, & Græcorum antiquissimis Euchologiis dictum puta. In his namque libris tanta diversarum ætatum reverentia consecratis, sola, ut prædiximus, manuum impositio, & supplex Pontificis precatio in ordinatione presbyteri facienda præscribitur: de porrectione instrumentorum nec verbum occurrit: ergo in sola manuum impositione & supplicatione adjuncta essentiam presbyteratus consistere, antiquæ Theologiæ axioma & anticipatio est.

Quoniam vero Scholasticis aliquid, imo plurimum honoris est tribuendum, quos negare non possumus Sacræ Doctrinæ industria sua ac methodo, lucem magnam, nec minorem attulisse studiosis utilitatem:

R. 2. Dist. maj. in statuendo Theologico dogmate cavendum, ne a communi Theologorum judicio recedamus, *quatenus ipsi Scripturarum & SS. Patrum auctoritate doctrinam suam communiunt*, conc. *secus*, n. maj. & concessa in hunc sensum min. n. conseq. Responsionem hanc quia sæpius in causa simili usurpavimus, non vacat denuo explicare.

Inst. 1. Atqui Scholastici Theologi antiqua auctoritate moventur, ut asserant in instrumentorum porrectione & verbis conjunctis, materiam & formam presbyteratus consistere: ergo &c.

Prob. subs. ex veteri ordine Romano, *Titulo, de Ordine*: ex Stephano Æduensi, *de Sacramento Altaris*, *c.* 7, Hugone a S. Victore, *l.* 2 *de Sacramentis*, *part.* 3, *c.* 12, & Magistro Sentent. *l.* 4, *dist.* 24, insinuantibus per porrectionem instrumentorum conferri potestatem Sacerdotalem: ergo &c.

R. Nego subs. ad probationem,

1. Dato ant. n. conseq. quando enim quæstio est de ritu necessario alicujus Sacramenti, diligenter introspiciendum, quæ omnium Ecclesiarum fuerit unanimis & invariata consensio. Atqui porrectionem instrumentorum ad presbyteratus essentiam pertinere, negat universa Orientis Ecclesia, quam Sacerdotio Christiano carere, sine summa stultitia dici non posset, negat antiqua Latina Ecclesia, quæ ritum hunc per mille priores annos neutiquam admisit. Ergo etiamsi in objectione laudati auctores revera quod eis tribuitur censuissent, sententiam nostram privato suo judicio non everterent.

2. Nego ant. nego, inquam, hanc esse veteris *Romani Ordinis*, & aliorum qui opponuntur, doctrinam. Nam

1. *In Romano Ordine* porrectio instrumentorum, non in ordinatione presbyterorum, sed in consecratione Episcoporum facienda præscribitur. Igitur non bona fide hujus Ritualis auctoritate adversarii abutuntur.

2. Hugo a S. Victore, & Magister sentent. hoc unum affirmant quod non negamus, porrectionem instrumentorum, ex quo introducta est in Latinam Ecclesiam, esse signum acceptæ per impositionem manuum potestatis. *Accipiunt* (inquit uterque) *calicem cum hostiis, ut per hoc sciant, se accepisse potestatem, placabiles Deo hostias offerendi*. Ex eorum itaque mente prius est *accepisse* potestatem, placabiles Deo hostias offerendi, quam *accipere* calicem cum hostiis. Ubinam vero, quæso, & quandonam potestas illa, nisi in manuum impositione accepta est? Et quid, enim vero, aliud per illam potestatem, nisi Sacerdotium ipsum acceptum intelligi potest? Ad eumdem sensum facile revocantur *Stephanus Æduensis*, *Ivo* Carnutensis, & alii qui poterunt argumento simili allegari. Immo ex eorum sententiis colligendum non alia ratione debere exponi verba, quæ in hodierno Pontificali leguntur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia* &c.

Inst. 2. Ex auctoritate *Eugenii IV* in Decreto pro *inst. Armenorum* sic statuentis: *Ordinis materia est, illud per cujus traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem* . . . . . Hinc sponte sequitur argumentum:

Decernit eo loci Pontifex Max. quæ materia sit, per cujus traditionem presbyteratus confertur; atqui non aliam esse vult, præter Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; nihil enim ultra requirit: ergo &c.

R. Admissa auctoritate, dist. maj. decernit Sum. Pontifex, quæ sit presbyteratus materia

Digitized by Google

integralis & accessoria, conc. *essentialis*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Sensus *Eugenii IV* ex ejus scopo accipiendus. Intendit hoc suo Decreto, peculiares Latinæ Ecclesiæ ritus, Armenos (prout ipsi postulaverant) edocere: minime ergo necesse erat, ut de manuum impositione verbum ullum faceret, quam Armeni in suis ordinationibus, secundum Universæ Ecclesiæ morem hactenus usurpaverant, quamque fieri omnino debere non poterant ignorare: quantum autem a mente Pontificis Maximi, quæ ei affingitur sententia aliena sit, invincibiliter hoc uno argumento conficitur. Decretum *Eugenii IV* statim post celebrationem Concilii Florentini editum est. Porro in Florentina Synodo, cui *Eugenius* supremæ Romanæ sedis jure ac dignitate præfuit, de ordinatinne presbyterorum, quin sine porrectione instrumentorum ac plena consisteret, nulla dubitatio fuit: Græcorum ibidem rata probataque ordinatio est, quos constabat sola impositione manuum & precandi adjuncta formula consecratos. Non ergo existimabat Eugenius, Ritum instrumenta porrigendi, Romanæ Ecclesiæ proprium, aliter ad presbyterorum ordinationem, quam velut cæremoniam accessoriam pertinere.

Inst. 3. asserit Summus Pontifex, per hanc instrumentorum porrectionem, presbyteratum conferri. Definit ergo in eo ritu consistere materiam ejus esssentialem.

℟. Dato ant. n. conseq. quamquam enim stricte loquendo per solam manuum impositionem, coniunctamque orationem presbyteratus administretur, ex vulgari tamen loquendi more, Sacramenti vis & efficacia ritibus omnibus attribui solet, qui in consecratione presbyterorum, Ecclesiæ recepta & approbata consuetudine celebrantur. Unde non incongrue, licet minus proprie dicitur aliquis fieri presbyter, per primam, per secundam, & tertiam manuum impositionem, per stolæ ac casulæ coaptationem, per porrectionem patenæ & calicis, panis & vini, & denique per manuum unctionem: quia hi omnes ritus vel ad presbyteratum præparatorii sunt, vel potestatis jam collatæ explicationem important. Quod aliorum Sacramentorum exemplo illustrari facile posset, nisi planum ac facile foret. Jam vero laudatum decretum de accessoria tantum & accidentali materia debere intelligi, inde conficitur, tum quia novus est ille ritus, & verum sine eo olim in Latina Ecclesia consistit Sacerdotium, hodieque inter Græcos & Orientales consistit; tum quia si in locum impositionis manuum, instrumentorum porrectio, velut ritus essentialis substituatur: probari contra Hæreticos ex scriptura & traditione non poterit, presbyteratum verum esse Sacramentum: quod observatione dignissimum est.

Inst. 4. ex auctoritate Concilii Trid. sess. 22, cap. 1 affirmantis, *Apostolos Novi Testamenti Sacerdotes tunc fuisse a Christo constitutos, cum corpus & sanguinem suum, ut sumerent, eis tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba*: hoc facite in meam commemorationem: *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit. Ita S. Synodus;* atqui, inquit Gonetus, *horum verborum loco in Sacerdotis ordinatione ponuntur hæc verba*: Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. *Ergo per ista verba, & per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconi constituuntur Sacerdotes: subindeque manuum impositio non est de essentia ordinationis Sacerdotalis, sed sola instrumentorum traditio cum forma verborum ipsi correspondente, totam illius essentiam constituit.*

R. Concessa maj. & accepta auctoritate, nego min. nego, inquam, loco verborum quæ protulit Christus, quando suprema potestate Apostolos Sacerdotes constituit, necessario substitui debere verba: *Accipe potestatem &c.* ipsamque Sacrificii instrumentorum porrectionem. Si enim ita se res haberet, consequens foret Ecclesiam toto mille annorum curriculo, in errore, & summa sui officii oblivione jacuisse, quæ solido illo temporis spatio Sacerdotes sine his verbis & sine instrumentorum traditione consecravit. Quod cum a veritate penitus abhorreat, dicendum, id quod Christus summa qua præstabat virtute fecit, trahi in exemplum non debere; nec alia ratione Sacerdotes esse ordinandos, præter quam præscripsit ipse Apostolis, & suis successoribus Apostoli tradiderunt. Atqui ab ipso Christo edocti Apostoli, sola manuum impositione & oratione presbyteros ordinabant, eamque consecrandi formam suis successoribus reliquerunt quæ hactenus in Oriente & Occidente inviolabilis perseverat. Ergo in eo solo ritu consistit ordinationis essentia: nec bonam Theologiam sapit, id quod vulgo Scholastici asserunt, ritum ab Apostolis observatum, mere fuisse accidentarium; illum e contra pro essentiali habendum, qui post Apostolos invectus, nec semper, nec ubique in Ecclesia viguit. Hoc enim quid aliud est, quam Apostolos pessumdati Sacerdotii accusare, quippe qui neglecto ritu essentiali, cæremoniis inutilibus hæserint?

Inst. 5. Hæc est essentialis presbyteratus materia, e qua tamquam ex causa dependet Sacramentalis effectus; atqui effectus ordinationis Sacerdotalis, character nimirum, tum producitur, cum porriguntur ordinando instrumenta,

ta, ſimulque Sacra verba funduntur: *Accipe poteſtatem offerendi &c.* Hæc enim expreſſa Angelici Doctoris ſententia eſt, ſic loquentis: (*Suppl. quæſt.* 37, *art.* 5, *in C.*) *quia principalis actus Sacerdotis eſt, conſecrare Corpus & Sanguinem Chriſti: ideo in ipſa datione Calicis, ſub forma verborum determinata, character Sacerdotalis imprimitur*: ergo &c.

R. Conceſſa maj. n. min. ad auctoritatem R. cum diſtinctione, ſimul & explico mentem S. Thomæ. In ipſa datione calicis ſub forma verborum determinata character ſacerdotalis imprimitur, id eſt, *declaratur*, *quod impreſſus fuerit*, conc. id eſt, *revera hoc temporis puncto infigitur*; *nec ante receptus fuerat*, nego antec. & conſeq.

E. R. Præceptoris Angelici verba hoc modo debent intelligi, quo ſuperius diximus exponendo Magiſtrum ſentent. Hugonem a S. Victore, & Eugenium IV, maxime cum eodem loci S. Doctor diſerte pronuntiet, manuum impoſitione dari gratiæ plenitudinem. *Per benedictionem*, inquit, (*clericus*) *divinis obſequiis mancipatur*, *& ideo benedictio omnibus datur*; *ſed per manus impoſitionem datur plenitudo gratiæ*, *per quam ad magna officia ſint idonei*: *& ideo ſolis Diaconis & ſacerdotibus fit manus impoſitio*, *quia eis competit diſpenſatio Sacramentorum*.

Inſt. 6. Eſto in porrectione inſtrumentorum & conjuncta formula non conſiſtat ritus eſſentialis Presbyteratus; non idem ſane dici poteſt de tertia manuum impoſitione, & verbis ab Epiſcopo prolatis: *accipe Sp. Sanctum &c.* Ergo &c.

Prob. ant. Ex Concilii Trid. definitione: *Si quis dixerit*, inquit, (*Seſs.* 23, *can.* 4) *per ſacram ordinationem non dari Sp. Sanctum*: *ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere*: *accipe Spiritum Sanctum*: . . . *anathema ſit*.

Inde ſic argumentum efformant: declarat Concilium Trid. per ſacram ordinationem dari Sp. Sanctum, adeoque non fruſtra Epiſcopos dicere: *accipe Sp. Sanctum*. Ergo ex Patribus Trid. hæc verba, una cum tertia manuum impoſitione, pertinent ad ritum eſſentialem Presbyteratus.

R. nego ant. ad probat. admitto auctoritatem, & conceſſo ant. n. conſeq. aliud enim eſt, non fruſtra dici hæc verba: *accipe Spiritum Sanctum &c.* aliud, ex iis conſtare ritum eſſentialem Presbyteratus. Primum aſſerunt Trid. Patres contra Hæreticos, negantes ſacerdotium eſſe Sacramentum, omnem ſacræ ordinationi efficaciam detrahentes, adeoque blaſphemantes, ab Epiſcopis fruſtra dici: *accipe Sp. Sanctum &c.* ſecundum nec dicunt, nec leviter inſinuant, ut ex ipſo tenore canonis manifeſto patet.

Inſt. 7. Chriſtus hæc verba ad Apoſtolos dirigens, *accipite Sp. Sanctum*, *quorum remiſeritis peccata*, *remittuntur eis &c.* veram illis in corpus ſuum myſticum contulit poteſtatem; quomodo in ultima cœna dicendo: *hoc facite in meam commemorationem*, dederat eis poteſtatem in corpus ſuum naturale: eumdem ergo hæc ipſa verba ſenſum habent, quando ab Epiſcopis ad novos Presbyteros diriguntur: adeoque pertinent ad ordinationis eſſentiam, cum conferant poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, quam ſi Presbyteri non haberent, media ſacerdotii parte defraudarentur.

R. Conceſſo ant. n. conſeq. Quemadmodum enim ſine his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, verum ſacerdotium conſtat, veraque ſacris miniſtris ad oblationem myſticam corporis naturalis Chriſti confertur poteſtas; ita in corpus ejus myſticum vera juriſdictio tribuitur ſine iſtis: *accipite Sp. Sanctum &c.* nam ut ſæpe dictum eſt, de ritu ſacræ ordinationis eſſentiali ex Scriptura & traditione debet eſſe judicium; atqui ſine tertia manuum impoſitione & verbis adjunctis: *accipite Sp. Sanctum &c.* ſacram ordinationem ab Apoſtolis, & ab eorum ad adultam uſque Eccleſiæ ætatem ſucceſſoribus factam eſſe, certa traditione didicimus, nec minus conſtans eſt ſine hoc ritu etiamnum in Oriente & Græcia fieri. Ergo &c.

Inſt. ultimo. Atqui in antiqua doctrina fundamentum habet opinio aſſerentium, tertiam manuum impoſitionem cum adjuncta prece ad presbyteratus eſſentiam pertinere. Ergo &c.

Probant ſubſ. ex Authore quæſtionum *Veteris & Novi Teſtamenti*, quæ habentur inter opera S. Aug. ubi ſic loquitur ille, ſive Auguſtinus, ſive quivis alius. „ Per illud autem, „ *inquit*, (*qu.* 93) *quod inſufflaſſe in diſcipu-* „ *los* Dominus legitur . . . & dixiſſe: *accipi-* „ *te Sp. Sanctum*, Eccleſiaſtica poteſtas in- „ telligitur: quia enim omnia . . . . per Sp. „ Sanctum aguntur, idcirco cum Regula eis „ & forma traditur hujus diſciplinæ dicitur „ eis: *accipite Sp. Sanctum* . . . inſpiratio er- „ go hæc gratia quædam eſt, quæ per tradi- „ tionem infunditur ordinatis ".

Hinc ſic argumentum informant: ex S. Aug ſive alio, quiſquis tandem ſit, antiquo Doctore, quod fecit Chriſtus, quando in Apoſtolos inſufflando: *accipite*, inquit, *Sp. Sanctum* ab Eccleſia erga eos qui ordinantur pariter fit. Ergo habet in antiqua doctrina fundamentum opinio aſſerentium tertiam manuum impoſitionem, cum his verbis, *accipite Spiritum S.* ad presbyteratus eſſentiam pertinere.

R. Nego ſubſ. ad probat. admitto auctoritatem, & diſt. ant. quod fecit Chriſtus erga Apo-

Apostolos, idem fit ab Ecclesia erga eos qui ordinantur, *quantum ad rem sive effectum*, conc. *quantum ad ritum*, n. ant. & conseq.

E. R. Duo hic accurate sunt distinguenda, effectus & ritus: effectum equidem sive potestatem in Corpus Christi mysticum, sua ætate novis presbyteris attributam affirmat laudatus Scriptor, quod nemo negat omni tempore factum esse; cum verba semel a Christo dicta: *accipite Sp. Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* ad finem usque sæculi vim eamdem & effectum sint habitura; sed potestatem hanc eodem ritu, quo semel a Christo Apostolis est communicata, suo tempore presbyteris dari consuetam, negat ibidem prædictus auctor, nedum affirmet: sic enim prosequitur: „ semel ergo hoc fieri oportuit, ut de cætero traditio ista non sine dono Sp. Sancti esse credatur; sicut enim in Salvatore forma data est visibiliter, ut post baptismum, Sp. Sanctum, credentibus de cætero invisibiliter dari non ambigeretur; ita & in supra dicta causa forma data est in principio, ut ex eo Sp. Sanctus infusus credatur . . . . quorum verborum, quantum quidem intelligimus, sensus est: " *semel fieri oportuit; hoc est, semel oportuit Christum in Apostolos insufflare, dicendo*: accipite Sp. Sanctum: *ut in Ecclesiam Sp. Sancti largiendi potestas transfunderetur*: quemadmodum ergo Sp. Sanctum dari credentibus nemo ambigit, etsi corporali specie, quomodo in baptismo Christi contigit, non descendat; ita potestatem in corpus ejus mysticum ordinatis conferri non dubitamus, licet non eodem ritu conferatur, quo a Christo Apostolis est communicata.

Ne autem ullum de hac re dubium supersit, audi verum Aug. expresse negantem Apostolos, eorumque successores his verbis aliquando usos fuisse. „ Quomodo, *inquit*, (*lib. 15 de Trinit. c. 26*) Deus non est, qui dat Sp. Sanctum? immo quantus Deus est, qui dat Deum? neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Sp. Sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. " Itaque juxta S. Aug. in ordinibus antiquitus conferendis Ecclesia non dicebat: *accipe Sp. Sanctum*: sed tantum orabat, ut in ordinandos veniret.

IV

In quæstione de materia & forma Sacramentorum, quo Criterio utendum?

Cæterum si cui in præsenti controversia, uti & in reliquis ad Sacramentorum materias & formas spectantibus, vitilitigare (quod scholastici ad raucedinem usque sæpe faciunt,) propositum sit; facile erit cavillationes omnes & sophismata, unius quam sæpe attulimus regulæ observatione diluere: quærendum nimirum quid ubique, quid semper, quid ab omnibus fuerit in Presbyteratus administratione servatum, nec dubitandum eo ritu sacerdotii essentiam contineri qui universitate, antiquitate, consensione roboratus reperietur: unde consequens est solam quæ secundo loco fit manuum impositionem, cui oratio invocans Sp. Sanctum adjuncta est, presbyteratus essentiam constituere; quia hoc solum semper, & ubique, & ab omnibus est retentum. Equidem habent diversæ Ecclesiæ ritus proprios quos in presbyterorum consecratione observant; sic enim, præter Latinos de quibus prædictum est, peculiare hoc habent Græci, quod Episcopus panem, qualis in altari ad consecrandum proponitur, manui ordinandi presbyteri admovet, quæ cæremonia potestatem significat sacrificii offerendi. *Copitæ* vero communionis tempore, particulam consecratam novo sacerdoti ad manum tradunt: his similibusque modis Ecclesiæ Græcorum ab invicem in sacris presbyteratus cæremoniis differunt; de quibus si controversia oriatur, utrum ad sacri ordinis essentiam pertinere putandæ sint, hac una regula sopietur: pleraque Latini in ordinatione observant, quæ Græci & Orientales non faciunt: habent & Græci ritus proprios Latinis incognitos: utrobique tamen verum sacerdotium esse Catholica Ecclesia credit, nec fallitur judicio suo, quia in hac cæremoniarum varietate, ritus aliquis est semper, & ubique, & summa consensione servatus, sine quo sacerdotium nec esse, nec esse posse, traditione majorum, in ipsis scripturis fundata edocta est: hujusmodi porro esse manuum impositionem, quæ Spiritus Sancti invocationem adjunctam habet, euchologiorum omnium & Ritualium librorum consensus demonstrat.

At, inquis, si in sola quæ secundo loco fit manuum impositione & oratione eidem correspondente, presbyteratus substantia tota consistat, quorsum ergo tam stricte Ecclesia præcipit, cæteros ritus esse supplendos, qui casu prætermissi fuerint, antequam novus sacerdos sacris dare operam permittatur?

℟. Hoc

℟. Hoc ideo constitutum: tum quia nemini licet receptos Ecclesiæ suæ mores infringere: tum quia in Sacramentis conficiendis aut conferendis, semper quod est in praxi tutius, est sequendum, quamquam aliunde minus sit *speculative*, ut loquimur in scholis, probabile. Porro licet probabilius sit, immo etsi hoc solum verum videatur, in secunda manuum impositione & oratione conjuncta totam presbyteratus essentiam contineri; in praxi tamen tutius est omnia exequi quæ Ritualibus præscribuntur; hac enim adhibita diligentia errandi periculum nullum restat. Merito ergo Ecclesia præcipit, ut si solemnis aliquis ritus, de quo utrum & quomodo ad Sacramenti integritatem pertineat, controvertitur, oblivione ordinatoris vel incuria fuerit prætermissus, suppleri omnino debeat & impleri, antequam ordinato ad sacrum altare aditus permittatur: ita a Pontificibus Maximis sæpe sancitum.

Cæterum perperam inde quis inferat, ritus omnes qui in presbyterorum ordinatione celebrantur, Ecclesiæ judicio absolute necessarios esse ac essentiales: quod quam falsum sit, hoc uno, ni fallor, argumento conficitur: Latina Ecclesia presbyteros suos non patitur sacro ministerio defungi, nisi constiterit ritus omnes in ordinatione servari solitos, in eorum consecratione adamussim fuisse impletos: eadem tamen Ecclesia, presbyteros Græcos & Orientales gremio suo lubens excipit, & sine nova ordinatione sacerdotio fungi sinit, quos tamen sine unctione manuum, & instrumentorum porrectione ordinatos esse apud suos compertum habet. Non putat ergo Latina Ecclesia ritus illos ad sacræ ordinationis essentiam pertinere: quod autem de Latinis dictum erga Græcos, de Græcis erga Latinos intellige. Si enim Latinus quis presbyter misere & damno suo ad Græcos & Orientales defecerit, ut eorum hæresi aut schismati hæreat, pro vero sacerdote habetur, quamquam fuerit sine propriis Græcorum aut Orientalium cæremoniis ordinatus.

V

Presbyteratus verum est legis Evangelicæ Sacramentum.

Constat hæc veritas ex ipsis Sacramenti conditionibus, quas novæ legis sacerdotio, sæpius in hujus libri decursu ostensum est convenire: illud enim verum est legis Evangelicæ Sacramentum, quod habet divinum mandatum, quod ritu externo, materia nimirum & forma perficitur, quod denique gratiæ & characteris ex opere operato est efficax; atqui ex Scripturæ & traditionis testimoniis sæpe adductis manifestum fit, sacerdotium ritu externo conferri, divinam in perpetuum institutionem habere, & gratiam ac characterem ex opere operato producere.

Hinc Concilium Trid. antiquam de sacerdotio doctrinam confirmans: *si quis dixerit*, inquit, (*Sess.* 23, *c.* 1) *non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile & externum... anathema sit*... & Can. 2: *si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia alios ordines, & majores & minores: anathema sit*... Can. 3: *si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum: anathema sit*... & denique Canone 4: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Sp. Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: accipe* Sp. Sanctum: *aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus posse fieri: anathema sit.*

Quæ contra a Lutheranis & Calvinistis opponi solent, discussa alibi sunt, videlicet lib. 1. de Sacramentis in genere, quæstione de ministro Sacramentorum: & hujus libri prima parte: indeque a studiosis reperi possunt.

VI

Presbyterorum excellentia & officia.

Sacerdotalis ordinis dignitas & excellentia ex ejus officio intelligitur, quod totum circa Corpus Christi versatur: est autem Corpus Christi duplex, naturale, & mysticum: naturale offert sacerdos Æterno Patri, consecrat, manducat, & sumere volentibus distribuit: quæ ei munera ex institutione Christi tributa sunt: ille enim verus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, postquam abrogatis veteribus sacrificiis, & impleto Mosaico paschate, sacrificium & Sacramentum novum in Corpore & Sanguine suo sanxisset; & ad ejus participationem discipulos admisisset; iisdem ut hoc ipsum in perpetuum facerent commendavit: *hoc facite*, inquiens, *in meam commemorationem*.

Corpus Christi mysticum Ecclesia est, de qua Apostolus: *unus panis*, inquit, (1 *Cor.* 10, 17) *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*.... & alibi: (1 *Cor.* 6, 15) *nescitis quoniam corpora vestra sunt membra Christi*?... & alio in loco: (*Ib.* 12, 12 & *seq.*) *sicut corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus: etenim in uno*

uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi . . . vos estis Corpus Christi, & membra de membro . . . . nec minus expresse in Ep. ad Ephesios: (4, 15 *& seq.*) *veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate*.

In illud corpus exercent presbyteri potestatem, per baptismi, pœnitentiæ, & aliorum (sola dempta confirmatione & ordinatione) Sacramentorum dispensationem; per prædicationem Evangelii, per regimen animarum, per fidelium, & rerum ad eorum usum spectantium benedictionem: sunt enim ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei: pro Christo legatione funguntur, tamquam Deo exhortante per ipsos: *omnia ex Deo*, inquit Apostolus, (2 *Cor.* 5, 18) *qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo*.

Indeque facile est intelligere, quanta sit dignitas Sacerdotum, quibus tam sublimia munera sunt commissa. *Sacerdotium ipsum*, ait S. Joannes Chrysost. (*Lib.* 2 *de Sac.*) *in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est: quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem hujusmodi disposuit; qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo conciperent: idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in cœlis ipsis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret . . . adest Sacerdos non ignem gestans, sed Sp. Sanctum, preces diuturnas fundit, non quo flamma cœlitus delapsa, sacra apposita absumet; sed ut gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igne purgato . . . iis qui terram incolunt, commissum est, ut ea quæ in Cœlis sunt dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est*: quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cœlo; & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cœlo: *habent quidem terrestres principes vinculi potestatem, sed corporum solum: id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit, usque adeo ut quæcumque in terra Sacerdotes confecerint, illa Deus in cœlo rata habeat, & servorum sententiam Dominus confirmet: etenim quidnam hoc esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis a Deo concessam?* quorumcumque, *inquit*, peccata remiseritis, remittuntur eis; *&* quorumcumque retinueritis, retenta sunt: *quænam, obsecro, potestas, hac una major esse possit?*

VII

Virtutes presbyterorum propriæ.

Jam si quæritur quæ sint virtutes propriæ Sacerdotis? Respondeo nullam esse qua non debeat gradu quodam eminenti esse instructus; homo namque Dei Sacerdos est: debet ergo Sanctus esse, sicut Deus Sanctus est; nec ullam ei permittitur virtutem negligere, cum sit ejus minister effectus, qui est *Dominus virtutum*: deinde ideo est a Populo segregatus, ut populo præsit: debet ergo forma Gregis fieri, præbens ei omnium exempla virtutum: oportet itaque presbyterum totum esse lucem, quia ideo electus est ut esset lux mundi: totum esse vocem, nonnisi de Deo & cum Deo loquentem; totum esse viam, cui insistant qui hæreditatem quærunt salutis: atque ut verbo dicam, debet Sacerdos Sanctitatis Evangelii testimonium omni actu suo præbere, ad Dei cultum sua præsentia revocare, & a rebus mundanis avertere: quæ si quis putat rigore nimio & cum exaggeratione dicta; næ! ille nequidem Sacerdotii nomen intelligit: longe sane aliter sentiebant, Gregorius Nazianzenus *Orat.* 1, S. Joannes Chrysost. *in libris de Sacerdotio*, unde pauca paulo ante decerpsimus: S. Hieronymus in Ep. *ad Nepotianum*: S. Aug. in serm. *de Pastoribus*: S. Gregorius *in Pastorali*: S. Bernardus in libris *de Consider.* ad Papam Eugenium: & alii passim SS. Doctores, qui ut excellentiam Sacerdotii verbis magnificentissimis prædicarunt, ita nihil antiquius habuerunt, quam ut ostenderent, dignitatis & virtutum ei correspondentium eamdem esse mensuram: quod nisi assidue & qua erant præditi eloquentia inculcassent, ab Evangelio, & ab Apostolo deflexissent: quanta enim debeat esse presbyterorum Sanctitas, ubique in Evangelio Christus, in Epistolis suis, præsertim ad Tim. & Titum, Christi Apostolus, sæpe repetitis documentis explicare non desinunt.

Ex

Digitized by Google

Ex his sacris Fontibus hauriant Sacerdotes monita salutis, & discant quales esse debeant, si vere volunt esse quod dicuntur: nobis interim brevitati studentibus satis in præsenti erit, verba Episcopi ordinantis exscribere, quæ juxta Pontificale Romanum ad Ordinandos dirigere consuevit.

Consecrandi, filii dilectissimi, inquit, *in presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exequi studeatis: Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare: cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut cœlestis sapientia, probi mores, & diuturna justitiæ observantia, ad id electos commendent: unde Dominus præcipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israel, in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret, suggessit*: quos tu nosti quod senes populi sunt: *vos siquidem in septuaginta viris & senibus signati estis, si per spiritum septiformem, decalogum legis custodientes, probi & maturi in scientia similiter & opere eritis: sub eodem quoque mysterio & eadem figura in novo testamento Dominus septuagintaduos elegit, ac binos ante se in prædicationem misit, ut doceret verbo simul & facto, ministros Ecclesiæ suæ, fide & opere debere esse perfectos, seu geminæ dilectionis, Dei scilicet & proximi virtute fundatos: tales itaque esse studeatis, ut in adjutorium Moysi & duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen & Apostolos figurantur, digne, per gratiam Dei, eligi valeatis: hac certe mira varietate Ecclesia Sancta circumdatur, ornatur, & regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi, & subdiaconi, diversorum ordinum viri consecrantur; & ex multis, & alternæ dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur: itaque, filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium, fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castæ & Sanctæ vitæ integritatem: agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis; quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis & concupiscentiis omnibus procuretis: sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei: sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei; quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur: quod ipse nobis concedat per suam gratiam. Amen.*

VIII

Qui Vestis propria Sacerdotum?

Casulam sive Planetam, proprium Sacerdotalis ordinis indumentum esse, verba ipsa innuunt, quæ juxta Pontificale Romanum Episcopus profert, novis Sacerdotibus casulam successive adaptans: *accipe*, inquit, *vestem Sacerdotalem, per quam Caritas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, & opus perfectum.*

Porro *casula* per quamdam diminutionem, nomen *a casa* sortita est, *Isidoro Hispalensi* interprete, (*lib.* 19 *Orig. cap.* 24.) eo quod totum hominem tegat, & brevi velut casa involvat; planetæ vero nomen inde petitum, quia oris errantibus evagatur, &, prout in *gemma animæ* legitur, (*lib.* 1, *cap.* 207.) *Limbus eius errabundus, utrimque in brachia sublevatur*: cur autem casula olim ad brachia attolli deberet, causa erat, quia alioquin presbyter operi sacro vacare non potuisset, nec usum manuum liberum habuisset: primitus enim casulæ rotundæ prorsus erant, a collo usque ad pedes totum hominem ambientes, & unico in summitate apertæ foramine, per quod caput liberum exiliret: ut ex antiquis picturis, & ex veteribus, quæ in nonnullis Ecclesiis asservantur, sacris indumentis constat: cum itaque hoc velut ergastulo conclusæ Sacerdotis manus detinerentur, necessarium prorsus erat, ut eo sacrificante, ex utroque latere ad summitatem brachiorum attolleretur: quod cum valde incommodum esset paulatim in Latina Ecclesia, nullo præeunte sum. Pontificum aut Synodorum decreto, scindi ex utroque latere, casulæ, & decurtari cœperunt; & ad eam denique formam redactæ, quæ in toto Occidente hodie obtinet: *in Latina*, inquam, *Ecclesia*: veterem namque casulæ formam hactenus Græci & Orientales retinuerunt.

Pleræque, quod ad casulam attinet, moveri quæstiones a multis solent, curiosæ magis quam necessariæ: quale est, utrum casula ab origine vestis sacra semper fuerit, aut e contra ex usu prophano & civili a sacris ministris retenta? utrum ex quo consecrari usu Ecclesiastico cœpit, ita fuerit propria Sacerdotum, ut eam deferre ministris inferioribus non licuerit? numquid ejus usum veteres Monachi, etiam sine ordinibus sacris habuerint?

Nobis cum non vacet in hujusmodi disquisitionibus occupari, sat fuerit majorum testimonio affirmare, casulam, velut vestitum proprium, presbyteris antiquitus attributam: de ea enim in antiquo ordine Romano, in libris Al-

Digitized by Google

Alcuini, Amalarii, Rabani Mauri, & aliorum qui de ritibus sacris scripserunt mentio est: celebre de hac re Concilii Toletani IV decretum, his verbis conceptum: (*can.* 27.) *presbytero in sua ordinatione planeta datur, quæ idem est ac casula.*

Nec desunt sacri indumenti causæ morales ac mysticæ: 1 enim per casulam, quæ totum ambit corpus, aut saltem antiquitus ambiebat, caritas, ut ex Pontificali Romano prædiximus, intelligitur, quæ ad omnes omnino sine exceptione porrigitur: 2 per eam duplex, in utrumque Christi Corpus naturale ac mysticum, potestas a Sacerdote accepta significatur: indeque est quod casula quam novus Sacerdos in ipso ordinationis exordio, ab Episcopo super humeros complicatam receperat, non ante explicatur, quam Pontifex in fine ordinationis manus ei de novo imponens, dixerit: *accipe Sp. Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

I X

Presbyterorum diversi gradus.

Ordinationis habita ratione, presbyterorum nulla diversitas est; eamdem namque omnes & singuli, nisi obicem ponant, gratiam, per manuum impositionem accipiunt; eodemque omnes charactere insigniuntur: itaque quidquid inter illos discriminis intercedit, introductum est disciplina Ecclesiæ, quæ aliis majorem, minorem aliis, & postremo aliis nullam jurisdictionem attribuit.

In infimo ordine sunt, presbyteri simplices sive sæculares, sive regulares, quibus, cum animarum curam beneficii titulo nullam habeant, hoc unum relictum est, ut incruentum missæ sacrificium offerant, &, ad nutum Episcoporum, pœnitentiæ Sacramentum, & quædam alia speciali ac temporaria delegatione valeant ministrare.

Archipresbyterorum, Vicariorum generalium, officialium, pænitentiariorum, Theologorum, Parochorum, & chorepiscoporum dignitas major ac præeminentia est: de chorepiscopis sectione septima & ultima hujus libri dicturi sumus: de cæteris, quid auctoritatis habeant, quave ratione a cæteris distinguantur, breviter in præsenti explicandum.

Quod erga Diaconos Archidiaconus, idem est erga presbyteros Archipresbyter: ad eum namque pertinet, certo presbyterorum numero invigilare, eos in officio sive ruri, sive in civitatibus continere; quæ desunt, sive per se ipsum, seu, ubi res gravior agitur, Episcopi imperio expectato corrigere: indeque *Archipresbyter*, sive *caput presbyterorum*, sive *proto-presbyter* est appellatus.

Alio nomine, sed sensu prorsus eodem Archipresbyteri a Græcis, *περιοδευταὶ*, sive *visitatores* sunt appellati, propterea quod ex officio jus habeant certum Parochiarum numerum visitandi, ibidemque disciplinam restituendi.

Quomodo presbyteris sæcularibus, ita & cœnobitis sui ab antiquo Archipresbyteri assignati, quos Græce Ἡγούμενοι, sive Archimandritas vocabant, eandem in Monachos, ac cetæri in sæculares auctoritatem habentes.

Vicarius Generalis quid sit, nomen ipsum aperte declarat: ad eum namque pertinet, Episcopum adjuvare, vices ejus, maxime in causis ad jurisdictionem voluntariam ac gratiosam spectantibus, & in moderamine diœcesis supplere: atque, ut verbo dicam, alterum veluti Episcopum esse: Vicarius Generalis qualis esse debeat, dudum S. *Basilius* præmonstravit, qui ab *Eusebio Cæsariensi* Episcopo accitus, ut vices ejus impleret, testante S. *Gregorio Nazianzeno*, (*Orat.* 2 *in laud. Basilii*) *perpetuo illi aderat, docebat, dicto audiens erat, monebat, quidvis denique illi erat, consultor bonus, opitulator optimus, divinorum oraculorum explicator, rerum agendarum præmonstrator, senectutis subsidium, fidei adminiculum, domesticorum fidelissimus, externorum ad res agendas aptissimus: &, ut uno verbo dicam, tantam ejus benevolentiam obtinens, quanto prius apud eum* (*Episcopum Eusebium*) *odio flagrare videbatur*: *ex quo hoc assecutus est, ut etiamsi illi, Cathedræ honore, secundus esset; Ecclesiæ tamen imperio potiretur.*

Vicariorum Generalium ad decimum tertium usque sæculum, rarissima exempla, vixque vestigia nonnulla occurrunt; sive quia Episcopi per se ipsos omnia ad regimen Ecclesiarum spectantia, nullo accito adjutore obibant; sive quia occurrente casu unumquemlibet sine vicarii titulo delegabant, ad breve tempus: sive, (quod puto verius) quia Archidiaconi, quorum summa, ut prædiximus, in Clero auctoritas erat, omnibus Vicariorum Generalium officiis fungebantur; indeque est quod nec in antiquis Canonibus, nec in *Gratiani* decreto, nec in *Gregorii IX* decretalibus, de Vicario Generali præscriptum quidquam legatur; ubi tamen de Archidiaconis & archipresbyteris, sanctiones pleræque extant: verum decimotertio ineunte sæculo Vicariorum Generalium communi Episcoporum in occidente consensu, & quasi communicato consilio, cæpit frequentissimus esse usus: quod ideo præcipue constitutum

Digitized by Google

tutum arbitror, ut Archidiaconi, quorum supra modum fastus & auctoritas creverat, redigerentur ad ordinem, eoque certius Episcopi suam recuperarent auctoritatem, quod Vicariis Generalibus, non perpetua, ut Archidiaconis, sed temporaria & a nutu Episcoporum dependens potestas committeretur, quod si quis contendat Vicariorum Generalium institutionem antiquiorem, & patrum veterum usu fuisse solemnem, advertat primam eorum aperte mentionem fieri, in Concilio *Lateran.* IV sub Innocentio III Pontifice Max. (*ann.* 1215) ubi patrum ad Episcopos adhortatio legitur, ut si omnia quæ sui muneris sunt implere non possunt, presbyteros eligant, qui eorum in regimine Ecclesiæ vice fungantur.

Officiales a Vicariis Generalibus in hoc differunt, quod istis voluntaria & gratiosa jurisdictio, illis contentiosa sit attributa; indeque est quod *Officialis* auctoritas, diœcesis, immo proprii auditorii limitibus coarctetur, extra quod juris dicundi facultatem non habet; Vicarii e contra, extra diœcesim, latissime effundatur; nullus namque locus est, quo non possit testimoniales litteras, dispensationes, & gratiosas concessiones ad Episcopi subditos mittere; in hoc vero conveniunt, quod uterque suam ab Episcopo, aliove superiore habeat potestatem: unde consequens, ut eo mortuo, vel deposito, vel excommunicato, utriusque cesset potestas: præterea hoc Vicarius Generalis, & Officialis commune habent, quod cum uterque Episcopi jurisdictionem exerceat, una eademque cum Episcopo censeatur esse persona; quo fit ut ab eorum sententiis ad Episcopos quorum vices gerunt, appellatio nulla sit; hujusmodi namque recursus ad judicem superiorem fieri debent; porro Episcopus, cujus præcessit, vices ejus gerente Vicario vel Officiali, sententia, se ipso nequit esse superior.

De Vicariis Generalibus & Officialibus pleræque moveri solent quæstiones, quæ quia ad Jus Canonicum pertinent, instituti nostri non sunt.

Ævo pariter recentiori presbyter *pœnitentiarius*, & *Theologus* instituti: de iis namque in Concilio *Lateran.* IV primo sancitum, cujus decreta sacra Synodus Trid. sæculo 16 renovavit.

Presbyteri *pœnitentiarii* munus est, in casibus reservatis fidelium confessiones excipere, & Episcopi in hac parte supplere vices: olim enim hujusmodi confessiones per se ipsos Episcopi audiebant: de pœnitentiario in Trid. Concilio sic decretum: (*sess.* 24, *de Ref. c.* 8) *in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione prebendæ proxime vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in Theologia vel jure Canonico, & annorum quadraginta, seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur.*

Presbyteri *Theologi* officium est, divinas litteras & scripturam sacram, in iis præsertim quæ ad morum conformationem, & animarum regimen pertinent, junioribus clericis explicare; ne nimirum ministri desint, qui potentes sint exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: de *Theologis* instituendis, in Concilio Lateran. IV, (*can.* 2.) ut prædiximus est sancitum; idemque mox in Synodo *Basileensi*, (*sæc.* 15.) multoque gravius in Concilio Trid. firmatum, cujus verba referre juvat: *sacrosancta Synodus*, inquit, (*sess.* 5, *de Ref. cap.* 1.) *Sum. Pontificum, & probatorum Conciliorum Constitutionibus inhærens, easque amplectens, & illis adjiciens; ne cœlestis ille sacrorum librorum Thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat; statuit & decernit, quod in illis Ecclesiis, in quibus præbenda aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ Theologiæ deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alii locorum ordinarii, eos qui præbendam, aut præstimonium seu stipendium hujusmodi obtinent, ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum, ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant & compellant: de cætero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi, nonnisi personis idoneis, & quæ per se ipsos id munus explere possint, conferantur; & aliter facta provisio nulla sit, & invalida: in Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius Diœcesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præter quam ex causa resignationis primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, & deputata intelligatur: & quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contri-*

tributionem beneficiatorum suæ civitatis & diœcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat; ut ipsa sacræ scripturæ lectio habeatur: ita tamen ut quæcumque aliæ lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione institutæ, propter id minime prætermittantur.

Restat ut dicamus de *Parochis*, quorum longe antiquior, quippe divina ipsique Evangelio coæva institutio est: constat enim eos a Christo tum temporis præformatos, quando (*Luc.* 10, 1, & *seqq.*) ut apud S. Lucam legitur, *designavit & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum quo erat ipse venturus: & dicebat illis: messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam: ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos*: in eorum sane locum Parochos, sive ordinis inferioris Prælatos, esse substitutos, Angelici præceptoris doctrina est: Baptizare, inquit, (3 *part. q.* 67, *art.* 2, *ad* 2) *pertinet ad minores principes Ecclesiæ, id est, ad presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi, ut dicit glossa Luc.* 10, quam sententiam non a seipso finxerat, sed aliunde acceperat S. Doctor, traditionis sectator acerrimus: *scitote*, inquit Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui versus finem 8 sæculi floruit: *scitote* (*Theodulph. in capitularibus*) *vestrum gradum nostro gradui secundum, & pene coniunctum esse: sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum sum. Pontificis Aaron, isti vero filiorum ejus: unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, & memores vestræ consecrationis.*

Concinit ejusdem sæculi scriptor Vener. Beda: *sicut*, inquit, (*comment. in cap.* 10 *Lucæ*) *duodecim Apostolos, formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare, nemo est qui dubitet; sic & hos 72 figuram presbyterorum, id est secundi ordinis Sacerdotum gessisse sciendum est: tametsi primis Ecclesiæ temporibus, ut Apostolica scriptura testis est, utrique presbyteri, utrique vocabantur Episcopi, quorum unum sapientiæ maturitatem, alterum curam industriæ Pastoralis significat.*

Quod si quis opponat, his Evangelii verbis: *designavit Dominus & alios 72 &c.* non aliquos tantum de presbyterorum numero, sed chorum universum Sacerdotalem a Christo esse figuratum ac præmonstratum: adeoque nihil inde posse Parochis asseri, quo cæteris emineant ac præcellant: attendat ille quisquis est cavillator, equidem per hanc Christi electionem Sacerdotes esse significatos, sed eos tamen qui sub Episcopis, in plebem Christianam, pro sua quisque portione, ordinariam jurisdictionem exercent, quales soli Parochi sunt; non vero eos qui, prout recentiore disciplina invectum est, cum animarum curæ, beneficii titulo non applicentur, precariam tantum, & temporariam, longeque minorem quam Parochi potestatem habent.

Equidem ab Evangelii primordiis hujus presbyterorum distinctionis vix exempla afferri possunt, quorum alii Episcoporum in hierarchicis functionibus coadjutores ordinaria potestate forent; alii jacentes in otio, præter oblationem sacrificii nihil quidquam sibi arrogare præsumerent: quia, ut prædixi sæpeque præmonui, nemo primitus ad ordinem Sacerdotii conscendebat, quin ipso suæ ordinationis tempore, alicujus Ecclesiæ procurationi addiceretur: verum hinc eo magis nostra probatur assertio, Parochorum institutionem esse divinam, etsi singulorum electio, quippe ab hominum suffragio pendens, humana sit: adeoque quomodo Episcoporum, ac Diaconorum potestas Deo immediato authori adscribitur, pariter & Sacerdotum, Gregem Christi, sub Episcoporum jurisdictione pascentium, debere Deo utique vindicari: ut vere ex illo triplici ordine Hierarchia Ecclesiastica, & numeris omnibus absoluta conflectur, de qua a Concilio Trid. sic definitum: (*sess.* 23, *can.* 6) *si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris: anathema sit*: cæteri enim, præter Parochos Sacerdotes, etsi absolute loquendo vi ordinationis suæ, quæ eadem in omnibus est, potestatem eamdem accipiant; quia tamen defectu Gregis sibi commissi ligata est, omnique ordinaria jurisdictione privata; inde sequitur, eos si stricte, & ad juris apicem loqui volumus, ad Hierarchiam Eccles. nisi admodum imperfecte, non pertinere.

Itaque non dubitandum auctoritatem, sub Episcopis animas regendi, attributam Sacerdotibus quos *Parochos* vocant, etsi quoad exercitium ab ipsis Episcopis pendeat, institutione tamen esse divinam: & vero credibile non est Christum, optimum sapientissimumque legislatorem, aliquid eorum prætermisisse, quæ Ecclesiæ Regimini opportuna ac necessaria viderentur: atqui necessarium erat ad Ecclesiæ Regimen, ut præter Episcopos quibus summa in unaquaque diœcesi potestas collata foret, crearentur eorum adjutores presbyteri, qui sub immediata eorum jurisdictione, ipsorum partes supplerent, eorumque essent in animabus pascendis coadjutores: ergo Christus hanc institutionem non prætermisit.

Huc-

Digitized by Google

Hucque facere haud obscure videntur scripturæ testimonia: quale est quod in Actibus Apostolicis legitur: (*Act.* 17, 20, *& seqq.*) *a Mileto autem* (Paulus) *mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ: qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis . . . . attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo:* hac enim voce (*majores natu*) non solum Episcopos, sed & secundi ordinis presbyteros debere intelligi, quos vero simillimum est Ephesi nonnullos fuisse, *S. Irenæus*, & alii plerique contendunt: accedit auctoritas S. Pauli, de presbyteris non semel sermonem habens: sic in Epist. ad Titum: (*Tit.* 1, 5) *hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi . . . . .* & ad Tim. (1 *Tim.* 5, 17, 19) *qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina . . . . . adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus; peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant:* inde namque evidens est, secundi ordinis prælatos in ipsis Ecclesiæ exordiis, sub Episcoporum jurisdictione rexisse Ecclesias, & eorum correctioni fuisse subjectos: hanc sane distinctionem luculenter S. Martyr Ignatius in suis Ep. explicat, presbyteros secundo post Episcopos loco appellans: sic in Epist. ad Ephesios: *festinate, dilectissimi*, inquit, *subditi esse Episcopo, & presbyteris, & diaconis; qui enim istis subditus fuerit, Christo obedit, qui eis hoc concessit.*

X

Solvuntur quædam difficultates.

In contrarium opponitur: Parochi sive Curati, Parochiis ipsis quas administrant, antiquiorem institutionem non habent: a Parochia enim Parochus dictus: atqui Parochiales Ecclesiæ, quippe ævi recentioris, nec ante sæculum tertium erectæ, divinam institutionem non habent: ergo nec Parochi.

R. 1. nego min. nego, inquam, id quod pro certo adversarii habent, non ante sæculum tertium Parochias institutas: Parochialis namque Ecclesiæ haud leve in Apostolicis litteris vestigium est; *commendo*, inquit Paulus, *vobis*, ad Romanos scribens, (*Rom.* 16, 1) *Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris*. Cenchris itaque jam tum Ecclesia erat, quo nimirum fideles ad Synaxim conveniebant: porro sedes Episcopalis hic numquam fuit: erat enim *Cenchris*, ut observat Theodoretus in hunc locum, pagus Ecclesiæ Corinthiorum: a simplici ergo presbytero, sub jurisdictione Episcopi regebatur: deinde majores natu Ecclesiæ, quos Epheso Apostolus evocavit, non omnes Episcopi erant, aliquos enim eorum simplices fuisse presbyteros, cum S. Irenæo superius observavimus: atqui ad omnes sine exceptione Apostolus ait: *attendite vobis & universo Gregi, in quo vos posuit Sp. Sanctus regere Ecclesiam Dei*: jam tum ergo Ecclesias regebant secundi ordinis Sacerdotes.

R. 2. nego maj. quæ in mera æquivocatione versatur: quamquam enim ultro concederemus, ante sæculum 3 paræciarum in diversis locis erectionem ac distributionem non esse factam; non inde consequens foret, ante illud tempus Parochos non fuisse: eo namque nomine intelligimus secundi ordinis Sacerdotes, quibus sub Episcoporum jurisdictione, prædicare Evangelium, & Sacramenta administrare ex officio convenit: atqui in ipsis Ecclesiæ primordiis, & ipsa Apostolorum ætate, aliqui ejusmodi presbyteri erant, de quibus B. Paulus: *qui bene præsunt presbyteri*, inquit (1 *Timot.* 5, 17) *duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina*.

Sed etsi daremus *Parochos* serius post ætatem Apostolicam ordinatos, inde non sequeretur, potestatem jurisdictionis qua fruuntur, non esse immediate a Deo: hoc enim unum inferri posset, eo tantum tempore fuisse parochias distributas, & Ecclesiarum, in unaquaque diœcesi, diversis titulis, presbyteros Parochos assignatos, qui eas sub Episcoporum dominio regerent: sic enim, ut rem exemplo probemus, diaconatum divinæ institutionis esse, Catholicus nemo negat: certum tamen est, non ab ipso Christo immediate, sed post ejus in cœlum receptionem, ab Apostolis primos Diaconos ordinatos, quando nimirum crescente numero discipulorum, necesse fuit crescere numerum ministrorum, qui in Ecclesiasticis muniis obeundis Apostolos adjuvarent: ita pariter quamquam jurisdictio Parochorum accepta divinitus sit; non tamen necesse fuit, ab initio institui Parochos, quia propter fidelium in civitatibus, agris, & oppidis paucitatem, verbo Dei annuntiando, & Sacramentis administrandis unus sufficiebat Episcopus: indeque est, quod in veteribus monumentis primi, & secundi sæculi, ruralium, aut civicarum, præter cathedrales, Ecclesiarum rarissima peneque nulla exempla occurrunt: omnes namque unius diœcesis fideles, unius exigui templi ambitus continebat: quibus proinde unus minister sat erat: [illegible] die (Dominica) inquit S. Justinus Martyr, (*in Apol.* 2) *omnium qui in urbi-*

urbibus, vel in agris degunt, in eumdem locum conventus fit.

Verum postquam fide Christiana latissime propagata, non in civitatibus tantum, sed & in agris, & vicis, & locis remotissimis, in immensum Christi familia crevit; tum sane necesse fuit, ut quod sciebat Ecclesia divinitus institutum, tempore sic exigente, in usum vocaret: tumque cœperunt non in urbibus tantum, sed & in vicis & agris. diversarum Ecclesiarum tituli erigi, quibus administrandis præfecti presbyteri sunt: sic certum est Romæ, ineunte quarto sæculo, forteque citius, plures fuisse Parochias: in civitate Alexandrina sub ejusdem sæculi 4 initium, teste S. Epiphanio, plures Ecclesiæ erant, quas diversi presbyteri sub Episcoporum jurisdictione regebant: *etenim*, inquit, (*Hær. 69 de Ario*) *quotquot Alexandriæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suum quæque præpositum presbyterum habent, qui Ecclesiastica munera administret . . . . . harum unam Collutbus administrabat, aliam Corponas, aliam Sarmatas, sed & Arius unam ex commemoratis illis Ecclesiis regebat, &c.* de Ecclesiis vero ruralibus clarissimum S. Athanasii eodem ævo testimonium est; *Mareotes*, inquit, (*Apol. 2*) *ager est Alexandriæ, quo in loco Episcopus numquam fuit, immo nec chorepiscopus quidem; sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent; ita tamen ut singuli pagi suos presbyteros habeant*; nec minus expressa Concilii Neocæsariensis declaratio, qua ruralibus presbyteris prohibetur, ne in civitate, propriis Sacerdotibus præsentibus, sacrificium offerre præsumant: *presbyteri ruris*, inquit, (*can. 13*) *in Ecclesia civitatis, Episcopo præsente, vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt . . . . . si vero absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli dare debebunt.*

Sive itaque Parochorum institutio prædicationi Evangelii coæva sit, sive serius tertio sæculo cœperit, ita exigente fidelis Populi incremento; nihilominus certum est, potestatem jurisdictionis quam exercent, non ab Episcopis arbitrario & quasi precario, sed ab ipso Christo immediate acceptam: id quod præter cætera quæ hactenus attulimus argumenta, verba Pontificalis Romani adstruunt, quando Pontifex novos Sacerdotes consecraturus, & Deo de eorum electione gratias agens: *vere dignum & justum est*, inquit, *æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum auctor, & distributor omnium dignitatum; per quem proficiunt universa; per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum: unde & Sacerdotales gradus atque officia levitarum, Sacramentis mysticis instituta creverunt; ut cum Pontifices Summos regendis Populis præfecisses, ad eorum societatis & operis adjumentum, sequentis ordinis viros, & secundæ dignitatis eligeres: sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes, Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus, in Populo innumerabiles multitudines facile gubernavit, sic & in Eleazarum, & Ithamarum filios Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti; ut ad Hostias salutares, & frequentioris officii Sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum: hac providentia, Domine, Apostolis filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt: quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hæc adjumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus: da quæsumus, omnipotens pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem: innova in visceribus eorum Spiritum Sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant; censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent: sint providi cooperatores ordinis nostri; eluceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur . . . .* hæc enim verba, licet ratione habita potestatis ordinis, quæ æqualis in omnibus est, ad omnes indiscriminatim Sacerdotes respiciant; quod ad jurisdictionem spectat, negare non possumus ad Parochos præcipue pertinere: atqui hæc ipsa jurisdictionis potestas, Deo distributori dignitatum, in Romano Pontificali, accepta refertur: dicuntur ibidem secundi ordinis & dignitatis Sacerdotes a Deo ipso electi; providentia ejus affirmantur Apostolis Christi, velut Doctores fidei comites additi: dicuntur pariter acceptum ab ipso Deo secundi meriti munus obtinere: ergo &c.

Inst. 1. Si potestas jurisdictionis, qualem Parochi exercent, a Christo immediate accepta esset, foret ab Episcopis independens: atqui falsum consequens, & antiquæ disciplinæ repugnans, qua constat presbyteris, sive ante, sive post parœcias institutas districte prohibitum, ne quidquam sine auctoritate Episcopi attentarent: *presbyteri & diaconi*, inquiunt Apostolici canones, (*can. 40*) *præter Episcopum nihil agere præsumant: nam pro Domini populo, qui ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Pari sensu Tertullianus: *dandi quidem baptismi*, ait, (*lib. de Bapt. c. 17*) *habet jus summus Sac-*

Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc presbyteri & diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est: idemque longe ante S. Ignatius Martyr prædixerat: *reverimini*, inquiens, (*in Ep. ad Trallianos*) *Episcopum vestrum sicut Christum, quemadmodum beati præceperunt Apostoli: quid enim aliud est Episcopus, quam is, qui omni principatu, & potestate superior est, quoad homini licet, pro viribus imitator Christi Dei factus? quid vero Sacerdotium aliud est, quam sacer cœtus, consiliarii, & assessores Episcopi?*

Quid? quod & hoc ipsum Doctrina Apostolica verbis minime ambiguis adstruit: si enim presbyterorum erga sibi subditam plebem auctoritas primaria foret, & ab Episcopis independens, frustra curam ejus Episcopis Apostolus commendaret; nihil quippe in hac hypothesi Episcopis reliquum foret, nisi ut presbyteris, cæterisque sacris ministris invigilarent: atqui longe aliter beatus Paulus, discipulos suos, utique Episcopos, Titum & Timotheum sui officii admonens, utrique graviter præcipit, ut non modo presbyterorum ac diaconorum, sed & viduarum, & senum, & juvenum, & servorum & liberorum curam habeant, & omnia generatim quæ ad plebis regimen spectant, diligentia summa provideant: sic in Ep. ad Timotheum: (1 *Tim.* 5, 1, & *seqq.*) *seniorem*, ait, *ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem; juvenes, ut Fratres; anus, ut Matres; juvenculas, ut Sorores, in omni castitate: viduas honora, quæ vere viduæ sunt . . . . & hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint &c.* . . . item in Ep. ad Titum: (*Tit.* 2, 1, & *seqq.*) *tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam: senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia: anus similiter in habitu Sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant . . . . juvenes similiter hortare, ut sobrii sint &c.* ergo &c.

R. Dist. maj. si potestas jurisdictionis qualem Parochi exercent, a Christo immediate accepta esset, foret ab Episcopis independens; *quantum ad institutionem & collationem primariam*, conc. *quantum ad exercitium, limitationem, & dispensationem ministerialem*, n. maj. similiter dist. min. potestas Parochorum ab Episcopis dependet, *quantum ad exercitium, limites, & ministerialem dispensationem*, conc. *quantum ad institutionem & collationem primariam*, n. min. & conseq.

E. D. Qua semel bene intellecta, difficultas proposita evanescit: in presbyteris curam animarum habentibus caute attendendum, quid a Deo, quid ab hominibus ex Ecclesiæ disciplina acceperint: potestatem sane sacrificii offerendi, verbi Dei annuntiandi, & Sacramenta dispensandi, verbo dixerim, potestatem ordinis, Deo supremo authori acceptam referre debent: quod ni facerent, sacrilegi & summo benefactori ingrati essent: non enim quando Episcopi presbyteros ordinant, de suo eis aliquid tribuunt, sed in eos effundunt gratiam ministerii, & characterem Sacramentalem, cui potestas Sacerdotalis primaria institutione annexa est: quomodo quando Episcopi, & Diaconi consecrantur, nihil de bonis suis Episcopi ordinatores decerpunt, quod in ordinatos transfundant; sed quam iis tribuunt potestatem, hauriunt de Thesauro Sacramentorum, quorum dispensatores existunt: hæc autem ipsa potestas, quatenus exercenda sit, quibus limitibus coercenda, quibus continenda conditionibus: hoc totum non negamus ab Episcoporum cura & arbitrio dependere: quin e contrario merito contendimus, ni ita fieret, Christianam Rempublicam subvertendam, cujus in hoc præcipue ordo consistit, ut suo quique loco consistant, & inferiores superioribus pareant: porro in unaquaque diœcesi potiorem ac supremum esse locum Episcopi, ejusque curæ totam plebem immediate esse subjectam, solus ille negabit qui *Aerii* stultitiam amplexabitur, volentis Episcopos non esse simplicibus presbyteris, jure divino superiores: jam puto, in adductis testimoniis, quatenus accipi debeant, nihil scrupuli remanere: quod enim ex canonibus Apostolicis, & patribus, ipsoque Sancto Paulo opponebatur, hoc unum probat, Parochorum potestatem, quantum ad limitationem & exercitium, ab Episcopis, quorum suprema in plebem & Parochos, & immediata jurisdictio est, dependere: at eamdem potestatem, quoad institutionem & collationem primariam, non Deo, sed Episcopis immediate debere attribui, ne leviter quidem probat: quemadmodum enim Episcopi Apostolis, ita presbyteri 72 discipulis successerunt; adeoque eamdem ac illi potestatem ac jurisdictionem acceperunt: alioquin enim successores eorum dici non possent: atqui potestatem omnem ac jurisdictionem suam septuaginta duo discipuli, collatione & institutione primaria a Christo acceperant: ergo a pari &c.

Inst. 2. Quomodo 72 discipulorum, *inquies*, successores presbyteri dici possunt, si ne presbyteri quidem fuerunt septuaginta duo discipuli; quando a Christo electi sunt, & ante faciem ejus missi? porro constat discipulos hoc tempore presbyteros non fuisse, necdum enim institutum fuerat sacerdotium novum,

ad ultimam usque cœnam a Christo Domino prorogatum: ergo &c.

R. 1. Si qua in hoc argumento vis est, pari ratione probandum, Episcopos successores Apostolorum dici non posse: nemo namque sine prævio presbyteratu Episcopus est: porro Petrus, Andreas, & alii, eo ipso tempore quo ad Apostolatum vocati sunt, presbyteri non fuerunt: longe enim ante exercuerunt Apostolatum, quam illis a Christo Sacerdotii potestas collata sit: de *Mathia* legimus, (*Act.* 1, 25) quod *locum ministerii, & Apostolatum, de quo prævaricatus erat Judas, acceperit*: quod presbyter hoc ipso tempore fuerit consecratus, non legimus: S. Paulus pariter, multo ante Apostolus fuerat, quam *manuum impositione & oratione* (*Act.* 3, 13) presbyter ac Episcopus fieret.

R. 2. Ut presbyteri Parochi 72 discipulorum successores dicantur, satis esse quod eamdem jurisdictionem obtineant, quam a Christo 72 discipulos accepisse certissimum est: porro eamdem modo presbyteri sua ordinatione jurisdictionem obtinent, quam 72 discipuli adepti sunt Christi suprema voluntate, quando dixit illis: (*Luc.* 10, 3) *ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*: indeque est quod Apostoli ipsi quoque ab antiquis doctoribus accensentur: *septuaginta*, ait Origenes, (*in cap.* 16 *Ep. ad Rom.*) *& ipsi Apostoli nominati sunt* . . . . . & S. Joannes Chrysost. (*in Ep. ad Corinth.*) *erant & alii Apostoli, ut septuaginta*; quamquam itaque presbyteri, ipso suæ electionis tempore, a Christo facti non sint; hoc non impedit quominus eorum successores presbyteri Parochi appellentur, quia in eorum locum subrogantur, ut eamdem ac illi jurisdictionem exerceant.

Inst. 3. Sententia hæc quietis & ordinis videtur esse perturbativa, perpetuisque dissidiis ac scissionibus viam aperire: poterunt enim Parochi sub obtentu jurisdictionis immediate ac primario a Christo obtentæ, contra Episcopos perpetuo rebellare: indeque est, quod hæc opinio communi Theologorum consensu a scholis explosa est, & male ubique audit.

R. Nego omnes argumenti propositiones: numquid enim, amabo, veritas quietem turbare potest; cum e contra sine veritate pax, tranquillitasque esse non possint? numquid ordinem divinitus constitutum tenere, ordinem evertere est; cum ex adverso ibi confusio sit, ubi ordo a Deo præscriptus turbatur? Porro idem qui Apostolos, & in eorum persona Episcopos misit, dicendo: (*Joann.* 20, 21) *sicut misit me pater, & ego mitto vos*: idem, inquam, 72 discipulos, quibus presbyteri successerunt, ad sacrum ministerium delegavit: *ite*, inquiens, (*Luc.* 10, 3) *ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos*. Ab eodem itaque fonte Episcoporum & presbyterorum jurisdictio, propriis limitibus arctata, descendit: id quod Concilium Trid. agnovit, & novo canone confirmavit, in eos anathema pronuncians, qui negarent esse in Ecclesia Hierarchiam divinitus constitutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris: nec est, quod sibi aliquid Episcopi metuant, jurisdictionis, qualem parochis asserimus, institutionem & collationem primariam Christo auctori attribuendo: verendum potius, ne, si secundi ordinis Sacerdotibus prærogativam hanc denegent, ipsi in propriæ & principalis jurisdictionis periculum veniant: neque est pariter quod dicatur, doctrinam hanc schismati, ac rebellioni favere: scire namque debent parochi, hac lege atque conditione jusisdictionem sibi a Christo, primario & immediate concessam; ut tamen in Episcopis erga totam late diœcesim generaliter præcipueque resideat. Scire debent, parochorum officium, in Episcopo inclusum a Christo esse, ut in fonte ac plenitudine Ecclesiasticæ & Hierarchicæ potestatis; ita ut parochialis potestas, sit decisiva pars ab Episcopo in parochum, ut a fonte in rivum, sine detrimento tamen aut ulla imminutione transfusa: scire denique debent, id quod dudum S. Ciprianus admonuit, (*Ep.* 69) *Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non esse: cum Ecclesia quæ catholica una est, scissa non sit, neque divisa; sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.*

Jam quod additur, sententiam hanc ceu periculi plenam, communi doctorum & scholarum consensione rejectam, quia falsum manifesto est, refutare piget: nam præter Theodulphum, venerabilem Bedam, S. Thomam, aliosque longe antiquiores citatos superius pro hac doctrina, primi subsellii Theologi, & sacra facultas Parisiensis scholarum nobilissima, strenue acriterque certarunt: *status curatorum*, inquit Gersonius Parisiensis academiæ cancellarius, (*de curatorum statu, consideratione* 1) *succedit statui septuaginta duorum discipulorum Christi, quoad legem novam, & figuratus est in antiqua lege per levitas: ac proinde status curatorum est de institutione Christi & Apostolorum, a principio fundationis Ecclesiæ: quæ institutio per declarationes sum. Pontificum, & synodorum tam generalium, quam specialium magis innotuit* . . . (*idem tom.* 1, *pag.* 137) *prælati secundi ordinis, dignitatis, & honoris, sunt curati, quibus ex statu & ordinario jure conveniunt tres actus Hierarchici*,

chici, *primario*, *eſſentialiter*, *&* *immediate a Chriſto*, *qui ſunt*, *purgare per correctionem*, *illuminare per doctrinam &* *prædicationem*, *perficere per Sacramentorum miniſtrationem*.

Joannes. Major (*diſt.* 21, *quæſt.* 3) *Majorum &* *minorum ſacerdotum diſcretio*, inquit, *in novo Teſtamento*, *ab ipſo Chriſto ſumpſit exordium*, *qui duodecim Apoſtolos*, *tamquam majores Sacerdotes*, 72 *diſcipulos*, *quaſi minores Sacerdotes inſtituit* . . . *tam Epiſcopi*, *quam curati ſunt de jure divino*, *quemadmodum Romanus Pontifex*, *nec aliquis purus homo poteſt illud jus &* *illas poteſtates tollere ab Eccleſia*, *pluſquam Sum. Pontificem*.

Sacræ facultatis Pariſienſis de hac re decreta plurima extant, quæ commemorare longum foret: ſic præter cætera, an. 1429 ſententiam ſuam ſequentibus propoſitionibus declaravit.

1. *Omnes poteſtates juriſdictionis Eccleſiæ aliæ a Papali poteſtate*, *ſunt ab ipſo Chriſto*, *quantum ad inſtitutionem &* *collationem primariam*; *a Papa autem &* *ab Eccleſia*, *quantum ad limitationem &* *diſpenſationem miniſterialem*.

2. *Hujuſmodi poteſtates ſunt de jure divino*, *&* *immediate inſtitutæ a Chriſto*.

3. *Ex textu Evangelii &* *doctrina Apoſtolorum habetur expreſſe*, *Apoſtolis*, *&* *diſcipulis a Chriſto miſſis auctoritatem juriſdictionis fuiſſe collatam*.

4. *Dicere inferiorum prælatorum poteſtatem juriſdictionis*, *ſive ſint Epiſcopi*, *ſive curati eſſe immediate a Deo*, *Evangelicæ &* *Apoſtolicæ conſonat veritati*: ergo &c.

SECTIO SEXTA.

De Epiſcopatu.

Epiſcopatus, apex eſt & conſummatio Sacerdotii, ſive, ſummum perfectumque Sacerdotium, totam in ſe complectens hierarchicam poteſtatem: id quod verba ipſa teſtantur, quæ in conſecratione Epiſcopi, Pontifex conſecrator effundit, *Epiſcopum*, inquiens, *oportet judicare*, *interpretari*, *conſecrare*, *ordinare*, *offerre*, *baptizare*, *&* *confirmare*: quem Græce ἐπίσκοπον, Latine *inſpectorem*, ac *ſuperintendentem*, haud incongrue dicimus, quod nomen omnibus generaliter convenit, qui aliis invigilant, & rebus gerundis præficiuntur: hinc gentiles, Deos ſuos, quibus putabant rerum humanarum adminiſtrationem incumbere, Epiſcopos nominabant: hinc etiam apud Athenienſes publici magiſtratus, qui in urbes & provincias, rerum ſtatum inſpecturi & ordinaturi dirigebantur, Epiſcoporum nomen habebant: quo ſenſu Cicero ad Atticum ſcribens: (*lib.* 7, *Ep.* 11) *Ego*, inquit, *negotio præſum non turbulento*: *vult enim me Pompejus eſſe*, *quem tota Campania*, *&* *maritima ora habeat Epiſcopum*, *ad quem ſumma negotii referatur*: merito ergo eadem appellatione donati ſunt, quibus dictum eſt: *attendite vobis*, *&* *Univerſo Gregi*, *in quo poſuit vos Sp. Sanctus Epiſcopos*, *regere Eccleſiam Dei*.

Quid porro Epiſcopus in Eccleſia ſit, & in quo ejus ordo dignitaſque conſiſtat, ut plenius explicemus, primo Ritus ipſe eſt deſcribendus, quo ſolent tum in Oriente, tum in Occidente Epiſcopi conſecrari.

I

Ritus conferendi Epiſcopatus.

Apud Græcos quidem.

1. Pontifex legit alta voce chartam his verbis conceptam: *ſuffragio &* *conſenſu*, *Deo amabiliſſimorum Epiſcoporum*, *&* *Sanctorum preſbyterorum*, *divina gratia quæ ſemper infirma curat*, *promovet N. Deo amabilem preſbyterum Epiſcopum*, *a Deo ſervatæ civitatis N. Oremus pro eo*, *ut veniat ſuper ipſum gratia Sanctiſſimi Spiritus*.

2. Epiſcopus conſecrans imponit capiti conſecrandi librum Evangeliorum, ſimulque manum eidem admovent Epiſcopi aſſiſtentes.

3. Capiti ordinandi manum imponit, & ſacras fundit orationes, quibus in ipſum gratiam Sancti Sp. invocat, ut ſancte obeat munus ſuum.

4. Pontifex conſecrans ordinatum deoſculatur, eique baculum paſtoralem ad manum præbet.

In hoc obſervando ritu, non Græci ſolum, ſed & omnes paſſim Orientales, Jacobitæ, Neſtoriani, cæterique conſentiunt, tantumque ab invicem propriis quibuſdam & acceſſoriis cæremoniis diſcrepant.

Apud Latinos vero,

1. Imponitur Evangeliorum codex ſuper cervicem & ſcapulas ordinandi, ſilentibus interim Epiſcopis.

2. Conſecrator & aſſiſtentes Epiſcopi ambabus manibus caput conſecrandi tangunt, dicentes: *accipe Sp. Sanctum*: moxque conſecrator ſic orat: *propitiare Domine ſupplicationibus noſtris*, *&* *inclinato ſuper hunc famulum tuum Cornu gratiæ Sacerdotalis*, *benedictionis tuæ in eum effunde virtutem*: *per Dominum noſtrum &c*.

3. Pontifex extenſis manibus ante pectus ſic orationem proſequitur: *per omnia ſæcula ſæculorum*. *Amen*. *Dominus vobiſcum &c*.

Digitized by Google

sursum corda &c. gratias agamus Domino Deo nostro &c. Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine Sancte, pater omnipotens, æterne Deus, bonor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacris famulantur ordinibus: Deus qui per Moysen famulum tuum, secreti familiaris afflatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ, de babitu quoque indumenti Sacerdotalis constituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati; cum & apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænygmata figurarum: illius namque Sacerdotii anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum: quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant, intelligenda poscebant: & idcirco huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus, actibusque clarescat: comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti rore sanctifica.

4. Pollicem suum dexterum intingit in Sanctum Chrisma, & caput electi, coram se genuflexi inungit, formans primo signum Crucis per totam coronam, deinde reliquum coronæ liniendo, interim dicens: *ungatur, & consecretur caput tuum, cœlesti benedictione, in ordine Pontificali: in nomine Patris &c.*

5. Expleta unctione prosequitur, dicens: *hoc, Domine, copiose in caput ejus influat; hoc in oris subjecta decurrat; hoc in toties corporis extrema descendat: ut tui spiritus virtus & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat: abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis: sint speciosi, munere tuo, pedes ejus, ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua: da, ei, Domine, ministerium reconciliationis in verbo, & in factis, in virtute signorum & prodigiorum: sit sermo ejus & prædicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis: da ei, Domine, claves regni cœlorum, ut utatur, non glorietur potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem: quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum & in cœlis: & quodcumque solverit super terram, sit solutum & in cœlis: quorum retinuerit peccata, retenta sint, & quorum remiserit, tu remittas: qui maledixerit illi, sit ille maledictus; & qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur: sit fidelis servus, & prudens, quem constituas tu, Domine, super familiam tuam, ut det illis cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum: sit sollicitudine impiger, sit spiritu fervens, oderit superbiam, humilitatem ac veritatem diligat, neque eam unquam deserat, aut laudibus aut timore superatus: non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem; non dicat malum bonum, nec bonum malum: sit sapientibus & insipientibus debitor, ut fructum de proventu omnium consequatur: tribuas ei, Domine, cathedram Episcopalem, ad regendum Ecclesiam tuam, & plebem sibi commissam: sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplica super eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam semper misericordiam tuam tuo munere idoneus, & tua gratia possit esse devotus: per Dominum nostrum Jesum &c.*

6. Episcopus consecrator, electo ante ipsum genuflexo inungit ambas manus cum Chrismate in modum Crucis dicens: *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato, & Chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David Regem & Prophetam, ita ungantur & consecrentur: in nomine Patris &c. . . . . Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te Chrismate, & mysticæ delibutionis liquore perfundat, & spiritualis benedictionis ubertate fœcundet: quidquid benedixeris, benedicatur, & quidquid sanctificaveris, sanctificetur; & consecratæ manus istius, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem: Amen.*

7. Episcopus consecrans tradit consecrato Baculum, annulum, & librum Evangeliorum dicendo: *Accipe baculum pastoralis officii, & sis in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate, severitatis censuram non deserens: Amen . . . . Accipe annulum, fidei scilicet signaculum: quatenus sponsam Dei, videlicet Sanctam Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias: Amen . . . Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso: potens enim est Deus augere tibi gratiam suam.*

8. Denique finita Missa & Ordinatione, Episcopus imponit Mitram capiti Consecrati; ejusdemque manibus chirothecas adaptat dicens *imponimus, Domine, capiti hujus Antistitis & agonistæ tui, galeam munitionis & salutis, quatenus decorata facie, & armato capite,*

cor-

cornibus utriusque testamenti terribilis appareat adversariis veritatis, & te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat, qui Moysi famuli tui faciem, ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui Tiaram imponi jussisti: Per Christum Dominum nostrum. Amen . . . circumda, Domine, manus hujus ministri tui munditia novi hominis, qui de cælo descendit, ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hædorum opertis manibus paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo impetravit; sic & iste oblata per manus suas Hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur: per Dominum nostrum &c.

His ex Romano Pontificali transcriptis, duo præsertim inquirenda aggredimur: primum, utrum & qua ratione Episcopi, simplicibus presbyteris antecellant? alterum, utrum Episcopatui vere & proprie conveniat esse ordinem distinctum a cæteris, & legis Evangelicæ Sacramentum?

II

An, & quo jure Episcopi simplicibus presbyteris sint superiores?

Aerius 4 sæculo, cum Episcopatum, quem ambiebat, adipisci non potuisset, furore percitus fidem Catholicam abnegavit, & Arianorum partes amplexus, eorum erroribus hunc sibi proprium addidit, quo effutiebat Episcoporum a presbyteris absolute nullum esse discrimen, aut ætate Apostolorum fuisse. *Est illius dogma*, ait Aerio coætaneus S. Epiphanius (*hær.* 75), *supra hominum captum furiosum & immane: quanam*, inquit, *in re presbytero Episcopus antecellit? nullum inter utrumque discrimen est, par & idem honor ac dignitas* . . . . de eodem S. Aug. *Aeriani*, inquit, (*lib. de hæresib. c.* 53) *ab Aerio quodam sunt, qui cum esset presbyter doluisse fertur, quod Episcopus non potuerit ordinari, & in Arianorum hæresim lapsus propria quoque dogmata addidisse, dicens, presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni.*

Joannes Wicleffus sæculo 15 pari ambitione exæstuans, cum Episcopatum Wigorniensem cui inhiaverat, occupare non potuisset, in idem lutum desperatione incidit, ut scribit Thomas Waldensis: sic porro errorem nefarium exprimebat: *tempore Pauli*, ajebat, *sufficiebant Ecclesiæ duo ordines clericorum, sacerdos videlicet & diaconus; quia certum videtur, quod superbia cæsarea alios gradus adinvenit.*

Sæculo 16 audacissimus hominum *Calvinus*, eumdem errorem amplexus est, & pertinacissime propugnavit: *quibus docendi munus injunctum erat*, inquit, (*Inst. lib.* 4, *c.* 4, §. 2) *eos omnes nominabant presbyteros: illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur: neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet: sed quas habet partes consul in senatu, ut referat de negotiis, consulendo, monendo, hortando, aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit, exequatur; id muneris sustinebat Episcopus in presbyterorum cætu: atque id ipsum, pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres.*

Lutheri, generatimque Lutheranorum & Calvinistrarum par fuit impietas, cui, 12 sæculo præivisse Waldenses & Albigenses multorum opinio est: quamquam de hoc errore sileant antiqui scriptores, qui diversas harum sectarum hæreses primi observarunt, earumque catalogum texuerunt: hoc tamen de iis apud Guidonem Carmelitam legitur, unde haud immerito inferri posse videtur, Waldenses, Episcoporum supra presbyteros eminentiam absolute negasse, totamque sacram Hierarchiam subvertisse. *Dicunt*, inquit, *tres ordines tantum in Ecclesia esse, videlicet Diaconatum, presbyteratum, & Episcopatum, quos asserunt ab ipsis dependere, non autem a Deo, neque a Romana Ecclesia*: nam si Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum inauguratio ab hominum arbitrio unice dependeret, nihil sane foret quod sibi Episcopi supra cæteros jure divino arrogarent.

III

Ostenditur, Episcopos jure divino dignitate & potestate simplicibus presbyteris esse superiores.

Primum omnium referre juvat de hac re sacræ synodi Trid. decreta, quæ etsi expresse non definiant, potestate ac jurisdictione Episcopos, jure divino, simplicibus presbyteris eminere; huic tamen sententiæ sic aperte favent, ut contraria sine insigni temeritate, & gravissima fidei violatæ suspicione nequeat propugnari.

1. Namque sess. 23, cap. 3, statuit, sacram ordinationem verum esse legis Evangelicæ Sa-

cramentum. *Dubitare nemo debet*, inquit, *ordinem esse vere & proprie unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis*.

2. Ibidem cap. 4, sub hoc sacræ ordinationis genere varios docet ordines contineri, ex quibus hierarchia Ecclesiastica coalescit.

3. Ib. affirmat, ad Hierarchicum ordinem præcipue Episcopos pertinere, tum quia Apostolis successerunt; tum quia a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei; tum quia potestatem habent confirmandi & ordinandi, quæ simplicibus presbyteris denegatur. *Proinde*, inquit, *sacrosancta synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, a Sp. Sancto, regere Ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse, ac Sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*.

4. Ejusdem sessionis can. 6 sic decernit: *si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris: anathema sit ....* & canone 7: *si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; anathema sit*.

Hæc, inquam, Trid. Patrum effata qui diligenter expenderit, ultro assentietur, ex eorum mente Episcopos, non humano, sed divino jure presbyteris antecellere: qui enim eos decernunt ad hierarchiam principaliter pertinere, quam Deus in Ecclesia sua instituit, censent proinde eadem divina auctoritate, ministris sibi subordinatis esse superiores: est enim hierarchia ordo seriesque rerum diversarum, quarum una alteri subjacet: unde sequitur, subordinationem in jure humano fundari, si ordo ipse est ab hominibus institutus; e contra jure divino inniti, si ordo Deum habet auctorem: cum ergo ex Patribus Trid. Episcopi præcipuum gradum teneant in hierarchia quam Deus instituit, fatendum ad jus Divinum eorum supra presbyteros jurisdictionem & eminentiam pertinere.

Deinde, ideo dicuntur Episcopi habere aliquam sibi propriam potestatem, quam ministri inferiores non habent, quia Apostolis successerunt, & a Sp. Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei: quemadmodum igitur, quod sint successores Apostolorum, & habeant Ecclesiæ regimen, arrogant sibi jure divino: eodem pariter jure, simplicibus presbyteris præsunt.

Quamquam igitur expresse patres & conceptis terminis non definiant, presbyteris Episcopos jure divino præcellere, ex eorum tamen sententiis haud obscure colligitur, sententiam hanc ad fidem catholicam pertinere: quæ ut suis fundamentis superstruatur, sit

PROBATIO PRIMA.

Ex auctoritate Scripturæ.

Sane si presbyterorum & Episcoporum jure divino par gradus in Ecclesia esset; nihil plus istis scriptura, quam illis tribueret: atqui magnum scriptura utrorumque discrimen facit.

1. Enim Episcopis, totius Gregis curam & administrationem demandat: *attendite vobis*, inquit, *& universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Porro Ecclesia Dei, non Laicos tantum & minores clericos, sed ipsos etiam presbyteros comprehendit.

2. Episcopos judices presbyterorum esse declarat. *Adversus presbyterum*, ait Apostolus, (1 *Tim.* 5, 19.) *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*: Quis vero magis alterius superior esse monstratur, quam qui judicii erga eum exercendi auctoritate præditus est? quod si quis potestatem hanc Episcopis non voluntate Dei, sed Apostoli arbitrio datam contendat: tum magnam facturus est Apostolis ipsis injuriam, qui nihil in rebus ad Ecclesiæ stabilimentum spectantibus, auctoritate propria præsumebant; tum sacramenta pene omnia, demptis baptismo & Eucharistia, Apostolis ipsis velut immediatis auctoribus, pari facilitate adscribet: quod enim fuerint a Christo commendata & instituta, expresse non legitur: quemadmodum igitur de iis divinum præceptum habuisse intelliguntur Apostoli, iis præsertim diebus qui a resurrectione Christi ad ejus ascensionem fluxerunt, de quibus S. Lucas: *præbuit*, inquit, (*Act.* 13). *se ipsum vivum, post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*: credendum pariter, non voluntate hominum, sed Christi imperio Episcopos presbyterorum judices constitutos.

3. Episcopis curam committit ministros Ecclesiæ per manus impositionem ordinandi. *Manus cito nemini imposueris*, inquit, ad Tim. B. Paulus, (1 *Tim.* 5, 22.) *neque communicaveris peccatis alienis*; & in Ep. ad Titum: (*Tit.* 1, 5.) *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi*.

Jam

Jam sic instruitur argumentum.

Illi sunt jure divino, dignitate & potestate simplicibus presbyteris superiores, quos Sp. Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, qui sunt divinitus presbyterorum judices constituti, quibus denique est officium demandatum, sacerdotium aliaque ministeria sacra, per manuum impositionem & invocationem Sp. Sancti, in posteros transmittendi: atqui tria hæc Episcopis scriptura divina attribuit: ergo &c.

PROBATIO ALTERA.

Ex Traditione.

Ejusdem veritatis argumenta certissima traditio præbet. Nam:

1. Constat ab ipsis Ecclesiæ primordiis habuisse privatas quasque Ecclesias præfectos Episcopos, penes quos fidelium, ipsiusque cleri supremum regimen erat: sic B. Jacobus Hierosolymorum Episcopus, B. Marcus Alexandrinorum est constitutus: sic Joannes in Apocalypsi (*c.* 2, *&* 3.) septem Angelos nominat, quos Episcopos consensu unanimi Sancti Doctores interpretantur. *Angelo*, inquit, *Ephesi Ecclesiæ scribe... Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe* &c. eaque adeo constans & indubitata veritas erat, ut nullæ de novo fundari Ecclesiæ permitterentur, quin propriis assignarentur Episcopis: in ipsis itaque Ecclesiæ incunabulis nemo dubitabat, Episcopos jure divino simplicibus presbyteris antecellere: quis enim inducat in animum, facile passuros presbyteros, ut auctoritatem sibi arrogarent Episcopi, quam non divinitus accepissent; & nec uno excepto, adeo excordes futuros, ut eorum jugum ultro subirent, quibus se auctoritate ac jurisdictione, jure Divino, æquales esse certo cognoscerent?

¶. 2. Idem manifesto constat ex veterum Ecclesiarum originum historia, quam texit Eusebius l. 3. Primo siquidem de Ecclesiæ Hierosolymitanæ exordio sermonem habens Cap. 11, scribit: *post martyrium Jacobi* (Apostoli, qui primus fuit Ecclesiæ illius Episcopus) *fama est Apostolos, cæterosque Domini discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum convenisse, & una cum his, qui Dominum secundum carnem propinquitate generis contingebant, in commune consuluisse, quis in Jacobi locum succedere mereretur. Omnes itaque uno consensu Simeonem, filium Cleophæ illius, cujus in Evangelio fit mentio, Episcopali sede dignum judicaverunt.* Hæc plane agendi ratio pugnat profecto cum eo, quod contendit Blondellus, Episcopatus dignitatem fuisse prærogativæ temporis conjunctam. Quorsum enim ex variis locis Apostoli, & Domini discipuli ad Simeonem in sedem Hierosolymitanam substituendum in eaque re deliberandum convenissent, si major ordinationis antiquitas hujusmodi dignitatis gradum contulisset?

De Antiochena autem Ecclesia hæc refert Eusebius ib. Cap. 22: *apud Antiochiam, defuncto Evodio, qui primus ejus loci constitutus erat Episcopus, secundus tum maxime florebat Ignatius:* de quo tum Chrysost. orat. 42, tum Theodoretus Dial. 1, asserunt ab ipsis Apostolis in Episcopum designatum fuisse, & manuum impositione consecratum.

Gemina tradit Eusebius Cap. 2, 13, & 15, de Episcopis Ecclesiæ Romanæ Lino, Cleto, & Clemente &c. & Cap. 14, & 2, de Episcopis Alexandrinæ Ecclesiæ post S. Marcum, Aniano, Avilio, Cerdone &c.

His adde, quæ profert Eusebius ipse eodem l. 3, Cap. 23, ex Clemente Alex. dicente: *cum ex insula Pathmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque Provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias formaret, partim ut homines sibi a Spiritu indicatos in Clerum seponeret.* ¶

3. Hoc ipsum historia Aerii adstruit, quem Græci pariter ac Latini diris velut hæreticum devoverunt, eo quod Episcopis presbyteros æquales in omnibus effutiret: nam si qua in presbyteros pollent auctoritate, solo possent Episcopi humano jure defendere, hæreticus, stricte loquendo, dici non posset, qui contenderet tantum posse ordine suo presbyteros, quantum Episcopus ipse: utrique enim in hac hypothesi forent jure divino æquales: cum ergo Aerium velut hæreticum Ecclesia universa damnarit, eamdemque judicii formam novissime sacra synodus Trid. tenuerit, iis anathema denuncians, qui ejus stultitiæ hæserint; consequens est juxta Ecclesiæ mentem Episcopos simplicibus presbyteris esse jure divino superiores.

4. In Græcorum & Orientalium Euchologiis, ac ritualibus Latinorum ejusdem rei haud sane contemnenda probatio est: cum enim libri rituales communem Ecclesiæ doctrinam exhibeant, gravissimum sane maximique ponderis est, quod ab ipsis, ad cujusvis sacri dogmatis confirmationem ducitur argumentum: porro in antiquissimis omnium gentium ritualibus, non modo distinctio fit inter Episcopos & presbyteros, verum etiam illorum præ istis prærogativa dignitasque præcellens, Christi Ecclesiæ fundatoris supremæ voluntati tribuitur: ergo intelligit Ecclesia universa distinctionem Episcoporum a presbyteris ab ipso Chri-

Christo sancitam, ac proinde esse juris divini.

5. Argumentum petitur ab utriusque Græcæ & Latinæ Ecclesiæ confessione: quod enim universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate divina & Apostolica traditum rectissime creditur: quod S. Aug. effatum nulla posse tergiversatione eludi sæpius observavimus: atqui Episcopos simplicibus presbyteris esse superiores, eamque prærogativam jure divino habere, universa orientis & occidentis Ecclesia tenet: de occidente quidem, quæ ejus de hac re sententia sit, aperte satis in Trid. Concilio declaratum; de oriente vero nec ipsis Calvinistis dubitare in præsenti permittitur: cum enim proxime elapso sæculo de reali Christi in Eucharistiæ sacramento præsentia, & de aliis fidei capitibus, nominatim vero de Episcoporum supra presbyteros eminentia, cum catholicis graviter & obstinate contenderent; omnemque moverent lapidem, ut in suas partes, Græcos & Orientales pertraherent, spe sua dejecti sunt, & quos fautores ambiverant, adversarios sunt experti. Græci namque suam rogati sententiam, præter cætera doctrinæ capita, in quibus se cum Romanis consentire professi sunt; quod ad Episcopos pertinet, eorum a presbyteris, jure divino, distinctionem, ac supra Sacerdotes simplices eminentiam, in verbo Dei tradito & scripto fundatam, verbis minime ambiguis agnoverunt, fidemque suam authenticis instrumentis significarunt. Jam sic resumo argumentum:

Atqui hujus adeo concordis doctrinæ origo non potest nisi ab Apostolicis ipsis temporibus repeti, frustraque Calvinistæ hactenus recentiorem hujus discretionis epocham quæsiverunt. Ergo Episcoporum supra presbyteros eminentia in jure ipso divino habet immobile fundamentum.

6. Ducitur ab expressis Sanctorum patrum testimoniis, quibus describendis volumen vix unum sufficeret: nos tria aut quatuor brevitatis gratia proferemus.

S. *Ignatius* Martyr, Apostolicæ ætati ac disciplinæ coævus, totus est in catholico dogmate adstruendo: sic in Ep. *ad Ephesios*. *Quanto quis*, inquit, *taciturniorem viderit Episcopum, tanto magis eum revereatur: quemcumque enim pater familias mittit ad gubernandum familiam suam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipsum qui mittit: manifestum ergo est, quod Episcopum respicere oporteat, ut ipsum dominum*.

In Ep. ad *Magnesianos*: *Hortor vos in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, & presbyteris loco senatus Apostolici*.

In Ep. *ad Philadelphienses*: *Operam date, ut una Eucharistia utamini: una est enim caro Domini nostri Jesu Christi, & unus Calix in unitatem Sanguinis ipsius: unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyteris, & diaconis*.

Et in Ep. ad *Smyrnenses*: *Episcopum*, ait, *sequimini, ut Christus patrem, & Presbyterorum collegium, ut Apostolos: sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant: honora Deum, ut omnium auctorem, & Dominum: Episcopum vero ut Principem sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei, inquam, propter principatum, Christi vero propter sacerdotium*.

Inde sic argumentum efflorescit, paradoxo Calvinistarum haud sane congruens: qui affirmat Episcopum a Deo patre-familias esse missum ad gubernandum familiam suam, loco Dei præsidere, debere ut ipsum Dominum respici, ita esse sequendum, ut Christus sequitur patrem, principatu suo imaginem Dei referre; & denique ita Ecclesiæ unitatem ex uno Episcopo & presbyteris ac diaconis subjectis consurgere, sicut ex una Domini nostri Jesu Christi carne & uno ejus Sanguine Eucharistia coalescit: qui, inquam, sic sentit, prorsus putat Episcopum jure divino simplicibus presbyteris esse superiorem: atqui ita de Episcopis S. Ignatius loquitur, quodque urgentissimum est, inde probat unum Episcopum in unaquaque Ecclesia esse debere, quia una est caro Domini nostri Jesu Christi, & unus calix, ergo &c.

Tertullianus in libro de baptismo: (*c.* 7.) *Dandi baptismi*, inquit, *jus habet summus sacerdos, qui est Episcopus: dein presbyteri & diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est* ... in jure ergo dandi baptismi summo Sacerdoti presbyteri ac diaconi ex Tertulliano submittuntur, nec sine ejus auctoritate debent sancti lavacri administrationem suscipere: cujus disciplinæ causam affert honorem ac pacem Ecclesiæ: quis porro dixerit honori ac paci Ecclesiæ, non a Christo ejus fundatore, sed mere humanis & arbitrariis constitutionibus fuisse provisum?

Author constitutionum Apost. *qui Episcopus est*, inquit, (*lib.* 2, *cap.* 26.) *hic princeps, & dux, & rex vester: hic vobis post Deum terrenus Deus ..... ergo Episcopus vobis præsideat, tamquam Dei dignitate condecoratus, ob quam clero præest, & plebi universæ imperat. Diaconus autem Episcopo assistat ut Christus patri ... presbyteri vero Apostolos repræsentare videantur vobis*. Ita prædictus scriptor, cujus verba nisi significant, Episcopos simplicibus presbyteris jure divino esse superiores, nullum prorsus sensum habent.

S. Epi-

S. Epiphanius hæc Pauli ad Tim. monita expendens: (*1 Tim.* 5, *v.*1.) *seniorem ne increpaveris .... adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus: quid attinebat*, inquit, (*hær.* 75.) *Episcopo vetare ne presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem obtineret? quare deinceps admonet: adversus presbyterum cito accusationem ne admiseris, nisi sub duobus tribusve testibus? non alicui ex presbyteris præcepit, ut accusationem contra Episcopum non admitteret, aut Episcopum non objurgaret ...* itaque ex Sancto Doctore Episcoporum supra presbyteros auctoritas, non in legibus hominum, sed in ipso Evangelio fundamentum habet, adeoque est divina.

In hoc denique dogmate adstruendo consentiunt Sancti Cyprianus, Hilarius, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianz. Optatus Milev. Hieronymus, Aug. Innocentius I, Chrysost. & alii passim, locis propemodum infinitis: ergo &c.

IV

Solvuntur Hæreticorum Objectiones.

Non dissimulandum, doctrinam Catholicam difficultatibus, specie saltem, gravissimis impetiri, quas Protestantes ministri pene omnes, solis Anglicanis exceptis, (illi enim hactenus nomen, & formam aliquam Episcopatus, etsi non veram, retinuerunt:) & præter cæteros Salmasius & Blondellus Calvini sectatores, omni qua valebant industria exaggerarunt. Primum itaque

Objiciunt auctoritatem actuum Apost. *A Mileto*, inquit S. Lucas, (*Act.* 20, 17, *&* 28.) mittens (Paulus) *Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ*, τὺς πρεσβυτέρυς τῆς ἐκκλησίας: *qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis... attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*: inde sic inferunt argumentum.

Quos primo *Presbyteros*, eosdem uno sermonis tenore *Episcopos* Apostolus vocat: ergo prima hac ætate nulla utrorumque distinctio erat; adeoque Episcopos simplicibus presbyteris superiores asserere, verbo Dei contrarium est.

℞. Admitto auctoritatem, & concesso ant. n. conseq. non enim ideo utroque donati sunt nomine, ut insinuaretur presbyteratus simplicis & Episcopatus differentiam nullam esse; sed quia quos Epheso Paulus accersiverat, maxima ex parte presbyteri simul & Episcopi erant; adeoque indifferenter poterant utrovis nomine appellari: neque est quod opponatur majores natu, de quibus hic mentio est, ab una civitate Epheso evocatos, ubi plures, quomodo nunc intelliguntur, Episcopi esse non poterant: nam quod legitur, *mittens Ephesum*, non de una numero civitate, sed & de cæteris viciniæ civitatibus, quæ a propriis singulæ regebantur Episcopis, debere intelligi facile admittet, qui ad Pauli sermonem in hoc ipso capite descriptum attenderit: *a Mileto*, inquit, (*v.* 17) *mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ, qui cum venissent ad eum & simul essent, dixit eis: vos scitis a prima die, qua ingressus tum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim .....* (*v.* 25) *& nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei .....* (*v.* 28) *attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo ....* (*v.* 31) *propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium die ac nocte non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum...* Ad eos itaque exhortatio Pauli dirigitur, per quos transierat prædicans verbum Dei, quibus cum a prima die qua ingressus erat in Asiam, conversatus erat, quosque solido triennio, die ac nocte non cessaverat admonere: atqui toto hoc temporis intervallo non in una civitate Epheso Apostolus prædicaverat regnum Dei, sed totam pene Asiam peragraverat, ut ex capite decimo nono præcedente compertum est: (*v. Act.* 19, *v.* 1, 10, 22, 26) ergo non de una, sed de pluribus civitatibus in vicinia Ephesi positis, æquum est accipi verba: *mittens Paulus Ephesum, vocavit majores natus Ecclesiæ*: jam sic subsumo; atqui pro numero civitatum Episcopi plures erant: nihil ergo mirum, si quos paulo ante *presbyteros*, eos deinceps *Episcopos* uti revera erant, vocaverit.

Eoque plausibilior illa responsio est, quod non nuper inventa, nec ad eludendos Calvinistarum ictus excogitata, sed a S. Irenæo primævæ ætatis scriptore accepta sit: *in Mileto*, inquit, (*l.* 3 *cont. hær. c.* 14) *convocatis Episcopis presbyteris, qui erant ab Epheso, & a reliquis proximis civitatibus*: nihil ergo causæ hæreticis est, de hoc testimonio gloriandi.

Inst. 1. atqui presbyterorum eamdem ac Episcoporum dignitatem atque excellentiam esse, scripturæ evincit auctoritas: ergo &c.

Probant subs. accitis ejusdem S. Pauli variis testimoniis.

Primum est ex Ep. ad *Philip.* (*Ph.* 1, 1) *Paulus*, inquit, *& Timotheus servi Jesu Christi omnibus Sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Episcopis, & diaconibus*.

Alte-

Digitized by Google

Alterum, ex priore Ep. ad Tim. ubi: " fi- ,, delis sermo, *inquit*, (*I Tim.* 3, *v.* 1, 2, 8) ,, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus ,, desiderat, oportet ergo Episcopum irrepre- ,, hensibilem esse unius uxoris virum &c. . . . ,, diaconos similiter pudicos, non bilingues ,, &c. ,,

Tertium, ex Ep. ad Titum, ubi presbyteros Episcopis plane æquat, utrumque nomen indifferenter usurpans. " Hujus rei gratia, *ait*, ,, *Tit.* 1, 5, *& seqq.* reliqui te Cretæ, ut ea ,, quæ desunt corrigas, & constituas per ci- ,, vitates presbyteros, sicut & ego disposui ,, tibi, si quis sine crimine est, unius uxoris ,, vir, filios habens fideles, non in accusatio- ,, ne luxuriæ, aut non subditos: oportet enim ,, Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dis- ,, pensatorem, non superbum, non iracundum ,, &c. ,,

Inde sic enascitur argumentum,

Apostolus in his locis aut presbyteros omnino non nominat, descriptis Episcoporum officiis ac titulis statim ad diaconos transeundo; aut si presbyterorum aliquam injicit mentionem, continuo eosdem Episcopos esse significat, ut ex Epist. ad Titum compertum est: ergo ex Apostolo par utrorumque in ministerio Sacerdotali, & functionibus Apostolicis dignitas & excellentia est.

R. Nego subs. ad probat. auctoritates recipio: & ad argumentum inde petitum,

R. 1. Cum S. Joanne Chrysost. & plerisque aliis, concesso ant. n. conseq. non enim ideo quia officiis & dignitate non distinguuntur, Apostolus aut solos Episcopos prætermissis presbyteris nominat, aut quos prius presbyteros vocaverat, eosdem Episcopos dicit; sed quia primitus primi & secundi ordinis Sacerdotibus Episcopi nomen commune erat, quod progressu temporum solis est præcipuis antistibus reservatum: *quid hoc sibi vult*, ait S. Doctor, (*hom.* 1 *in Ep. ad Ph.*) *ita ne unius civitatis plures erant Episcopi? nequaquam: sed hoc titulo designat presbyteros; tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune . . . . .* & alibi ejusdem ad Tim. verba interpretans: *oportet Episcopum irreprehensibilem esse* &c. *diaconos similiter pudicos*, &c. " inter Episco- ,, pum atque presbyterum, *inquit*, (*hom.* 11 ,, *in* 1 *Ep. ad Tim.*) interest ferme nihil: ,, quippe & presbyteris Ecclesiæ cura permis- ,, sa est; & quæ de Episcopis dixit, ea etiam ,, presbyteris congruunt. ,,

R. 2. Dato eodem ant. n. pariter conseq. ratio est, quia in Ecclesiæ exordiis, nondum fidelium adaucta familia, in unaquaque communiter civitate idem qui presbyter, pariter Episcopus constituebatur: quippe obeundis Apostolicis muniis, & Sacramentorum administrationi, unus sacerdos sat erat: quid ergo mirum si B. Paulus, ubi nondum erat personarum, ac dignitatem discretio, aut de presbyteratu tacuerit, necessario in Episcopatu, concluso, aut quos presbyteros appellabat, eosdem Episcopos nominarit? hac responsione usus est S. Epiphanius, Aerium refutans, simulque ostendens in his Ecclesiæ incunabulis privatas Ecclesias aut solum sine presbyteris Episcopum, aut solum sine Episcopo presbyterum habuisse: *Non novit ille*, (Aerius) inquit, (*hær.* 75) *qui consequentiæ veritatis ignarus est*, *& historias profundissimas non legit*, *quod cum recens esset prædicatio*, *S. Apostolus pro re nata*, *velut habebat scripsit: ubi enim Episcopi erant jam constituti*, *scripsit Episcopis & Diaconis: non enim omnia statim potuerunt Episcopi constituere: presbyteris enim opus erat*, *& diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt: ubi vero non inventus est quis dignus Episcopatu*, *permansit locus sine Episcopo: ubi autem opus fuit*, *& digni erant Episcopatu*, *constituti sunt Episcopi: cum autem multitudo non esset*, *non inventi sunt inter ipsos qui presbyteri constituerentur*, *& contenti fuerunt solo Episcopo*, *in loco constituto: verum sine diacono impossibile est esse Episcopum*, *& curam adhibuit S. Apostolus*, *ut diaconi adessent Episcopis propter ministerium. Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis . . .* Ita S. Epiphanius, cujus sententiæ lux major ex dicendis inferius affulgebit.

Inst. 2. Non ante annum a Christo nato circiter 140 cœperunt Episcopi simplicibus presbyteris anteponi: ergo quod illis præant, ex jure divino non habent.

R. Nego ant. Nam ex indubitatis primorum temporum monumentis luce clarius demonstratur, ipsa Apostolorum ætate, in singulis saltem matricibus, præcipuisque Ecclesiis Episcopos ordinatos, a presbyteris distinctos, iisque superiores. Sic Hierosolymitana primum Episcopum habuit S. Jacobum ab Apostolis constitutum. Eo autem martyrii falce sublato, in ejus locum Simeon filius Cleophæ est suffectus. ,, post martyrium Jacobi, *inquit Eusebius*, (*hist.* ,, *lib.* 3, *c.* 11) fama est, Apostolos, cæte- ,, rosque Domini discipulos qui adhuc super- ,, stites agebant, ex variis locis in unum con- ,, venisse, & una cum his qui Dominum se- ,, cundum carnem propinquitate generis con- ,, tingebant, (plerique enim illorum adhuc in ,, vivis supererant) in commune consuluisse, ,, quis in Jacobi locum succedere mereretur. ,, Omnes itaque uno consensu Simeonem filium ,, Cleophæ illius, cujus in Evangelio fit men- ,, tio, Episcopali sede dignum judicaverunt.

Idem

Digitized by Google

Idem in Antiochena Eccleſia factum præfatus ſcriptor teſtatur. *Apud Antiochiam*, inquit, (*ib. cap.* 22) *defuncto Evodio, qui primus ejus loci conſtitutus erat Epiſcopus, ſecundus tum maxime florebat Ignatius.*

De Romana & Alexandrina, quod ſuos ab exordio Evangelii, & deinceps ſucceſſione continua Epiſcopos habuerint, ſuis quoſque cleris ac plebibus principali auctoritate præfectos, eos ſolos latere poteſt, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam nec a limine ſalutarunt; perperam ergo ac mendaciter Calviniſtæ deblaterant, non ante ſecundum ſæculum jam provectum, Epiſcopos a presbyteris diſtingui cœpiſſe.

Inſt. 3. probando ant. auctoritate S. Hieronymi, quem totum ſuum eſſe gloriantur. S. Doctor Apoſtoli ad Titum verba interpretans: *& conſtituas per civitates presbyteros* . . . . *oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, *&c.* " Idem eſt ergo presbyter, *inquit*, (*comment. in c.* 1 *Ep. ad Tit.*) qui & Epiſcopus: & ,, antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis: *ego ſum Pauli*, *ego Apollo*, *ego autem Cephæ*, communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unuſquiſque eos ,, quos baptizaverat, ſuos eſſe putabat, non ,, Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quam omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut ſchiſmatis ſemina tollerentur: putet aliquis non Scripturarum, ſed noſtram ,, eſſe ſententiam, Epiſcopum & presbyterum ,, unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii: relegat Apoſtoli ad Philip. verba dicentis: *Paulus & Timotheus*, *ſervi Jeſu Chriſti*, *omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu qui ſunt Philippis*, *cum Epiſcopis & Diaconibus*, *gratia vobis & pax*. Philippi una ,, eſt urbs Macedoniæ: & certe in una civitate plures, ut nuncupantur, Epiſcopi eſſe ,, non poterant; ſed quia eoſdem Epiſcopos ,, illo tempore, quos & presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis, ,, quaſi de presbyteris eſt locutus . . . . hæc ,, propterea (diximus) ut oſtenderemus, apud ,, veteres, eoſdem fuiſſe presbyteros, quos & ,, Epiſcopos: paulatim vero ut diſſenſionum ,, plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollitudinem eſſe delatam. Sicut ergo presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ,, ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos; ,, ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate ,, presbyteris eſſe majores, & in commune ,, debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, ,, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe ,, populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus ,, populum judicaret.,,

Inde ſic argumentum informat:

Ille cenſet presbyteros jure divino, & ordinatione ſua Epiſcopis inferiores non eſſe, qui aperte pronunciat, ab initio eoſdem fuiſſe presbyteros & Epiſcopos, nec alia de cauſa inter utroſque diſcrimen factum, niſi ut ſemina ſchiſmatis tollerentur; atqui, ita S. Hieronymus. Ergo &c.

Quorumdam Theologorum, S. Hieronymum proditæ veritatis accuſantium, & temeritas & imprudentia redarguitur.

Et in hoc quidem teſtimonio, quaſi pro ſe decretorium foret, hæreticos triumphare, minime miramur: neminem namque latet hominum verſipellium indoles, qui ubicumque Patres ſibi reperiunt eſſe contrarios, quod in omni adverſum nos controverſia accidit, eorum ſententias elato ſupercilio deſpicantur, & pro anilibus fabulis habere ſolent; ſicubi vero ſibi, ſpecie tenus, favere compererint; tum ſane verba eorum magnificentiſſime prædicant, indeque anſam Eccleſiæ inſultandi arripiunt: qua in re non ita pridem *Blondellus* Calvinianus Miniſter excelluit, qui ſpiſſum contra ſuperioritatem Epiſcoporum volumen, *Hieronymi Apologiam* inſcripſit; quaſi nimirum pro re certa atque comperta S. Doctor habuiſſet, inſpecto jure divino, nullam eſſe cauſam Epiſcopos presbyteris præferendi.

Verum ideo quod difficultatem aliquam & obſcuritatem S. Hieronymi verba præferunt, ejus auctoritatem continuo rejici, ſanctumque ipſum Doctorem proditæ aut ignoratæ veritatis redargui, quod e Catholicis non pauci fecerunt, ſane non putamus temeritatis & imprudentiæ excuſari a quoquam poſſe: eoque minus, quod non in Hieronymum tantum, ſed in pleroſque alios Latinæ Eccleſiæ doctiſſimos Scriptores eadem accuſatio recidit: ſententiam enim Hieronymi adoptarunt, verbiſque pene totidem exſcripſerunt, *Sedulius*, ſive quiſquis auctor eſt commentarii, ſub *Sedulii* nomine: *Vener. Beda*, in c. 20 Actuum: *Alcuinus* in lib. de divinis officiis: Concilium *Acquiſgran.* an. 819 ex Epiſcopis Italiæ, Germaniæ, & Galliæ congregatum: *Amalarius Fortunatus*, lib. 2 de off. eccleſ. *S. Anſelmus*, ſive quivis alius author commentarii, qui ejus nomine circumfertur: *Rabanus Maurus*, Archiepiſcopus Moguntinus: & *Remigius* Lugdunenſis Archipræſul.

Ejuſdem videtur eſſe ſententiæ author Commentarii *Ambroſiani*, qui eadem ac S. Hieronymus

nymus ætate vixit. “ Post Episcopum, *inquit*
,, 1 *ad Corinthios*, *tertium caput interpretans*,
,, post Episcopum, diaconatus ordinationem
,, subjecit: quare? nisi quia Episcopi & pres-
,, byteri una ordinatio est? uterque enim sa-
,, cerdos est, sed Episcopus primus est; ita
,, ut omnis Episcopus presbyter sit, non ta-
,, men omnibus presbyter Episcopus sit: hic
,, enim Episcopus est, qui inter presbyteros
,, primus est: denique Timotheum, presbyte-
,, rum ordinatum significat: sed quia ante se
,, alterum non habebat, Episcopus erat: unde
,, & quemadmodum Episcopum ordinet, osten-
,, dit; neque enim fas erat, aut licebat, ut
,, inferior ordinaret majorem . . . . *& com-*
,, *mentario in c. 4 Ep. ad Ephesios*: Timo-
,, theum, *inquit*, presbyterum a se creatum
,, Episcopum vocat Apostolus, quia primi pres-
,, byteri, Episcopi appellabantur, ut deceden-
,, te eo, sequens ei succederet . . . sed quia
,, cœperunt sequentes presbyteri indigni inve-
,, niri ad primatus tenendos, mutata est ra-
,, tio, prospiciente Concilio, ut non ordo,
,, sed meritum crearet Episcopum, multorum
,, sacerdotum judicio constitutum, ne indignus
,, temere usurparet, & esset multis scanda-
,, lum. ,,

Auctor quæstionum Veteris & Novi Testamenti, inter opera S. Augustini, qu. 101, Ambrosiano Commentario concinit: *quid est Episcopus*, inquit, *nisi primus presbyter*, *hoc est summus sacerdos*?

Accedit auctor commentarii in Ep. S. Pauli, (inter opera S. Hieronymi,) quod opus Pelagii plerique, nec sine fundamento credunt: “ quæ-
,, ritur, *inquit*, (*in 1 Tim. c. 3*, *v. 17*) cur
,, de presbyteris nullam Apostolus fecerit men-
,, tionem? eos in Episcoporum numero com-
,, prehendit, quia secundus, imo pene unus
,, est gradus, sicut ad Philippenses Episcopis
,, & Diaconis scribit.,,

Idem sentit auctor Opusculi, *de septem gradibus Ecclesiæ ad Rusticum Narbonensem*, pariter inter opera S. Hieronymi: *ipsi presbyteri*, inquit, *Episcopi nuncupabantur . . . . intellige in presbytero summam sacerdotii collocari*.

Nec dissentit S. Aug. ad Hieronymum scribens: (*vet. edit. Ep. 19*) *quamquam*, ait, *secundum honorum vocabula*, *quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit*, *Episcopatus presbyterio major sit*; *tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est*.

Denique, ut multos interim præteream, consentit *Hincmarus Rhemensis* Archiepiscopus:
,, (*sec. 9*) Episcopi & presbyteri, *inquit*, (*Opusc. 55*, *cap. 10*) in primordio nascen-
,, tis Ecclesiæ, & usque ad non parvum tem-
,, poris progressum, uno nomine in singulis
,, officiis vocabantur, sicut in Epistolis Petri,
,, Joannis & Pauli manifestatur, & sicut Hie-
,, ronymus ad Evagrium ostendit. ,,

Hæc ex antiquis Ecclesiæ Latinæ Scriptoribus summatim afferre, ac velut indicare oportuit, ut ostenderetur sententiam hanc tum S. Hieronymo non fuisse peculiarem: tum non posse eamobrem S. Doctorem redargui, quin eadem in Augustinum, & plerosque celeberrimos priscæ ætatis Scriptores confletur invidia.

S. Hieronymi mens indagatur, *simulque argumentum ex illius auctoritate petitum refellitur*.

Quod quid aliud esset, quam contaminare traditionem, & hæreticis in Episcopos sacrilege debacchantibus palmam deferre? itaque nostrum est S. Hieronymum ab impacta calumnia vindicare; quod tum sane assecuti fuerimus, cum duo hæc ex S. Doctore demonstrata erunt: 1 ex ejus mente Episcopos simplicibus presbyteris jure divino præcellere: 2 verba ejus quæ opponuntur Catholicæ Doctrinæ nihil habere contrarium.

I

Ostenditur, *juxta S. Hieronymum Episcopos simplicibus presbyteris jure divino præcellere*.

Quod ut manifestum fiat, tria hæc capita ex S. Doctore adstruenda assumo.

1. Est, inter Episcopos & presbyteros distinctionem aliquam esse.

2. Distinctionem hanc in superioritate fundari, qua Episcopi presbyteris antecellunt.

3. Superioritatem hanc divino præsertim jure Episcopis attributam.

Ad primum quod spectat, non est dubium quin distinctionem Episcoporum a presbyteris diserte admittat, & sæpius explicet.

Sic in Ep. ad Eustochium, (*Epist. 27*) de obitu & funere Paulæ: “ Aderant, *inquit*,
,, Hierosolymorum, & aliorum urbium Episco-
,, pi, & sacerdotum inferioris gradus, & Le-
,, vitarum innumerabilis multitudo.,,

Libro 1 adversus Jovinianum: “ Episcopus,
,, *ait*, & presbyter, & diaconus, non sunt me-
,, ritorum nomina, sed officiorum; nec dicitur:
,, si quis Episcopatum desiderat, bonum gra-
,, dum desiderat; sed, *bonum opus desiderat*;
,, quod in majori ordine constitutus, possit,
si ve-

Digitized by Google

„ ſi velit, occaſionem exercendarum habere „ virtutum . . . . . Epiſcopus, presbyter, & „ diaconus, non ideo ſunt beati, quia Epiſco- „ pi, vel presbyteri ſunt, aut diaconi; ſed ſi „ virtutes habuerint nominum ſuorum . . . , „ alioquin ſi diaconus ſanctior Epiſcopo fue- „ rit; non ex eo quod inferior gradu eſt, a- „ pud Chriſtum deterior erit.„

Et in Dial. contra Luciferianos: *Arca Noe Eccleſiæ typus fuit . . . . quę multis gradibus conſiſtens, ad extremum diaconis, presbyteris, Epiſcopiſque finitur.*

Quomodo itaque diaconatum a ſuperioribus gradibus, ita Epiſcopatum a presbyteratu diſtinguit.

2. Epiſcopos ita a presbyteris diſtingui, ut ipſis ſuperiores ſint, præter quam ex ejus teſtimoniis modo allegatis evideos eſt, aperte alibi docet, & ſæpe inculcat.

Sic in Ep. 2 ad Nepotianum presbyterum: *eſto*, inquit, *ſubjectus Pontifici tuo, & quaſi animæ parentem ſuſcipe . . . . quod Aaron & filios ejus, hoc Epiſcopum & presbyteros eſſe noverimus.*

Et in 1 Apologia adverſus Ruffinum: *inter homines*, inquit, *ordo dignitatum ex laboris varietate diverſus eſt; cum Epiſcopus, & presbyter, & omnis Eccleſiaſticus gradus habeat ordinem ſuum.*

Ita S. Doctor: quis porro ſanæ mentis negare audeat, digniorem eſſe gradum parentis quam filii; aut Aaron in antiqua lege filiis ſuis auctoritate majorem fuiſſe? Deinde quo quiſque in Eccleſia opus magis arduum exercet ac ſuſtinet, eo potiori cenſetur loco; atqui juxta S. Hieronymum, Epiſcopus in Eccleſiæ adminiſtratione, opus magis arduum excercet, quam presbyter: ergo ex ejus mente presbytero ſuperior eſt.

3. Tandem hanc præeminentiam ad ſenſum S. Doctoris, in jure divino fundari, quod in præſenti controverſia præcipuum eſt, ſic oſtendo.

In Dial. contra Luciferanos: *Eccleſiæ ſalus*, inquit, *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot erunt in Eccleſia ſchiſmata, quot ſacerdotes*: *inde venit, ut ſine ſchiſmate & Epiſcopi juſſione, neque presbyter, neque diaconus, jus habeant baptizandi . . . . Si quæramus, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Sp. Sanctum: diſce hanc obſervantiam ex ea auctoritate deſcendere, quod Sp. Sanctus ad Apoſtolos deſcendit.*

Inde duo enaſcuntur plane convincentia argumenta.

Primum eſt: Sp. Sanctus ab initio Eccleſiæ contulit, quod natura ſua exigit, undeque ſalus ejus omnino pendet; atqui ex S. Hieronymo, Eccleſia ut ſalva conſiſtat, natura ſua exigit regi ab Epiſcopis ſupra ſimplices presbyteros, gradu, poteſtate ac juriſdictione provectis, ne videlicet tot oriantur ſchiſmata, quot fuerint ſacerdotes: ergo hoc tam neceſſarium bonum Sp. Sanctus Eccleſiæ ſtatim ab initio contulit, adeoque in jure divino fundatur.

Alterum eſt: Sp. Sanctum non niſi per manuum Epiſcoporum impoſitionem dari, S. Hieronymus agnoſcit; atqui jus illud inde repetit, quod Scriptura teſtatur, Sp. Sanctum in Apoſtolos deſcendiſſe: ergo confirmationis conferendæ poteſtatem, Epiſcopis, non presbyteris, velut ordinariis miniſtris, divinitus conceſſam S. Hieronymus credidit; eaque ſaltem ex parte Epiſcopos ſimplicibus presbyteris jure divino eſſe majores.

Idemque, nec minus expreſſe, ſæpe Sanctus Doctor repetit, & inculcat; ſic in Epiſt. 14 ad Marcellam, Catholicos inter & Montaniſtas diſcrimen hoc ponit: *apud nos*, inquit, *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*: *apud eos Epiſcopus tertius eſt.*

Et epiſt. 85, ad Evagrium: " ubicumque „ fuerit Epiſcopus . . . . potentia divitiarum, „ & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, „ vel inferiorem Epiſcopum non facit: omnes „ Apoſtolorum ſucceſſores ſunt . . . . . quid „ facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod „ presbyter non faciat? . . . . in Epiſcopo & „ presbyter continetur: qui provehitur, de mi- „ nori ad majus provehitur . . . . & ut ſcia- „ mus traditiones Apoſtolicas ſumptas de Ve- „ teri Teſtamento, quod Aaron, & filii ejus „ atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi „ Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi vindicent „ in Eccleſia.„

Inde eruo argumenta quæ ſequuntur.

1. *Eſt*: ex S. Hieronymo aliquid facit Epiſcopus, quod non poteſt facere presbyter: eamque poteſtatem non ſuæ tantum ætatis presbyteris, quaſi de novo conceſſam arrogat, ſed univerſim ad omnes extendit, ne iis quidem exceptis, qui Apoſtolicis temporibus floruerunt; ut ex ipſo Epiſtolæ contextu compertum eſt: ergo Epiſcopus presbyteris jure divino præcellit, quippe qui talem prærogativam habeat jure hæreditario ab Apoſtolis ipſis acceptam. Nam ſi Eccleſiæ ſolius auctoritate hæc eſſet diſtinctio introducta, falſum abſolute foret, facere aliquid Epiſcopum, quod nequeat presbyter: ſi quidem jure divino æquales eſſent.

2. *Eſt*: qui cum antea presbyter eſſet, Epiſcopus fit, de minori ad majus, ex S. Doctore provehitur; atqui promotio illa ex traditione & auctoritate Apoſtolica venit; cum ex ejus

Ee 2 ſea-

sententia Episcopi Apostolorum sint successores: ergo jure divino fundatur, in traditionibus Apostolicis comprehenso.

3. Quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, presbyteri, & diaconi merito vindicant in Ecclesia Christi; atqui Aaron sacerdotibus antiquæ legis præcellebat jure divino. Ergo S. Hieronymus idem sentit de Episcopis novæ legis.

Tria igitur admittit S. Doctor, quibus a Blondelio, Salmasio, aliisque Calvinistis magno discrepat intervallo: nimirum distingui Episcopos a presbyteris, iis esse superiores, & jure quidem divino.

II

Respondetur ad Argumentum ex S. Hieronymo petitum.

His jactis fundamentis sine magno labore diluetur quidquid in testimonio allegato difficultatis apparet.

R. Igitur admitto auctoritatem: ad argumentum dist. 1 partem majoris: ille censet presbyteros jure divino & ordinatione sua Episcopis inferiores non esse, qui aperte pronunciat, ab initio eosdem fuisse presbyteros & Episcopos, *quoad dignitatem*, conc. *quoad nomen tantum*, n. maj. dist. pariter min. S. Hieronymus affirmat, ab initio eosdem fuisse presbyteros & Episcopos, *quantum ad nomen*, conc. fuisse eosdem *dignitate*, n. min. & conseq.

E. D. Primis temporibus sacerdotes primi & secundi ordinis, presbyteri vel Episcopi indiscriminatim appellabantur: nondum enim adaptata, &, ut sic dixerim, consecrata erant honoris vocabula, quibus diversi ab invicem ordines discernerentur; sed omnium indifferenter commune vocabulum erat, ut ex S. Chrysostomo & aliis est prædictum. Potuit ergo co sensu dicere S. Hieronymus, ab initio eosdem fuisse presbyteros & Episcopos; quamquam aliunde utrorumque magnum discrimen faceret, ratione habita dignitatis & ordinis; nec quidquam aliud sibi volunt verba S. Doctoris in objectione relata: *sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & presbyteros appellabant; propterea indifferenter de Episcopis quasi de presbyteris* (*Apostolus*) *est locutus*.

Ad alteram argumenti partem, concessa maj. dist. min. S. Hieronymus docet ea tantum de causa discrimen Episcopos inter & presbyteros esse factum, ut schismatis semina tollerentur; *discrimen*, inquam, *aliquod*, conc. *discrimen omne quod modo inter presbyteros & Episcopos intercedit*, n. min. & conseq.

E. R. Duplici potestate Episcopus simplici sacerdote præeminet; altera interior est, & ordini ipsi sive characteri Episcopali essentialiter adhærens, qua presbyteros & Episcopos ordinare potest, sive Patres Ecclesiæ gignere, ut loquitur S. Epiphanius sæpe laudatus: altera exterior, ad Ecclesiæ, seu mystici Corporis Christi regimen pertinens, ratione cujus subditos in officio continere, leges sancire, disciplinam asserere, vindicare fidem, conciliis interesse, & pleraque alia præstare potest.

1. Potestas jure divino Episcopo convenit, ipso S. Hieronymo judice: *quid facit*, inquit, *excepta ordinatione Episcopus, quod non faciat presbyter?*

2. Licet radice spectata, jure etiam divino, Episcopo conveniat, non tamen quantum ad ejus exercendæ modum. Nam in ipsis Ecclesiæ primordiis communi presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur, nihilque decernebatur, nisi communibus Episcopi & Senatus sacerdotalis suffragiis. Cum itaque potestas ordinandi Episcopis jure divino conveniat; rursum cum eodem jure Episcopi primas sibi in Ecclesiæ gubernatione vindicent partes; non potuit in his rebus decursu temporis mutatio ulla contingere, neque eo pertinent verba S. Doctoris, quando affirmat, distinctionem inter Episcopos & presbyteros esse factam, ut schismatum semina tollerentur; atque adeo mutatio omnis quæ decursu temporis est inducta, de secunda tantum potestate debet intelligi, quantum ad ejus exercendæ modum: eumque ejus esse sensum non obscure indicant verba ipsius: *in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret .... ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnis sollicitudo delata est*: loquitur ergo de cura & sollicitudine, quæ cum inter plures ante divisa esset, uni postmodum attributa est; non vero de ipsa superioritate quam sibi ab initio Episcopi vindicarent.

Inst. 4. Atqui ex S. Hieronymo discrimen omne quod inter Episcopos & Presbyteros interest, jure humano nititur.

Prob. subs. qui affirmat Episcopos Ecclesiarum magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, credit haud dubie, quidquid discriminis Episcopos inter & presbyteros interest, in jure mere humano fundari; atqui ita loquitur S. Hieronymus loco citato: (*com. in c. 1 Ep. ad Tim.*) *Episcopi*, inquit, *noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere*; ergo &c.

R. nego subs. ad probationem,

1. Nego maj. His enim ipsis verbis quæ contra nos heterodoxi intorquent, firmatur doctri-

na

na Catholica, nedum evertatur: *Episcopi noverint*, ait S. Doctor, *se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores*: ex ejus itaque mente quod Episcopi presbyteris sint majores, tum ex consuetudine, tum ex dispositione Dominicæ veritatis descendit: alioquin comparativa propositione non uteretur, eo maxime in loco ubi presbyterorum dignitatem verbis quantum potest magnificentissimis prædicat: falsum itaque est, Episcoporum supra presbyteros eminentiam, juris divini ex S. Doctore non esse: id quod facile admittet, qui ex dialectica noverit, hujusmodi comparativis propositionibus tres propositiones simplices contineri: ut si de mercatore merces suas metu naufragii in mare projiciente dixerim: *voluntario magis quam involuntario hic homo mercium suarum jacturam facit*: tria uno verborum tenore affirmo: 1 quod merces timore imminentis naufragii, quia vitam amat, spontanee libereque projiciat: 2 quod involuntario aliquatenus agat, quia etsi vitam amat, amat nihilominus etiam temporalia bona: 3 quod voluntario magis quam involuntario faciat; quia plus amat vitam, quam merces. Pariter S. Hieronymus tria dicit: 1 Episcopos dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores: 2 hanc utique præcellentiam ex consuetudine obtinere: 3 magis ex consuetudine, quam ex institutione Dominica hoc habere.

R. 2. Dist. maj. qui affirmat Episcopos magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, credit ille sane, quidquid discriminis inter Episcopos & presbyteros interest, in jure humano fundari, *si hoc dicat de consuetudine recenter & præter divinum mandatum invecta*, conc. *si consuetudinis nomine intelligat, traditionem Apostolicam, a Christo vivæ vocis oraculo acceptam, & ab ipsis Apostolis promulgatam*, n. maj. & eadem distinctione ad min. data, n. conseq.

E. R. Non id omne quod consuetudo dicitur in iis quæ ad regimen Ecclesiæ pertinent, putari debet ab hominibus institutum; quidquid enim jure divino, non scripto, sed tradito, Ecclesiis ab ipsa sua origine scimus esse præscriptum, & ab Apostolis commendatum, consuetudo divina utique appellatur, paremque habet cum jure ipso scripto certitudinem & auctoritatem: porro talem esse consuetudinem qua Episcopi presbyteris sunt majores, ex S. Hieronymo, in hoc ipso quod opponitur testimonio manifesto patet.

1. Enim consuetudinem hanc affirmat S. Doctor totum pervasisse terrarum orbem: *in toto*, inquit, *orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris &c.* atqui quo primum tempore, post Apostolicam ætatem latum hujusmodi decretum fuerit, nec in Conc. nec in Pontificum sanctionibus invenitur: certissime ergo ad traditionem Apostolicam pertinet: quod enim universa tenet Ecclesia, *inquit millies laudatus S. August.* nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur. Quid vero ratiociniis & longe petitis illationibus opus est, quando S. Hieronymus, id quod probare intendimus, apertissimis verbis ibidem affirmat, hanc scilicet de qua agimus consuetudinem ab ipsis Apostolicis temporibus, adeoque Christo ipso jubente inductam? *antequam*, inquit, *diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis*: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, *communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, ut schismatus semina tollerentur*: porro schisma, cujus meminit Hieronymus, Apostolica ætate, & in ipsis Evangelii primordiis, funesto exemplo, exarsit, quando scilicet, ut Apostolus ad Cor. scribit, (1 *Cor.* 1, 12.) unusquisque eorum dicebat: *ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi*. Cum ergo hoc ipso tempore, eodem Hieronymo attestante, in toto orbe decretum sit, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris; consequens est, consuetudinem hanc ab ipsis Apostolis institutam, & de earum numero esse, quas Christus viva voce præceperat, data occasione & opportuno tempore promulgandas: quomodo institutio diaconorum divina est, licet dilata ad tempus eorum ordinatio fuerit: quocirca quod *dispositionis Dominicæ veritatem* S. Doctor appellat, jus divinum scriptum debemus intelligere; quod autem *consuetudinem* dicit, pro jure divino tradito est accipiendum: adeoque eo iniquius *Blondellus*, & alii hoc testimonio abutuntur, ad probandum non ante adultum secundum sæculum Episcopos presbyteris fuisse prælatos, quod ibidem *Hieronymus* hanc superioritatem ab ipsis Apostolis asserat institutam, adeoque esse divinam.

R. 3. Transeat major, & dist. min. ex S. Hieronymo Episcopi magis Ecclesiarum consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris sunt majores, *quantum ad aliqua*, concedo, *in omnibus*, n. min. & conseq.

E. R. Ut de S. Doctoris mente & sensu genuino difficultas nulla supersit, tria debemus in Episcopo distinguere: *potestatem ordinis*, per quam Patres Ecclesiæ potest gignere: *potesta-*

Digitized by Google

testatem jurisdictionis, per quam Ecclesiam regit: *ejusdem denique exercendæ modum*.

Potestatem ordinis ex S. Hieronymo a solo Deo acceptam habet: quo sensu dictum ab illo: (*Ep. 85, ad Evagr.*) *quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?*

Potestatem jurisdictionis in radice spectatam, quatenus ad illum præcipue pertinet regere Ecclesiam Dei, a solo utique Deo habet, nec illo in capite mutatio ulla contingere potuit: hoc enim Episcopi in Ecclesia sunt, quod Aaron in veteri Templo fuit; atqui Aaron jure divino in Synagogæ regimine filiis suis atque Levitis auctoritate præcipua præsidebat: idem ergo ex Hieronymo Episcopi habent: *Ut sciamus, inquit, (Ib.) traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia.*

Quod tandem pertinet ad jurisdictionis exercendæ modum, simplices presbyteros ad commune consilium vel admittendo vel excludendo: cum pertineat ad Ecclesiasticam disciplinam, mutationem aliquam subire potuit, reveraque subiit. Porro de hoc ultimo capite S. Hieronymus loquitur: nihil itaque mirum, si dicat, Episcopos Ecclesiæ magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores; quovis ergo sensu Sanctum Doctorem Calvinistæ locutum intelligant, sibi experientur esse contrarium.

Inst. 5. Qui communi consilio Ecclesiam administrant, pari fruuntur auctoritate; atqui juxta S. Hieronymum ibidem, Apostolicis temporibus communi consilio administrabant Ecclesiam presbyteri cum Episcopis. Ergo &c.

℟. Nego maj. Falsum enim est, eos qui communi consilio aliquod negotium gerunt, parem semper auctoritatem habere, præsertim quando inter illos is ordo est, ut alius jure præsit, alii ut Senatores assideant: atqui primis temporibus licet communi Episcoporum ac Presbyterorum consilio, de rebus Ecclesiasticis decreta ferrentur; principem tamen locum tenebant Episcopi, & secundo tantum sedebant Presbyteri, velut Senatores. Nam juxta S. Hieronymi Doctrinam Episcopi in Ecclesia sunt, quod fuerunt Moyses in populo Dei, Aaron in antiqua lege, ipsique Apostoli in Ecclesiæ nascentis regimine; atqui Moyses jure divino præerat 70 senioribus, quos sibi ad populi gubernationem adjunxerat: pari jure Aaron supra Levitas & filios suos, summo Sacerdotio eminebat: eadem denique fuit Apostolorum erga septuaginta discipulos, & alios ministros a se constitutos potestas. Pariter ergo Episcopi, licet communi cum Presbyteris consilio Ecclesiam ab initio administrarent, iis nihilominus ex S. Hieronymo erant superiores.

Inst. 6. Atqui ex S. Hieronymo ita communi utrorumque consilio Ecclesiæ regebantur, ut ex jure divino nihil plus haberent potestatis Episcopi, quam Presbyteri. Ergo &c.

Prob. subs. ex altero ejusdem testimonio: *audio*, inquit, (*Ep. 85, ad Evagr.*) *quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, idest, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos & Episcopos, quis patiatur, ut mensarum & viduarum minister, supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Corpus Christi, Sanguisque conficitur? quæris auctoritatem? audi testimonium*: Paulus & Timotheus omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis: *vis & aliud exemplum? ad unius Ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur:* in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos: *& ne quis contentiose in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eumdem esse Episcopum atque presbyterum:* propter hoc reliqui te Cretæ, ut constitueres presbyteros per civitates . . . . si quis est sine crimine . . . . oportet enim Episcopum sine crimine esse.... *quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est . . . . nam & Alexandriæ a Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant ex se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.*

Inde, præter cæteras ex testibus Scripturæ difficultates, quibus jam responsum est, eruunt argumentum, ut quidem putant, Achilleum. Qui asserit, *inquiunt*, eadem ratione factos fuisse Alexandriæ Episcopos, qua Imperator ab exercitu olim eligebatur, nihil in Episcopis agnoscit, quo presbyteris jure divino præcellant; atqui ita S. Hieronymus: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem; & ad argumentum:

1. Nego maj. Quin e contra hac ipsa comparatione significatur, Episcopos, quamquam a presbyteris electos, iis tamen esse jure divino positivo superiores. Idem enim de Episcopis ac de imperatoribus judicium, teste Hieronymo, esse debet. Atqui Romanorum Imperatores, plerumque electi a militibus, quamquam ab Electoribus electio ipsa penderet, hoc ipso ta-

Digitized by Google

tamen quod Imperatores erant, vice Dei imperium administrabant, acceptam non ab hominibus, sed ab ipso Deo immediate potestatem erga subditos exercebant; de iis verum erat dicere, quod Apostolus in Ep. ad Rom. præscribit: (*Rom.* 13, 1, *& seq.*) *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; *non est enim potestas, nisi a Deo, quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ergo a pari Alexandrinus Episcopus, & cæteri qui possunt exemplis diversis allegari, quamquam a presbyteris electi, & in gradu excelsiori collocati, divino tamen jure in ipsos suos electores principatum tenebant.

2. Majoris perspicuitatis gratia dist. maj. Qui asserit eadem ratione factos fuisse Alexandriæ Episcopos, qua Imperator ab Exercitu, ac Archidiaconus a Diaconis inaugurari aliquis potest; nihil in Episcoporum institutione agnoscit, quo a Presbyteris jure divino distinguantur. *Si utraque plene & in omnibus comparet*, conc. *si inadæquate tantum, & quantum ad aliquid*, n. maj. min. similiter distinguo: comparationem hanc facit S. Hieronymus, *quoad aliquid*, *electionem nimirum*, conc. *quoad omnia*, n. min. & conseq.

E. D. Tria eo loci observat S. Doctor, quæ speciali, ut quidem supponit, consuetudine, in Alexandrina Ecclesia obtinebant.

Primum est, Alexandrinum Episcopum, ad Heraclæ usque & Dionysii tempora, ex solo presbyterorum hujus Ecclesiæ gremio fuisse assumptum; cum in aliis Ecclesiis non de Choro tantum Sacerdotali, sed & de numero inferiorum ministrorum, Diaconorum saltem, indiscriminatim Episcopi eligi possent.

Secundum est, solos presbyteros in hac electione jus suffragii, hoc intervallo temporis habuisse; cum in aliis provinciis ac civitatibus, plebs & Clerus Universus eligendi Episcopos auctoritate gauderent.

Tertium est, quod qui ad Episcopatum Alexandrinum electi forent, statim a designatione sua, ab Electoribus suis in loco sublimiori collocati, Episcopi dicerentur, etiam antequam manuum impositione & mysticis precibus essent consecrati: quem morem cæteræ Ecclesiæ non tenebant.

Comparat itaque S. Hieronymus electionem cum electione, nec ultra progreditur: indeque est, quod Alexandrini Episcopi, ad Dionysii usque ætatem, factam inaugurationem dicat, quomodo Imperatoris ab Exercitu, aut Archidiaconi a Diaconis electio fieret. Cum ergo cætera sileat, in Episcoporum consecratione necessario observanda; dici non potest quod utrorumque comparationem omnimodam instituerit. Nam Episcopos post electionem suam, ritu mystico ordinatos, consecratosque fuisse, Ecclesiæ universalis traditione certissimum est, quam ab Alexandrina Ecclesia temeratam, nullo, nequidem indicio, nedum argumento certo probari potest: quin immo ex historicis monumentis certissimo constat, Alexandriæ non secus ac in aliis Ecclesiæ partibus, Episcoporum ordinationes a solis Episcopis factas.

1. Enim testatur Author *constitutionum Apostol.* (*lib.* 7, *c.* 46.) Anianum, qui primus a S. Marco Alexandrinam Ecclesiam rexit, ab eodem S. Marco, Avilium vero Aniani successorem a S. Luca consecratum.

2. Concilium Alexandrinum 4 sæculo habitum, hinc probat Ischyram presbyterum non fuisse, quia a Collutho simplici presbytero non veram, sed imaginariam manuum impositionem acceperat. Ita ne vero Ischyræ ordinationem irritam patres declarassent, propterea quod fuisset a simplici presbytero attentata, si in ipsa Alexandrina Ecclesia non ita pridem in more fuisset, ut presbyteri ipsos etiam Episcopos ordinarent?

3. S. Epiphanius qui non longe ab Urbe Alexandrina degebat, contra Aerium disputans, confidenter negat id quod asserebat Aerius, a presbyteris aliquando Episcopos consecratos. Igitur Alexandrina Ecclesia communem totius orbis morem ac disciplinam semper tenuit, nec quidquam in contrarium facit S. Hieronymi in testimonio allegato de Alexandrini Patriarchæ, per Episcopos consecratione silentium.

Cæterum si quis sit, cui hæc ad Sancti Doctoris auctoritatem responsa plene non satisfaciant; advertat, in his quæ opponuntur locis Hieronymum totum esse ut dignitatem presbyterorum verbis quam potest amplissimis prædicet: adeoque si quid asperius, aut per exaggerationem dictum occurrat, aliis ejusdem locis corrigendum esse ac mitigandum, ubi certo certius Episcoporum supra presbyteros eminentiam, & eorum in jure divino fundatam præcellentiam adstruit. Quin & hoc ipso Epistolæ ad Evagrium loco, unde probari existimant Protestantes Episcopos a Presbyteris nil, attento divino jure, differre, aperte contrarium asserit, jus ordinandi solis Episcopis vindicans: *Quid facit*, inquit, *excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?* Ex ejus itaque mente ordinatio ad solos Episcopos pertinet; adeoque Alexandrini presbyteri, licet Patriarcham suum eligerent, eumdem tamen non ordinabant. Quis enim existimet, eum ordinari potuisse a presbyteris, quibus ne inferioris quidem ordinis Clericum ordinare fas esset?

Inst. 7. atqui debet intelligi S. Hieronymus, non de electione tantum, sed etiam de conse-

Digitized by Google

secratione Episcopi, ab Alexandrinis presbyteris facta: ergo &c.

Prob. subs. duobus modis.

1. Inquiunt, quidquid ad inaugurationem Alexandrini Episcopi spectare poterat, solis presbyteris attribuit S. Doctor: de consecratione ulteriori ab Episcopis facta, prorsus silet. *Alexandriæ*, inquit, *a Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos*, (idest ad medium usque sæculum tertium) *presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant &c.* ergo &c.

2. De consecratione Patriarchæ Alexandrini, ab ipsis presbyteris, ex mente Hieronymi facta si dubium remanet, auctoritate *Eutychii* facile diluitur. Fuit ille Patriarcha Alexandrinus, adeoque quin Ecclesiæ suæ ritus antiquos calleret suspicio esse nequit. Sic porro scribit in vita Marci Evangelistæ. *Constituit Marcus Evangelista presbyteros cum Anania, qui nempe manerent cum Patriarcha; adeo ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum ex 12 presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham eum crearent . . . neque Alexandriæ destitit institutum hoc de presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex presbyteris 12 usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo 318 (Patrum Nicænorum,) is autem vetuit, ne deinceps Patriarcham presbyteri crearent.*

Sane ad mentem Hieronymi explicandam nihil luculentius dici poterat: consecratio enim & creatio Episcoporum non aliter quam manuum impositione ac benedictione fit: atqui juxta Eutychium presbyteri Alexandrini electo a se Patriarchæ manus imponebant ac benedicebant, quibus duobus, absque eo quod aliud requiratur, ordinationis essentia constat: æquum itaque est, eodem sensu Hieronymum intelligere.

℞. Nego subs. & adjunctas probationes refello sigillatim.

Ad 1. quidem nego, id omne quod ad consecrationem Alexandrini Episcopi pertinebat, a S. Hieronymo solis presbyteris attributum: hoc enim unum dicit, vita functo Alexandrino Patriarcha, presbyteros unum ex se elegisse, quem in locum defuncti subrogabant, & in gradu excelsiori collocatum Episcopum nominabant. Quid porro in hac narratione est, quod oleat consecrationem a solis presbyteris factam? numquid enim aliquem nominare sive eligere ad Episcopatum, idem est ac consecrare? numquid non potest ad Episcopatum electus, etiam antequam manuum impositionem receperit, honoris ergo in gradu excelsiori collocari? at, inquis, de ulteriori, quæ ab Episcopis fieret, consecratione S. Hieronymus prorsus silet, bene est; sed quod hoc loci silet S. D. tota non cæterarum tantum Ecclesiarum, sed ipsius speciatim Alexandrinæ Ecclesiæ traditio clamat, neminem unquam nisi ab Episcopis Episcopum ordinatum. Puerile ergo est, ex S. Doctoris silentio rem aliunde tot tantisque argumentis constantem infringere: quamquam, ut non semel prædixi, falsum est Hieronymum de jure ordinationis solis Episcopis divinitus reservato, eo loci penitus siluisse; quandoquidem statim post verba in objectione allegata ita prosequatur: *quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod non faciat presbyter?*

Ad 2. Nego ant. nego, inquam, id quod Hieronymus obscurius dixit, *Eutychii* auctoritate idonee explicari. Nullius namque auctoritatis homo *Eutychius* est, disciplinæ quam Alexandrinis affingit, ne unum quidem exemplum proferens, immo antiquæ disciplinæ nescius, & historiæ Alexandrinorum contaminator apertus: constat enim ex vetustissimis canonibus quos Alexandrini in suis collectionibus habent, quosque ab illis fuisse summa Religione servatos ex eorum historia demonstratur; constat, inquam, Episcopos non aliter posse, quam ab Episcopis ordinari: constat insuper ex Orientalibus Alexandrinæ Ecclesiæ historicis, Patriarcham Alexandrinum non a solis presbyteris, sed ab Episcopis, clero universo, & populo fuisse electum: *sic Servus Aschmoninensis* in historia, loquens de electione *Cerdonis* qui tertius a Marco Patriarcha numeratur, scribit, *ad eam convenisse plebem orthodoxam, Sacerdotes, & Episcopos, & ab illis electum Cerdonem.* Idemque in sequentium Patriarcharum electionem factum testatur. Nec minus certo ex eadem Alexandrinæ Ecclesiæ historia constat, hoc temporis cursu, quo Patriarchas ex 12 presbyterorum collegio electos contendit, duos reperiri, *Agrippinum* videlicet & *Demetrium*, qui ex eorum numero non erant. Nam *Agrippinus* dicitur ex *plebe Christiana*, hoc est ex laicorum statu assumptus. *Demetrium* vero laicum pariter fuisse certissimum est, cum tempore electionis suæ uxorem haberet: quæ gravis scandali, & offensionis occasio fuit; causantibus plerisque eum a Throno Patriarchali pellendum, quia nullus, inquiebant, a S. Marco ad hæc usque tempora, nisi virgo ad Episcopatum Alexandrinum promotus erat: non est itaque tantæ auctoritatis, nec tanti meriti Scriptor Eutychius, ut ejus debeamus testimonio acquiescere, eumque pro idoneo teste, contra historiæ antiquæ & disciplinæ veritatem

Digitized by Google

tem habere, maxime cum ſæculo decimo, in fæce barbariæ natus, pleraque ſcripturierit, quorum ne veſtigium quidem in antiquis monumentis apparet.

Inſt. 8. Si Patres exiſtimaſſent, Epiſcopos ſimplicibus presbyteris eſſe ſuperiores, ordinem presbyterorum ab Epiſcoporum ordine diſtinxiſſent: atqui clerum univerſum in duos tantum ordines antiqui Doctores diſtribuunt, præpoſitorum ſcilicet, ſeu presbyterorum, & diaconorum. Ergo &c.

℟. 1. Conceſſa maj. n. min. Conſtat enim ex innumeris teſtimoniis, quorum magnam partem in decurſu tractatus attulimus, Sanctos Patres ordinem Epiſcoporum ab ordine prebyterorum diſerte diſtinguere.

R. 2. Diſtinguo eamdem propoſitionem. Sancti Patres clerum univerſum diſtribuunt in duos tantum ordines *genericos*, *qui nimirum varias ſpecies complectantur*, conc. in duos ordines *ſpecificos*, *quique ſubdividi nequeant*, n. min. & conſeq.

E. R. Unaquæque res prout diverſos habet reſpectus, varie dividi poteſt; ſic quando hominem cum aliis animantium ſpeciebus conferimus; unam humanæ naturæ ſpeciem dicimus. Si vero ipſos ſecum invicem homines comparemus, quatenus moribus, Religione, legibus, uſibus, &c. diſcrepant; ſic ſane infinitas propemodum eorum ſpecies diſtinguemus: porro ſic ſe res in præſenti habet. Ordines enim Eccleſiaſtici vel ſecum invicem, vel cum plebe conferri poſſunt; ſi cum plebe, eo reſpectu ordo eſt unus; quia clerici omnes in unum veluti corpus coaleſcunt, a laicis ſegregatum: quo ſenſu Tertullianus, *differentiam*, inquit, (*lib. de exhortat. caſtitatis cap.* 7) *inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas*: ſi vero diverſos ordines intuemur ac circumſpicimus, jam tum ſpecies eorum augemus: vel enim ſpectatur ordo comparate ad Euchariſtiam: ſicque duplex numeratur, eorum videlicet qui Euchariſtiam conficiunt, & eorum qui conficientibus ac conſecrantibus miniſtrant: eoque ſenſu Epiſcopatus & presbyteratus unus eſt ordo: nec enim majus jus presbyteris Epiſcopi habent, ad Euchariſtiam conſecrandam: quod ſi ſacerdotes ſecum ipſis conferimus, manifeſtum fiet, duos eorum ordines diſtinguendos, quorum alii primum, alii ſecundum in Eccleſia locum tenent; alii, Patres ſpirituales gignunt, alii, cum Patres non poſſint, filios Eccleſiæ lotionis regeneratione producunt. Pariter ſi ad miniſtros ſacerdotum propius attenderimus, tum certe varias inferiorum ordinum ſpecies numerabimus, Diaconos ſcilicet, Subdiaconos &c. eoque ſenſu Patres debere intelligi, inde aperte colligitur, quod ubicumque ſe dedit occaſio, Epiſcopos a presbyteris diſerte diſtinxerint.

Inſt. 9. Qui Apoſtolis in regimine Eccleſiæ ſucceſſerunt, Epiſcopi vere nominantur & ſunt; atqui iidem ab antiquis Scriptoribus presbyteri appellantur. Sic inter cæteros S. Irenæus, *ad eam*, inquit, (*cont. hær. lib.* 3, *cap.* 2) *traditionem quæ eſt ab Apoſtolis quæ per ſucceſſionem presbyterorum in Eccleſia cuſtoditur, provocamus*. Ergo hoc tempore Epiſcoporum a presbyteris diſtinctio nulla erat.

℟. Conceſſa maj. diſt. min. qui Apoſtolis ſucceſſerunt, presbyteri appellantur, *nomine communi*, *quod aliud eorum proprium non excludat*, conc. *nomine*, ut ſic dixerim, *characteriſtico*, *quo videlicet eorum in Apoſtolorum locum ſubſtitutio & præcipua dignitas deſignetur*, n. min. & conſ.

E. R. cum Πρεσβύτερος Græce, idem quod Latine *ſenior* ſit, quid mirum ſi Epiſcopi ſæpe fuerint appellati *ſeniores*? Quem enim vero magis decet ſenectus quam Epiſcopum, non illa, inquam, quæ annorum numero computatur, ſed quam morum gravitas, prudentia, & vita immaculata commendant? *Deinde*, hic ipſe qui Epiſcopus eſt, etiam in presbyterorum numero vere continetur, quia etſi ſuperior ſecundi ordinis Sacerdotibus; gradum tamen quem prius habuerat, non amittit. Poteſt ergo hoc nomine appellari, modo nomine proprio non fraudetur, quo gradus & dignitas ſignificatur, ſimplici presbyteratu præſtantior.

Inſt. ultimo. Atqui ideo presbyterorum nomen ab antiquo Epiſcopis datum eſt, quod putarentur nihil magis ſimplicibus Sacerdotibus jure divino habere: ergo &c.

Prob. ſubſ. ſi exiſtimaſſent patres, Epiſcopatum ſimplici presbyteratu eſſe majorem,

1. Non dixiſſent presbyteratum eſſe honorem omnium maximum.

2. Simplices presbyteri Epiſcopos collegas ſuos appellare non præſumpſiſſent: quos enim collegas dicimus, intelligimus ejuſdem gradus ac dignitatis in ſolidum eſſe participes.

3. Presbyteri Apoſtolorum ſucceſſores dici non debuiſſent.

Atqui presbyteratum, honorem omnium maximum appellat Euſebius: (*hiſtor. lib.* 6, *cap.* 14) Epiſcopos collegas ſuos vocant Eccleſiæ Romanæ presbyteri in cauſa hæretici Marcionis, prout Eccleſiaſtica hiſtoria atteſtatur: denique ab antiquis Scriptoribus ſimplices presbyteri, Apoſtolorum ſucceſſores dicuntur: ergo &c.

℟. Nego ſubſ. ad probat. n. maj. quantum ad omnes partes. Nam

1. In presbyteratu duo ſunt attendenda, dignitas & auctoritas. Dignitas equidem Sacerdotii

dotii omnium maxima eſt, quia in corporis Chriſti naturalis conſecratione & oblatione conſiſtit, quo nihil poteſt excellentius, non in humanis tantum rebus, ſed ne in Angelica quidem natura excogitari. Auctoritas vero reſpicit Corpus Chriſti myſticum, & in ſimplici presbytero longe quam in Epiſcopo minor eſt; tum propter alias rationes; tum quia ad Epiſcopos pertinet, patres ſpirituales in Eccleſia, manuum impoſitione, & prece myſtica propagare: Sacerdotibus vero, cum patres non poſſint, hoc unum relictum eſt, filios Eccleſiæ lotionis regeneratione producere: tum denique quia ipſa juriſdictio quam exercent presbyteri ſimplices, etſi immediate a Deo, ut ſuperius eſt probatum, accepta ſit; tamen quoad exercitium ab Epiſcopis eſt dependens. Jam manifeſtum eſt, qua ratione presbyteratus vere ſit & dicatur honor omnium maximus; quo vero ſenſu cedere Epiſcopatui debeat, eique ſubmitti.

2. Ideo in facto *Marcionis* Romanæ Eccleſiæ presbyteri, Epiſcopos ad quos de hoc hæreſiarcha ſcribebant, collegas ſuos appellarunt, quia tum temporis vacabat Romana ſedes, Pontifice Max. viduata; eoque interſtitio Eccleſiam adminiſtrabant. Deinde quando plures in aliquo onere ſuſtinendo ſunt pares, aliunde licet plurimum differant; nihil obſtat quominus vero aliquo ſenſu collegæ dicantur. Atqui Epiſcopi & presbyteri quantum ad poteſtatem conſecrandi corporis & Sanguinis Chriſti, ordinatione ſunt pares: & præterea ad ſimplices presbyteros pertinet, pro modo ſuo, corpus Chriſti myſticum, hoc eſt Eccleſiam regere. Ergo quantumlibet aliunde inferiores Epiſcopis, eorum tamen collegæ & compresbyteri jure quodam ſuo dicuntur.

3. Qui Apoſtolorum locum tenent, eorum ſucceſſores nihil impedit appellari. Atqui non ſolum Epiſcopi, ſed etiam presbyteri, immo & Diaconi Apoſtolorum in ſacris functionibus tenent locum. Eorum ergo ſucceſſores dici poſſunt: quia vero aliunde presbyteri non id omne agunt quod Apoſtoli in Eccleſiæ adminiſtratione faciebant; neque etiam id omne Diaconi præſtant, quod eſt presbyteris attributum, hinc ſua quique menſura Apoſtolorum ſucceſſores ita dicuntur; ut alii aliis ſint jure divino majores. Itaque ſuam quantum volent ſimplices presbyteri dignitatem oſtentent, quæ revera habita ratione poteſtatis, corporis & ſanguinis Dominici conſecrandi, maxima omnium eſt: dicant ſe collegas Epiſcoporum, quo nomine etiam in Conciliis appellati ſunt, nominatimque in Concilio Carthag. IV (*Sæc.* 9) can. 35 ſic ſtatuente: *Epiſcopus collegam ſe presbyterorum eſſe cognoſcat*: titulo ſucceſſionis Apoſtolicæ, ſancte in Domino glorientur: vere hæc omnia prædicabunt. Sed ſuum tamen modum agnoſcant, ſciantque ſe in Hierarchia Eccleſiæ divinitus conſtituta, ſecundas tantum habere partes, & primum honoris, dignitatis, ac juriſdictionis locum Epiſcopis aſſignatum; qui niſi ſalvus integerque conſiſtat, ne Eccleſia quidem conſiſtere valeat. *Epiſcopus*, inquiunt patres Carthaginenſes Can. modo laudato, *in Eccleſia & in Conventu presbyterorum ſublimior ſedeat*; *intra domum vero, collegam ſe presbyterorum eſſe cognoſcat*.

V.

Sit ne Epiſcopatus verum novæ legis Sacramentum?

Sequitur altera quæſtio, utrum non modo Epiſcopi ſint jure divino presbyteris ſuperiores; verum etiam Sacramentali & proprie dicta ordinatione conſecrentur? Quæſtionem hanc, quoniam non eſt expreſſe ab Eccleſia definita, ſed ſcholarum relicta diſputationibus, non uno omnes modo reſolvunt. Quidam enim plane negant, Epiſcopatum eſſe verum Sacramentum a Sacerdotio diſtinctum; voluntque nihil quidquam importare, præter characteris Sacerdotalis extenſionem, vel novam quandam, ut ajunt, deſtinationem ad quædam officia exercenda, presbyterorum functionibus excellentiora: quæ nova deputatio in jure divino fundetur. Alii e contra quibuſcum ſtamus, ſentiunt Epiſcopatum, verum in ſe, non ſecus ac alios majores ordines eſſe Sacramentum.

VI.

Epiſcopatus vere eſt ac proprie Sacramentum, a Sacerdotio, nova conſecratione, diſtinctum.

Cujus aſſertionis pleraque argumenta ſunt, e Scriptura, traditione, ipſaque ratione petita.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

1. Enim, Ritus externus ad gratiam producendam divinitus inſtitutus, titulo Sacramenti jure donatur; cum hæc propria Sacramenti natura ac definitio ſit. Atqui Epiſcopatui hæ omnes conditiones ex auctoritate Scripturæ conveniunt.

1. Ritu externo debet Epiſcopus conſecrari, manuum videlicet impoſitione, ut conſtat ex verbis Apoſtoli toties memoratis: *Noli negligе-*

gligere gratiam Dei quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterii: . . . . admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum . . . Manus cito nemini imposueris: . . . hujus rei gratia reliqui te Cretæ . . . ut constituas per civitates presbyteros. Timotheum enim & Titum, non simplices, sed summos Sacerdotes, hoc est Episcopos ab Apostolo Paulo creatos esse, patrum communis & certa doctrina est.

2. Habet Episcopatus annexam gratiæ promissionem: quod eadem testimonia aperte declarant.

3. In divina institutione fundatur: tum quia Apostoli a Christo immediate, non presbyteri tantum, sed & Episcopi consecrati sunt: tum quia erroneum fuerit affirmare, eos præter aut contra divinum mandatum, alios Episcopos consecrasse, dicente Apostolo: (*Act.* 20, 28) *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ergo Episcopatui omnes conditiones ad verum legis Evangelicæ Sacramentum necessarias scriptura assignat. Cum enim ejus testimonia ad Episcopos præcipue spectent; si non probant Episcopatum veri ordinis & Sacramenti titulo frui; multo minus hoc ipsum de presbyteratu evincent: adeoque ruet vis argumenti ex verbi divini auctoritate petiti, nec revinci verbo Dei scripto poterunt Hæretici, ordinem esse Sacramentum proterve negantes. Quando enim eos scripturæ testimonio urgeri continget, occurret continuo quod reponant: *in iis locis quæ adversum nos a Catholicis ex Pauli Epistolis intorquentur, de ordinatione Episcoporum præcipue sermo est; quod nec ii ipsi cum quibus conflictamur negare audent; atqui scholæ judicio Episcopatus verum Sacramentum non est. Ordinem ergo esse Sacramentum, nec leviter Scriptura insinuat.*

PROBATIO SECUNDA.

Ex Græcorum ac Latinorum Ritualibus.

Nec minus efficax est, quod ducitur argumentum ex Græcorum & Orientalium Euchologiis, ac Ritualibus Latinorum. Cum enim communem Ecclesiæ, de Sacramentis doctrinam contineant; quomodo eorum auctoritate evincitur, diaconatum & presbyteratum esse vere ac proprie Sacramenta, idem de Episcopatu debet necessario judicium esse, nisi ostendatur, nihil in Ritualibus de Episcoporum ordinatione præscribi quod Sacramenti naturam oleat; atqui ex adverso iisdem conditionibus Episcoporum ordinationem fieri debere mandatur, quibus diaconi & presbyteri consecrantur.

1. Manuum impositio in ordinatione Episcopi facienda ubique præscribitur.

2. Non meram hanc & otiosam cæremoniam esse, sed annexam certo habere sanctificationem & gratiæ infusionem, oratio manuum impositioni adjuncta evincit, per quam invocatur in ordinandum gratia sanctissimi spiritus. *Mox*, inquiunt Euchologia, *Pontifex manum ordinando Episcopo impositam tenens, precatur hoc modo: Dominator Domine, Deus noster . . . . Ipse omnium Domine, hunc etiam suffragiis electum, & Evangelicum jugum, dignitatemque Pontificalem subire dignum habitum . . . . Adventu & virtute, & gratia Sancti tui Spiritus corrobora, sicut Sanctos Apostolos & Prophetas corroborasti &c.* idemque in Latina Ecclesia observari, Ritualia omnia nec uno excepto testantur.

3. Sacram hanc cæremoniam ex divino mandato peragi non minus evidens est. In Græcorum quidem Euchologiis sic habetur: *Dominator Domine, qui per celeberrimum Apostolum Paulum, graduum & ordinum seriem ad subserviendam & ministrandum venerandis & illibatis mysteriis tuis, in Sancto Altari tuo constitutis, primo Apostolis, secundo Prophetis, tertio Doctoribus sanxisti . . . . Domine Deus noster . . . . . Qui tua dispensatione Doctores . . . . . Thronum tuum obtinentes, hostiam & oblationem pro cuncto populo tuo sacrificaturos constituisti: &c. . . . .* (*Vide Goar. p.* 302, *& seq.*) Nec diversum esse Latinæ Ecclesiæ sensum ultro fatebitur, qui libros Rituales ac Pontificales vel leviter attigerit.

Intelligit ergo Ecclesia Universa, habere Episcopatum omnes veri Sacramenti conditiones, Ritum scilicet externum, gratiæ productionem, & mandatum divinum. Adeoque vel fatendum, verum esse legis Evangelicæ Sacramentum, vel dicendum nullam ritualium esse vim, ad probandum, Diaconatum & presbyteratum vera esse Sacramenta, quia nihil amplius pro eorum administratione, quam pro Episcoporum consecratione præscribunt.

PROBATIO TERTIA.

Ex Sanctis Patribus.

Hoc ipsum evincunt testimonia sanctorum patrum, Episcopatum ordinibus sacris aperte annumerantium. Nomen quidem Sacramenti usurpant, Tertullianus, in lib. *de præscriptionibus adversus Hæreticos*, c. 40, S. Aug. multis locis: S. Leo Ep. 11, ordinationem Pauli

 & Bar-

Digitized by Google

& Barnabæ, *benedictionis Sacramentum* appellans: & alii paſſim.

Deinde, rem nomine Sacramenti ſignificatam de Epiſcopatu intelligunt.

1. Epiſcopatus divinum eſſe mandatum & inſtitutionem, eorum teſtimonia probant adducta ſuperius ad oſtendendum Epiſcopos ſimplicibus presbyteris eſſe jure divino ſuperiores.

2. Ritu externo & ſenſibili adminiſtrari, & ex eorum mente adminiſtrandum, vel inde evincitur, quod Epiſcoporum conſecrationem, communi aliis ordinibus vocabulo, χειροτονίαν, & invocationem Sancti Sp. appellaverint.

3. De gratia Epiſcopatui propria magnifice dicunt antiqui Doctores, Gregorius Nyſſ. Hieron. Chryſoſt. Auguſt. Gregorius M. & alii.

4. Characterem Epiſcopali ordinatione infigi declarant Patres, & vetuſtiſſimi Canones, quibus cautum eſt, ne Epiſcopatus ſemel rite collatus iteraretur: ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex Theologica ratione.

Suffragatur & ratio. Per Epiſcopatum enim vera quædam, non ſolum juriſdictionis, ſed etiam ordinis poteſtas tribuitur, ad ſpiritualia officia exercenda humanam omnem virtutem excedentia: qualis eſt e. c. facultas, patres Eccleſiæ propagandi. Ergo Epiſcopatus verus eſt ordo, verumque Eccleſiæ Sacramentum, Sacramento Diaconatus, & Presbyteratus præcellens.

Deinde. Si presbytero & Diacono neceſſaria eſt gratia peculiaris, ad exercendas ſuorum ordinum proprias functiones: multo magis ea opus habet Epiſcopus, propter majorem ſui officii excellentiam & difficultatem. Cum ergo ex Scripturæ & traditionis teſtimonio certum ſit, gratiam in Diaconatu & presbyteratu ex opere operato conferri; nulla ratio eſt, ut hoc ipſum de Epiſcopatu negetur, de quo non aliter quam de Diaconatu & presbyteratu loquuntur.

Præterea. Conſtat ex auctoritate traditionis, poteſtatem ordinis in Epiſcopali conſecratione acceptam, indelebilem eſſe, adeo ut nec depoſitione, nec degradatione, nec hæreſi, aut Schiſmate, nel ulla denique juriſdictionis ſuſpenſione auferri poſſit: unde non magis poteſt repeti conſecratio Epiſcopi, quam presbyteri, aut Diaconi. Porro hujus diſciplinæ non alia cauſa fuit, niſi quia ſemper creditum eſt per Epiſcopatum characterem Sacramentalem infigi: ergo &c.

VII

Diluuntur ſcholaſticorum objectiones.

Opponunt: ſi Epiſcopatus haberet proprie ac diviſim veri ordinis & Sacramenti naturam, plures quam ſeptem ordines eſſent; atqui ſeptem tantum ordines Eccleſia novit, ut ex Concilio Trid. notiſſimum eſt: (*ſeſſ.* 23, *cap.* 2) ergo &c.

R. 1. Retorqueo argumentum: ſi presbyteratus & diaconatus, veri nominis, ſe ipſis ac diviſim Sacramenta forent, plura eſſent Sacramenta quam ſeptem: atqui Eccleſia ſeptem tantum Sacramenta admittit: *ſi quis dixerit*, ait S. Synodus Trid. (*ſeſſ.* 7, *de Sacr. in gener. can.* 1) *Sacramenta novæ legis* ..... *eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet baptiſmum, confirmationem &c.* ..... *anathema ſit*: ergo ne Sacramentorum numerus contra regulam fidei augeatur, de diaconatu & presbyteratu dici non debet, quod diviſim & formaliter Sacramenta ſint: manifeſtum itaque eſt, hoc argumento, ſi quid probet, premi adverſarios ipſos, eoque magis, quod communiter docent, non presbyteratum tantum & diaconatum, ſed etiam ſubdiaconatum & quatuor minores ordines, totidem diviſive eſſe Sacramenta: quæ ſententia eo adigit, ut legis Evangelicæ 13 Sacramenta recenſeantur.

R. 2. Diſt. maj. ſi Epiſcopatus diviſim ac formaliter eſſet Sacramentum, plures eſſent quam ſeptem ordines, *ſpecifici & partiales*, conc. *adæquati & generici*, n. maj. & conceſſa eodem ſenſu min. n. conſeq.

E. R. Tametſi ſeptem tantum eſſe Sacramenta, Eccleſia definierit; cum eo tamen ſtat, diaconatum & presbyteratum diviſim ac formaliter eſſe Sacramenta; quia ſub uno ordinis genere continentur: quidni pariter etiam ſi Epiſcopatus ſit ordo, conſtare affirmabitur ſeptenarius ordinum numerus? ex Epiſcopatu enim & presbyteratu, unum ſacerdotii genus, tamquam ex multiplici ſpecie coaleſcit; ita ut presbyteratus, ſecundi ordinis ſacerdotium ſit, in Epiſcopatu vero, primus ſacerdotii gradus, ejusque culmen ac perfectio reperiatur.

R. 3. Conceſſa maj. n. min. ut enim hujus lib. parte 1, qu. 2, cap. 1, obſervavimus, Concilium Trid. decreto ſuo ſeptem ordines vindicavit, quos ab antiquo in Latina Eccleſia celebrari ſolitos, hæretici impugnabant & deridebant: an autem ſeptem tantum, pluresve ſint numerandi? quæſtionem hanc intactam reliquit, nec moleſte tulit theologorum diſputationibus, diverſiſque ſententiis ventilari: immo Epiſcopatum diviſim ac formaliter, verum Sacramentum,

Digitized by Google

tum, verumque ordinem esse, non obscure insinuavit, definiens, (*sess.* 23, *cap.* 4) *in Sacramento ordinis, sicut & in baptismo, & confirmatione, characterem imprimi, qui neç deleri, nec auferri potest; adeoque eos qui semel rite ordinati sunt, iterum laicos effici non posse: eamque ordinationem fundamentum esse Hierarchiæ Ecclesiasticæ, ad quam præcipue pertinent Episcopi, qui in Apostolorum locum successerunt.*

Inde enim sic argumentum instauratur:

Qui Hierarchiam Ecclesiasticam ab illa ordinatione, velut a fonte ac radice repetunt, quam esse Sacramentum pronuntiant, sentiant oportet, eos vero Sacramento donari, qui ordinatione sua præcipuum in sacra Hierarchia locum tenent; atqui Patres Trid. Hierarchiam velut a radice repetunt, ab ordinatione, quam verum esse Sacramentum affirmant: qui ergo posset intelligi, eos veri Sacramenti naturam Episcopatui denegare, cui in Hierarchia præcipuum locum assignant?

Inst. 1. Atqui Episcopatus non est ordo, neque Sacramentum specifice differens a presbyteratu: ergo &c.

Prob. subs. divisio & distinctio ordinum, ex diverso ad Eucharistiam respectu est æstimanda: atqui Episcopatus ad Eucharistiam peculiari relatione non ordinatur: eodem quippe modo ad Episcopum & presbyterum ejus consecratio pertinet: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. ut enim Episcopatus ad Eucharistiam peculiariter referatur, satis est ut erga eam aliquid Episcopus possit, quod excedat facultatem presbyteri; atqui erga divinam Eucharistiam, potestatem aliquam habet Episcopus, quam simplex presbyter non habet: ad illum namque pertinet, consecrare sacerdotes, eisque ad sacrificium offerendum & conficiendam Eucharistiam, characterem & potestatem ordinis conferre, quod non possunt presbyteri simplices: ergo &c.

Inst. 2. Si Episcopatus verus in se ordo, & proprium Sacramentum est, simplici ergo presbyteratu, interna quadam perfectione præcellit; atqui absurdum est fingere, aliquem esse ordinem presbyteratu nobiliorem: quid enim majus aut præclarius valet excogitari facultate quam habet sacerdos Corpus Christi & Sanguinem consecrandi? ergo &c.

R. Dist. maj. si Episcopatus est verus ordo, debet simplici presbyteratu interna quadam affectione præcellere, *qua ex parte sacerdotio ipso superior est jure divino*, conc. *qua ex parte cum sacerdotio convenit, eique æquatur*, n. maj. similiter dist. min. absurdum est fingere aliquem esse ordinem presbyteratu excellentiorem, *quantum ad potestatem consecrandi corporis & Sanguinis Christi*, conc. *quantum ad potestatem ministros Ecclesiæ, ipsosque presbyteros ordinandi*, n. min. & conseq.

E. R. Quidquid habet presbyter, sine controversia Episcopus habet: quod vero presbyter excellentissimum possidet, potestas haud dubie est, offerendi Corporis & Sanguinis Christi: cum ergo ex hac parte æquipàretur Episcopatui sacerdotium; eo utique sensu verum est dicere, Episcopatum non esse presbyteratu excellentiorem: sed non vice versa ordinatione sua presbyter habet, quidquid Episcopus habet: caret enim facultate patres Ecclesiæ propagandi, & alia quædam munia exercendi, quæ soli Episcopo jure divino conveniunt: ea ergo ex parte Episcopatus presbyteratu præcellit.

Inst. 3. Si Episcopatus esset ordo diversus a presbyteratu, posset sine illo consistere; atqui nemo potest esse Episcopus, qui non ante presbyter sit: ergo &c.

R. Nego maj. quando enim unum necessario alterum includit, aut præsupponit, non potest sine ipso consistere, quantumlibet aliunde intelligatur discrepare ab altero: sic homo ab animali plurimum differt, & tamen homo esse non potest, quin simul sit animal; atqui Episcopatus, Deo ita volente, sacerdotium necessario includit & præsupponit: est enim culmen & plenitudo sacerdotii: porro quomodo plenitudo sacerdotii erit, si non sit sacerdotium? quemadmodum igitur non potest esse fastigium domus sine fundamento; licet aliunde fastigium & fundamentum domus realiter differant: ita nequit Episcopatus, quantumvis a presbyteratu diversus, sine ipso ex Dei præscripto consistere.

Inst. 4. Probando maj. quando duo a se invicem distinguuntur, possunt seorsim consistere: ergo si Episcopatus esset ordo a presbyteratu diversus, ita posset esse sine presbyteratu Episcopus, quomodo sine Episcopatu esse presbyter.

R. Dist. ant. quando duo invicem distinguuntur, *nullamque habent subordinationem, ita ut unum necessario alterum non includat*, possunt sine se invicem esse, conc. *secus*, n. ant. & conseq.

E. D. Sic inter se differunt Episcopatus & presbyteratus, quomodo numerus binarius & ternarius; atqui licet ternarius essentialiter a binario distinguatur; non potest tamen sine illo consistere, quia necessario illum includit & præsupponit: ergo a pari licet Episcopatus a presbyteratu, natura diversus sit, sine illo tamen esse non potest.

Inst. 5. Ubicumque verus ordo est, distinctus ab aliis, debet novus esse character, maxime si ve-

si veri Sacramenti rationem habere dicatur ; atqui Episcopatus non importat proprium characterem : ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. hoc enim ritu credit Ecclesia verum characterem infigi, quem non secus ac presbyterorum ac diaconorum ordinationem prohibet iterari ; atqui ordinationem Episcopi semel rite factam, stricte prohibet Ecclesia iterari ; cujus functionis ex sacris canonibus sexcenta possent, si res postularet, argumenta proferri : credit ergo Ecclesia Episcopatui annecti proprium characterem, diversum a quolibet alio.

Inst. 6. Probando min. per Episcopatum nihil aliud tribuitur, præter extensionem characteris sacerdotalis : ergo proprium characterem non habet.

R. 1. Nego ant. si enim in re tam gravi ac seria cavillari pueriliter liceat ; dicturi pariter sumus, nihil quidquam ordinatione sua conferri presbytero, præter characteris diaconatus extensionem, qua nimirum fiat, ut qui antehac panem & vinum sacerdoti consecraturo offerre tantum poterat, valeat deinceps Deo ipsi per veram consecrationem & mysticam immolationem offerre : adeoque veri Sacramenti rationem soli diaconatui convenire, & ab illa presbyteratum excludi : quod si in ea sententia fuerimus, quam vulgo tuentur scholastici, subdiaconatui scilicet, ipsisque minoribus ordinibus divisive & formaliter naturam Sacramenti convenire ; pari argumento ea opinio corruet : dicere namque aliquis poterit, characterem Sacramentalem in solo Ostiariatu infigi, eique soli rationem Sacramenti proprie convenire : nam, inquiet, quando ab Ostiariatu ad lectoratum, & alios deinceps gradus Ecclesiasticos promotio fit, non novo charactere est opus, sed sola characteris in ostiario præexistentis extensione : adeoque fatendum erit, quod nobilissimum in ordine est, Sacramenti videlicet Evangelici dignitatem, in solo infimo gradu, non in majoribus, proprie reperiri : quod absurdissimum quidem est, sed sequitur tamen ex argumento proposito.

R. 2. Dist. ant. per Episcopatum nihil aliud tribuitur, præter extensionem characteris sacerdotalis, *& extensio illa novus ipsa character est, a sacerdotali charactere diversus*, conc. *secus*, n. ant. & conseq.

E. D. Quemadmodum Episcopatus presbyteratum necessario includit & præsupponit ; pari necessitate characterem sacerdotalem præxigit, adeoque potest vero quodam sensu characteris Episcopi characteris presbyteri extensio dici, verum extensio hæc cum specialem Episcopo afferat potestatem, qua a presbytero revera distinguitur, eoque, jure divino, superior est ; sine novi characteris incremento fieri nequit : nam Episcopus ordine suo & charactere aliquid potest, quod non potest presbyter : character ergo unus differt ab altero.

Inst. Ultimo : contratria est hæc doctrina S. Thomæ : ergo non debet admitti.

R. Cum doctissimo juxtaque piissimo *Contensonio*, nego ant. *quamvis enim*, inquit, *Sanctus Thomas in 4 sentent. docuerit, Episcopatum non esse ordinem ; senior tamen factus sententiam mutavit ; nam in opusculo de perfectione vitæ spiritualis, c. 24, sic loquitur : quod vero 4 proponitur, quod Episcopatus non est ordo, hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur : expresse enim dicit Dionysius, esse tres ordines Ecclesiasticæ Hierarchiæ, scilicet Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum ... habet enim ordinem Episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, super quam, principalem accipit curam, & quasi regalem : sed quantum ad Corpus Christi verum, quod in Sacramento continetur, non habet ordinem supra presbyterum : quod autem habeat aliquem ordinem, & non jurisdictionem solam, sicut Archidiaconus vel curatus presbyter, patet ex hoc quod Episcopus potest multa facere, quæ non potest committere presbytero : sicut confirmare, ordinare, & consecrare basilicas, & hujusmodi : quæ vero jurisdictionis sunt, potest aliis committere : idem etiam patet ex hoc quod si Episcopus restituatur, non iterum consecratur, propter potestatem ordinis remanentem, sicut & in aliis contingit ordinibus ....* Ita S. Thomas, cujus verba ponderanti manifesto apparebit, doctorem Angelicum eo loci, quam prius, commentando libros sententiarum, opinionem tenuerat, revocare, & Episcopatum pro vero ordine ac Sacramento habere (1).

VIII

Materia Episcopatus in sola manuum impositione consistit.

In eo namque ritu materia Episcopatus posita est, quem solum præscribit scripturæ & traditionis auctoritas ; atqui sola manuum impositio in Episcopi ordinatione scripturæ & traditionis auctoritate præscribitur.

1. Enim

(1) *Hæc de re legendum omnino est* Cap. 4, Dissert. 26, *V. Cl. P. Bernardi Mariæ de Rubeis, ubi Sancti Thomæ mentem clarissime exponit, ac ejus Sententiam eruditissime vindicat.*

Digitized by Google

1. Enim ejus dumtaxat meminit S. Paulus in locis sæpe laudatis.

2. Non aliter a Græcis & Latinis olim Episcoporum consecratio, quam χειροτονία, sive manuum impositio vocabatur: in hoc ergo ritu totam ordinationis materiam contineri, communis doctrina erat.

3. Patres, qui ad 8 usque sæculum floruerunt, ordinis Episcopalis collationem sola manuum impositione fieri debere supponunt: sic præter cæteros Cornelius sæculo 3 Pontifex Max. in Ep. ad Fabium Antiochenum sæpe laudata, loquens de Antipapa Novatiano, qui a nonnullis Episcopis ordinationem fraudulenter extorserat: *eos*, inquit, *adumbrata quadam & inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere vi coegit*: ergo &c.

4. Nisi manuum impositio essentialis Episcopatus materia sit; superest, ut vel in impositione libri Evangeliorum super caput ordinandi; vel in manuum & capitis unctione consistere affirmetur; atqui neutrum dici potest.

Non primum: antequam enim scriptus foret Evangeliorum liber, veros Episcopos Apostoli ordinarunt: *deinde*, etiam postquam scriptum fuit Evangelium, longum tempus effluxit, priusquam hic ritus in ordinatione Episcoporum observaretur: de eo enim primis sæculis in Ecclesiasticis monumentis, nec verbum occurrit: de eo pariter 7 ipso sæculo, in Isidoro Hispalensi altum silentium est; licet ordinationis Episcopalis ritus omnes minutim, summaque diligentia explicet, l. 2 de divinis officiis, c. 5: ejus equidem meminit Alcuinus in libro de divinis officiis, sed novam esse & antiquis incognitam cæremoniam admonet: *illud vero*, inquit, *quod duo Episcopi tenent codicem Evangeliorum super caput, & uno fundente super eum benedictionem, reliqui qui adsunt Episcopi, manibus ejus super caput ejus tangunt, non reperitur in auctoritate veteri, neque nova*; *sed neque in Romana traditione*.

Nec secundum dici potest: nam quod est Episcopatui conferendo essentiale, ubicumque verus est Episcopatus servari debet; atqui verus sine capitis & manuum unctione Episcopatus consistit.

1. Enim Græci ritum hunc numquam usurparunt, cum nullum ejus vel in Græcis scriptoribus, vel in Euchologiis vestigium sit. Tantum porro abest, ut Apostolica sedes hujusmodi ordinationes absque unctione peractas veluti nullas irritasque repudiaverit; quin potius Romani Pontifices jusserunt, ut hac in re a consueto ordinandi more Græci non desciscerent, & novissime Benedictus XIV in sua Constitutione *Etsi Pastoralis* §. VII, decernit, ut *Episcopi Græci in Ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio descriptum servent*.

2. Apud Latinos equidem antiquissima Episcoporum unctio est; cum ejus meminerint S. Leo, & S. Gregorius M. Pontifices Max. ubique tamen primitus non obtinuisse certum videtur, tum ex Concilio IV Carthag. de ea penitus silente, tum ex conciliis, ante sæculum 7 in Hispania celebratis, in quibus similiter nulla occurrit hujus cæremoniæ mentio: ergo materia essentialis Episcopatus, neque in impositione libri Evangeliorum, nec in unctione reponi debet: unde superest ut in manuum impositione collocetur, cæteræque memoratæ cæremoniæ sint ritus ab Ecclesia successive inducti ad essentiam minime pertinentes, ad ampliorem officii, ac debiti Pastoralis explicationem. Nam impositio libri Evangeliorum super caput, collumque ordinati designat Evangelicum jugum ab Episcopo speciali quadam ratione in sui aliorumque profectum deferendum, ejusque observantiam promovendam, ut ex Græcorum Euchologiis constat. Unctio capitis significat tum nitorem conscientiæ quoad Deum, tum odorem bonæ famæ quoad proximum. Vel, quemadmodum animadvertit Innocentius III, *Extra*, *de Sacra unctione Cap.* 1, hoc unguento caput, & manus Episcopi consecrantur: quia per caput mens intelligitur, quæ charitate fervida sit, oportet: per manus autem Opera bona, quibus abundare præ cæteris debet. *Manus*, inquit, *inunguntur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei: caput autem ungitur balsamo charitatis, ut Episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente sua, & ex proximum suum sicut se ipsum. Caput inungitur propter auctoritatem, & dignitatem. & manus propter ministerium, & officium: caput enim ungitur, ut ostendatur illis repræsentare personam, de qua dicitur per Prophetam*: Sicut unguentum in capite ejus... Caput enim viri Christus... *Manus Episcopi inunguntur, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi, & consecrandi*, Hæc Sum. Pontifex. Denique per traditionem baculi Pastoralis explicatur potestas regendi: corrigendi &c. & traditione Annuli fides, quam Ecclesiæ oppignorat, cui velut sponsus datus est.

Ex eodem tamen Innocentio III adversus positionem nostram objicies. Eodem quippe loco scribit: *cum venisset ad Apostolicam sedem Bracarensis Episcopus, qui in consecratione sua sanctam non acceperat unctionem, quoniam apud vos non consueverunt Pontifices, cum consecrantur, inungi, nos, quod illi defuerat,* man-

Digitized by Google

mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus, & manus per Albanum Episcopum, assistentibus & duobus Episcopis secundum morem Ecclesiasticum sacro Chrismate deliniri. Ex quibus videtur Innocentium in ea sententia fuisse, quod Sacra unctio ad consecrationis substantiam pertineret.

℟. Ex laudato textu nihil colligi posse, quod propositioni nostræ adversetur. Siquidem Innocentius non mandavit Bracarensem Episcopum denuo ordinari: quod plane fecisset, si Sacram Unctionem materiam essentialem existimasset: sed duntaxat in eo suppleri voluit, quod defuerat: atque adeo censuit ordinationem Episcopi validam quidem fuisse, quamquam absque Sacra Unctione peractam sola manuum impositione: Eam tamen supplendam credidit ad consecrationis integritatem. Id vel ex eo maxime constat, quod Pontifex non solum supplendam mandaverit unctionem capitis, sed etiam manuum: quam tamen meram accidentariam, non essentialem cæremoniam esse ultro adversarii fatentur.

IX

Forma Episcopatus oratio est, per quam ab Episcopo consecrante, dum ordinando manus imponit, gratia Sancti Spiritus invocatur.

1. Enim solam orationem scriptura divina præscribit: quemadmodum enim de primis diaconis dictum est: (*Act.* 6, 6.) *hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*: sic de ordinatione Pauli & Barnabæ legimus: (*ib.* 13, 3.) *tunc orantes & jejunantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.*

2. Hæc vera est & essentialis conferendi Episcopatus forma, quæ omnium Ecclesiarum consensione semper fuit celebrata in Episcoporum ordinatiouibus; atqui manuum impositioni orationem adjungere, per quam invocatur in Episcopum ordinandum gratia Spiritus Sancti, semper & ubique solemne fuit, ut constat ex omnibus Græcorum Euchologiis, & Ritualibus Latinorum: ergo &c.

¶ Huic assertioni favet Trid. Synodus sess. 2, Can. 4, ubi sub anathemate damnat, qui dixerit: *per sacram ordinationem non dari Sp. Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere*: accipe Sp. Sanctum. Decernit itaque Concilium, dum ea verba proferuntur, vere communicari Sp. Sanctum. Proferuntur autem manus imponente Episcopo. Igitur ea verba in manuum impositione prolata, forma dicenda sunt.

Favet etiam S. Aug. l. 5, de bapt. cont. Donat. c. 20, ubi Donatistas redarguens, qui per malos Ministros gratiam conferri posse abnuebant, ait: *si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio: Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Quod etiam confirmat loquens *de gestis cum Emerito*, inquiens: *invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati.* Porro alia non est invocatio Dei super caput ordinandi præter illam, *accipe Sp. Sanctum*: quæ in manuum impositione profertur: in ea siquidem gratia confertur.

X

Quis Episcopatus minister?

Ponitur tamquam certum, Episcopatus conferendi potestatem ita solis Episcopis convenire, ut ad simplices presbyteros transferri nulla dispensatione possit: nam si non potest simplex sacerdos, etiam extra ordinem, diaconatum & presbyteratum conferre, quod est alibi demonstratum; idem multo magis de Episcopatu dici debet, in quo culmen est, & supremus sacerdotii gradus: hoc unum itaque quærimus in præsenti, utrum ab uno aut a pluribus necessario Episcopis debeat ordinatio fieri.

Equidem antiquissimo Ecclesiæ decreto cautum est, ad Episcopi consecrationem tres ad minus Episcopos asciscendos: *maxime conveniens est*, ajunt Nicæni 1 Concilii Patres, (*can.* 4.) *ut Episcopus ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinetur: si autem hoc difficile fuerit, vel propter instantem necessitatem, vel propter itineris longitudinem; tribus tamen in idipsum convenientibus, & absentibus per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur* ... idem canone 1 Apostolico sancitum his verbis: *Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur* ... & in *Concilio* Arelatensi 1: (*anno* 314.) can. 2, *de his qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis: si tamen non potuerint septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare.* Plura adderem si res postularet, & aliquid dubietatis haberet: verum in causa notissima argumenta congerere, & inutile & tædiosum putamus: verbo dicam, consuetudinem hanc

tam

tam altis medio tertio sæculo fuisse radicibus solidatam, ut ab illa recedere ne ipsi quidem auderent hæretici & schismatici, ut ex Novatiani exemplo compertum est, qui tres Romam accersiit Episcopos, a quibus crapula oppressis fictitiam manuum impositionem accepit: sæculo deinceps quarto eo magis hæc disciplina invaluit, quo robustiore Nicænorum Patrum auctoritate fundata, pro inviolabili lege habita est: *vetus statutum obtinuit*, inquit Theodoretus, (*Hist. Eccl. lib.* 5, *c.* 9.) *sanctorumque patrum in Nicæno Concilio definitio, ut in unaquaque provincia, illius provinciæ Episcopi, una cum finitimis, si ipsis ita visum fuerit, ordinationes faciant* .... (*Ib. c.* 23.) *canones, cunctos provinciæ jubent convocari Episcopos, ordinarique vetant ullum, nisi tribus præsentibus Episcopis.*

Sed non inde consequens est, hunc Episcoporum assistentium numerum, in ordinatione Episcopi, necessitate Sacramenti requiri; ita ut ordinatio ab uno solo facta, non illicita tantum, sed & invalida dicenda foret: quæ enim velut ad substantiam Sacramenti pertinentia, in scripturis divinis præscripta non legimus, nec aliter quam velut ad disciplinam spectantia scimus a majoribus constituta, tanti pretii, tantæque necessitatis non sunt, ut eorum infractione Sacramentum ipsum irritandum & pro nullo habendum putare debeamus; atqui quod ad unius ordinationem Episcopi, plures debeant Episcopi convenire, non divina sanctio est, in scripturis diserte expressa, nec a majoribus est statutum velut ad Sacramenti substantiam pertinens, sed tamquam regula disciplinæ, ne nimirum fraudulenter & absque consensu Ecclesiæ, aliqui in Episcopatum irreperent: ergo &c.

Deinde: si tres Episcopi ad unum consecrandum, forent necessitate Sacramenti necessarii, ordinatio a paucioribus facta, rata haberi non posset; atqui in contrarium afferuntur exempla eorum, quos constat a paucioribus Episcopis, probante Ecclesia, ordinatos.

1. Enim verisimile non est, Apostolos qui ubicumque verbum Dei disseminabant, Episcopos consueverant ordinare, semper duos sibi Episcopos ad sacram cæremoniam adjunxisse: pauci namque in his Ecclesiæ nascentis primordiis ministri erant, nec facile in unum locum tres convenire ad manus imponendas potuissent.

2. Refertur in historia Ecclesiastica, *Clementem* a S. Petro, *Anianum* a S Marco, illum quidem Romæ, istum Alexandriæ Episcopos consecratos.

3. Theodoretus hoc ipso in loco ubi laudat canones, quibus vetatur ne ordinatio Episcopi, nisi tribus præsentibus Episcopis fiat, (*Hist. lib.* 5, *cap.* 23.) observat Evagrium 4 sæculo, fuisse a solo Paulino Antiochenum Episcopum consecratum.

4. S. Gregorius M. Augustino Anglorum Apostolo licentiam fecit, ut solus ipse Episcopos in Anglia ordinaret: ab eo enim interrogatus, quot necessarii essent Episcopi in unius consecratione? his verbis respondit: *ut quidem in Anglorum Ecclesia adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum, non aliter nisi sine Episcopis potes.*

5. Hoc ipsum insinuant canones Apostolici, qui non adeo trium Episcoporum ministerium in unius ordinatione requirunt, quin a paucioribus fieri posse significent: *Episcopus*, inquiunt, *a duobus, vel tribus Episcopis ordinetur.*

6. Etsi tres pluresve Episcopi ad Episcopum consecrandum canonibus requirantur; in antiquis tamen ritualibus, e tribus unus dicitur *consecrator*, reliqui *assistentes* vocantur: intelligit ergo Ecclesia ad ordinationis substantiam sufficere unum.

7. Denique huc facit comparatio Episcopatus cum cæteris Hierarchicis ordinibus, aliisque Sacramentis: nam ad diaconum, ipsumque presbyterum consecrandum unus Episcopus sufficit, similiter Sacramentum quodlibet, valide ab uno ministro confertur: quidni ergo de Episcopatu pariter sentiremus?

XI

Episcopus a quibus, & quatenus eligendus?

De electione Episcoporum a quibus & qua ratione fieri debeat, gravissima summique momenti quæstio est, quæ quoniam ad juris canonici peritos, magis quam ad Theologos pertinet, non aliter a nobis est attingenda, nisi quantum necessarium fuerit, ad recentiorum hæreticorum malitiam ac temeritatem redarguendam: illi enim non cleri tantum, sed & plebis ipsius suffragia, jure divino ad Episcoporum aliorumque ministrorum electionem sic præ requiri finxerunt, ut aliter facta ordinatio nulla & irrita foret: in quam quidem opinionem non vera persuasione, sed prava adulatione adducti sunt, quo facilius in partes suas plebem ineruditam, & in perniciem pertraherent: *hunc ritum*, *inquit Lutherus*, (*in lib. de potestate Papæ*) *per multas Epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, & judicium propinquorum Episcoporum ita allegans, ut hunc ex Deo ordinationem esse, cum fiducia pronunciet* ... *nec referre est necesse, quanto felicius hodie is ritus divinus servaretur*,

tur, præsertim tot sacerdotibus malis regnantibus, & invito populo impositis . . . . cui Calvinus consentiens: *habemus*, inquit, (*insit. lib.* 4, *c.* 3) *esse hanc legitimam, ex verbo Dei, ministri vocationem, ubi ex populi consensu & approbatione creantur, qui visi fuerint idonei: præesse autem electioni debere alios pastores: ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel tumultum a multitudine peccetur.*

Equidem in ministrorum, maxime vero Episcoporum electione, cleri ipsiusque populi suffragium postulandum & expectandum, antiqua disciplina sancitum erat: æquum enim majoribus videbatur, ut ab omnibus eligeretur, qui omibus erat præponendus: fatentur catholici illius moris qui ad duodecimum usque sæculum viguit, ab Apostulis ipsis exemplum datum: nam ut actuum primo capite legitur, (*Act.* 1, 15, *& seqq.*) exurgens Petrus in medio fratrum, (numero fere centum viginti) unum, in locum Judæ proditoris votis communibus eligendum edixit, qui Episcopatum ejus acciperet, & Christi resurrectionis testis fieret: cumque duos statuissent, Joseph & Mathiam, uter alteri esset præponendus, ductis sortibus voluntati Domini dimiserunt: pariter actuum sexto, non nisi communibus suffragiis, Stephanus & cæteri diaconi sunt electi: *convocantes & duodecim*, ait textus sacer, (*Act.* 6, 2, *& seqq.*) *multitudinem discipulorum dixerunt: non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Sp. Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus . . . & placuit sermo coram multitudine, & elegerunt Stephanum &c. . . . hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus* . . . . quod ab Apostolis factum, ad annum, ut prædixi, ducentesimum supra millesimum, imitandum Ecclesia censuit, sæpeque sancitis decretis firmavit.

Plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, ait S. Cyprianus, (*ep.* 68) *a peccatore præposito separare se debet . . . cum ipsa maxime habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi quod & ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur . . . propter quod diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione, servandum est & tenendum: quod apud nos quoque, & fere universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ, proximi quippe, conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente.*

Pari sensu S. Leo Pontifex Max. *cum* inquit, (*ep.* 84, *cap.* 5) *de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consensus concorditer postulaverit . . . Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex prebyteris ejusdem Ecclesiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur.*

Concilium Aurelianense III, can. 3, *Metropolitanus*, inquit, *a comprovincialibus Episcopis, sicut decreta sedis Apostolicæ continent, cum consensu cleri, vel (&) civium eligatur; quia æquum est, sicut ipsa sedes Apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur: de comprovincialibus vero ordinandis, cum consensu metropolitani, cleri, & civium, juxta priorum canonum statuta, electio & voluntas requiratur.*

Concilium IV Toletanum, can. 18, *nec ille deinceps sacerdos erit*, inquit, *quem nec clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas metropolitani, vel comprovincialium sacerdotum assensio exquisivit.*

Sexcenti in hanc rem canones, & exempla innumera, si res postularet, afferri possent, quin & antiqui moris in hodiernis Pontificalibus haud leve est vestigium, ubi, non ante ordinandos ministros præscribitur, quam fuerint ab Archidiacono, nomine Ecclesiæ, consecratori Episcopo præsentati. *Reverendissime Pater*, inquit, *postulat S. Mater Ecclesia, ut hos præsentes subdiaconos ad onus diaconii ordinetis*: idemque erga presbyteros & Episcopos ordinandos servatur: hæc enim postulatio nomine Ecclesiæ facta, præhabitæ consultationis atque electionis velut testificatio est.

Verum cum aliud disciplina, aliud jus divinum sit; aliud exemplum, & aliud regula, ex eo quod fuerit aliquid ab Apostolis factitatum, & communi plurium ætatum observatione retentum, non propterea sequitur, ad divinam legem sic pertinere, ut aliter facta ordinatio, pro irrita & nulla habenda sit: cujus veritatis plurima, eaque convincentia argumenta sunt.

1. Enim, si jure divino, in Episcoporum, cæterorumque ministrorum electionibus, plebs ipsa deberet ferre suffragium; ejus alicubi scriptura sacra meminisset; atqui legis hujusmodi nec minima in toto Christi testamento, aut Epistolis Apostolicis memoria reperitur: edant enim, si potis est, Lutherani & Calvinistæ, aliquem ex Evangelio locum, unde constet,

quo-

Digitized by Google

quoties ministri alicujus sacri erit electio facienda, necessaria, sub nullitatis pœna esse, civium & infimæ plebeculæ vota: evolvant revolvantque integros novi Testamenti libros, homines suo judicio sapientes, qui pro commento humano habent, quidquid sacris litteris expresse commendatum non fuerit; legemque proferant auctore Spiritu Sancto dictatam, qua cautum sit, neminem Episcopum, Presbyterum, Diaconum nisi populi votis eligi valide posse.

2. At, inquiunt, Apostoli quando de ministris eligendis quæstio fuit, Ecclesiam universam ad deliberationem, & delectum faciendum vocarunt: bene est. Sed numquid pro sanctione & jure divino habendum putant, quidquid est ab Apostolis observatum? hoc si ita est, dicant pariter, abstinentiam ab immolatis simulacrorum, suffocato, & sanguine, divino jure esse præscriptam, quia ita Apostolico decreto sancitum est: (*Act.* 15, 28) alia item multa zelo quo exæstuant Apostolico revocent, quæ constat ab Apostolis sub initium Ecclesiæ facta, deinceps in desuetudinem abiisse: quod si non audent, utpote absurdissimum, affirmare, discant in iis quæ ad disciplinam spectant, non debere jus cum exemplis confundi, neque id omne pro lege immutabili & æterna habendum, quod aliquando legitur factum.

3. Quid quod ne id quidem quod aliquando fecisse leguntur Apostoli, in ministrorum electionibus semper observarunt. Nam præterquam quod Mathiæ in locum Judæ subrogatio, proprie loquendo, non Ecclesiæ, sed Dei solius electio fuit, prout legitur in Actis: (*Act.* 1, 24) numquid Paulus & Barnabas a plebe electi sunt, de quibus in eodem libro habetur: (*Act.* 13, 2) *segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos?* numquid quando Apostolus discipulo suo his verbis scripsit: (*Tit.* 1, 5) *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi*: consilium ei aut præceptum dedit, non ante ad Episcopi consecrationem progrediendi, quam populi electio præcessisset? numquid S. Petrus *Evodium* Antiochenum Episcopum, & S. Marcus *Anianum* Patriarcham Alexandrinum, accito prius populi & Magistratus consilio constituisse leguntur; cum e contrario ex antiquis monumentis certum sit, eos, sicut & Jacobum Hierosolymis suprema Apostolorum potestate, neque expectato plebis suffragio consecratos? numquid enim vero Apostoli orbem universum peragrando, & ubique gentium Episcopos sui vicarios statuendo, poterant aut debebant in sacris electionibus Gentilium vota requirere? quod itaque aliquando populum ad commune consilium advocarint, exemplum quidem disciplinæ fuit: regula necessitatis & mandati divini non fuit. Id quod S. Joannes Chrysost. luculentissimis verbis declarat, quando hæc Actuum verba explicans: *considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, quos constituamus super hoc opus*: inquit, (*hom.* 3 *in Act.*) *an non licebat ipsi Petro eligere? licebat, & quidem maxime; verum id non fecit, ne cui videretur gratificari*.

4. Si a majoribus nostris creditum esset, clericorum inferiorum, ipsiusque plebis suffragia, ad Episcoporum aliorumque ministrorum electionem jure divino requiri, numquam ab hac regula recessissent; nemini namque impune licet jus divinum infringere; atqui regula hæc primis sæculis nec semper, nec ubique servata fuit. Nam

1. S. ipse Cyprianus, quem totum suum jactitant Lutherani, morem quem prædicat, plebem ab faciendas electionem vocandi, non dicit ubique, sed fere ubique servari. *Apud nos*, inquit, (*Epist.* 68) *& fere Provincias universas tenetur . . . ut Episcopus deligatur plebe præsente . . . .* ergo in aliquibus saltem Provinciis Episcopi inexpectato plebis suffragio creabantur.

2. Ex historia Ecclesiastica constat plerosque fuisse inaudito populo consecratos. Sic S. Athanasius, ut Rufinus narrat, (*hist. lib.* 10, *cap.* 9) *Frumentium* Indorum Episcopum, insciis, & ne per somnium quidem Indis cogitantibus consecravit: refert Eusebius, aliquando a vicinioribus Episcopis, novos viduatis Ecclesiis Episcopos inconsulta plebe præfectos; sic de *Narcisso* quodam sermonem habens, qui fugam clanculum arripuerat: *post Narcissi fugam*, inquit, (*hist. lib.* 6, *c.* 10) *ignaris omnibus ubinam gentium ageret, visum est finitimarum gentium Episcopis, alium ejus loco Episcopum ordinare*, Dium *nomine*. S. Gregorius M. ut prædiximus, Augustinum Anglorum Episcopum ipseque Augustinus plerosque per hanc insulam, plebium inexpectato judicio, Episcopos ordinavit.

3. Quod observatu dignissimum est, ab electionibus plebs aliquando repellebatur, nedum ejus expeterentur suffragia; sic Concilium Laodicenum, Can. 13, *non est permittendum turbis*, inquit, *electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi*... & Concilium Romanum sub S. Martino Pontifice Max. habitum, can. 1, „ Non licet, *inquit*, electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promoventur; „ sed in judicio Episcoporum sit, ut ipsi eum „ probent . . . " non ergo hoc tempore puta-

batur, jure divino electionem irritam fore, cui populus non interfuisset.

4. Ideo antiquitus populorum præsentia in electionibus requirebatur, non ut ipsi judicarent, utri essent eligendi ac cæteris præponendi, sed ut de eorum probitate ac morum sanctitate testimonium ferrent. „ Coram omni „ Synagoga, *inquit*, (*Ep.* 68) jubet Deus con„ stitui Sacerdotem, id est, instruit & osten„ dit, ordinationes sacerdotales, non nisi sub „ populi assistentis conscientia fieri oportere, „ ut plebe præsente, vel detegantur malorum „ crimina, vel bonorum merita prædicentur; „ & sit ordinatio justa & legitima, quæ om„ nium suffragio & judicio fuerit examina„ ta . . . Episcopus deligatur plebe præsente, „ quæ singulorum vitam plenissime novit, & „ uniuscujusque actum de ejus conversatione „ prospexit. " Non ergo ita putabatur populi præsentia necessaria, quin aliter posset Episcopus eligi; puta, quando sic erat alicujus sanctitas manifesta, & longo experimento probata, ut novo testimonio non egeret; vel quando populum sanctitas ipsa eligendi, quantumvis aliunde certa, latebat; vel quando commotiones, & plebium turbulentæ factiones excitandæ prævidebantur.

5. Denique, non est ea sententia admittenda, quæ plebem infimam, omnesque sine discrimine laicos ad supremum Ecclesiæ regimen erigit; quodque perniciosius est, jus ipsum divinum ad sui defensionem proterve obtendit; atqui hujusmodi opinio est, hæreticorum obgannientium, sine præeunte suffragio populi, ministrorum sacrorum electionem, jure divino irritam esse. Quid enim hoc aliud est, quam præcipuam regiminis Ecclesiæ partem, quæ in pastorum ac ministrorum electione consistit, ovibus ipsis committere? quod ergo aliquando Ecclesiæ disciplina indultum fuit, in jus divinum velle transferre, tum iniquissimum, tum ineptissimum est.

Atque adeo a primo ad ultimum sequitur, nedum ad fidem pertineat, in ministrorum electionibus populorum suffragia jure divino requiri; fidei e contrario esse, non requiri: ita Concilium Trid. *Docet Sacrosancta synodus*, inquit, (*sess.* 23, *c.* 4) *in ordinatione Episcoporum, sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri; ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos qui tantummodo a populo, aut sæculari potestate ac magistratu vocati, & instituti, ad hæc ministeria exercenda adscendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos habendos esse* . . . (*Ibid. can.* 8) *si quis dixerit, ... ordines, ab ipsis* (*Episcopis*) *collatos, sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, irritos esse . . . anathema sit . . . .* (*ibid. can.* 7) *si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit.*

Nec minore æquitate in Concilio Constant. (*sec.* 15) damnati sunt Wicleffus, & Joannes Hus, qui errore contrario contendebant, nullatenus esse necessarium fieri ab hominibus ministrorum electionem: hoc falso principio nixi; neminem nisi prædestinatum posse in Ecclesia esse pastorem: atqui, inquiebant, qui sint de prædestinatorum numero, soli Deo cognitum est: ergo ad Deum solum omnis ministrorum electio pertinet: ita perversi homines, non advertentes se insano hoc paradoxo, tum Christum ipsum damnare, qui Judam, quem sciebat esse reprobum, & futurum Apostatam, ad Apostolatum vocavit, tum omnem Ecclesiæ disciplinam ac traditionem subvertere, qua docemur neminem unquam sine vocatione, etiam externa, ad sacrum ministerium fuisse assumptum: tum denique cum ratione pugnare, & ipsam funditus extirpare Ecclesiam: cum enim fidelium cætus ex ovibus & pastoribus necessario coalescat, ruere & extirpari necessum est, si pastoribus carere contigerit: porro nescire quis pastor sit, idem est ac pastore carere; quemadmodum enim debet pastor oves suas, ita debent oves pastorem agnoscere: atqui si ad solum Deum pastorum electio pertineret, nulloque deberet signo exterius declarari, jam nemo ab ovibus pro vero pastore haberi posset, quemadmodum enim nemo scire posset, hunc aut illum esse prædestinatum, ita scire non posset esse pastorem: atque adeo totum Ecclesiæ ædificium rueret, cui tam impossibile est sine pastoribus stare, quam domum sine fundamento subsistere. Merito ergo a patribus Constantiensibus sessione 8 hæ duæ Wicleffi propositiones confixæ sunt: 1 *Si Papa sit præscitus, & malus, non habet potestatem super fideles.* 2 *Electio Papæ a Cardinalibus per diabolum est introducta*: & sessione 15 *Joannis Hus* aliæ duæ: 1 (*n.* 22) *Papa, vel prælatus malus & præscitus, est æquivoce pastor*: 2 (*n.* 26) *non eo ipso quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso persona est legitime electa.*

Hæc duo itaque pari certitudine sunt tenenda. *Primum*: necessariam esse jure divino ministrorum vocationem externam, quæ quoniam

Digitized by Google

niam miraculo, communiter saltem, non fit, electione, inter homines & ab hominibus ipsis fieri debet. *Secundum*: in ministrorum electione, jure divino plebis suffragia non requiri: sed quibus committi, & qua ratione fieri electio debeat, utrum communibus cleri populique suffragiis, utrum a clero solo? utrum a Pontifice Max. utrum a regibus ac principibus? an per inspirationem? an per scrutinium? an per compromissum? quo scilicet eligendi supremum arbitrium, in unum aut in plures communi omnium consensu transfertur, non ad fidem pertinere, sed ad disciplinam, quæ pro temporum, locorum, circumstantiarum diversitate, immobili fide manente, varia est.

Has vero tam diversas eligendi formas quoniam expendere præsentis non est instituti, reliqua quæ officii nostri sunt prosequemur.

XII

Episcoporum officia ac virtutes.

Episcoporum officia tam late patent, quam exercitium ipsum Christianæ Religionis, cujus omnis pars vera aliqua ratione, ab illis pendet: *Episcopum*, ait liber Pontificalis, *oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.*

1. Oportet Episcopum *judicare*: quod officium latissime patet; in rebus enim ad Religionem spectantibus, judex ordinarius & immediatus, in unaquaque respective diœcesi Episcopus est: ad illum pertinet, emergentes de fide, Ethica Christiana, & disciplina quæstiones decidere: in causis matrimonialibus, ordinum interstitiis, & aliis hujusmodi, quantum quidem permittunt canones ipsi, de severitate canonum aliquid, attentis circumstantiis, relaxare; deinde judex Episcopus est, tum in interiori pœnitentiæ foro, eorum qui voluntario se ipsos accusant; tum in foro exteriori, peccatores publicos arguendo, increpando, & nisi pœnitentiæ jugo colla summiserint, excommunicatione plectendo: quod si erga laicos potest, quanto magis erga clericos, quorum vita debet sanctior esse quam laicorum, quique Episcopis suis longe strictius laicis subditi sunt?

2. Oportet Episcopum *interpretari*, hoc est verbum divinum, qua voce, qua scriptis, si ad consultationem respondendum fuerit, assiduo explicare: hæc verbi Dei scripti & traditi explicatio, prædicatio dicitur, quam sacri Episcoporum ministerii potissimam esse partem, exemplo suo Apostoli declararunt, quando de eligendis diaconis cogitantes, sic fidelem populum sunt affati: *non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*: itaque prædicandi officium, quod ipsi exercuerant, in successores suos Episcopos lege inviolabili, nisi obsit necessitas, transmiserunt; prout catholica semper intellexit Ecclesia, & decretis sæpe iteratis præcepit: *quia Christianæ Reipublicæ*, ait Concilium Trid. (*Sess. 5, de Ref. cap. 2*) *non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quam lectio: & hoc est præcipuum Episcoporum munus: statuit & decernit S. Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum prælatos, teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium: si vero contigerit, Episcopos & alios prædictos, legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii,* (*Lateran. 4, cap. 10*) *viros idoneos assumere teneantur, ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum: si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.* . . (*sess. 24, de Ref. cap. 4*) *prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens sancta Synodus, quo frequentius possit ad salutem fidelium exerceri; canones alias super hoc editos suo felicis record. Paulo III aptius præsentium temporum usui accomodando, mandat ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument; in aliis autem Ecclesiis, per Parochos, sive iis impeditis, per alios . . . . . sacras scripturas, divinamque legem annuncient.*

3. Oportet Episcopum *Consecrare*: quædam enim consecrationes sunt ordini Episcopali annexæ: videlicet Abbatum & Abbatissarum benedictio; consecratio Regum ac Reginarum; Ecclesiarum dedicatio, altarium, calicis & patenæ consecratio; benedictio Sancti Olei &c. quædam vero, etsi earum præcipuam & ordinariam Episcopi habeant potestatem, a simplicibus presbyteris eorum concessione fieri possunt: quales sunt, corporalium, mapparum, vestium Sacerdotalium, imaginum, campanarum, &c. benedictiones.

4. Oportet Episcopum *Ordinare*: quæ ejus præcipua, & secundi ordinis Sacerdotibus incommunicabilis, ut supra ostensum fuit, functio est: inde enim potissimum demonstratur, Episcopos presbyteris simplicibus jure divino præesse: quemadmodum porro ad Episcopum pertinet ordinare; ita ad eum præcipue spectat, dignos sacro ministerio Sacerdotes & clericos inferiores eligere, indignos, nulla habita personarum acceptione arcere, viduatis parochiis pastores, quoad fieri potest, optimos ac vigilantissimos providere; procurare ut per totam late diœcesim Regularis disciplina servetur, ut denique in ordine quique suo contineatur.

5. Epi-

Digitized by Google

5. Episcopum oportet offerre: quæ vox non incruentum tantum corporis & Sanguinis Domini sacrificium, quod pro se & pro fideli populo indesinenter offerre tenetur, cœlum inter & terram velut medius & sequester; sed omnia generaliter sacrificia comprehendit, quæcumque interius possunt supremo numini exhiberi, præsertim vero orationis, & profusæ in pauperes eleemosynæ hostias: quantum quidem ad sacrificium missæ, frequenti ejus celebrationi teneri Episcopos, non dubitabit qui adverterit ad eos præcipue, in persona Apostolorum, verba Christi esse directa: *hoc facite in meam commemorationem*: quid quod & hoc ipsum Pontificis nomen aperte declarat? *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus*, inquit Apostolus, (*hebr.* 5, 1) *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis . . . . . .* quantum vero ad orandi officium, Episcopatui necessario esse annexum, exemplo suo Apostoli demonstrarunt, quando primos diaconos ordinando, precandi & prædicandi sibimet exercitium reservarunt: *Considerate*, inquiunt, (*Act.* 6, 3, & *seqq.*) *viros ex vobis boni testimonii septem . . . . . . quos constituamus super hoc opus: nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus . . . . indeque est quod Beatus Paulus discipulo suo Timotheo, utique Episcopo, multiplicis generis orationes in primis commendat*: obsecro primum omnium, *inquit*, (2 *Timot.* 1) *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate . . . de Eleemosyna porro dicere superfluum fuerit, quando quidem intelligant omnes Episcopum, Dei œconomum esse, quem constituit super familiam suam; adeoque ei pauperum omnium curam sollicitudinemque incumbere.*

6. Oportet Episcopum *Baptizare*: etsi enim tingendi functio secundi ordinis sacerdotibus, ipsisque diaconis attributa fuerit, suprema tamen auctoritate Episcopis convenit: quo sensu Tertullianus sæpe laudatus: *dandi*, inquit, (*l. de bapt. c.* 17) *baptismi jus habet summus sacerdos, qui est Episcopus: dehinc presbyteri, & diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est . . . . .* quando antiquitus bis in anno, paschatis scilicet & pentecostes diebus, solemniter baptisma conferebatur, solus ejus erat minister Episcopus: adeoque omnium suæ curæ commissorum, vera plenaque ratione pater erat, quia omnes in Christo per Sanctum lavacrum genuerat.

7. Tandem oportet Episcopum *Confirmare*: qua de re nihil in præsenti, quod dicamus occurrit, postquam l. 3, de Sacramento confirmationis, ex scriptura, traditione & Ecclesiæ decretis probatum est, ordinarium hujus Sacramenti ministrum solum Episcopum esse: tantum hic Trid. canonem juvat revocare: *si quis dixerit*, inquit, (*sess.* 7, *can.* 3, *de confirm.*) *Sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

Jam hæc Episcoporum officia qui diligenter expenderit, facile intelliget quot & quantis virtutibus debeant esse ornati: cum enim Episcopatus sacerdotii apex atque perfectio sit, virtutum omnium complexionem importat, sine quibus perfectio ne intelligitur quidem. *Oportet Episcopum*, inquit Apostolus, (1 *Tim.* 3, 2, & *seqq.*) *irreprehensibilem esse; . . . sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum nec percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate: si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? non neophitum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli: oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt . . . .* (*Tit.* 1, 9) *amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.*

XIII

Episcoporum vestes, & insignia.

Episcopi quædam cum secundi ordinis Sacerdotibus indumenta communia habent: habent & propria quibus ornantur, quando solemniter celebrant: præcipua sunt sandalia & caligæ, crux pectoralis, tunicella, dalmatica, chirothecæ, annulus, mitra, & baculus: de quibus, deque eorum usu, significatione, & antiquitate dicere, instituti nostri non est: consulat, qui voluerit ista doceri piissimum juxtaque doctissimum Card. *Bona*, rerum liturgic. lib. 1, c. 24, ubi de sacris indumentis Sacerdotum, Pontificum, & ministrorum accuratissime disserit: nobis sat fuerit, ex Romano Pontificali ritum exscribere, quo pastoralis baculus, annulus, mitra, & chirothecæ novis Episcopis ab eorum consecratoribus tradi solent; ut inde eorum mystica significatio innotescat.

Baculum quidem consecrato tradens Pontifex: *Accipe*, inquit, *baculum pastoralis officii; ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severi-*

veritatis censuram non deserens . . . quod ergo regibus sceptrum, baculus est Episcopis, insigne scilicet auctoritatis, sollicitudinis, & correctionis.

Annulum vero in digitum annularem dexteræ manus consecrati immittens Pontifex consecrator: *Accipe*, inquit, *annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ordinatus, illibate custodias.*

Deinceps mitram capiti consecrati imponens: *imponimus, Domine*, inquit, *capiti hujus Antistitis & Agonistæ tui galeam munitionis & salutis, quatenus decorata facie, & armato capite, cornibus utriusque testamenti terribilis appareat adversariis veritatis; &, te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat, qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti; & capiti Aaron Pontificis tui Tiaram imponi jussisti. Per Christum &c.*

Chirothecas denique manibus ejusdem adaptans: *Circumda, Domine*, inquit, *manus hujus ministri tui, munditia novi hominis, qui de cœlo descendit; ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hœdorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo, impetravit, sic & iste, oblata per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati tibi pro nobis obtulit semetipsum. Amen.*

XIV

Episcoporum gradùs diversi.

Episcopatus, ordinationis habita ratione, in omnibus unus est, quia omnes auctoritate Apostolica a Christo immediate accepta in solidum & indivisim fruuntur. *Episcopatus*, inquit præclarissime S. Cyprianus, (*lib. de Unitat. Eccl.*) *unus est, cujus pars a singulis in solidum tenetur* . . . . . . Longeque excellentius Symmachus, 5 desinente, & 6 ineunte sæculo Sum. Pontifex: *ad Trinitatis instar*, inquit, (*Epist.* 1 *ad Æonium*) *cujus una est, atque individua potestas, unum est per diversos Antistites Sacerdotium* . . . . *Eodemque sensu S. Hieronymus: Ubicumque fuerit Episcopus*, ait, (*Ep.* 85 *ad Evagr.*) *sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii, potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt.*

Nedum vero diversis Episcoporum gradibus unitas Episcopatus obicem ponat; ut e contra necessarium fuerit, gradibus distingui Episcopos, ut Episcopatus ipsius, atque Ecclesiæ unitas intacta maneret. Si enim sibimet quisque Episcopus independentem a cæteris principalitatem tribueret; non jam una, per universum orbem dispersa, sed tot pene Ecclesiæ forent, quot Diœceses, nec partes domus Dei, quæ ipsa Ecclesia est, communis Regiminis vinculis necterentur; sed scissionibus innumeris undequaque dijunctæ diffluerent. *Connexio totius corporis*, ait S. Leo Pontifex Max. (*Ep.* 84, *vel* 12.) *unam sanitatem, unam pulchritudinem facit: & hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit: sed præcipue exigit concordiam Sacerdotum. Quibus etsi dignitas sit communis; non est tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret, de qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem Universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam a suo capite dissideret.*

Itaque non ad destruendam, sed ad tuendam unitatem diversi Episcoporum gradus sunt instituti.

In primo & infimo gradu sunt, *Episcopi* simplices, singulis singuli Diœcesibus immediate præpositi, ut Cleri & fidelis populi curam habeant, ibidemque omnia quæ sui officii sunt, accepta divinitus auctoritate adimpleant: his dictum ab Apostolo: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Sp. Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et ab Apostolorum Principe S. Petro: (1 *Pet.* 5, 1, & *seqq.*) *Seniores qui in Christo sunt obsecro consenior* ... *Pascite qui in vobis est, gregem Dei, providentes, non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

In secundo & sublimiori gradu sunt *Metropolitani*, sive Archiepiscopi, qui non propriis tantum Diœcesibus, sed diversis ejusdem provinciæ Episcopis ac Diœcesibus præponuntur. Ad illos spectat, Provinciales Synodos convoca-

ca-

care, totam visitare Provinciam, obortas in Diœcesibus sibi subditis, necdumque sopitas lites, præmissis Canonicis appellationibus, salvisque Episcoporum comprovincialium juribus recognoscere; pacique procurandæ, & Canonum observationi invigilare.

In tertio & excelsiori gradu *Primates* sunt, quibus non propriæ tantum Diœcesis, nec unius solum Provinciæ, sed diversarum in una late ditione Provinciarum cura, antiquis decretis commissa est. Nam sicut Metropolitanis Episcopi, sic Primatibus Metropolitani subjiciuntur: & sicut ab Episcopo ad Metropolitanum, ita a Metropolitano ad Primatem, juridice in causis Ecclesiasticis appellatur.

Quartum longeque eminentiorem tenent gradum *Patriarchæ*, summi nimirum supremique patres, sive patrum Principes, quorum non in unam tantum, sed & in diversissimas ditiones potestas diffunditur. Sic in toto qua late patet Occidente Patriarcha unus est Romanus Episcopus, amplissimam auctoritatem ac jurisdictionem exercens. Patriarchas duos Oriens primitus habuit, Alexandrinum & Antiochenum: quibus totidem sæculo quarto adjuncti sunt, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus. Itaque Patriarchæ numero quinario concluduntur: hoc enim nomen etsi plerisque aliis Episcopis attributum honoris causa legatur; acquisito tamen nomine, nihil plus auctoritatis sunt consecuti: cum e contrario Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, præter cæteros vero Romanus, juribus summis potiti sint.

In quinto denique, eodemque supremo ac eminentissimo gradu Romanus & Sum. Pontifex collocatur, in Universa Ecclesia, non ab hominibus, sed jure divino primatum habens: illi enim in persona Petri cujus cathedram tenet, a Christo Domino dictum est: (*Matt.* 16, 18.) *tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: illi pariter prælatorum ubique omnium, ac subditorum, ab eodem Salvatore, generaliter est cura commissa. (*Joann.* 21, 16, *& seq.*) *Pasce*, inquit, *agnos meos, pasce oves meas*: *ovium* scilicet nomine pastores ipsos, & subditos *agnorum* appellatione significans: his solidissimis, quippe divinis fundamentis Romani Pontificis primatus innititur, quem convellere ac labefactare frustra hæretici atque schismatici moliuntur, magno suo malo non advertentes, nisi prima hæc & suprema auctoritas sarta tectaque consistat, universam Ecclesiam subruendam, cujus unitatem voluit Christus ab uno summo ac visibili capite dependere. *Ut unitatem manifestaret*, ait S. Cyprianus (*Lib. de unit. Eccl.*) *unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit: hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, & primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur: hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* parique sensu S. Hieronymus: *dicis*, inquit, (*Lib.* 1 *adv. Jovinian.*) *super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum alio in loco super Apostolos fiat, & cuncti claves cœlorum accipiant, & ex æquo super illos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.*

De primatu sum. Pontificis, ejusdemque juribus ac privilegiis dicere, præsentis instituti non est: harum enim prosecutio & explanatio quæstionum ad tract. de Hierarchia Ecclesiastica pertinet. Itaque ut præsenti libro finem ponamus, sit

SECTIO SEXTA ET ULTIMA.

De chorepiscopatu.

Χώρα Græce idem ac Latine *pagus*, aut *villula* est: itaque χωρεπίσκοπος est, ruralis Episcopus, in pago scilicet aliquo Episcopalia quædam munia, sub Episcopi auctoritate exercens.

I

Chorepiscopatus antiquitas.

Chorepiscopatus officium dudum in Ecclesia institutum, canones antiqui demonstrant. „ Chorepiscopis, *inquit Concilium Ancyranum* „ (*an.* 314.) *can.* 13, non licet presbyteros, „ vel diaconos ordinare."

Ejusdem ætatis Neocæsariense Concilium, (*an.* 314.) can. utique 13, *Episcopi vel presbyteri ruris*, inquit, *non possunt in Ecclesia civitatis offerre præsente Episcopo, vel presbytero urbis, neque panem dare precationis, neque Calicem .... chorepiscopi autem sunt quidem in figura septuaginta: ut autem comministri, propter studium in pauperes offerunt honorati.*

Nec multo post Nicænum concilium (*can.* 325.) can. 8, *de his*, inquit, *qui se Catharos, id est, puros nominant, si aliquando ad catholicam & Apostolicam Ecclesiam redierint*,...

rint ... qui apud eos nominatur Episcopus, habeat honorem presbyteri, nisi forte placuerit Episcopo, nominis honorem illi concedere: si hoc autem ei minime placuerit, inveniat ei locum chorepiscopi aut presbyteri, ut in clero omnino esse videatur, ne in civitate duo sint Episcopi.

Concilium Antiochenum (*an.* 341.) can. 10, *ii*, inquit, *qui sunt in vicis & regionibus, vel qui chorepiscopi nominantur, etiamsi impositionem manuum Episcoporum acceperint, placuit S. Synodo, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque cura & moderamine contenti sint: constituant autem Lectores, & subdiaconos, & Exorcistas.... presbyterum autem & diaconum ordinare non audeant sine Episcopo civitatis, cui* chorepiscopus *ipse, & regio subjicitur: si quis autem ea quæ definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque honore quem habet privetur. Chorepiscopus autem fiat ab Episcopo civitatis, cui subjicitur.*

Quarto itaque ineunte sæculo, jam tum in oriente receptum erat, ut chorepiscopi vicis ac regionibus, Episcoporum nutu & auctoritate præficerentur, adeoque paulo altius, ab ipso nimirum tertio sæculo, haud incongrue institutio eorum & origo repetitur: ne vero putet aliquis, solos orientales, more proprio, chorepiscopos habuisse; contraria est Concilii Regiensis in Gallia 5 sæculo (*an.* 439) celebrati auctoritas: ibi enim Armentarius contra canones ordinatus, ab Episcopatu dejectus est: tantumque ei permissum, ut chorepiscopatus titulum retineret, ejusque officio fungeretur. Diversa secutis deinceps ad nonum usque sæculum temporibus, chorepiscoporum, in utraque orientis & occidentis parte exempla occurrunt.

II

Chorepiscopatus numquam pro vero ordine aut Sacramento habitus est.

Nec propterea existimandum, chorepiscopatum, se ipso ac nude sumptum pro vero ordine, inter presbyteratum & Episcopatum veluti medio, usquam a majoribus esse reputatum.

1. Enim quantalibet ei antiquitas vindicetor; non ea tamen est, quæ Sacramenti aut ordinis titulum ostentare queat, nam veri ordinis aut Sacramenti ratio, non ex iis decretis æstimari debet, quæ ad disciplinam stabiliendam succedente ætate edita sunt; sed ex scripturis ipsis & primæva traditione est judicanda: atqui chorepiscoporum nec scriptura nec prisca traditio meminit: de iis Apostoli in canonicis litteris penitus silent: nulla eorum mentio, nec in Epistolis Ignatii Martyris, nec in Concilio Eliberitano, nec in Clementis constitutionibus, nec in Canonibus Apostolicis, nec denique in cæteris primævæ antiquitatis monumentis: quodque convincens magis, Cornelius medio circiter sæculo Pontifex Max. in Ep. ad Fabium Antiochenum sæpe laudata, ubi omnes catholicæ Ecclesiæ ordines diserte enumerat, de chorepiscopis nec minimum verbum facit: atque ut verbo dicam, quantamlibet Critici ac Theologi, in perscrutanda chorepiscopatus antiquitate diligentiam attulerint; non altius Ancyrano & Neocæsariensi Concilio pertingere hactenus potuerunt; ergo &c.

2. Veri nominis ordines, qui nimirum Sacramentali dignitate præfulgeant, Ecclesia tam non potest abrogare, quam instituendi auctoritatem non habet: divina namque dona sunt Sacramenta, ex edicto summi legislatoris Christi prorsus immutabilia: atqui dudum est quod Ecclesia tum orientalis tum occidentalis communi consensione chorepiscopatus nomen, & dignitatem extinxit: septingenti enim & amplius anni sunt, ex quo nec unum sive Græcum sive Latinum scriptorem reperias, qui chorepiscopatus velut sua ætate vigentis, vel minimam mentionem injecerit: quin e contra constat ex decretis infra referendis dignitatem hanc justis de causis a majoribus abrogatam: non divinam ergo, sed humanam chorepiscopatus institutionem habebat: adeoque pro vero Sacramento & ordine proprie dicto numquam est habitus.

Objectio.

Contra opponi potest Concilii Chalcedonensis (*an.* 554) auctoritas can. 2 sic decernentis. *Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & inæstimabilem gratiam sub pretio redegerit, & propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel chorepiscopum, vel presbyteros, vel diaconos, vel aliquem eorum qui in clero annumerantur: vel propter pecunias promoverit æconomum, vel defensorem, vel mansionarium, vel omnino aliquem ex canone turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse convictus fuerit, sui gradus periculum subeat: & qui est ordinatus, nihil ex ordinatione vel promotione, per quæstum, vel mercaturam facta juvetur, sed sit alienus a dignitate & sollicitudine, quam pecuniis adeptus est.*

In hoc canone, *inquit aliquis*, ordinatio a promotione distinguitur, item discretio fit eorum qui in clero annumerantur, ab iis qui sunt ex canone, id est, qui juxta canonicam disci-

disciplinam bonorum temporalium Ecclesiæ administrationi ac defensioni præficiuntur: atqui inter eos qui per ordinationem clero adscribuntur, chorepiscopi recensentur, & medium inter Episcopos ac presbyteros locum recipiunt: ergo chorepiscopatum pro vero ordine ac Sacramento gratiam inæstimabilem conferente patres Concilii œcumenici Chalcedonensis habebant.

℞. Admitto canonem; ad probat. concessa maj. dist. min. inter eos qui per veram ordinationem clero adscribuntur, chorepiscopi recensentur, *eo quod qui chorepiscopatum gerebant, necessario Episcopi aut presbyteri forent:* conc. *eo quod propria quadam, & Sacramentali ordinatione consecrarentur*, n. min. & conseq.

E. ℞. Chorepiscopi in vicis ac regionibus constituti sacerdotalia munia, quin & Episcopalia quædam obibant: tota spiritualis earum auctoritas erat: nam & presbyteris ruralibus præficiebantur, & diversas parochias sibi subditas disciplinæ instaurandæ causa perlustrabant, & minores diaconatu ordines delegatione ordinaria conferebant; imo aliquando, si vere Episcopi forent, ipsos presbyteros ac diaconos, annuente diœcesano Episcopo consecrabant: nihil ergo mirum si chorepiscopi a patribus Chalcedonensibus clero adscribantur: sed aliud est propter Episcopatum aut presbyteratum, aliud propter ordinationem ab Episcopatu & presbyteratu diversam in clero esse: primum ultro concedimus: secundum negamus, quod ex canone Chalcedonensi nulla ratione extundi potest: nisi quis in voce *Ordinandi* pueriliter luserit, quasi nimirum ex mente patrum, ordinatio chorepiscopi diversa necessario esse debuerit ab Episcopi & presbyteri ordinatione: nam vel ordinabatur aliquis presbyter, ut in vicis gereret chorepiscopatum; jamque ordinatio ejus ipsissima presbyteratus consecratio erat; vel cum antea Episcopus alibi fuisset, chorepiscopus in aliena diœcesi fiebat; jamque ordinatio ejus, nihil aliud nisi missio & delegatio erat: hoc ut manifestius demonstretur:

III

Ostenditur Chorepiscopos aliquando quidem ac velut per accidens, veros Episcopos, communiter vero simplices presbyteros fuisse.

Quod quidem veri aliquando Episcopi fuerint, ex canonibus supra laudatis compertum est: sic Concilium Nicænum can. 8, de Novatianis aut Catharis ad Ecclesiam redeuntibus statuens: *qui apud eos*, inquit, *nominatur Episcopus, habeat honorem presbyteri, nisi forte placuerit Episcopo nominis honorem illi concedere: si autem hoc ei minime placuerit, inveniat ei locum chorepiscopi aut presbyteri, ut in clero omnino esse videatur, ne in civitate duo sint Episcopi.*

Hoc ipsum omnino supponit canon I Antiochenus: *ii*, inquit, *qui sunt in vicis & regionibus, vel qui chorepiscopi nominantur, etiam si impositionem manuum Episcoporum acceperint, placuit S. Synodo ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque cura & moderamine contenti sint, &c.*

Aliqui ergo erant chorepiscopi, qui impositionem manuum Episcoporum acceperant.

De Armentario, ex historia Ecclesiastica notum est, quod cum Ebrodunensis Episcopus foret contra canones illegitime, valide licet ordinatus, ab Episcopatu dejectus est; tantumque ei, in Concilio Regiensi permissum, ut in pagis quibusdam ac minoribus urbibus gereret chorepiscopatum.

Dubium itaque non est quin aliquando veris aliunde Episcopis, chorepiscopatus provincia fuerit demandata, vel in pœnam, vel in solatium: in pœnam quidem, ut si quis Episcopatum contra canones usurpasset; in solatium vero eorum, qui vel ab hæreticis vel ab infidelibus, suis sedibus deturbati, ab alienis Episcopis recipiebantur.

Porro quod communiter chorepiscopi nihil nisi presbyteri simplices forent, plurima argumenta evincunt.

1. Enim qui diaconos & prebyteros ordinare non poterant, veri non erant Episcopi: atqui chorepiscopis equidem concedebatur, subdiaconos constituere, & ministros subdiaconatu inferiores, quod utique simplicibus presbyteris tribui posse, non semel est demonstratum, stricte tamen vetitum erat, ne diaconos & presbyteros ordinare præsumerent; quod solis Episcopis est divinitus reservatum: ergo &c.

2. Si chorepiscopi veri fuissent Episcopi, Apostolorum successores dici debuissent, vereque fuissent; atqui non Apostolorum, sed septuaginta duorum discipulorum successores antiquis decretis vocantur, '*Chorepiscopi*, ait Concilium Neocæsariense can. 13, *sunt in figura septuaginta:* ergo &c.

3. Antiquis canonibus cautum erat, ne Episcopi in minoribus urbibus, pagisve constituerentur. Sic in Concilio Laodiceno (*an.* 364) can. 57 declaratum, *non oportere in vicis & regionibus Episcopos constituere, sed visitatores.* Pariter in Concilio Sardicensi (*an.* 347) can. 6 sancitum, *licentiam dandam non esse, ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus presbyter:*

Digitized by Google

ter: quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi, & authoritas. Atqui non alibi quam in pagis aut villulis chorepiscopi reperiebantur: *ii qui sunt in vicis & regionibus*, ait Concilium Antiochenum, can. 10, vel *qui chorepiscopi nominantur*, &c. & Concilium Neocæsariense Can. 13, *Episcopi vel presbyteri ruris non possunt in Ecclesia civitatis offerre, præsente Episcopo, vel presbyteris urbis*, &c. Nihil ergo aliud quam presbyteri simplices chorepiscopi erant, nec aliter a cæteris Sacerdotibus discrepabant, nisi quia partem aliquam jurisdictionis Episcopalis, ipsis Episcopis concedentibus exercebant.

4. Chorepiscopum ab uno Episcopo fieri debere, antiquitus constitutum erat: *chorepiscopus*, ait Concilium Antiochenum can. 10, *fiat ab Episcopo civitatis cui subjicitur*: atqui ad Episcopum consecrandum tres ut prædiximus, ad minus Episcopi requiruntur; ergo &c.

Objectio.

At, inquis, quoad chorepiscoporum institutio viguit, vera ordinatione consecrabantur: porro presbyteri non fiebant, quos presbyteros esse ante oportebat, quam ad chorepiscopatum eligerentur: nec ordinem aliquem suscipiebant, inter presbyteratum & Episcopatum, veluti medium: ergo consecrabantur Episcopi.

℞. 1. Nego maj. quod enim per veram ordinationem consecrarentur chorepiscopi, nullo antiquitatis monumento evinci potest: de eorum inauguratione quod ritu quodam sacro, manuum videlicet impositione & oratione conjuncta perfici deberet, nec in Græcorum euchologiis, nec in Ritualibus Latinorum verbum ullum reperies: equidem in Antiocheno Concilio solis Episcopis chorepiscoporum institutio reservatur: verum consecrandi voce canon ille non utitur, tantumque declarat, *faciendum chorepiscopum ab Episcopo civitatis cui subjicitur.* χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου τῆς πόλεως ὑπόκειται. Porro *facere*, non necessario idem est, ac consecrare: sed esto sane ritu aliquo peculiari chorepiscopatus dignitas conferri soleret, quod uti affirmare, ita nec obstinate negare, audemus.

℞. 2. Nego eamdem maj. ordinatio enim hæc, si aliqua fuit, non vera & Sacramentalis, sed mera cæremonia fuit, voluntate Ecclesiæ, tum ad gratiam aliquam, ex opere operantis, ut schola loquitur, impetrandam, tum ad conciliandam chorepiscopis reverentiam instituta: & vero de chorepiscoporum inauguratione, idem ac de Abbatum, Diaconissarum, & plerorumque aliorum ministrorum promotione debet esse judicium, quos constat numquam pro veris ordinibus habitos, etiam si ritu quodam sacro ac mystico, nec quoad externam formam ab ordinatione Sacramentali dissimili inaugurarentur, & etiamnum, apud Græcos potissimum, ex veteri disciplina promoveantur: præ oculis enim semper habendum, ut aliquid verum Sacramentum sit, ritum externum non sufficere, sed præterea divinam institutionem, & gratiæ producendæ virtutem internam requiri: quorum si aliquid defuerit, concidit & ratio Sacramenti.

IV

Chorepiscoporum quæ officia propria forent?

Cum in subsidium Episcoporum fuerint chorepiscopi instituti, par erat ut aliquam eis sacri Antistites suæ jurisdictionis partem committerent, nutu suo & arbitrio exercendam.

1. In vicis & regionibus quibus præsidebant, invisendi Parochias, & non plebem solum, sed & ipsos Parochos, & Clericos inferiores in officio continendi, disciplinæ & decretorum synodalium observationi invigilandi jure ac potestate gaudebant; unde *visitatores*, seu curatores, Græce περιοδευταὶ sunt dicti: ea porro ex parte eorum officium, hodiernis Vicariorum Generalium, Decanorum ruralium, aut Archidiaconorum functionibus respondebat.

2. Iis indultum erat, ut ordines Diaconatu minores conferre possent: *chorepiscopis*, ait Concilium Ancyranum can. 13, *non licet presbyteros, vel Diaconos ordinare*: eis ergo ex mente patrum licebat, subdiaconos & inferiores ministros promovere: alioquin enim nulla patribus causa foret, solos presbyteros ac Diaconos nominandi: apertissimum ejusdem rei in canone decimo Antiocheno testimonium est: *chorepiscopi*, inquit, *constituant lectores, & subdiaconos, & exorcistas . . . . presbyterum autem & Diaconum ordinare non audeant, etiamsi manuum impositionem Episcoporum acceperint*; pari sensu capitulare Aquisgranense, *chorepiscopi*, inquit, *idest Vicarii Episcoporum, nec presbyteros, nec Diaconos ordinent, nisi tantum subdiaconos.*

3. Quo tempore ruralibus presbyteris in majori Ecclesia, Episcopo aut civitatis presbyteris præsentibus, sacrificium offerre vetitum erat; chorepiscopis interdum hic honor deferebatur: *Episcopi vel presbyteri ruris*, ait Concilium Neocæsariense can. 13, *non possunt in Ecclesia civitatis offerre, præsente Episcopo, vel presbyteris urbis . . . chorepiscopi autem . . . offerunt honorati.*

4. Chorepiscopos Synodis aliquando interfuisse, ibidemque sedisse cum patribus, antiquæ sub-

subscriptiones demonstrant: sic enim Nieænæ magnæ Synodo, quæ fuit œcumenica prima, quindecim, Neocæsariensi, duo chorepiscopi subscripserunt: idemque non esset difficile exemplis variis demonstrare: hanc vero prærogativam, non jure chorepiscopatui annexo, sed ex mero Episcoporum, quibus suberant, quorumque forte locum tenebant, nutu ac placito habuisse crediderim.

Hæc, aliaque hujus generis officia chorepiscopi exercebant, quæ etiamnum, chorepiscopatu sublato, a simplicibus presbyteris, vel implentur, vel certe, si sic Ecclesiæ videretur, impleri possent.

V

Quæ causa fuerit chorepiscopos abrogandi?

Octingenti & amplius anni sunt, ex quo chorepiscopatus officium & nomen in Occidente extinctum est: ex toto vero Oriente a septingentis, plus minus annis nec unus scriptor occurrit, qui chorepiscopatus velut sua ætate vigentis meminerit: quod argumentum convincens est, pari utriusque Ecclesiæ consensione esse sublatum: hujus porro abolitionis causas qui diligenter investigaverit, tres reperiet.

1. Fuit chorepiscoporum audacia, qui sive manuum Episcoporum impositionem, ut sæpe fiebat, recepissent; sive simplicem Episcoporum delegationem haberent, ad exercendam partem aliquam jurisdictionis; omnia sibi Episcopalia munia, renitentibus plerumque Episcopis arrogabant, atque ita in una eademque diœcesi altare contra altare erigentes, schismata feralia concitabant: nam presbyteros & Diaconos ordinabant, Virgines & Ecclesias consecrabant, Sanctum Chrisma conficiebant, confirmationem ipsam conferebant, altaria dedicabant: omnia denique quæ Episcoporum propria sunt indiscriminatim obibant: qua de re extat *Leonis III* versus 8 sæculi finem Pontificis Max. solemne decretum, cui consentiens Concilium ex Gallia & Germania eodem tempore convocatum: „ hi, *inquit*, qui a chorepiscopis, presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi, sunt ordinati, nullatenus in presbyteratus, aut diaconatus, aut subdiaconatus officio ministrare præsumant: similiter homines qui imperiti videntur ab eis esse confirmati, vel Virgines, seu Ecclesiæ sacratæ, aut Chrisma confectum, seu altaria dedicata, pro confirmatis seu sacratis, vel dedicatis haud habeantur: quia quæ illi non habuerunt, dare non potuerunt; quoniam ex his quidquam iis agere non licet, quæ omnia sum. Pontificibus debentur, & non chorepiscopis, qui nec summi Pontifices, vel Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt ".

Secunda fuit Episcoporum in diversis locis negligentia ac desidia: plerique namque erant, qui vitam in otio transigendo, & Episcopalis dignitatis solo nomine ac fastu retento, quidquid sui officii erat, in chorepiscopos, quos Episcopos ordinabant, quibusque ceu Vicariis utebantur, rejiciebant: de his *Hincmarus* 9 sæculo Remensis Archiepiscopus: „ quidam Episcopi, *inquit*, (*vide Tom.* 2 *Conciliorum Galliæ*) etiam a longe procedentibus temporibus, scandalum pro sua quiete & voluptatibus intromiserunt, ordinantes Chorepiscopos, & eis, quæ summis Pontificibus conveniunt, agere permittentes: quos Apostolica sedes sæpius reprobavit, & Apostolico mucrone recidit, sicut in decretalibus eorum qui voluerit recensere inveniet ".

3. Fuit, summum dedecus Episcopatui per chorepiscoporum præsumptionem, & ignaviam Episcoporum illatum: quid enim probrosius esse poterat, quam videre Episcopos, jacentes in otio, dignitatis suæ nihil quidquam præter nomen inane gerentes, & quidquid sui officii erat, chorepiscopis non tam committentes, quam sacrilega prævaricatione prodentes? „ quia sacri Canones vetant, *inquit Nicolaus I nono sæculo sum. Pontifex*, (*Ep.* 39) ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas Episcoporum, ad chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor Episcopi: decernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri. "

Hæ summi sane ponderis rationes Episcopos compulerunt, ut de abrogando chorepiscopatu, & amovendo scandalo serio cogitarent, id quod ineunte 9 sæculo contigit: „ placuit, *inquiunt capitularia hoc tempore edita*, (*lib.* 6, *cap.* 119) ne chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant, quoniam hactenus a nescientibus SS. Patrum, & maxime Apostolicorum decreta, suisque quietibus ac delectationibus inhærentibus facti sunt: idcirco & olim persæpe, & nostro a S. Apostolica sede, tempore sunt prohibiti . . . " quod quidem decretum, etsi non ab omnibus statim receptum fuerit, ubique tamen versus noni sæculi finem obtinuit: atque ita dignitas disciplinæ tuendæ causa primitus instituta, ad ejusdem disciplinæ instaurationem votis conspirantibus abolita est.

De ordinibus tum in genere tum in specie dictum satis: tantum superest, ut Trid. canones passim in hoc libro vindicatos, ex sacræ Synodi sessione 23 una serie exscribamus.

Digitized by Google

CANONES TRIDENTINI

De Sacramento Ordinis.

Canon I. *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile & externum: vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi; sed officium tantum & nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes: anathema sit.*

Canon II. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur: anathema sit.*

Canon III. *Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum: anathema sit.*

Canon IV. *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Sp. Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere:* accipe Sp. Sanctum: *aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui Sacerdos semel fuit, Laicum rursus fieri posse: anathema sit.*

Canon V. *Si quis dixerit sacram Unctionem, qua Ecclesia in Sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse; similiter & alias ordinis cæremonias: anathema sit.*

Canon VI. *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris: anathema sit.*

Canon VII. *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi: vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem: vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione irritos esse: aut eos qui nec ab Ecclesiastica & canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros: anathema sit.*

Canon VIII. *Si qui dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit.*

FINIS LIBRI OCTAVI.

Digitized by Google

LIBER NONUS

DE CONTRACTU MATRIMONII.

PRÆFATIO.

Sacramentum Ordinis, gignendis secundum Spiritum Dei filiis, a Christo Salvatore in Evangelica Lege, matrimonium, propagando secundum naturam humano generi, statim ab orbe condito, a Deo auctore naturæ sancitum. Est enim, inquit Magister sentent. (*Libr.* 4, *dist.* 26, *cap.* 1) non qualecumque inventum, aut jure gentium, aut civili constitutione inductum, sed vinculum natura magistra, ejusque parente Deo præcipiente, ante peccatum quidem, in officium, postea vero etiam in remedium concupiscentiæ rebellis firmatum. Legitur quippe in Gen. quod Adæ prius de terra formato, Evam de latere ejus eductam, in adjutorium ejus Deus adjunxerit. “ Dixit quoque Dominus Deus, *inquit Moyses*, (*Gen.* 2, 18 *& seq.*) non est bonum, esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi .... Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea: & ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una ....” Itaque habet matrimonium in ipsa naturæ conditione firmissimum fundamentum. *Creavit enim Deum hominem*, ait Auctor sacer, (*Gen.* 1, 27, *& seqq.*) *ad imaginem suam .... masculum & fœminam creavit eos: benedixitque illis, & ait: crescite & multiplicamini, & replete terram.*

Hoc autem conjugii fœdus, quod humanos inter contractus fuerat tum in lege naturæ, tum in lege scripta sanctissimum, maximo quo poterat Christus honore amplificavit: matrimonium namque fidelium, novæ Legis sacramentis adscripsit, & voluit habere vim gratiæ sanctificantis, divina virtute superaddita, producendæ. Hinc Concilium Trid. *si quis dixerit*, inquit, (*Sess.* 24, *can.* 1) *matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum: neque gratiam conferre: anathema sit.*

Cum igitur omnis de matrimonio controversia ad illud pertineat, vel quatenus naturale officium, vel prout est legis Evangelicæ Sacramentum, ut suis quæque locis, sine confusione tractentur, duos qui supersunt libros huic explicandæ materiæ impendemus, quorum primus de contractu, alter de Sacramento matrimonii erit: prius namque est, matrimonium esse contractum, quam Sacramentum; cum nisi contractus præcederet, Sacramentum nec esset, & ne intelligi quidem posset: gravissimas porro quæstiones primus liber objicit ac complectitur. Expendendum enim:

1. *Quid sit matrimonium, sive in quo ejus natura consistat?* 2. *An matrimonium sit res bona & licita?* 3. *Dicendum de Unitate matrimonii.* 4. *De ejusdem indissolubilitate.* 5. *De solemnitatibus ad contractum ejus requisitis.* 6. *Tandem de matrimonii impedimentis. Si igitur*

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Matrimonii.

Afferemus primo varia nomina, quibus solet contractus de quo agitur significari: secundo ejus naturam, in quo posita sit, inquiremus.

I.

Recensetur varia nomina, quibus contractus Matrimonii solet inter homines significari.

1. *Matrimonium*, habita ratione officii materni, vocatur: quasi diceres *Matris munium*: quemad-

quemadmodum enim hæreditaria portio quæ obtingit singulis in unaquaque familia, *Patrimonium* appellatur, quippe magis patri accepta ferenda, quam matri; tum propter majorem facultatum copiam, quas vir ad connubii societatem afferre solet; tum propter solertiorem industriam viri, qua rem familiarem plerumque non conservat tantum, sed etiam amplificat; tum denique quia in regimine domus & bonorum dispensatione, portiores partes viro natura tribuit: similiter prolis procreatio propter quam institutæ sunt nuptiæ, *Matrimonium* dicitur, quia mater in prole suscipienda & educanda, majorem operam impendit, quam pater: *Matri enim*, inquit Gregorius IX Pontifex Max. (*cap. ex Litteris*: *extra de conversione infidelium*) *infans ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus esse cognoscitur*.

2. *Conjugium* dictum a communi jugo cui ultro colla submittunt, qui nuptias ineunt: gravissimos namque labores, curas, molestias, sollicitudines importat Matrimonii vinculum; quod quotidiano experimento mariti & fœminæ comprobant, merito ut ab Apostolo dictum sit: (1 *Cor.* 7, 28) *tribulationem carnis habebunt hujusmodi*: hæc porro incommoda cum partiri inter se debeant vir & mulier; individua utriusque societas *conjugii* haud incongrue nomen habet.

3. *Connubium*, & *nuptias* antiqui dixerunt: quæ nomina a *nubendo*, hoc est, *velando*, deducta sunt: apud veteres enim sponsæ quando viris tradebantur, velo caput, quasi nube operire, & capite velato debebant procedere, in signum nimirum verecundiæ, subjectionis, & obedientiæ viro debitæ: " fœminæ dum maritantur, inquit S. Isidorus, (*lib.* 2 *de off. cap.* 19) ideo velantur, ut noverint, se semper maritis suis subditas, & humiles esse debere . . . . . hinc refertur in *Genesi*, Rebeccam Isaaco desponsatam, statim atque eum venientem procul conspexit, pallio se cooperuisse: Rebecca conspecto Isaac, *inquit Auctor sacer*, (*Gen.* 24, 64, *& seq.*) descendit de Camelo: & ait ad puerum: quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? dixitque ei: ipse est Dominus meus: at illa tollens cito pallium, operuit se . . . . quem locum S. Ambrosius explicans: nec illud otiosum est, *inquit*, (*lib.* 1 *de Abraham cap.* 9) quod cum veniret Rebecca, vidit Isaac deambulantem, & cum interrogasset quis esset, cognito quod ipse esset cui duceretur uxor, descendit, & caput suum obnubere cœpit, docens verecundiam nuptiis præire debere: inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnuberent. "

4. Interdum a juris doctoribus *consortium* appellatur: ut lege: *si donationum*: cap. *de nuptiis*: cujus appellationis causa in promptu est; intima nimirum societas, & arctissima corporum, animorum, facultatumque communio qua vir & mulier connectuntur.

5. Denique a Græcis στεφάνωμα, sive στεφανισμὸς vocatur, quod idem est Latine, *Coronæ impositio*: eo quod apud illos in ipsa nuptiarum celebratione, viri & uxoris capitibus coronæ a Sacerdote imponantur: hinc in Euchologio sive rituali Græcorum sic legitur: " Sacerdos acceptis coronis, primo coronat sponsum, dicens: coronatur servus Dei N. propter Ancillam Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti: deinde coronat sponsam, dicens: coronatur Ancilla Dei N. propter servum Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti. "

Hunc porro coronandorum sponsorum morem certum est,

1. Apud antiquos gentiles, in ipsoque populo Hebraico viguisse: id quod multis exemplis, si res postularet, probari posset.

2. In ipsa Catholica Ecclesia primis temporibus observatum: nam *Tertullianus* 2, & 3 ineuntis sæculi scriptor, lib. *de corona militis* c. 13, *Coronant*, inquit, *& nuptiæ sponsos*: quis autem hujus ornatus ac cæremoniæ finis esset, explicat S. Joannes Chrysost. " coronis, *inquit*, (*Hom.* 3 *in* 1 *Ep. ad Tim.*) sponsorum capita redimuntur, in signum victoriæ; quia libidini insuperabiles redditi, sic ad Thalamum accedunt, ut voluptate vinci non debeant: si vero voluptatis captivus sponsus se ipsum impudicitiæ tradiderit; de reliquo coronam gestare non potest, prava libidine turpissime superatus ".

Cum itaque jure quodam proprio coronas sibi nuptiæ vindicarent; nihil mirum si coronarum nomine Matrimonium notatum, significatumque sine ullo addito epitheto, a sacris prophanisque auctoribus fuerit: sic in antiquis canonibus secundarum nuptiarum benedictionem prohibentibus, simpliciter legimus: *bigamus non coronatur*: δίγαμος ου στεφανοῦται. In aliis pariter ubi vetantur matrimonia clandestina: *nemo clanculum nuptiale fœdus jungat*: μηδὲς μυστικῶς στεφανύσθω.

Neque hoc Græcis peculiare, sed Orientalibus omnibus, Melchitis, Nestorianis, Jacobitis, Catholicis, Hæreticis, ac Schismaticis ab antiquo commune fuit, nuptias *coronamenti* nomine insignire: quod argumentum convincens est, cæremoniam hanc & appellationem, omni schismate & hæresi in Oriente esse antiquiorem, & in ipsa Catholica Ecclesia exordium habuisse.

Digitized by Google

I I

Natura ac definitio Matrimonii explicatur.

Et hæ quidem quas attulimus diversas voces, equidem officia & proprietates Matrimonii aliquatenus indicant: at ejus naturam nec explicant nec attingunt, quam in ipso tractatus limine cognoscere ac perspectam habere operæ pretium est; ut omnis æquivocatio præcludatur, tum Matrimonii definitio, in variis quæ occurrent difficultatibus, possit loco principii statui, unde earum enodatio pendeat.

Inter cæteras vero quæ circumferuntur nuptiarum, sive definitiones, sive descriptiones, magis arridet, quam Trid. Concilii Catechismus, ex communi Theologorum sententia affert: *Matrimonium*, inquit, (*part.* 2, *tit. de Sacr. Matrim. n.* 3) *est viri & mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.*

I. Dicitur *conjunctio*: quæ particula propriam Matrimonii naturam, quidditatem, ac differentiam explicat: cum enim in legitimis nuptiis multa concurrant, nimirum viri & fœminæ consensus internus; pactio exterior, verbis aut signis expressa; obligatio & vinculum, quod ex mutua conventione exurgit; & denique copulatio conjugum, qua Matrimonium consummatur: nihil horum tamen Matrimonii vim & rationem proprie habet, nisi obligatio illa, nexus, & vinculum, quod vocabulo *conjunctionis* significatur.

2. Dicitur, *conjunctio maritalis*, idest, pertinens ad finem proprium nuptiarum: alia namque pactionum genera, quibus viri & mulieres obligantur, vel obligari possunt, ut pretii, vel alterius rei causa mutuam sibi operam præstent, aliena sunt a matrimonii ratione.

3. Dicitur, *viri & mulieris*, ad ostendendam matrimonii unitatem, & polygamiam excludendam, quam in Hebræis quidem lex Mosaica toleravit; sed in Evangelio Christus penitus sustulit, primævum matrimonii institutum, quod statim a mundi initio latum divinitus fuerat, revocando; ut suo loco erit fusius demonstrandum.

4. Dicitur, *inter personas legitimas*, eas nimirum quibus inire matrimonii fœdera, legibus Divinis, humanisque conceditur: nam qui a nuptiarum conjunctione exclusi sunt, lege, sive naturali, ut pueri, Eunuchi, frigidi &c. sive positiva, ut qui intra secundum, tertium, vel quartum gradum propinquitate conjuncti sunt; aliudve impedimentum habent, divina, Ecclesiastica, aut civili lege constitutum; ad matrimonii fœdera ineunda idonei esse non possunt: nec est quod regeratur, matrimonium, cum contractus naturæ sit, ea ut prædiximus, magistra inductus, solis posse naturalibus legibus impediri aut coarctari: nam præterquam quod conditiones matrimonio ponere, ad naturam spectat; ad Rempublicam etiam pertinet, cujus est naturam perficere, verius dixerim, impedire, ne vir & fœmina a limitibus natura præscriptis exorbitantes, inordinate sibi mutuo corpora tradant, & pecudum more commisceantur: quocirca non tantum naturalis, sed & civilis contractus matrimonium est, Ecclesiæ principumque legibus, nemine, qui sane recte sentiat, contradicente, ut quæstione sexta omni genere argumentorum, Deo dante, monstrabitur.

5. Dicitur, *individuam vitæ societatem retinens*, ad amorem nimirum & vitam socialem retinendam divinitus instituta; prout est a Proto-parente in Gen. declaratum: *hoc nunc os ex ossibus meis*, inquit, (*Gen.* 2, 23, *& seq.*) *& caro de carne mea . . . quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una . . . . . in hoc, ut prædiximus, indissolubili vinculo essentia matrimonii & ratio formalis consistit.*

Jam ne aliquid eorum prætermittamus quæ ad naturam matrimonii indagandam quovis modo conferre possunt; juvat more philosophorum causas omnes e quibus dependet, breviter explicare, efficientem nimirum, formalem, materialem, & finalem: quibus semel perspectis ac cognitis, speramus nullam de hac re difficultatem mansuram. Sit igitur

§. PRIMUS.

Quæ sit causa efficiens Matrimonii?

Causam efficientem matrimonii intelligimus, cujus influxu ipsum vinculum, quod matrimonium appellatur, connectitur & exurgit; quomodo caloris causam efficientem physici dicunt, quæ calori esse & existere tribuit.

Conclusio. Mutuus contrahentium consensus, verbis, aut nutibus, aut alio quovis signo, de præsenti expressus, est causa efficiens matrimonii.

Tres conclusio habet partes.

Prima est, mutuum contrahentium consensum esse Matrimonii causam effectricem.

Secunda, consensum hunc, ut Matrimonium efficiat, debere verbis aut signis exterioribus exprimi.

Tertia, consensum debere esse de præsenti, ut loquuntur; quo nimirum conjux uterque consentiat, ad Matrimonium, non in futurum,

Digitized by Google

turum, aut incertum tempus procrastinandum, sed in præsenti tempore contrahendum.

PROBATIO PRIMÆ PARTIS.

Primæ parti scripturæ & decretorum Ecclesiasticorum auctoritas, ipsaque naturalis ratio suffragatur.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex scriptura.

Atque ut e Sacris litteris probationis sumamus exordium: pactio hæc a mutuo contrahentium consensu, tamquam a causa efficiente omnino pendet, quæ ut valeat & stabilis sit, liberum assensum necessario exigit: atqui scriptura Judice, matrimonium ut validum ac stabile sit, liberum voluntatis assensum necessario prærequirit: sic in *Gen.* petenti servo Abraham, ut liceret sibi reverti ad Dominum suum, unaque secum Rebeccam abducere, Isaac herili filio desponsatam, respondent puellæ parentes, (*Gen.* 24, 57, *& seq.*) *vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem: cumque vocata venisset, sciscitati sunt: vis ire cum homine isto? quæ ait, vadam.*

Similiter in libro *Numer.* „ super filiabus Salphaad, *ait Scriptor sacer*, (*Num.* 36, 6.) „ hæc lex a Domino promulgata est: nubant „ quibus volunt; tantum ut suæ tribus hominibus. "

Pari sensu S. Paulus, „ mulier, *inquit*, (1 „ *Cor.* 7, 39) alligata est legi, quanto tem„ pore vir ejus vivit: quod si dormierit vir „ ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum „ in Domino... " ergo ex scriptura sacra nisi contrahentium voluntas consensusque præcesserit, umbra quidem poterit esse nuptiarum, matrimonium certe non erit, quia effectus sine causa esse non potest.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex decretis Ecclesiasticis.

Accedit ad ejusdem veritatis confirmationem sum. Pontificum auctoritas.

Nicolaus primus 9 sæculo, de quorumdam matrimonio consultus, validum ne foret, nec ne? sic respondet: „ sufficiat, *inquit*, solus, „ secundum leges, consensus eorum, de quo„ rum quarumque consensu & conjunctionibus „ agitur: qui solus si defuerit, cætera, etiam „ cum ipso coitu, celebrata frustrantur: cum „ igitur inter istos consensus intercesserit, „ qui solus matrimonium facit; patet hos con„ juges fuisse ... " porro *Nicolai* verba repetit & confirmat *Innocentius III*, cap. *Tuas*: de sponsa duorum: & cap. *Cum apud*: de sponsalibus: & cap. *Cum locum*: sub eodem titulo *de sponsalibus*.

Accedit *Eugenius IV* in decreto pro inst. Armenorum, post Concilium Florent. edito: *causa efficiens Matrimonii*, inquit, *regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus*.

Ex his Sum. Pontificum decretis sic efformatur argumentum: hæc est causa efficiens matrimonii, quæ sola nuptiarum vinculum nectit, quæque sola si defuerit, quantumvis cætera præcesserint, quæ ad nuptias pertinent, matrimonium nullum & irritum est: atqui a laudatis Pontificibus sic decretum: ergo &c.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex ratione.

Idem denique evincit ratio ex jure naturali petita: bona enim unius non possunt in alterius venire potestatem, nisi vel cogente lege, vel accedente ipsius Domini voluntate: quod legis naturalis effatum, tum in cæteris humanis contractibus, tum præcipue in maritali conjunctione viri & mulieris locum habet, quæ semel inita indissolubilis est: atqui per Matrimonium mulier sui ipsius potestatem in virum transmittit, & vicissim vir potestatem sui transfert in mulierem: " mulier, *inquit Apo*„ *stolus*, (1 *Cor.* 7, 4.) sui corporis potesta„ tem non habet, sed vir: similiter autem „ & vir, sui corporis potestatem non habet, „ sed mulier ... " aliunde vero certum est, nulla lege cogente potestatem mutuam corporum transferri posse in conjuges: consequens ergo est, haud aliter quam mutuo contrahentium consensu, posse hanc potestatem acquiri.

Deinde, vel fatendum, matrimonium a solo contrahentium consensu, velut a causa efficiente pendere; vel dicendum, posse aliquem per vim adigi ad jugum Matrimonii subeundum: atqui secundum affirmare absurdissimum fuerit; tum quia matrimonii perpetuitati, tum quia illius fini repugnat.

Primo, inquam, ad nuptias aliquem vi compellere, perpetuitati Matrimonii repugnaret: nihil enim violentum perpetuum est, ut vulgari axiomate decantatur: ut ergo Matrimonii vinculum contrahentes perpetuo obliget, non per vim aut coactionem, sed plena eorum libertate, & consensu reciproco necti debet: *quod enim quis non optat, nec eligit*, ait Nicolaus I. Pontifex Max. (*cap. præsens*) pro-

profecto non diligit: quod autem non diligit, facile contemnit.

Secundo, nec minus esset Matrimonii scopo contrarium: finis enim ejus est, educatio & institutio susceptæ prolis: atqui si ad statum Matrimonii subeundum, vel ad certas determinate personas pro conjugibus habendas, inviti aliqui cogerentur; profecto male consultum foret institutioni & educationi liberorum, ex hujusmodi nuptiis susceptorum: quis enim putet, facile propensuros parentes ad alendam & educandam prolem, quam non nutu & voluntate, sed inviti, & compellente lege tyrannica procreassent? cum igitur violentia hæc nec cum vinculo, nec cum fine matrimonii, nec cum ipso Reipublicæ bono constare possit, quod in eo maxime sistit, ut familiarum, & prolium incolumitati provideatur: fatendum, Matrimonium, ut vere hujus nominis sit, a mutuo contrahentium consensu pendere.

PROBATIO II. PARTIS.

Venio nunc ad alteram partem, qua diximus, consensu Matrimonium conditione hac fieri, si verbis aut signis exterioribus exprimatur: quæ veritas adeo perspicua est, ut argumentatione vix egeat: eatenus enim consensus matrimonium efficit, quatenus utrique contrahenti voluntas alterius innotescit: nam quomodo scirent conjuges, se sibi mutuo obligatos, nisi reciprocam secum ipsis voluntatem communicarent? porro communicatio hæc haud aliter, quam verbis, aut signis exterioribus fit; quia non alia homini via data est, qua possit alteri sensus suos significare: ergo præter consensum internum necessaria est externa locutio, qualis hominum naturæ congruit, qua videlicet, quod clausum mente gerunt, exterius prodant, & reciproca declaratione aperiant: quod dum in nuptiarum negotio fit, vinculum nectitur, quod matrimonium appellatur.

Deinde. Si ad conciliandum Matrimonium, internus duorum consensus, nullo exteriori signo declaratus sufficeret; consequens foret, fœminas inter & mares locis remotissimos, mutuumque consensum prorsus ignorantes posse vera matrimonia intercedere: unde iterum sequeretur, Matrimonia omnia confusa fore, nullamque certitudinem habitura: atqui primum absurdissimum est, ipsique sensui communi contrarium: quis enim inducat in animum, vere Matrimonium contrahi ab iis qui nesciunt? alterum vero nemo est qui non videat, Reipublicæ, ipsique Ecclesiæ perniciosissimum futurum esse: ergo &c.

Solvitur quædam difficultas.

Opponit in contrarium Joannes Wicleffus, referente Thoma Waldensi: (*tom. 2, de Sacr. cap. 32, & seq.*) Deus, inquit, cum sit cordium scrutator, internos hominum consensus, absque ullo verborum aut signorum interventu plene cognoscit: atqui potest hos ipsos consensus approbare: ergo eo saltem casu verum conglutinabitur sine verbo, aut exteriori nutu matrimonium.

℞. Concessa maj. dist. min. potest Deus hos ipsos consensus approbare, *in ratione consensus præcise*, conc. *ita ut nullo interveniente verbo, aut signo vocis vicario, Matrimonium faciant*, n. min. & conseq.

E. R. Quamvis Deus, quem latere nihil potest, & corda intime norit, & mutuum duorum consensum probare possit, reveraque approbet si sit bonus; non tamen sic approbat, ut inde Matrimonium oriatur: constituit enim Deus Matrimonium haud aliter iniri ab hominibus posse, quam modo iis conveniente, mutua videlicet voluntatum communicatione, quam repugnat aliter fieri quam exterioribus signis: est enim Matrimonium, contractus species quædam: porro contractus generatim definitur, *plurium ad id conventio*. Idem ergo de Matrimonio, ac de alia quavis conventione judicium esse debet: atqui plurium ad idem conventionem sine mutua voluntatum significatione constare non posse, vox ipsa conventionis ostendit: idem ergo de Matrimonio est dicendum: atque adeo hæc VVicleffi objectiuncula, non tam probabilis utcumque opinionis, quam absurdissimi deliramenti inepta defensio erat.

PROBATIO III. PARTIS.

Sequitur ut ejusdem conclusionis partem tertiam adstruamus, qua assertum est, consensum quem dicimus causam Matrimonii effectricem, debere esse de præsenti: Matrimonii enim a sponsalibus differentia est, quod nemo negabit, nisi qui voluerit in terminis pueriliter ludere, resque natura diversissimas commiscere: atqui sponsalia consensum important ad nuptias in posterum contrahendas: sunt enim, ut constat ex legibus & canonibus, *futurarum nuptiarum promissio*, sive, *mentio & repromissio nuptiarum futurarum*: ergo ut ab iis Matrimonium differat, debet pro præsenti consensum habere: indeque est, quod, ut notat *Cujacius*, (*ad tit. codicis*: de sponsalibus,) *tantum sponsalia a Matrimonio discrepant, quantum spes a re ipsa sperata distat.*

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Contra 1 conclusionis partem quædam militant argumenta, quæ una serie proponemus ac diluemus.

Eugenius IV *inquiens*, in decreto pro inst. Armenorum, *causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus*: qui sane textus nobis videtur esse contrarius: qui enim affirmat causam Matrimonii efficientem, *regulariter*, hoc est, juxta communem regulam, esse mutuum consensum, supponit haud dubie, aliquando extra communem regulam, sine mutuo consensu contrahi posse: atqui ita Pontifex Maximus: ergo mutuus consensus necessario non est causa efficiens matrimonii.

R. Nego nobis decretum hoc adversari, adeoque minorem adjuncti argumenti inficior. Non enim Eugenii sensus est, aliam præter consensum mutuum, matrimonii esse posse causam effectricem, sed necesse non esse quod consensus semper verbis significetur, cum defectum verborum signa & nutus supplere possint; atque ideo vox, *Regulariter*, non ad *mutuum consensum*, sed ad consensum *per verba expressum* refertur. Idque perquam merito, eadem enim matrimonii, quæ aliarum conventionum conditio est, quæ sive vocibus sive nutibus fiant, stabiles firmæque consistunt. Atque ita jure Canonico sæpe definitum. Sic *extra*: de Sponsalibus, cap. 23, declaratum: a surdo & muto posse matrimonium contrahi; *cum quod verbis non potest, signis valeat declarare*. Nulla ergo in Eugenii decreto est difficultas, si ejus verba, uti par est, intelligantur hoc modo: *causa efficiens matrimonii est, mutuus consensus, regulariter per verba expressus*.

Inst. 1. Atqui potest sine consensu mutuo verum iniri matrimonium: ergo &c.

Prob. subs. Adami & Evæ verum matrimonium fuit, & nuptiarum qualiter in posterum contrahi deberent, exemplar absolutissimum; atqui non mutuo eorum consensu, sed solius Dei sic volentis imperio nexum est: ergo &c.

Prob. Min. ex verbis Scripturæ: (*Gen.* 2, 18, *& seq.*) *Dixit quoque Dominus Deus*: *non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi . . . . Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam . . . Et ædificavit costam quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam*. Atqui in his verbis solum apparet Dei præcipientis imperium; de mutuo Proto-parentum consensu prorsus siletur: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. cum enim prout in argumento vere observatum est, Adami & Evæ matrimonium, futurarum nuptiarum norma exemplarque fuerit; nemini dubium esse debet, quin eorum voluntates Deus in mutuum consensum inflexerit, sine quo veras nuptias esse non posse, auctoritate & ratione monstratum est. Ecquis enim vero inducat in animum, aut permissurum Deum, ut sine animorum conjunctione fœdus Sanctissimum sanciretur, aut non valiturum Adami & Evæ, tam sibi subditas voluntates, ad mutuum consensum movere, qui habet cordium, quando, & ubi & quomodolibet vult inclinandorum omnipotentissimam potestatem?

Ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. Quamquam enim de mutuo Adami & Evæ consensu, expressam scriptura mentionem non faciat; aperte tamen innuit, non sine reciproca voluntate fuisse conjunctos. De Eva namque dicitur, v. 22, quod eam Deus ad Adam adduxerit. Adduxit porro non invitam, aut reluctantem, sed volentem ac consentientem. Idemque in Adamo manifestius apparet, qui simul ac Evam conspexit: *hoc nunc os*, inquit, (*ib. v.* 23.) *ex ossibus meis, & caro de carne mea ... Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una ....* Quod profecto non diceret, nisi matrimonio consentiret.

Inst. 2. Atqui mutuum consensum esse matrimonii causam efficientem, certo ex Scriptura probari nequit: ergo &c.

Prob. subs. Inter cætera quæ attulimus scripturæ testimonia, ad ostendendum sine contrahentium consensu reciproco, nuptias iniri non posse, præcipuum istud erat ex Gen. c. 24, v. 57, *vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem &c.* Atqui nihil pro nobis hoc testimonium facit. Inde enim minime probatur, consensum esse matrimonii causam efficientem, si consensus Rebeccæ ad profectionem, non ad nuptias referatur. Atqui interprete S. Ambrosio, (*lib.* 1 *de Abraham, cap. ult.*) non nuptiis, sed profectioni puella dedit assensum: id quod textus ipse Scripturæ haud obscure insinuat. Ajunt enim ad Rebeccam parentes & fratres, (ib. v. 58.) *vis ire cum homine isto? quæ ait: vadam*. Hinc ergo nequaquam evincitur, consensum esse matrimonii causam efficientem.

℟. Nego subseq. ad probat. concessa major. n. min. & ad ultimum argumentum, data pariter maj. dist. min. affirmat S. Ambrosius consensum Rebeccæ, non ad nuptias, sed ad perfectionem referri, *immediate*, conc. *exclusive*, n. min. & conseq.

Digitized by Google

E. ℟. Equidem consensus Rebeccæ respondentis, *vadam*: immediate ejus ex Mesopotamia profectionem respiciebat. Voluntas tamen paterna domo exeundi, & in terram Chanaan, quam Abraham incolebat, arripiendi itineris, consensum in conjugium principaliter includebat; cum non alia ei foret causa proficiscendi, quam ut votis Abrahæ satisfaceret, qui servum suum ideo in Mesopotamiam miserat, ut de cognatione sua uxorem unigenito suo Isaac procuraret: nec alium S. Ambrosio sensum affingere possumus. Ex ipsa enim Genesis lectione adeo manifestum est, Rebeccam nuptiis dedisse consensum, ut S. Doctorem latere hæc veritas non potuerit.

1. Enim servus Abrahæ in maternam Rebeccæ domum introductus, statim causam itineris aperit, declaratque se ideo venisse, ut uxorem pro herili filio de cognatione Abrahæ postularet: tum adjicit Rebeccam huic matrimonio divinitus destinatam. *Ipsa mulier*, inquit, (*Gen.* 24, 44, 48, *& seq.*) *quam præparavit Dominus filio Domini mei* . . . . *Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo Domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris Domini mei filio ejus. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum Domino meo, indicate mihi: si autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram sive ad sinistram.*

2. Parentum ac fratris Rebeccæ continuo consensus accedit. Sic enim Scriptor Sacer prosequitur: (*ib. v.* 50, *& seq.*) *Responderuntque Laban & Bathuel: a Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filii Domini tui, sicut locutus est Dominus.*

3. Nec putet aliquis hæc puella inscia contigisse: ibidem enim statim legitur, Rebeccam a servo Abrahæ munera, in piguus futuri matrimonii accepisse: quod sane consensus ejus convincens est argumentum. *Quod cum audisset puer Abraham*, inquit textus Sacer, (*ib. v.* 52, *& seq.*) *procidens adoravit in terram Dominum. Prolatisque vasis argenteis & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque ejus, & matri dona obtulit.*

4. Denique hoc ipsum manifestum fit ex verbis, quæ Rebeccæ fausta omnia precando, mater ejus & fratres pronunciant. *Dimiserunt ergo eam*, ait Scriptura (*ib. v.* 59, *& seq.*).... *Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.*

Inst. 3. Saltem ex Scriptura probari nequit, ex utraque viri & uxoris parte consensum requiri ad matrimonium efficiendum: ergo &c.

℟. Nego ant. nam cum scriptura doceat, solo consensu matrimonium fieri; mutuum esse debere consequens est. Matrimonium enim pariter a viro & uxore contrahitur: corporum potestas mutua est: ad individuam vitæ consuetudinem obligatio mutua: usus matrimonii mutuus. Pari ergo utrimque libertate, pari utrimque consensu Sacra pactio ineunda.

Inst. 4. Prob. ant. adducta superius testimonia scripturarum, ex *Gen.* c. 24, Libro *Num.* c. 36, & 1 ad Cor. 7, tantum mulierum meminerunt. Ergo ex Scriptura probari non potest, mutuum viri & mulieris consensum requiri.

℟. Concesso ant. n. conseq. quando enim duo intime sunt conjuncta, hoc ipso quod de uno aliquid affirmatur, de altero affirmari necessum est; maxime si reciproca utriusque ac mutua relatio fit; atqui ad matrimonium contrahendum, oportet viri & mulieris reciprocum consensum intervenire, & unum intime esse conjunctum cum altero. Matrimonium siquidem non est simplex donatio, sed contractus mutuus, *do ut des*; idest: *consentio, si consentis*. Cum igitur ex Scriptura locis allegatis, necessarius sit consensus mulieris; idem de viro putandum, eoque magis quod sexus virilis, quippe muliebri præstantior, liberior esse debeat.

Instab. Ultimo. Saltem absolute potest Deus matrimonia jungere, absque contrahentium consensu. Cujus rei ex *Osee* Propheta exemplum adducunt, cui Deus nullo postulato aut expectato consensu: *vade*, inquit, (*Osee* 1, *v.* 2, *& seq.*) *sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum* . . . *& abiit, & accepit Gomer, filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium*: &c. Nec enim credibile est, S. Prophetam in hoc opprobrium consensisse, ut cum prostituta muliere nuptiale fœdus iniret: perperam ergo diximus consensum mutuum necessario esse Matrimonii causam efficientem.

℟. Dato ant. n. conseq. non enim hic quærimus, quid Deus absolute, & præter consuetum ordinem possit: sed ex Scriptura, & auctoritate majorum, ipsaque naturali ratione, quam legem in contrahendis matrimoniis observari præceperit, indagamus. Equidem posse Deum per se, omnique contrahentium secluso consensu, matrimonia fœderare, communis Theologorum doctrina est, cui contradicere non præsumimus, ne videamur divinæ potentiæ metas velle præscribere. Sed cum iisdem Theologis affirmamus, hunc a Deo ordinem

dinem constitutum, & in ipsa naturæ lege fundatum, ut non aliter quam mutuo contrahentium consensu matrimonia fierent, aut fieri possent: nec in contrarium quidquam afferri posse putamus. Osee namque exemplum, si bene advertimus, nobis nullatenus adversatur. Quis enim negare, sine testimonio, audeat S. Prophetam, imperatis sibi divinitus nuptiis adhibuisse consensum? Numquid qui præcipiebat has nuptias sat potens non erat, ut Prophetæ ac meretricis ambas voluntates, in reciprocam consensionem inflecteret? Aut numquid turpe & ignominiosum viro Dei videri poterat matrimonium, quo, revelante Deo, sciebat, secretiora divinæ ultionis ac misericordiæ mysteria figurari? Nec est quod opponatur, filios ex hac Osee cum meretrice copula genitos, *fornicationum filios* appellari. Nam si eo sensu *fornicationum filii* dicti sunt, quod Propheta cum *Gomer* fornicatus fuerit; non ergo inter utrumque verum matrimonium intercessit: adeoque exemplum illud afferri non poterat, ad probandum posse absolute sine mutuo consensu, in matrimonium conveniri. Dicendum itaque non ideo filios fornicationis esse dictos, quasi spurii ac illegitimi fuerint; sed habita ratione turpitudinis præteritæ, quam uxor ejus suimet prostitutione contraxerat.

Proponitur & resolvitur gravis quædam quæstio.

De consensu ac libertate ad verum efficiendum matrimonium necessaria, quæstione sexta sermo redibit, ubi de Nuptiarum impedimentis dicturi sumus. Interim gravis hic controversia oritur, de consensu ipso qualis esse debeat? Utrum necessario oporteat esse internum: an e contra sufficiant verba consensum significantia, etiamsi qui assentiri se simulat, interius reluctetur, illudque quod se velle mentitur, revera nolit? res fiet exemplo clarior. Ducit aut ducere videtur Petrus Catharinam in matrimonium. Exterius omnia transiguntur, quæ ad firmandum conjugii contractum, communi opinione putantur: mutuus hinc inde consensus verbis perspicuis significatur. Ait Petrus Catharinæ: *Accipio te in meam*: cui vicissim puella, *te*, inquit, *in meum accipio*. Dissentit tamen in corde Petrus, contrariamque intus voluntatem gerens, quem ore præstat assensum, retrahit voluntate, & cohibet intus dicendo: *non accipio te in meam*.

Quæritur quid de tali matrimonio sentiendum? Qua in re, diversa Theologorum judicia ac placita sunt: volunt alii contractum hunc, modo adsint aliæ conditiones, ratum firmumque manere, nec posse Petri renitentis interius malitia irritari. Sunt e contrario, iique numero plures, qui inibi quidem esse fatentur externam veri matrimonii speciem; esse tamen defectu interioris consensus, irritum prorsus atque invalidum. Habet utraque sententia nodos suos; habet & plausibilia in sui defensionem argumenta, quæ haud ita facile ab adversariis extricentur. Quod ut manifestum fiat, juvat sigillatim afferre momenta, quibus utraque opinio nititur.

Afferuntur argumenta volentium matrimonium de quo quæstio est, esse validum.

1. Doctrinam suam adstruunt auctoritate Magistri sent. l. 4, distinct. 27, sic loquentis, „ Si verbis explicant (*sponsi*) quod tamen „ corde non volunt; si non sit coactio ibi, „ vel dolus, obligatio illa verborum quibus „ consentiunt, dicentes: *Accipio te in virum*: „ *& ego te in uxorem*: matrimonium facit". Ita Magister, cui plerique de schola magistri subscribunt; atque inter cæteros *Contensonius* magni nominis Thomista.

2. Nituntur principio apud juris civilis & Canonici peritos receptissimo: *fraus & dolus nemini debent patrocinari*. Atqui si Petrus libere proferendo hæc verba: *Accipio te in meam*: hoc ipso quod intus non consentiret, vere non contraheret matrimonium; fraus & dolus illi patrocinarentur. Posset nimirum in foro externo impune se gerere, quasi revera Catharinam duxisset; eaque postmodum derelicta, in externam regionem confugere, ubi cum altera sine culpa contraheret. Cumque penes illum esset, in sequentibus nuptiis pari simulatione uti; tantum in nequitia & fraude sua haberet præsidii, ut diversas peragrando provincias, posset pro hospitiorum ac civitatum, ad quas diverteret, numero, nefanda connubia iterare, infrunitam libidinem obtentu consensus interius denegati præcedentibus nuptiis, excusando.

Idem dicendum de iis qui ad nuptias cum constupratis a se virginibus contrahendas judicis sententia, sub pœna capitis condemnantur: postquam enim simulato fidem dedissent, possent alio fugere, novumque tuta conscientia matrimonium obire: adeoque violatarum puellarum honori, & bono familiarum, male per leges civiles esset consultum: fatendum ergo matrimonio, ut validum sit, verba consensum exprimentia abunde sufficere, quamquam fallaciter, & voluntate interius reluctante pronuncientur.

3. Si ut nuptiæ validæ forent, requireretur internus consensus, dubia & incerta omnia ma-

matrimonia redderentur: ut enim ait Tullius, *frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur: oratio vero sæpissime*: quod axioma quotidiano experimento compertum est, tum in cæteris humanis negotiis, tum principaliter in matrimonio habere locum: quot enim viros reperire est, qui insanæ libidinis æstu abrepti, verbis ad fallaciam compositis, miseras puellas seducunt, consensumque exterius simulant, quem intus in corde negant? quis vero valeat puellas enumerare, quæ vel innato pudore, vel metu parentum, vel reverentia, nuptiis consentire dissimulant, quas maxime detestantur? si igitur consensus amborum requiritur, tutus ac securus de matrimonio nemo erit; quia neuter habet consensum alterius plena certitudine exploratum: atque adeo toto vitæ suæ tempore conjuges de nuptiis suis, validæ an invalidæ sint, animo fluctuabunt: incerti erunt de prole suscepta, sit ne legitima, aut nefario concubitu genita: incerti de officio conjugali, reddere ne illud licite possint, ac petere: sicque scrupulorum & anxietatum nullus futurus est finis: quæ cum nemo non videat inconvenientissima esse: tutius est affirmare, ad matrimonii veritatem sufficere consensum liberum in pronunciatione verborum, etiamsi non adsit in rem significatam consensus.

Proponuntur eorum Argumenta, qui sentiunt matrimonium de quo quæstio est, invalidum esse.

His similibusque momentis Theologi quos prædiximus, opinionem suam defendunt.

In contrarium alii hoc ipsum matrimonium invalidum esse contendunt; & præter vanam contractus imaginem nihil esse: sic vero doctrinam suam stabiliunt.

1. Afferunt auctoritates sum. Pontificum, superius ad probationem conclusionis adductas: *solus consensus*, ait Nicolaus I, *facit matrimonium* . . . . . *solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur* . . . . . *quæcumque verba intervenerint*, inquit Innocent. III, (*cap. tua nos extra: de spons. & matr.*) *si propositum & consensus matrimonii non sit in animo; nihil fit: quia ut dictum est, voluntas est, quæ matrimonium facit* . . . & Eugenius IV, (*in decr. pro Arm.*) *causa efficiens matrimonii est, mutuus consensus, per verba de præsenti expressus* . . . . quibus consentiens Ulpianus, celebris legum interpres: *stipulatio*, inquit, *quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est* . . . . atqui hæc verba non possunt nisi absurde de sola consensus expressione, cum exclusione consensus interni intelligi: qui enim affirmant, sola voluntate matrimonium fieri, & solius consensus defectu, cætera quæ ad matrimonium pertinent, nullius valoris ac pretiis esse, profecto non in externa consensus significatione, sed in actu voluntatis matrimonium collocant; atqui hæc sum. Pontificum, & aliorum sententia est: ergo &c.

2. Nituntur celeberrimorum quos schola habuit magistrorum auctoritate: omnium instar sit S. Thomas, in 4 sent. dist. 27, qu. 1, art. 2, quæstiuncula 4, sic loquens: *expressio verborum sine interiori consensu, matrimonium non facit* . . . . & ib. in resp. ad 2, *si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium.*

3. Sententiam suam ex ipsa consensus notione propugnant: est enim essentialiter actus interior, qui non potest nisi a voluntate proficisci: *consensus*, inquit Gratianus, *est duorum sensus in idem, id est, simul cum alio sensus, sive voluntas*: consulatur quidquid uspiam est Philosophorum, & de consensu, in quo ejus natura ponenda sit, interrogetur; nemo opinor erit, qui consensum propriam voluntatis operationem esse non dicat: atqui actus voluntatis necessario internus est: cum ergo certum sit, matrimonium sine consensu non fieri, pariter fatendum, externam consensus significationem ad nuptiarum veritatem non sufficere.

4. Resolvunt adversariorum argumenta: nam 1. Quod ajunt, fraudem & dolum nemini debere patrocinari, quia naturæ ipsius effatum est, ultro admittunt: sed minorem inde assumptam inficiantur, fraudem scilicet Petro patrocinaturam, si proferendo hæc verba: *accipio te in meam*: hoc ipso quod intus non consentiret, contractum nullum & irritum redderet: nam, inquiunt, fraus illa spectari potest, vel in foro conscientiæ, vel in foro externo tum Ecclesiastico, tum civili, atqui quovis attendatur modo, Petro patrocinium nullum affert: non in foro quidem conscientiæ: quisquis enim peccat, profecto actu suo apud Deum totius sanctitatis fontem nihil juvatur: porro Petrum hac perfida simulatione gravissime Deum offendere certum est: sed nec in foro externo, sive Ecclesiastico, sive civili: quem enim leges omnes judicant vere matrimonium inivisse, ex fraude sua nequit lucrum aliquod vel præsidium comparare; atqui hoc ipso quod Petrus, verba consensum significantia, serio & in debitis circumstantiis pronunciavit, quod matrimonium vere contraxerit, legum omnium tum canonicarum tum civilium definitio est; nec, si ab inita pactione resiliat, ad novas nuptias convolando, poterit prætextu denegati

con-

Digitized by Google

consensus, pœnas contra Polygamos decretas effugere: omni ergo ex parte falsum est, Petro fraudem suam patrocinari.

2. Argumentum a matrimonii incertitudine ductum sic diluunt: si necessarius esset consensus interior, nemo posset esse certus de suo matrimonio, *certitudine physica*, concedunt: *certitudine morali*, negant. E. D. certitudo physica est, quæ in ipsa evidentia fundamentum habet: quomodo certum est, bis bina esse quatuor: certitudo moralis, quantum ad præsens spectat, ea est, quæ cum evidentia careat, sumit ab humano testimonio firmitatem: jam vero non habet quidem matrimonium semel contractum, physicam certitudinem, quia neutri conjugum potest consensus alterius evidens esse: moralem tamen importat, quæ sicut in aliis contractibus, ita in matrimonio sufficit; atque adeo falso ab adversariis dicitur, incertas fore nuptias omnes, si præter externam consensus expressionem, consensus ipse interior absolute requireretur. Cum igitur indignum sit, in re adeo seria homini quidpiam affirmanti, & voluntatis signa indubia exhibenti non credere: dicendum positis cæteris veri matrimonii conditionibus, certas esse nuptias, certam prolem ex iis susceptam, certum denique conjugis utriusque officium, ea nimirum certitudine quæ rebus moralibus convenit, quaque majorem in humanis conventionibus quærere, est rem impossibilem postulare.

3. Auctoritatem Magistri sentent. in præsenti causa non multum curant; tum quia cur ita sentiret, probabilem causam non attulit; tum quia a communiori aliorum judicio recedendo, ne sibi crederetur effecit; tum quia ejus decisioni Nicolai I, Innocentii III, Eugenii IV, aliorumque decreta longe præponderant.

Fertur de utraque opinione judicium.

Jam si quæratur, ex his duabus sententiis, quæ sit alteri præponenda? salvo meliore judicio respondebimus, tutiorem nobis videri, quæ affirmat ad matrimonii veritatem, requiri consensum internum, nec externam ejus, repugnante voluntate, significationem sufficere: habet opinio hæc fundamentum,

1. In auctoritatibus supra adductis, quæ nisi consensum interiorem necessarium esse affirmant, nihil prorsus significant: *solus consensus*, ait Nicolaus I, *facit matrimonium*: & Innocentius III, *si propositum & consensus matrimonii, non sit in animo, nihil fit*: nec minus perspicue S. Thomas, *si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est matrimonium* . . . . . porro a tanta, tantique ponderis auctoritate recedere, nobis nec tutum videtur, nec a nota temeritatis immune.

2. In natura ipsa ac notione contractus conjugalis, qui cum actus humanus sit, sola potest fieri voluntate, eoque magis, quod nuptiæ potissimum in fide mutua, & animorum conjunctione consistant, quam sibi mutuo conjuges spondent: qua autem ratione intelligi animorum conjunctio potest, ubi alter conjugum animum habet a voluntate contrahendi alienum, intusque in corde assensum denegat, quem ore mendaci præstare se fingit?

3. In opinionis contrariæ plausibili confutatione: quod enim ajebant adversarii:

1. Nisi valeret matrimonium, consensu externo interveniente contractum, licet voluntas intus contraria sit, dolum auctori suo patrocinaturum:

2. Incertas omnes nuptias fore, abunde, ni fallimur, a nobis est confutatum: merito ergo communiori doctrinæ standum censemus.

Diluuntur duæ objectiones.

Ast contra militant oppositiones duæ, quæ haud parvam difficultatem obtendunt.

1. *Est:* nisi sola externa consensus expressione vere matrimonium fieret, sequeretur perfidiosum mendacemque conjugem, ad fatalem, quidquid in posterum sit acturus, peccandi necessitatem compelli: sive enim officium maritale exerceat, sive, postulatus, exercere detrectet; in grande scelus incurrit: peccat si exerceat; quia cum conjux non sit, indebitum jus usurpat, adeoque fornicatur: peccat si deneget, tum quia fidem solemniter datam infringit; tum quia consorti suæ, aut quæ consors esse putatur, præbet peccandi occasionem; atqui rigoris nimii est, affirmare quemquam ad inevitabilem peccati necessitatem adstringi: dicendum ergo sola externa consensus declaratione etiam animo renitente expressa, matrimonium vere fieri.

R. Fateor sceleratum conjugem, quamdiu in prava voluntate persistet, quidquid in matrimonii causa acturus sit, peccaturum: sed nego fatalem hanc esse peccandi necessitatem: inevitabile namque non est, quod avertere in tua habeas potestate; atqui non peccare homo perfidus in sua habet potestate: tantum mutet perversam voluntatem, & quem ante cohibuerat voluntatis consensum, admoveat; tumque vere conjux erit, qui erat ante fictitius, & jure suo mariti officium exercebit: necessitatis hujusmodi, quam tollere quisque in suo arbitrio habet, innumera sunt exempla: sic, ut e multis unum afferam: sit aliquis eo impieta-

pietatis provectus, ut incruentum Domini sacrificium pro superstitione diabolica habeat: ille sane quamdiu in infidelitate perseverabit, sive diebus Dominicis non intersit missæ sacrificio, sive intersit, sceleris convincetur: peccabit, si non interfuerit, quia infringet Dei & Ecclesiæ mandatum, a cujus observatione, perfidia sua non liberatur: peccabit, si adfuerit, quia quam exterior profiteri videbitur, sacrificii Dominici veritatem, intus negabit ac blasphemabit: numquid ideo dicturi sumus, ad fatalem adigi peccandi necessitatem? absit: quam enim facile necessitas illa tollatur; felici experimento probabit, si modo (quod in sua maxime habet potestate) voluntatem mutet, & ad se reversus, quam antea blasphemabat divinam victimam, animo vere fideli ac pœnitente adoret: porro objectio proposita, cum ejusdem speciei sit, pari, ut prædiximus, ratione diluitur.

2. *Est*. Libro 1, qui fuit de Sacramentis in genere, qu. 5, multiplici argumento probavimus, in ministris Sacramentorum, non requiri internam ut vocant, faciendi operis sacri intentionem; sed externam sufficere, dummodo serio & in circumstantiis debitis peragatur; atqui doctrinam hanc tot munimentis, tum ex auctoritate tum ex ratione instructam, præsens de matrimonio sententia funditus subvertit ac diruit.

Nam Sacramenti matrimonii, ipsi contrahentes ministri sunt, atqui nobis ipsis judicibus, matrimonium, quantumlibet consensus externus adsit, & serio, omnique adhibita diligentia exprimatur, sine interno consensu ac intentione non fit: fateamur ergo necesse est in ministris Sacramentorum requiri internam intentionem, ut Sacramenta vere sint & dicantur.

R. Concessa maj. n. min. ad probat. duplex esto responsio.

1. Nego maj. Sacramenti enim matrimonii, non secus ac aliorum consecratio, ad solos ministros sacros, presbyteros pertinet; nec quidquam ad illud vir & fœmina nubentes, præter ipsum contractum, qui Sacramenti materia est, conferunt: quomodo Sacramenti pœnitentiæ, licet ejus materiam pœnitens ipse actibus suis, dolendo, confitendo, & voto satisfaciendi contribuat, non alius præter sacerdotem minister est, ad quem pertinet actus pœnitentis, ad naturam & efficaciam Sacramenti, adhibita forma, provehere: erit forte cui stomachum hæc responsio moveat: tantum enim auctoritatis contraria opinio inter scholasticos acquisivit, ut negare contrahentes ipsos, Sacramenti esse ministros, multorum judicio pene pro hæresi habeatur: quod si quis de numero auditorum in hac sententia sit, rogamus, ut judicium aliquantisper cohibeat, donec ad librum ultimum, qui de Sacramento matrimonii futurus est, ventum sit: hic enim speramus demonstrare, non sine causa hujus Sacramenti, uti & aliorum ministerium, solis presbyteris vindicare; indignumque esse, & antiquæ doctrinæ contrarium, ejus consecrationem viris laicis, ipsisque mulieribus, tamquam ordinariis ac necessariis ministris, non tam dare, quam prodere: interim data & non concessa majore:

2. Dist. min. nobis judicibus matrimonium sine interno consensu ac intentione non fit, *quatenus contractus est*, conc. *quatenus est Sacramentum*, n. min. & conseq.

E. R. Gravis hæc adversariorum hallucinatio est, quod in matrimonio, res diversissimas confundant, contractus scilicet & Sacramenti rationem; contractum nuptiarum haud aliter quam interno paciscentium consensu effici firmarique contendimus, tum propter alias supra adductas rationes; tum speciatim quia fides mutua, animorumque conjunctio, quam sibi mutuo conjuges spondent, sine consensu interno nec esse nec concipi potest: longe vero aliter de matrimonii Sacramento sentimus, quod cum Dei opus sit, ad quod homines nudum ministerium afferunt formam materiæ applicando, eo ipso quo serio & in circumstantiis debitis, hæc applicatio fit, quantalibet intus ministri intentionem revocantis, perversitas ac repugnantia sit; tam necessarium est produci Sacramentum, quam stupam admoto igne comburi: habet autem hæc ratio locum, tum in reliquis Sacramentis, tum in matrimonio ipso, etiam in hypothesi quod ejus ministri sint contrahentes: eorum enim intentio interior, non ideo requiritur ut matrimonium Sacramentum sit, sed ut pro vero ac legitimo contractu haberi possit: unde si conjuges mutuam sibi fidem his verbis exterius exhibendo, *accipio te in meam*: *accipio te in meum*: vera contrahendi voluntate caruerint, non ideo erit irritum Sacramentum, quia ejus conficiendi intentio abfuit; sed quia defuit contractus ipse, qui Sacramenti materia necessaria est: jam si quis mordicus contendat, contractus rationem ab ipso Sacramento in matrimonio inseparabilem esse; atque adeo de utraque idem debere esse judicium: attendat, posse aliquos vere & adhibito interno consensu, nuptiarum sancire fœdus, etiamsi nolint fieri Sacramentum: sic enim Lutherani & Calvinistæ matrimonium esse Sacramentum præfracte negantes, volunt tamen quando nubunt, ejus inire contractum: potest pariter aliquorum in catholica Ecclesia tanta perversitas esse, ut non credant in fœdere

dere nuptiarum gratiam dari; atque adeo nihil quidquam velint dum nuptias obeunt, præter contractum civilem sancire, de Sacramento non cogitantes, quin etiam irridentes: qui si, ut in objectione supponitur, ministri Sacramenti forent, hoc ipso quod serio, aliisque adhibitis necessariis conditionibus, interno consensu contraherent, verum Sacramentum, non obstante infidelitate ac malitia sua, quamquam gratia vacuum, facerent: verum hoc per meram concessionem dictum intelligi volumus: matrimonii namque, ut Sacramentum est, ministerium, solis putamus sacerdotibus vindicandum: qua de re infra dicetur.

§. SECUNDUS.

Quæ sit causa formalis matrimonii.

Causam matrimonii formalem intelligimus, ipsam ejus essentiam, sive attributum sine quo nec esse nec concipi potest; hoc posito, sit:

Conclusio. Causa formalis matrimonii est, obligatio, vinculum, & nexus mutuus, ex consensu interno & pactione externa inter virum & mulierem resultans.

Cum enim matrimonium ex natura sua perpetuum ac indissolubile sit; ejus essentia non in aliquo transeunte, sed in re permanente ponenda est; atqui quod intelligitur in matrimonio permanens, hæc ipsa obligatio est, vinculum & nexus, ex mutuo viri mulierisque consensu exterius significato resultans: qui nexus nisi alterutrius interveniente morte abrumpi non potest: *quæ sub viro est mulier*, ait Apostolus, (*Rom.* 7, 2, *& seq.*) *vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro* . . . . . in hoc itaque vinculo matrimonii forma consistit.

Deinde: vel fatendum in hac obligatione matrimonii naturam reponi, vel dicendum in eo actu consistere, quo primum vir & mulier mutuo consensu verbis expresso conveniunt: porro secundum dici non potest: nam actus transiens, peneque momentaneus, non potest rem permanentem constituere; alioquin enim res, etiam postquam desiisset esse, perduraret: quæ manifesta contradictio est; atqui actus ille quo primum vir & mulier, consensu mutuo significato conveniunt, transitorius ac momentaneus est: matrimonium vero tamdiu durat, quamdiu ambo conjuges supersunt: ergo dicendum est primum.

Solvitur quædam objectio.

Antiqui Theologi, *inquies*, ex mutua viri & conjugis obligatione matrimonii definitionem non repetunt: sic Hugo a S. Victore, *matrimonium*, ait, *est duarum personarum idonearum legitimus de conjunctione consensus*: alii vero: *matrimonium*, inquiunt, *est consortium communis vitæ, & communicatio divini & humani juris*: ergo non putabant primi subsellii magistri, causam formalem sive essentiam matrimonii in mutua obligatione consistere.

R. Concesso ant. n. conseq. quæ enim efferuntur Hugonis & aliorum definitiones, non essentiales, sed descriptivæ sunt: adeoque nihil contra nos faciunt: *dicendum*, inquit S. Thomas, (*suppl. qu.* 44, *art.* 3, *in corp.*) *quod in matrimonio tria considerantur, scilicet causa ipsius, & essentia ejus, & effectus: & secundum hoc tres definitiones inveniuntur de matrimonio datæ: nam definitio Hugonis tangit causam, scilicet consensum, & est per se nota: definitio autem magistri sententiarum, qua dicit matrimonium esse viri & mulieris maritalem conjunctionem, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinentem; tangit essentiam matrimonii, scilicet conjunctionem . . . . sed alia definitio tangit effectum, ad quem ordinatur matrimonium, scilicet vitam communem in rebus domesticis: & quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideo ponitur jus divinum & humanum, quo mutua viri & mulieris communicatio nititur.*

§. TERTIUS.

Quæ sit matrimonii causa materialis?

Causam matrimonii materialem dicimus, materiam ipsam, sive subjectum cui forma inest.

Conclusio. Causa matrimonii materialis sunt, legitimæ ipsæ personæ, mutuam obligationem consensu reciproco contrahentes.

Nihil habet hæc assertio difficultatis: materialis enim rei cujuslibet causa, illud est in quo forma ejus recipitur; atqui mutua obligatio quam diximus matrimonii esse causam formalem, afficit personas ipsas matrimonium contrahentes: ergo &c.

§. QUARTUS.

Quæ sit matrimonii causa finalis.

Cum finis generatim sit, cujus gratia aliquid fit; sive ad quod opus ordinatur: manifestum est, causam matrimonii finalem esse,

1. Susceptionem & educationem prolis:

2. Virum inter & mulierem individuam vitæ consuetudinem, societatem domesticam, & bonorum communicationem.

3. Concupiscentiæ refrænationem.

Ideo enim inter homines nuptiarum fœdera sanciuntur, ut prolem suscipiant & educent, ut curas & officia domestica, conjunctione individua & indissolubili partiantur; & denique in ipso conjugio habeant salutiferum contra rebelles concupiscentiæ motus remedium. Hæc quia facilia sunt, discussione non egent.

Verum hic grave nascitur de carnali copula dubium, utrum ita necessario ad matrimonium spectet, ut non possit sine ea, aut saltem sine ejus voluntate consistere? quod ut perspicue resolvamus,

Notandum 1, matrimonium tribus modis intelligi: aliud enim dicitur legitimum, aliud ratum, aliud consummatum.

Legitimum est, quod jure gentium, & legum civilium decretis firmatur; quales sunt infidelium & Judæorum maritales conjunctiones: licet enim extra Ecclesiam non habeant rationem Sacramenti; civilis tamen contractus & naturalis officii titulo gaudent.

Ratum appellant, quod secundum leges non civiles tantum, aut natura magistra dictatas, sed & juxta decreta Ecclesiæ, Rectore Spiritu Sancto lata, inter Christi fideles contrahitur. Unde *ratum* dicitur, idest ab Ecclesia approbatum.

Consummatum denique dicitur, quod interveniente copula naturali perfectum est, quodque est eo deductum, *ut essent duo in carne una*, & *jam non essent duo, sed una caro*, prout legitur in Scriptura (*Gen.* 2, 24. *Matth.* 19, 6).

Notandum 2, Matrimonium consummatum, duplici causa dici perfectum.

1. Ex ipso ejus fine petitur, qui prolis susceptio est. Porro juxta consuetas naturæ leges, non aliter proles quam ex copula carnali, & sexuum commixtione haberi potest. Per illam ergo aliquid matrimonio perfectionis accedit.

2. Est, quia matrimonium consummatum unionem Christi cum Ecclesia perfectiori modo significat. „ Cum duo sint in conjugio, „ inquit Innocentius III Pontifex Max. (*cap.* „ Debitum: *Extra*, de Bigamis non ordinan- „ dis) videlicet consensus animorum, & com- „ mixtio corporum .... Profecto conjugium „ illud quod non est commixtione corporum „ consummatum, non pertinet ad illud con- „ jugium designandum, quod inter Christum „ & Ecclesiam, per incarnationis mysterium „ est contractum. Juxta quod Paulus expo- „ nens illud quod dixerat Proto-Plastus, (Gen. „ 2, 23 & seq.) *hoc nunc os ex ossibus meis*, „ *& caro de carne mea*: &, *propter hoc re-* „ *linquet homo patrem suum, & matrem, &* „ *adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne* „ *una*, statim subjungit: (*Ephes.* 5, 32) *Sa-* „ *cramentum hoc magnum est, ego autem di-* „ *co in Christo, & in Ecclesia* ".

Jam ut ad difficultatem propositam revertamur, quæritur utrum consummatio matrimonii sic ad perfectionem ejus pertineat, ut, sine illa matrimonium verum esse non possit? Pro cujus resolutione sit:

Conclusio. Consummatio matrimonii non est de ejus essentia. Sensus assertionis est, quod licet matrimonii essentia videatur in ea potestate consistere, quam uterque conjugum habet in corpus alterius, & mutua illa potestas videatur ad carnalem copulam essentialiter ordinari; non illam tamen, quin nec ad illam consensum expressum, ad matrimonii essentiam ulla ratione pertinere putandum sit. Id quod auctoritate & ratione probare aggredimur.

PROBATIO PRIMA.

Ab exemplo Virginis Deiparæ, & Beati Patriarchæ Joseph.

1. Sic informatur argumentum. Inter Beatissimam Virginem & S. Joseph, verum matrimonium intercessisse, veritas est ex litteris Novi Testamenti notissima, frequentissime attestantibus Joseph virum fuisse Mariæ, vicissimque Mariam, uxorem & conjugem Josephi vocantibus. *Jacob*, inquit S. Matthæus, (*Matth.* 1, 16) *genuit Joseph virum Mariæ* .... Et paulo post: (*Ib. v.* 19) *Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam .... Exurgens autem Joseph a somno ... accepit conjugem suam ... ascendit autem & Joseph*, (ait S. Lucas 2, 5) ... *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante* .... (*ib. v.* 48) *fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*. Non enim Maria Josephum patrem Christi nomi-

mi-

Digitized by Google

mioaret, nisi augustum hunc titulum, inito cum Maria matrimonio meruisset. Cui simile est, quod in Matthæo legitur, (*Matth.* 13, 54, *& seq.*) quando Judæi divinam Jesu Christi doctrinam mirantes: *Unde*, inquiebant, *huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria?* Itaque Mariam inter & Joseph verum fuisse matrimonium, res erat extra omne dubium posita. Jam sic subsumo:

Atqui fidei dogma est, B. Virginem numquam virum cognovisse, & illibatam Virginitatem perpetuo conservasse: ergo consummatio matrimooii non est de ejus essentia.

Hoc argumento sæpe patres usi sunt, ad probandum essentiam matrimonii non in commixtione carnali, sed in animorum conjunctione consistere.

Sic S. Augustinus l. 1 *de Nuptiis & concupis.* c. 11: „ Quibus vero placuerit, *inquit*, „ ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ, in perpetuum abstinere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur. Immo eo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. „ Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu necognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi non fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio. Erat quippe illa virgo, ideo & sanctius & mirabilius jucunda viro suo, quia etiam fœcunda sine viro. Propterquod fidele conjugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus: utrumque mente, non carne . . . Sed cum illo non seminante illa peperisset, profecto nec ambo parentes essent (Christi), nisi inter se, etiam sioe carnis commixtione conjuges esseot “.

Et cap. 12: „ omne nuptiarum bonum, *inquit*, impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus, ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Non est igitur hæc libido, nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. Cur ergo non conjuges maneant, qui ex consensu concumbere desinunt; si manserunt conjuges Joseph & Maria, qui concumbere non cæperunt “?

S. Augustino consentit S. Ambrosius, in libro *de institutione Virginis*, c. 6, ubi refellens objectionem causantium, ideo Mariam inter & Joseph verum non fuisse conjugium, quia oulla eorum carnalis copula fuit: „ Nec illud moveat, *inquit*, quod ait (Evangelista) quia Joseph accepit conjugem suam ... non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis: denique cum jungitur puella, conjugium est; non cum virili admixtione cognoscitur “.

PROBATIO SECUNDA.

Ab exemplo Adami & Evæ Innocentium.

2. Petimus ab Adamo & Eva, quorum quamdiu in beatissimo statu innocentiæ perstiterunt, verum matrimonium fuit: nondum enim a Serpente delusus proto-parens fuerat, quando adductam ad se Evam intuens, in hæc verba erupit: *hoc nunc os exossibus meis, & caro de carne mea:* nondum naturam peccatum infecerat, quando Eva, uxor ejus est appellata, *relinquet*, inquit, *homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*: & continuo: (*Gen.* 2, 25) *erat autem uterque nudus, Adam scilicet, & uxor ejus, & non erubescebant*. Nondum denique de fructu vetito, divini mandati infractores, comederant, quando dictum est eis a Domino: (*Gen.* 1, 28) *crescite & multiplicamini*. Certum itaque est Adamum & Evam ante lapsum vero matrimonio fuisse conjunctos.

Jam sic prosequor argumentum; atqui nullus eis quamdiu innocentes vixerunt, matrimonii usus fuit: non enim leguntur filios procreasse nisi postquam in sceleris pœnam, paradiso voluptatis ejecti sunt: *ejecit itaque Deus Adam*, ait Moyses; (*Gen.* 3, 24. *ibid.* 4, *v.* 1) . . . . *Adam vero cognovit uxorem suam Evam; quæ concepit, & peperit Cain*. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex matrimonii definitione.

3. Ipsa matrimonii definitio suggerit: est enim, ut superius dicebamus, *viri & mulieris maritalis conjunctio, inter legitimas personas*,

nas, individuam vitæ conſuetudinem retinens; atqui omni ex parte deſcriptio illa conſtaret, etiam nulla conjugum carnali copula interveniente: conjunctio enim in qua prædiximus conſiſtere nuptias, obligatio ipſa eſt, nexus, & vinculum ex mutua conjugum conſenſione reſultans. Porro obligatio hæc animorum eſt ac voluntatum. *Matrimonium*, ait S. Joannes Chryſoſt. (*Hom.* 31 *in Matth.*) *non facit coitus, ſed voluntas* .... & S. Aug. (*Ser.* 51, *de div. c.* 15) *non itaque propterea non fuit Pater Joſeph, quia cum Matre Domini non concubuit; quaſi uxorem libido faciat, & non caritas conjugalis*. Cum itaque mutua conjugum obligatio, ſine carnali copula, plena integraque conſiſtat, ipſamque non natura tantum præcedat, ſed etiam tempore: conſequens eſt, conſummationem matrimonii ad eſſentiam ejus non pertinere.

PROBATIO QUARTA.

Ex diſcrimine quod inter dominium, & uſum dominii intercedit.

Dixerit forte aliquis: matrimonii natura in mutuo viri & mulieris jure conſiſtit, ſive in mutua poteſtate, quam propter corporis traditionem reciprocam, uterque conjux in corpus alterius habet: *mulier* namque, ait Apoſtolus, (1 *Cor.* 1, 4) *ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*; atqui mutua illa poteſtas, ſine copula carnali intelligi nequit. Ergo conſummatio matrimonii ad ejus eſſentiam pertinet.

Hoc ego principium ultro lubenſque admitto, matrimonium in mutuo viri mulieriſque jure reponens: minorem vero inde deductam inficior, quod nimirum non poſſit reciproca illa poteſtas ſine copula carnali intelligi: quin immo ex eodem principio ad noſtræ ſententiæ confirmationem quartum argumentum ſic eruo:

Matrimonium, conjugis utriuſque in corpus alterius, reciproca eſt poteſtas, ſive dominium quod uterque in carnem alterius habet, quo fit, ut jam non ſint duo, ſed una caro; atqui ſic inter ſe differunt dominium & uſus dominii, ut poſſit eſſe unum ſine altero: axioma namque juris Canonici eſt, poſſe uſum a dominio ſeparari: immo ex juris civilis præſcripto, fundi Dominus ſive proprietarius, non raro ejuſdem uſu privatur. Ergo ſine carnali copula, utriuſque conjugis in corpus alterius integra manet poteſtas: atque adeo conſummatio matrimonii non eſt de ejus eſſentia: quid enim ſi antequam de nuptiis paciſcantur, aut inito fœdere, mutuo conſenſu ab uſu conjugii proponant in perpetuum abſtinere: numquid propterea conjugale vinculum diſſolvetur? *immo*, inquit S. Aug. ſupra laudatus, (*lib.* 1 *de Nupt. & concup. c.* 11) *eo firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ carius concordiuſque ſervanda ſunt, non voluptariis nexibus corporum, ſed voluntariis affectibus animorum* .... & alio in loco, obſervans merito a S. Evangeliſta, Joſeph virum Mariæ nominatum: „ neque enim fas erat, „ *inquit*, (*lib.* 2 *de Conſ. Evang. cap.* 1) ut „ ob hoc eum a conjugio Mariæ ſeparandum „ putaret, quod virgo peperit Chriſtum, hoc „ enim exemplo magnifice inſinuatur fidelibus „ conjugatis, etiam ſervata pari conſenſu „ continentia, poſſe permanere vocarique con„ jugium, non permixto corporis ſexu, ſed „ cuſtodito mentis affectu ".

COROLLARIA

Præcedentis Doctrinæ.

Ex dictis ſequitur,

1. Puellam quæ perpetuam Deo voverit caſtitatem, poſſe abſolute loquendo, & ſolius juris naturalis habita ratione, nuptiale fœdus contrahere, ſi Deo revelante cognoſcat, a viro quem ducit debitum maritale numquam petendum: hæc enim duo non pugnant, videlicet Deo corpus ſuum ad virginitatem perpetuam conſecrare, & ejuſdem corporis poteſtatem dare viro, quem certo ſcias ea poteſtate numquam uſurum: cujus veritatis, etiamſi aliæ probationes deeſſent, certiſſimum in exemplo Beatiſſimæ Virginis argumentum foret: hæc enim, uti Theologorum pars ſanior docet, priuſquam Joſephò nubet, divinitus monita, S. Patriarcham matrimonii jure numquam uſurum, ſive quod ipſe votum ſimile caſtitatis emiſſurus eſſet, ſive quod ab uſu matrimonii, & juris petendi voluntate, divino afflatu eſſet avertendus; eo ſecurius matrimonium iniit, quod ſciret Joſephum virginitatis ſuæ cuſtodem, non violatorem futurum.

Simile quid de B. Cæcilia Virgine, & Martyre, Eccleſiaſticis monumentis proditum eſt: hæc enim licet prima ætate virginitatem ſuam Deo voviſſet, Angeli Cuſtodis ſui protectione munita, Valeriano poſtmodum, etſi contra voluntatem, tamen ſine periculo nupſit: quem, uti in Romano Breviario eſt, ipſa nuptiarum nocte ſic eſt affata: „ Ego, Valeriane, in An„ geli tutela ſum, qui virginitatem meam cu„ ſtodit: quare ne quid in me committas quo „ ira Dei in te concitetur: quibus verbis com„ mo-

„ motus Valerianus, illam attingere non est „ ausus „.

Dixi: *solius juris naturalis habita ratione:* jure enim scripto Ecclesiastico, voto perpetuæ castitatis obstrictis nedum licet nuptiale fœdus inire, strictissime prohibetur, propter imminens frangendi voti, & fidei Deo datæ violandæ periculum. Indeque est, quod iis ipsis qui post matrimonium contractum, consensu mutuo vovent abstinentiam a conjugio, cohabitatio omnis ac contubernium interdicitur. Nec puto Ecclesiam facile credituram, si qua Deo dicata virgo, ideo velle se maritum ducere causaretur, quod divina revelatione cognosceret, eum matrimonii jure sponte cessurum.

Sequitur 2, posse duos conjuges, statim atque matrimonium contraxerunt, consensu mutuo, perpetuæ continentiæ voto semetipsos obligare: cum enim, ut superius dictum est, usus rei sit a rei dominio separabilis: poterit uterque conjux potestatem in corpus alterius retinere, & ejus usui, votum emittendo, renunciare: quomodo a quibusdam sanctis viris ac fœminis factum in historia Ecclesiastica legimus. Sic de S. *Henrico* Imperatore memoriæ proditum est, quod virginitatem matrimonio, raro exemplo conjunxerit; mortique proximus, S. *Cunegundam* conjugem suam, propinquis ejus, virginem, & illibatam, prout receperat, restituerit: celebratur pariter in Græcorum historia matrimonium *Marciani* Imperatoris, & Imperatricis *Pulcheriæ*, initum post datam utrimque mutuæ continentiæ fidem: nec alia exempla deessent, si in iis exquirendis operam quis vellet ponere.

Sequitur 3, S. Joseph, Domini Jesu Christi patrem vera quadam ratione appellari potuisse. Proles enim in eo matrimonio suscepta, scilicet Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, non ad Matrem tantum, verum etiam ad Josephum ejusdem Deiparæ conjugem jure matrimonii pertinebat, quippe in ejus fundo sata & procreata: quod ne cui dubium sit, audiat S. Lucam loquentem: *erant autem*, inquit, (*Luc.* 2, 33) *Pater ejus & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo*: ipsamque Virginem, Jesum in medio Doctorum repertum sic compellantem: (*Ib. v.* 48) *fili quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*. His, similibusque testimoniis S. Aug. ad adstruendam B. Joseph paternitatem, elegantissime utitur. „ Neque „ enim, *inquit*, (*lib.* 2 *de Cons. Evangel.* „ *cap.* 1) propterea non erat appellandus Jo„ seph Pater Christi, quia non eum concum„ bendo genuerat; quandoquidem recte Pater „ esset etiam ejus, quem non ex sua conjuge „ procreatum aliunde adoptasset: putabatur „ quidem Christus etiam aliter filius Joseph „ tamquam ejus omnino carne progenitus: sed „ ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat „ virginitas. Nam Lucas ait: (*Luc.* 3, 23) „ *& ipse Jesus erat incipiens quasi triginta* „ *annorum, ut putabatur, filius Joseph:* qui „ tamen Lucas non ejus parentem solam Ma„ riam, sed ambos parentes ejus appellare mi„ nime dubitavit, ubi ait: (*Luc.* 2, 40, *&* „ *seq.*) *puer autem crescebat & confortabatur* „ *plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo:* „ *& ibant parentes ejus per omnes annos in* „ *Jerusalem in die solemni Paschæ*. Sed ne „ quis hic parentes, consanguineos potius Ma„ riæ cum ipsa Matre ejus intelligendos pu„ tet: quid ad illud respondebit, quod ipse „ etiam Lucas superius dixit: *& erant pater* „ *ejus & mater mirantes super iis quæ dice-* „ *bantur de illo*? cum igitur ipse narret, non „ ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgi„ ne natum Christum; unde eum Patrem ejus „ appellat, nisi quia & virum Mariæ recte „ intelligimus sine commixtione carnis, ipsa „ copulatione conjugii; & ob hoc etiam Chri„ sti Patrem multo conjunctius, qui ex ejus „ conjuge natus est, quam si ei esset aliunde „ adoptatus?"

Solvitur Objectio prima volentium sine carnali copula, Matrimonii essentiam constare non posse.

Opponitur 1. Gratianus in opere cui titulus, *Decretum*: pleraque SS. Patrum testimonia congerit, quibus significatur consummationem matrimonii ad ejus essentiam pertinere. Ergo Patribus nostra conclusio adversatur.

℟. Dist. ant. allegat *falso*, conc. *vere*, n. ant. & conseq.

E. D. Singulari sibi, penitusque incognita Patribus opinione putavit *Gratianus*, non posse sine carnali commixtione matrimonii naturam consistere: ad hujus vero commenti probationem, congessit diversas sententias falso Patribus attributas, quæque in genuinis eorum libris nusquam leguntur, quo factum est, ut ab omnibus qui deinceps secuti sunt Theologis desertus fuerit, & pro merito refutatus, neminemque præter Joannem Wicleffum, & quosdam alios obscuri nominis hæreticos sectatorem repererit: quod ut manifesto appareat, afferemus quas immerito sibi arrogat Patrum auctoritates. Itaque

Inst. 1. Apud Gratianum sic loquitur S. Aug. *non est dubium, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtionem sexus:* unde sic efformatur argumentum:

Ad

Digitized by Google

Ad matrimonium non pertinere, idem est ac nuptias vere non contraxisse; atqui ex Sancto Augustino dubium non est, non pertinere ad matrimonium mulierem, cum qua docetur, sexuum non fuisse commixtionem. Sentit ergo S. Doctor, sine consummatione matrimonium constare non posse.

℞. nego suppositum. Nego, inquam, genuinam hanc S. Augustini esse auctoritatem: hæc equidem verba S. Doctori affingit Gratianus, sed neque librum citat aut locum unde deprompta sunt, nec a viris S. Augustini studiosissimis, & in ejus lectione versatissimis reperiri hactenus potuerunt: unde sequitur S. Doctori supposititia esse: eoque magis quod in genuinis suis libris, non semel, nec per transennam, sed sæpe & ex professo doceat, non in nexibus corporum, sed in voluntariis affectibus animorum matrimonii naturam consistere.

Sed etiamsi concederetur, S. Augustini, aut cujusvis alterius Patris hoc esse effatum, nihil hinc sententiæ quam defendimus, incommodi afferretur: facilis enim exitus foret, minorem sic distinguendo: dubium non est, mulierem cum qua docetur non fuisse commixtionem sexus, non pertinere ad matrimonium, *spectatum quantum ad perfectionem quandam accidentalem*, conc. *spectatum quoad essentiam*, n. min. & conseq.

E. R. Superius admonuimus, matrimonium consummatum, perfectum dici, non quidem quantum ad essentiam, quæ integra sine copula carnali constaret; sed quantum ad finis assecutionem, prolis scilicet susceptionem, quæ sine matrimonii consummatione, secundum naturæ leges esse non potest: eo itaque sensu vel Augustinus, vel alius quivis dicere potuit, non pertinere ad matrimonium mulierem, cum qua docetur non fuisse commixtionem sexus.

Inst. 2. S. Leo Pontifex Max. Epist. 92 ad Rusticum Narbonensem: *cum societas nuptiarum*, inquit, *ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum commixtionem, non habeat in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium .... hinc sic concluditur argumentum.*

Societas nuptiarum ex Leone Magno, nisi sexuum commixtio fiat, non habet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; id est unionem Christi cum Ecclesia significare non potest. Ergo consummatio matrimonii ad ejus essentiam pertinet.

℞. Nego genuinam hanc S. Antistitis esse lectionem: non enim ait, *societatem nuptiarum præter sexuum commixtionem, non habere in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*; sed e contra affirmat, *societatem nuptiarum, præter sexuum commixtionem, habere in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*: id est, indissolubilem Christi cum Ecclesia conjunctionem significare: quæ duo tantum inter se differunt, quantum ab affirmatione negatio discrepat. Itaque ab hoc testimonio tollenda particula (non) quæ in germanis S. Leonis codicibus non apparet. Jam ut mens S. Doctoris aperiatur, ejus scopus, & causa loquendi attendi debet: consultus a *Rustico* Narbonensi Episcopo fuerat, utrum qui filiam suam homini, concubinam ante habenti, nuptui dederat, conjugato dedisse putandus foret?

Respondet negative: aliud enim, inquit, *est uxor, aliud concubina .... igitur si quis filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit: cum enim societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum commixtionem habeat in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium ....* quasi diceret: concubina non est vera uxor, quia in ejus cum viro conjunctione non reperitur mysterium unionis Christi cum Ecclesia, quæ indissolubilis est: cum e contrario concubina debeat ab homine fornicario separari: nihil ergo contra nos facit argumentum ex S. Leone adductum.

Solvitur objectio secunda negantium Beatissimæ Virginis & Sancti Joseph, verum matrimonium fuisse.

Opponitur 2. Ad probandum consummationem matrimonii non esse de ejus essentia, primum ac præcipuum argumentum ab exemplo B. Virginis & Josephi adductum est; atqui falsum est, vero matrimonio fuisse conjunctos. Ergo &c.

Prob. min. ex Evangelio. *Cum esset desponsata Mater ejus (Jesu) Maria Joseph*, ait S. Matthæus, (*Matt.* 1, 18) *antequam convenirent, inventa est in utero habens de Sp. Sancto* .... & S. Lucas: (*Luc.* 1, 26 & *seq.*) *missus est Angelus Gabriel a Deo .... ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.*

Inde sic informant argumentum: quæ desponsata tantummodo dicitur, vere uxor vocari non potest; atqui locis citatis B. Virgo non dicitur nisi desponsata. Josepho ergo nupta non erat: adeoque utriusque verum matrimonium non fuit.

R. Concessa maj. n. min. cujus falsitatem pro-

probatio superius adducta demonstrat: ad argumentum adjunctum, dico utramque propositionem, quippe falsam, esse negandam. Itaque

1. Nego maj. More namque Scripturarum indiscriminatim sive uxor, sive desponsata vocatur mulier, hoc ipso quod fœdus matrimonii iniit; ut videre est Deuter. c. 22. v. 23. & seq. Eodemque sensu Ecclesia in solemni nuptiarum celebratione, virum & uxorem jam matrimonii fœdere junctos, sponsum & sponsam appellat. Immo Latini passim Scriptores, viri & sponsi, uxoris & sponsæ voces ad unum idemque significandum indifferenter usurpant: itaque etiamsi Beatissima Virgo nihil aliud nisi desponsata Joseph diceretur, necessario inde non sequeretur quod uxor ejus non fuerit: quando enim vox aliqua æquivoca est, multiplicem habens sensum, non potest nisi ex adjunctis, in unum potius quam in alterum sensum inflecti. Porro vox *desponsandi* hujusmodi est: aliquando enim futurarum nuptiarum promissionem significat. Aliquando matrimonium ipsum quatenus hic & nunc contrahitur: igitur quo sensu Virgo Sanctissima, desponsata Joseph, in Evangelio dicta fuerit, non temere decernendum, sed ex adjunctis in Evangelio circumstantiis exquirendum. Porro sacros libros legenti, tam apertum est, Mariam ideo dictam Joseph desponsatam, quia vere uxor ejus erat, ut nullus cavillationi locus relictus sit. Quocirca

2. nego min. cujus falsitatem, absque eo quod ratiocinio opus sit, simplex Evangelii lectio aperit: uno namque verborum tenore S. Lucas, Beatam Virginem Joseph & desponsatam & uxorem vocat; mirari ut subeat, in re tam aperta aliquos temerario cavillari. „ Ascendit autem & Joseph, *inquit*, (*Luc.* 2, 5) „ in Judæam ... ut profiteretur cum Maria „ desponsata sibi uxore prægnante ... " numquid enim prægnans uxor dici potuisset, si verbis tantummodo de futuro, & non verbis de præsenti desponsata Joseph fuisset? nam quæ est simpliciter desponsata, uxor prægnans sine injuria dici nequit: accedit ex Matthæi testimonio hujus rei argumentum plane convincens. „ Joseph autem vir ejus cum esset „ justus, *inquit*, (*Matt.* 1, 19) & nollet „ eam traducere, voluit occulte dimittere „ eam ..." 1 enim Joseph Mariæ vir dicitur, quæ non futuri in posterum, sed actu viri existentis, communi loquendi more, appellatio est: 2 non dimittitur nisi quæ jam in uxorem accepta est; atqui per mera sponsalia de futuro, licet nuptiarum in posterum promissio fiat, nondum tamen puella in uxorem accepta est, ergo jam Mariam uxorem Joseph acceperat, quando eam humanis suspicionibus agitatus, & mysterii nescius dimittere cogitabat: hæc enim repudii meditatio, non promissi revocatio, sed jam habitæ uxoris repudiatio futura erat; nisi male natos scrupulos Angelus e cœlo demissus sedasset his verbis: (*Ib. v.* 20) *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Sp. Sancto est, &c.* ubi τὸ: *noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, phrasis Hebraica est, non rei in posterum faciendæ, præceptum, aut consilium habens, sed rei jam factæ continuationem imperans: quasi diceret: *ne dubita quam jam accepisti conjugem retinere, nedum quidquam de repudio cogites: quod enim in ea conceptum est, de Sp. Sancto est, &c.*

Inst. 1. Atqui ita Virgo Maria desponsata Joseph dicitur, ut uxor ejus omnino non fuerit. Ergo &c. prob. subs. in hoc ipso Matthæi loco legitur: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Sp. Sancto. Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* ... inde sic eruunt argumentum.

Si verum fuisset Joseph & Mariæ Matrimonium, non licuisset marito occulte eam dimittere: cautum namque lege erat, ut dato publice libello repudii, certis in casibus, nuptialis conventio frangeretur: „ Si acceperit homo uxorem, *inquit Moyses*, (*Deut.* 24, 1) „ & habuerit eam, & non invenerit gratiam „ ante oculos ejus propter aliquam fœditatem; „ scribet libellum repudii, & dabit in manu „ illius, & dimittet eam de domo sua ... " Ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem. & n. ant. quæ enim allegatur Deuteronomii sanctio, in hoc tantum repudio locum habebat, per quod uxori relictæ potestas fiebat, novam cum altero matrimonium obeundi: propterea namque dabatur libellus repudii, ut mulier hoc velut instrumento munita, impune ad secunda vota transiret. Patet veritas responsionis ex iis quæ ibidem immediate sequuntur: „ dimittet, *inquit*, eam de domo „ sua: cumque egressa alterum maritum du„ xerit &c. ...." itaque lex illa ad B. Joseph non spectabat, qui hoc unum meditabatur, secreto amovere de domo sua Sanctissimam Virginem, nec ipse aliam ducturus, nec ejusmodi potestatem Mariæ facturus.

Inst. 2. Atqui ex eo quod Maria uxor Joseph dicta fuerit, minime sequitur matrimonio vere conjunctos fuisse. Ergo &c.

Prob. subs. Licet Christus in Evangelio Joseph filius appelletur, impium tamen & fidei con-

contrarium fuerit putare Christum revera ex Joseph esse progenitum. Ergo a pari licet Maria ejusdem uxor dicatur, non sequitur matrimonio revera junctos fuisse.

R. nego subs. ad probat. concesso antec. n. conseq. & paritatem. Nam

1. Si quid obscuritatis habent loca Evangelii, ubi Christus filius Joseph appellatur, aliis testimoniis explicatur, hoc ipsum aperte negantibus: quale est quod ex Matthæo non semel attulimus: (*Matt.* 1, 20.) *Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Sp. Sancto est*. Itemque alterum Lucæ affirmantis, non vere, sed vulgi opinione Jesum Josephi filium esse dictum: *ipse Jesus*, inquit, (*Luc.* 3, 23.) *erat incipiens quasi* 30 *annorum*, *ut putabatur*, *filius Joseph*. Nusquam autem in toto Evangelio quidquam reperies, quo insinuetur Mariam, Joseph conjugem, etsi revera non esset, fuisse, falso populi rumore, existimatam.

2. Quod maritus aliquis sit, publica res est, instrumentis solemnibus attestata: quo fit, ut nullus possit hic error obrepere: quod maxime inter Judæos locum habebat; hi enim nuptias suas quanta fieri poterat solemnitate fæderabant: quod vero filius aliquis sit, e re occulta dependet, carnali videlicet copula: adeoque licet, ut jurisperitorum axiomate decantatur, filius sit quem nuptiæ demonstrant, proclive tamen est, nec adeo insolens, ut filius ejus putetur aliquis, quem patrem re ipsa non habet. Poterat ergo Christus etiam in patria & cognatione sua a Judæis mysterii nesciis, contra veritatem filius Joseph æstimari; sed non pariter credi potuisset, Josephum Mariæ virum, vicissimque Mariam Josephi conjugem esse, nisi opinionem hanc testimonia publica, & solemnia instrumenta firmassent.

3. Non vulgi tantum opinione, sed ipso Sp. Sancti per Angelum loquentis oraculo, utrumque est certum, & Jesum Joseph filium non fuisse, & fuisse Joseph Mariæ verum maritum: *noli timere*, inquit, *accipere Mariam conjugem tuam*; *quod enim in ea natum est, de Sp. Sancto est*. Ergo pari fide utrumque tenendum. *Hoc putemus*, inquit S. Aug. similem Juliani Pelagiani argutiolam refutans: (*lib.* 5 *cont. Jul. cap.* 12.) *hoc putemus*, *Evangelistam facere potuisse*, *cum vel sua*, *vel cujusvis alterius hominis verba narraret*, *ut secundum opinionem vulgi loqueretur*. *Numquid & Angelus loquens unus ad unum*, *contra conscientiam suam*, *& ipsius cui loquebatur*, *secundum opinionem potius quam secundum veritatem facturus fuerat*; *cui & dixit*: noli timere accipere Mariam conjugem tuam?

Inst. 3. Repugnat hæc sententia Sanctis Patribus. Ergo &c.

Prob. ant. Passim affirmant sacri Doctores, Beatissimam Virginem innuptam semper mansisse, viroque conjunctam negant.

Sic S. Epiphanius: *desponsata*, inquit, (*hær.* 78.) *fuit Maria*, *& non nupta*.

S. Gregorius M. (*Hom.* 26 *in Evang.*) *Joseph Mariæ sponsus vocatur*, *qui tamen ad ejus nuptias non pervenit*.

S. Aug. (*Serm.* 17 *de temp.*) *concepit Virgo antequam sponsum haberet*, *& peperit antequam nuberet*.

Atque ut paucis multa complectar: S. Gregorius Nyssenus, *orat. de Natali Christi*: Josephum vere & proprie Mariæ virum nuncupatum negat . . . eademque S. Bernardi sententia est, hom. 2 de laudibus B. Virginis. S. Petrus Chrysol. *serm.* 175. solo nomine, solaque opinione, Josephum Mariæ fuisse maritum dicit . . . eademque aliorum quos longa serie laudare in promptu foret, sententia fuit. Ergo &c.

R. Nego ant. ad probat. dist. ant. Passim affirmant Sancti Doctores, Beatissimam Virginem innuptam semper mansisse, viroque conjunctam negant, *quantum ad matrimonii consummationem*, quam prædiximus ad matrimonii perfectionem accidentariam pertinere, conc. *quantum ad fædus & conjunctionem animorum*, quæ matrimonii essentia est, n. ant. & conseq.

E. D. Matrimonium etsi solo utriusque conjugis consensu fiat, & in obligatione reciproca, ex illo consensu resultante essentialiter consistat; acquirit tamen, ut diximus, aliquam ex consummatione perfectionem: potest igitur vero quodam sensu negari matrimonium ibi esse, ubi perfectio illa defuerit; atque hæc satis superque responsio est, ad omnia quæ opponuntur Patrum testimonia explicanda. Dicendum namque his suis sententiis, nuptiarum nomine, earum intelligere consummationem ex copula carnali secutam; quæ cum nulla Mariam inter & Joseph unquam fuerit; hoc sane sensu merito negant, Mariam nuptam fuisse, aut ad nuptias pervenisse. Hanc vero solidam esse responsionem fateri non renuet, qui testimonium ex S. Aug. in objectione adductum contulerit cum aliis ejusdem S. Doctoris sententiis, ubi præclarissime affirmat, Mariam inter & Joseph verum matrimonium extitisse.

Inst. 4. Atqui Beatissima Virgo S. Joseph nulla prorsus ratione jungi per matrimonium potuit. Ergo &c.

Prob. subs. conjugii veritas stare cum Virginitatis perpetuæ voto non potest; atqui Mariam

Digitized by Google

riam Deo perpetuam Virginitatem, antequam Deum hominem conciperet, vovisse constat, tum ex verbis ejus ad Angelum Gabrielem: (*Luc.* 1, 34.) *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò non diceret*, inquit S. Aug. lib. de Sancta Virginitate n. 4, *nisi deo Virginem se ante vovisset*: tum ex unanimi Patrum & Theologorum consensione. Ergo S. Joseph matrimonio jungi non poterat.

Prob. maj. Matrimonii contractus in eo sistit, quod vir & mulier sibi mutuo tradant ad conjugale officium, sui corporis potestatem; atque adeo saltem implicite in actum conjugalem consentiant; atqui hoc ipso quod aliquis Deo Virginitatem perpetuam nuncupavit, in actum conjugalem nec explicite, nec implicite consentire licite potest. Ergo conjugii veritas cum voto perpetuæ Virginitatis stare non potest.

Afferuntur & refutantur duæ Theologorum quorumdam Responsiones.

Hæc difficultas quædam ingenia, aliunde licet excellentissima, ita torsit ac cruciavit, ut ab illa expedire se, nisi deserta veritate, nequiverint.

1. Enim aliqui cum votum præcedens matrimonium cum nuptiis sequentibus conciliari non posse putarent; Mariam nonnisi post initum cum Josepho contractum, ejusque assensu præhabito, vovisse commenti sunt: rati nimirum hac sola ratione voti & matrimonii, in una eademque virgine veritatem defendi posse.

2. Alii in quibus magister sententiarum præcipuum locum tenet, eadem difficultate deterriti, finxerunt votum virginitatis a Maria emissum, antequam Josepho nuptui traderetur, non absolutum, sed conditionatum fuisse, hac nimirum conditione arctatum, nisi Deus prohiberet, vel oppositum revelaret; tumque tantum e conditionato in absolutum esse mutatum, quando de divina voluntate certior facta est. Eorum itaque judicio difficultas opposita hac distinctione diluitur ac penitus evanescit. Conjugii veritas, *inquiunt*, stare nequit cum voto *absoluto* virginitatis perpetuæ, concedimus: cum voto *conditionato*, negamus. Et pariter ad minorem: Maria antequam Deum-hominem conciperet, perpetuam Deo virginitatem devoverat, *conditionate*, concedunt: *absolute*, negant. Nimirum, *ajunt*, cum hac restrictione virginitatem promiserat, nisi Deus aliter juberet, vel inspiraret, vel revelaret: cum itaque revelante & imperante Deo matrimonium cum S. Joseph iniverit, stetit verum cum perpetuæ continentiæ voluntate conjugium. Doctrinam hanc adstruit magister sentent. aliquibus S. Aug. adscriptis testimoniis. Sic enim S. Doctorem loquentem inducit: (*lib.* 1 *sent. dist.* 28.) *proposuerat Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere juberet* . . . (*ib. dist.* 30.) *B. Maria proposuit in corde, se servaturam votum virginitatis, sed ipsum votum non expressit in ore: subjecit enim se divinæ dispositioni, & proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret.*

Responsio prima refellitur.

Et hæc quidem ingeniose licet excogitata lucere vanitate possunt, sed veritate franguntur. Atque ut primo loco de prima responsione dicamus, præter quam quod mere arbitraria est, nullumque nisi in audacia asserentium fundamentum habens; cum nec scriptura, nec traditione nitatur: argumentis positivis ex utroque sacro fonte petitis invictissime refutatur.

1. Inquam, Sacro textui est manifesto contraria. Certum namque est ipso initi cum Joseph matrimonii tempore, Angelum ad Mariam cælitus esse delegatum, qui ei incarnationis mysterium nunciaret; ut nimirum pariendi tempus nuptiali fœderi responderet. *Missus est Angelus Gabriel a Deo*, ait S. Evangelista, (*Luc.* 1, 26, *& seqq.*) *in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph* . . . *& ingressus Angelus ad eam, dixit, Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus* . . . *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum &c.* Jam vero quam fixum, quam antiquum, quamque a prævio Josephi assensu independens fuerit in Maria servandæ virginitatis propositum, ex ejus responsione est manifestum. *Quæ cum audisset*, inquit S. Lucas, (*ib. v.* 29, *& seq.*) *turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio* . . . *Dixit autem ad Angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* . . . Quasi diceret: *Quid mihi partum & maternitatem narras, quæ dudum in viri cognoscendi impotentiam per voti vinculum incidi?* Jam vero qui votum illud ab expectato Josephi assensu, suspensum aliquantulum post nuptias fingunt; næ illi injuriam purissimæ Virgini atrocissimam irrogant. Dicendum enim in hac hypothesi, Mariam matrimonium cum Josepho iniisse, animo cognoscendi virum, & dandi operam liberis; atque adeo in futuram copulam, quantum in ipsa fuerat, consensisse. Non enim alia

alia cauſa ab hac voluntate retrahi poterat, quam obice voti antehac nuncupati. Porro ut fingitur, votum virginitatis matrimonium non præceſſit, ſed poſterius eo fuit. Quid ergo reſtat, niſi ut dicatur, Mariam quando nupſit, in maritalem copulam aliquatenus conſenſiſſe? Quod quantum ſummæ ejus puritati repugnet, nemo opinor eſt qui non videat. Dicendum ergo votum virginitatis prius ab ea emiſſum, quam de nuptiis cogitaret.

Nec aliter a ſanctis patribus votum virginis intellectum. Sic S. Aug. (*lib. de Sancta Virginitate c. 4.*) *Ipſa quoque virginitas Mariæ*, inquit, *ideo gratior & acceptior, quia ... jam Deo dicatam Chriſtus de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo*, inquit, *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profecto non diceret, niſi virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat . . . Poterat & juberi virgo permanere. In qua Dei filius formam ſervi congruenti miraculo acciperet. Sed exemplo Sanctis futura virginibus, virginitatem Deo dicavit, cum adhuc quid eſſet conceptura neſciret; ut in terreno mortalique corpore cœleſtis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendo, non neceſſitate ſerviendo . . .* viden ex S. Doctore Mariam, Virginem ſe ante voviſſe, quam nuptiis præberet aſſenſum? nec alia de cauſa in matrimonium Joſepho datam, quam quia Iſraelitarum mores hactenus votum hujuſmodi non ferebant? Nec ideo nuptui traditam, ut poſtmodum, ſi vir conſentiret, votum virginitatis emitteret, ſed ut contra violentos a Joſepho cuſtodiretur, quod illa jam voverat?

Concinit S. Gregorius Nyſſenus; (*Orat. in Nat. Chr.*) virginem ita loquentem inducens: *interdixi mihi conſuetudinem viri, quomodo iſtud erit mihi, quoniam virum non cognoſco? quia carnem Deo conſecratam, tamquam Sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactum integramque præſtare: idcirco licet*, inquit, *Angelus ſis, licet e cœlo venias, licet id quod oſtenditur, naturam ſuperet humanam; tamen me virum cognoſcere nefas eſt.* Ita S. Doctor. Quomodo vero caro virginis, ſanctum Deoque conſecratum munus, ſtricte loquendo appellaretur, ſi Maria Virginitatis nuncupationem poſt initi matrimonii tempora diſtuliſſet, donec mariti conſenſus accederet; non oblatura nimirum carnem ſuam Deo tamquam placentem hoſtiam, ſi Joſeph aſſenſum negaſſet? aut quomodo vere dicere potuiſſet, ſibi virum cognoſcere nefas eſſe, ſi a conjugali officio abſtinentiam in mariti conſenſu & arbitrio poſuiſſet?

Eamdem veritatem brevi ſententia Rupertus Abbas præclariſſime explicat. *Quia*, inquit Mariam alloquens, (*lib. 3 in Cant.*) *votum egregium Deo prima voviſti, votum virginitatis; attamen ſponſi nomen admiſiſti, deſponſari viro non renuiſti.* Prius ergo ex ejus mente votum virginitatis Maria emiſerat, quam ſponſi nomen admitteret.

Huc pertinent Sanctorum patrum pleraque teſtimonia, affirmantium Mariam mortalium primam ſervandæ virginitatis exemplar abſolutiſſimum præbuiſſe.

Sic Origenes: *Arbitror*, inquit, (*Comm. in Matth.*) *rationi conſentaneum eſſe, virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Jeſum, muliebris vero, Mariam. Non enim plauſibile eſt, alii præter hanc virginitatis primitias adſcribere.*

S. Ambroſius: (*lib. de inſtit. Virgin. cap. 5.*) *Egregia igitur Maria, quæ ſignum Sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſto vexillum levavit.*

S. Hieronymus: (*Ep. 22.*) *Habeant nuptæ ſuum tempus ac titulum: mihi Virginitas in Maria dedicatur & Chriſto.*

Venerabilis Beda: (*in c. 1 Luc.*) *quæ prima fœminarum tantæ ſe virtuti mancipare curavit, jure ſingulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere.*

S. Bernardus: (*Hom. 3 ſup.* Miſſus eſt) *O virgo prudens, o virgo devota, quis te docuit, Deo placere virginitatem? quæ lex, quæ juſtitia, quæ pagina veteris teſtamenti, vel præcipit, vel conſulit, vel hortatur, in carne non carnaliter vivere, & in terris Angelicam ducere vitam? . . . Et Apoſtolus quidem, de virginibus*, inquit, *præceptum non habeo, conſilium autem do: tu vero non dicam præceptum, ſed nec conſilium, nec exemplum habuiſti, niſi quod unctio docebat te de omnibus, & ſermo Dei vivus & efficax ante tibi factus eſt magiſter, quam filius; prius inſtruxit mentem, quam indueret carnem.*

Atqui ſi Maria votum ſuum poſt nuptarum fœdus procraſtinaſſet, ejuſque nuncupationem ab aſſenſu mariti voluiſſet eſſe ſuſpenſum; non dediſſet virginitatis exemplar excellens, nec cæteras virgines merito ac dignitate præcederet: quot enim quantoque numero Maria præcellerent, quæ nimirum nullius hominis expectato conſenſu, omnique abjecta nuptialis commercii voluntate, Deo ſemetipſas voto præmaturo & irrevocabili conſecrarunt? ante ergo Sanctiſſima Dei-para nuncupaverat votum, quam nuberet viro.

Se-

Secunda responsio refutatur.

Nec plus soliditatis habet Magistri sententiarum & aliorum responsio.

1. Enim Beatissima virgo votum emisit quam poterat perfectissimum. Nam quis facile putet, aliqua caruisse perfectione votum virginis, cui munere divino collatum est, ut prima inter fœminas gloriosissimum Deo & exquisitissimum virginitatis donum offerret? atqui votum absolutum perfectius est, quam si conditione aliqua vel exceptione restrictum sit: ergo absolutum Maria votum emisit.

2. Hoc certum apparet ex verbis ejus ad Angelum: *Quomodo fiet istut, quoniam virum non cognosco?* Quasi diceret: *quis erit modus hujus conceptus & partus, quem tu mihi annuncias, cum mihi jam liberum non sit viro commisceri, postquam voto irrevocabili memetipsam Deo virginem in perpetuum consecravi?* Non itaque conditionate Beatissima Virgo ante nuptias voverat, quasi dubitans num Deo tale placiturum esset propositum: sed absolute sui ipsius sacrificium fecerat, haud ignara futurum gratissimum. Non quærit, *ait S. Bernardus, eadem verba apposite ad nostram sententiam explicans:* (*Hom.* 4 *sup. missus est*) *non quærit, an fiet istud, sed quomodo? quasi dicat: dum sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse Ancillæ suæ ; non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei, ut ne fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium, gaudeo de filio, & doleo de proposito.*

Nec est quod regeratur non potuisse Mariam nisi sub conditione vovere, propterea quod in antiqua lege tenerentur omnes, divino præcepto, liberis procreandis operam dare: prout in Genes. legitur: (*Gen.* 1, 28, 9, 2) *crescite & multiplicamini, & replete terram benedixitque Deus Noe, & filiis ejus, & dixit ad eos: crescite & multiplicamini, & replete terram.* Hæc, inquam, & alia, si quæ sunt hujus generis testimonia, nihil contra nos faciunt.

1. Quia, ut alibi dictum est, non imperium, sed benedictionem, sive fœcunditatem significant, quam Deus humanæ naturæ ab initio impartivit, ut perpetua sobole ad finem mundi durare atque subsistere posset, cujus rei argumentum convincens est, quod eadem verba brutis animantibus, præcepti suscipiendi incapacibus dicta fuerint. *Creavit Deus*, inquit scriptura, *Cete* (*Gen.* 1, 21, *& seq.*) *grandia, & omnem animam viventem atque motabilem . . . & omne volatile secundum genus suum . . . . benedixitque eis dicens: crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram.*

2. Quia etiamsi in his verbis præceptum intelligamus, non necesse habemus credere quod omnibus in individuo fuerit intimatum: satis quippe est, quod ad speciem, sive ad genus singulorum respexerit, non ad singula generis, ut receptis scholæ verbis utamur. Et sane si putatum in antiqua lege fuisset, Dei sanctionem non ad Rempublicam tantum, sed ad singulos de Republica pertinere; nemo unquam sibi inter Hebræos sive vir, sive fœmina abstinentiam a nuptiali commercio permisisset; atqui certum est, plerosque cœlibes in veteri testamento vixisse. Ut enim de *Essenis* taceam, quos peculiaris sectæ homines, absque fœminis, abdicato penitus matrimonio, summa pietatis ac Religionis laude inter Hebræos floruisse, *Josephus* narrat: (*antiq. lib.* 18, *cap.* 2, *de Bello Judaico lib.* 2, *cap.* 7) communis patrum ac Theologorum consensio est, Josue, Eliam, Elizeum, Jeremiam, Danielem, Misach, Sidrach, & Abdenago, in cœlibatus ac castitatis perpetua professione vixisse: ergo &c.

3. Sed etsi hoc ultro deremus, ad omnes & singulos Dei sanctionem fuisse directam; parum cavillatione hac urgeremur: facilis namque ad exitum via foret, dicendo non perpetuum, sed temporarium fuisse mandatum, hac nimirum duratione arctatum, qua necessarium erat, ut ad humani generis & populi fidelis propagationem quisque incumberet: quæ sane causa Beatissimæ Virginis ætate, tam prodigiose genere humano, ipsoque Hebræo populo multiplicato, desierat: poterat ergo absque violandæ legis periculo suam Deo in perpetuum vovere virginitatem. Responsionem hanc præceptor Angelicus suggerit. *Non est inconveniens*, inquit, (*in* 4 *sent. dist.* 37, *quæst.* 3, *art.* 2, *ad* 2.) *aliquid esse illicitum uno tempore, quod est licitum vel virtuosum, si alio tempore fiat: & ideo si in tempore, quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus divini, homines operi conjugali insistere volebat, aliquis proprio motu incorruptionem, seu castitatem servasset, omnino peccasset. Sed postea facta multiplicatione sufficienti generis humani, vel colentium Deum, non peccabat virginitatem servans etiam in lege Moysis, nec faciebat contra præceptum; quia & tunc qualiscumque multiplicatio per alios fieri poterat.*

4. Tandem voti duplicis, conditionati & absoluti, quantum ad Mariam attinet, distinctioni, patrum doctrina repugnat: in tanto enim scriptorum veterum numero, qui Dei-paræ de servanda perpetua virginitate propositum, me-

Digitized by Google

ritis laudibus extulerunt, nec unum reperias, qui votum tam præcellens ulla conditione, vel ad instans suspensum hæsisse affirmet. Relegantur quæ superius in refutatione primæ responsionis, ex Aug., Gregorio Nysseno, Origene, Ambrosio, Hieronymo, Vener. Beda, Bernardo, Ruperto, attulimus: & si vel una vox inibi est, quæ votum conditionatum tantisper oleat; tum certe adversariis manus ultro citroque daturi sumus.

Nam quæ Magister sentent. eoque pauloantiquior Gratianus, ad hanc adstruendam opinionem, ex Aug. testimonia allegant, nullius momenti sunt; quandoquidem Aug. supposititia esse, nec ex genuinis ejus, sed ex corruptis codicibus eruta, nemini erudito dubium sit: quæ vel una observatio satis erit, ad diluendam, quæ ex auctoritate S. Thomæ afferrî potest objectionem: ille enim commentario in libros sententiarum, & in summa Theologica conditionatum fuisse Mariæ votum, ex Sancti Augustini testimonio admittere visus est: quæ difficultas quatenus viro Thomistæ sit resolvenda, celeberrimus Thomista Jacobus Hiacynthus, Serry; non ita pridem in Academia Patavina dictavit. *Si liceat ingenue loqui quod res est*, inquit, (*in exercitationibus de Christo*, *ejusque Virgine Matre*, *exerc.* 21, *n.* 8.) *scrupulus restat, qui memet aliquandiu male torsit: Doctoris scilicet Angelici pronunciatum in* 4 *sent. dist.* 30, *q.* 2, *art.* 1, *&* 3 *part. qu.* 28. *art.* 4, *ubi aperte, distincteque docet, B. Virginem primum quidem sub conditione vovisse*, si Deo ita placeret, *aut* nisi Deus aliter ordinaret: *tum postea Dei agnita voluntate*, absolute vovisse; *sed hunc mihi scrupulum evulsi ex animo, ut observavi, non certam ac fixam illam esse D. Thomæ sententiam, sed præsumptam potius D. Augustini opinationem, in quam idcirco pro sua in Sanctissimum Doctorem veneratione adductus est: seu, ut planius dixerim, in eam sententiam inclinavit D. Thomas, falso ac plane supposito D. Augustini testimonio delusus, ex Gratiano & Magistro sententiarum bona fide transcripto; cujus suppositionem & apocrypham pro ætate sua, & in ea qua laborabat probatorum codicum penuria, deprehendere omnino non potuit; sic enim Augustinum loquentem inducunt, Magister sentent. lib.* 4, *distinct.* 30, *& Gratianus, Can.* sufficiat, *causa* 27, *qu.* 2. B. Virgo proposuit, se servaturam votum virginitatis, in corde; sed ipsum votum non expressit in ore: subjecit se divinæ dispositioni; proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, illam non appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo. Postea vero simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit: *quo Augustini testimonio bona fide admisso, sententiam firmat ac munit Doctor Angelicus, in* 4 *sent. dist.* 30, *qu.* 2, *art.* 1: *nil tamen hujusmodi habet Augustinus, tum libro* de nuptiis & concupiscentia, *qui apud Magistrum sentent. citatur ad marginem: tum lib.* de sancta virginitate, *qui apud Gratianum est adnotatus: immo non pauca ex directo contraria habet verus Augustinus, quippe qui c.* 4 *laudati libri* de sancta virginitate, *Deiparam ante desponsationem vovisse docet; non itaque cum Josepho: c. vero* 12, *lib.* 5 *contra Julianum expresse ait, Josephum diu post desponsationem, ac etiam post Angeli monitum vovisse; ac tum demum* commiscendæ carnis spem abjecisse, *dum virginem divina fœcunditate donatam vidit.*

Affertur vera ad argumentum responsio.

Rejectis falsis opinionibus, superest ut difficultatem oppositam diluamus: quod non erit ex præjactis fundamentis difficile. Itaque

R. nego subs. ad probat. n. maj. Quando enim duo absolute non pugnant, simul esse in eodem subjecto possunt: atqui, ut ante diximus, non sunt hæc duo sibi contraria, scilicet vovere Deo corpus suum ad perpetuam virginitatem, & ejusdem corporis potestatem dare viro, quem, Deo revelante certo sciveris ea numquam usurum. Ergo conjugii veritas cum voto Virginitatis perpetuæ stare potest.

Ad probat. dist. matrimonii contractus in eo consistit, quod vir & mulier sibi mutuo tradant, ad conjugale officium, suorum corporum potestatem, *ab usu, per consensum mutuum separabilem*, conc. *ab usu inseparabilem*, n.

E. R. Quidquid oppositio hæc videtur difficultatis habere, protinus evanescit dicendo, Beatam Virginem, antequam in matrimonium consentiret, ex divina revelatione, vel saltem inspiratione atque instinctu, de servanda virginitate certam fuisse, adeoque pro re comperta habuisse, numquam eventurum ut Joseph, accepta in corpus suum potestate uti attentaret: potuit ergo in nuptias, & traditionem potestatis in corpus suum consentire, in actum conjugalem neutiquam consentiendo; quem certo sciebat numquam secuturum aut exigendum.

Inst. 5. Obstrepit humana ratio, novisque cavillis instructa sic urget: atqui qui semel virginitatis voto obstrictus est, nulla ratione potest sui corporis potestatem alteri dare: adeoque nec nubere valet. Ergo &c.

Prob.

Digitized by Google

Prob. subs. Nemo nisi quod suum est dare potest: quia nemo dat quod non habet: porro quod quis semel alteri dedit, nequit amplius pro suo jactare; atqui semel ac aliquis Deo nuncupavit virginitatem, abdicato corporis sui dominio, quidquid ejus in potestate sua habebat, Deo consecravit ac tradidit. Ergo copiam ejus ac facultatem nemini per contractum nuptiarum facere potest.

R. nego subs. ad probat. admitto axioma quo dicitur, neminem nisi quod suum est dare posse: & adjunctam propositionem distinguo: quod quis semel alteri dedit, nequit amplius pro suo jactare, *modo & sensu quo dedit*, conc. *aliter*, n. maj. dist. pariter min. qui semel Deo vovit virginitatem, quidquid sui corporis in potestate habebat Deo tradidit, *quantum ad ejus actum, & usum conjugii, quo se libere abdicavit*, conc. *quantum ad jus eo utendi*, subdistinguo: *quantum ad jus morale*, conc. *quantum ad jus physicum & naturale*, n. min. & conseq.

E. R. Non in hoc sane virginitatis votum consistit, quod quis ita Deo corpus suum consecret, ut jus naturale & physicum in illud amittat, sive ut incidat in physicam utendi matrimonio impotentiam: est enim votum, ejusque observatio, res summe libera, magnique principium meriti: porro ubi naturalis & physica impotentia est, meritum, nisi ad summum in præparatione animi, esse nequit: in quo ergo voti natura consistit? nimirum, ut quis retenta physica nubendi potentia, quam non magis perdere potest, quam potest a se ipso avelli, semetipsum Deo offerat tamquam hostiam castitatis, usumque omnem matrimonii abdicet, & non usum tantum, sed & potestatem ipsam moralem, quippe qui votum frangere sine enormi peccato non possit: poterat ergo virgo Beatissima, quod etiam nuncupato voto, suum habebat, Josepho dare, jus scilicet in corpus suum, ab omni usu & actu conjugali sejunctum.

Inst. 6. Vera potestas non est quæ ad usum reduci nequit: sed ab eo qui semel voto ligatus est, potestas actus conjugalis in actum reduci nequit: idem enim de illo, ac de Eunucho debet esse judicium: nec comparatio illa contemni debet, quam ipse Christus in Evangelio usurpavit, eos qui virginitatem voverint Eunuchos appellans. (*Matth.* 19, 12)

R. Concessa maj. dist. min. in actum reduci nequit, *morali sensu*, hoc est *reduci nequit, sine peccato*, conc. *physice & absolute*, n. min. & conseq. Nova responsio hæc explicatione non indiget: tantum ejus veritatem exemplo, ab ipso matrimonio petito demonstro: sint duo novi sponsi, qui die ipsa nuptialis fœderis virginitatem Deo consensu mutuo voveant: suorum invicem corporum retinent sine dubio potestatem; conjuges enim esse non desierunt: immo habita matrimonii ratione, absolute potestate hac uti possunt, ita ut secundum conjugii leges, nec ipsi adulteri, nec adulterini futuri filii ex tali concubitu nascituri: moralem tamen, jure voti, coeundi potestatem non retinent, quia cum usui matrimonii nuncium miserint, sacrilegi & irreligiosi futuri sunt, si utantur: manifestum ergo est, in iis, qui virginitatem voverunt, potestatem actus conjugalis vero aliquo sensu manere.

Indeque patet responsio ad exemplum ab Eunuchis petitum: illorum enim ad usum matrimonii naturalis & physica impotentia est: qui vero castitatis voto devinctus est, non in hujusmodi impotentiam incidit, quamquam ei voti ratione nefas sit, liberis procreandis operam dare.

Sed de his ad nostrum propositum plusquam satis.

Respondetur cuidam quæstioni.

Quæritur, quæ causa nubendi virgini fuerit, virum numquam experturæ?

R. Sanctissimi hujus fœderandi conjugii varias Deo causas fuisse, quas passim Sancti Ecclesiæ Patres expendunt & explicant.

1. Fuit, ut haberet Jesus infans toto pueritiæ tempore in B. Joseph curatorem & nutritium; Maria custodem & protectorem virginitatis.

2. Ut mariti testimonio certius Christi Nativitas ex Virgine probaretur.

3. Ut Sanctissimæ Virginis honori consuleretur, ne si extra matrimonium pareret, fornicationis infamia laboraret.

4. Ut ex mariti genealogia origo Virginis & filii ejus agnosceretur: oportebat enim secundum legem, Mariam suo contribuli nubere: & præterea erat ab Hebræorum moribus alienum, generis seriem per matris avos, atavosque describere.

5. Ut hoc castissimo matrimonio exprimeretur imago conjunctionis mirabilis, qua Ecclesia, fœcunda simul & virgo, Sponso Christo unita est: qua in re beata mater & intacta virgo Maria, præclarissima Ecclesiæ Christi figura fuit.

6. Denique, ut partus Virgineus diabolo celaretur, qui nuptiarum occasione putavit, Dominum Jesum ex viri cum muliere commixtione progenitum: non quod diabolus retegere non potuisset, si attendisset, Mariæ unigenitum non ex virili semine esse natum; sed quia ab attentione & curiosa facti investigatione,

solo

solo inspecto matrimonio, ut bene Angelicus Præceptor observat (*3 p. q. 20, art. 1, ad 3*) aversus est.

Sequitur

QUÆSTIO SECUNDA.

An matrimonium sit res bona & licita?

Matrimonium hic sumimus, quatenus carnali interveniente copula consummatur, ad eum videlicet finem obtinendum, quem prædiximus nuptiis esse propositum, prolis nimirum susceptionem & educationem: quærimus utrum connubium hoc sensu acceptum, bonum sit, licitum, ac laudabile?

Quo quidem in capite tribus modis scimus erratum.

1. Error Manichæorum fuit, Marcionitarum, aliorumque ejusdem furfuris tenebrionum, qui nuptias non Deo vero & bono, sed tenebrarum principi, ceu authori adscribentes, eas proinde velut ex natura malas damnabant.

2. Huic contrarius Pelagianorum fuit, qui cum negarent originale peccatum, adeoque nollent per Adami rebellionem naturam in deterius commutatam; nuptias ita prædicabant, ut concupiscentiam ipsam, sine qua earum officium non impletur, bonam ac laudabilem affirmarent.

3. Joviniani fuit, qui sacræ virginitati fidelium nuptias, sanctitate ac merito adæquabat. *Ante paucos annos*, inquit S. Aug. (*lib. 3 de pecc. mer. & remiss. cap. 7*) *Romæ quidam exstitit Jovinianus, qui sanctimonialibus, etiam ætate jam provectioribus, nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo, quo earum aliquam ducere vellet uxorem; sed disputando virgines sanctimonio dicatas, nihil amplius fidelibus conjugatis apud Deum habere meritorum* . . . . . errorem hunc amplexi sunt, & exemplo pessimo approbarunt Lutherani & Calvinistæ. Quin & Lutherus Joviniani impietatem longe devicit, quippe qui non disputando tantum, sed & illiciendo, dicatas Deo virgines, in apostasiam perniciemque pertraxit.

In contrarium Catholica Ecclesia docet,

1. Nuptias Deum habere auctorem, adeoque bonas de se esse, licitas, & laudabiles.

2. Sic distinguit malum pudendæ concupiscentiæ a bonitate nuptiarum; ut neque Manichæis similis, unde nascimur culpet; neque sectatrix Pelagii, unde confundimur laudet: bonas itaque affirmat nuptias esse, sed malam concupiscentiam.

3. Sic laudat, probatque connubium, ut Virginitatem ac continentiam pro Deo susceptam, sine comparatione meliorem esse propugnet.

Tria hæc doctrinæ Catholicæ dogmata, totidem capitibus adstruemus.

Sit igitur

CAPUT PRIMUM.

Nuptiarum bonitas ac sanctitas contra Manichæos asseritur.

Manichæorum impietas Scripturæ, Traditioni, ipsique rationi contraria, est: quod speramus argumentis convincentissimis demonstrandum.

PROBATIO PRIMA.

Ex eo quod nuptiæ auctorem, & istitutorem Deum habeant.

Ac 1. Contractus ille bonus est, quem Deus ab ipsa mundi origine, ante Adami lapsum instituit, quem confirmavit in lege Mosaica, ac denique in lege gratiæ novis honoribus auctum splendidissime approbavit; atqui tale est nuptiale fœdus, quod sic demonstro per partes.

OSTENDITUR PRIMO.

Ab ipso mundi ortu nuptias divinitus institutas.

Deus enim auctor naturæ est: atque adeo quidquid sane natura dictat, Deo institutori est adscribendum; atqui natura sana & integra, etiam antequam peccatum in mundum intrasset, hominem ad matrimonium inclinabat, nimirum ad prolis generationem, nutritionem, & educationem, quæ sine parentibus vinculo indissolubili junctis, adeoque sine matrimonio unde vinculum illud obortum nexumque est, obtineri nequaquam poterant. Ergo &c.

Deinde. Deus primos parentes sexu diversos creavit: *masculum & fœminam creavit eos*, ait textus Sacer; atqui sexuum differentiæ finis alter esse non poterat, quam generatio prolis: *benedixitque eis*, inquit ibidem, *& ait: crescite & multiplicamini, & replete terram*. Ergo &c.

Præterea: Deus Adamum & Evam statim post creationem arctissimo fœdere sociavit, ad quod Adamus attendens: *hoc nunc os*, inquit, *ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una* . . . atqui hæc tam sancta societas, conventio ipsa matrimonii fuit, ut manifestum est ex verbis Adami: *quamobrem relinquet homo, &c.* Ergo &c.

In-

Insuper: hoc ipsum declarat primæ fœminæ ex Adami costa formatio: ut enim ostenderet Deus longe firmius, sanctiusque esse debere inter homines conjugii vinculum, quam belluarum, procreationis causa, societatem; cum in his seorsim mares & fœminas condidisset, in hominum genere non ambos ex diversa materia, sed alterum ex altero; fœminam scilicet ex viro formavit. *Non est bonum*, inquit, (*Gen.* 2, 18, *& seq.*) *hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi . . . immisit ergo soporem in Adam . . . tulit unam de costis ejus . . . . & ædificavit eam in mulierem, & adduxit eam ad Adam* . . . ergo vel ipso formationis modo significare voluit Deus, utriusque sexus in humano genere, ad prolem suscipiendam, intimam ex matrimonio debere esse societatem.

Denique: eadem veritas confirmatur Christi, qui veritas ipsa est, testimonio: cum enim interrogaretur a Pharisæis, utrum liceret homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? *Non legistis*, inquit, (*Matt.* 19, 4, *& seq.*) *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fæminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* . . . ipso igitur docente Chrisso, matrimonium statim a mundi creatione, in natura innocente est institutum.

OSTENDITUR SECUNDO.

Nuptias fuisse a Deo in lege Mosaica confirmatas.

1. Enim de matrimonio, quatenus iniri deberet, quibus legibus, quibus impedimentis, quibus denique conditionibus coercendum, multa Deo auctore legimus in antiquo testamento sancita; de quibus suo loco redibit sæpius sermo: sic exempli causa, *Deuteron.* c. 25 injungitur fratri superstiti, ut uxorem ducat a fratre sine liberis derelictam.

2. Constat, Israelitis omnibus, cum Dei populus exiguo numero foret, matrimonium divinitus imperatum.

3. Christus Dominus quando captiosam Pharisæorum quæstionem excutiendo, *quod Deus*, inquit, *conjunxit homo separet*, profecto de matrimonio loquitur, quod tempore suo inter Hebræos inire solemne erat. Significat ergo nuptias a Deo in lege veteri confirmatas.

OSTENDITUR TERTIO.

Fuisse matrimonium in lege gratiæ decreto novo sancitum.

3. Denique pars multis modis adstruitur. Nam 1 Joannis c. 2 statim ab initio hæc leguntur: *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat Mater Jesu ibi: vocatus est autem Jesus, & Disciputi ejus ad nuptias.* Itaque Christus nuptias præsentia sua honorare non renuit: quodque observatione dignissimum, primum ibi divinæ suæ potestatis, aquam in vinum vertendo, specimen dedit: *hoc*, inquit S. Evangelista, (*Joan.* 2, 11) *fecit initium signorum Jesu in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli ejus*: quomodo vero interfuisset, nisi probasset? aut quomodo qui sanctitas ipsa est, in se sumpsisset, commercium non a bono Deo, sed a tenebrarum principe institutum, miraculo illustrare?

2. Id ipsum confirmat Apostolus multis locis; sic ad Cor. scribens: *uxori*, inquit, (1 *Cor.* 7, 3, *& seqq.*) *vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier . . . iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat . . . . si acceperis uxorem, non peccasti; &, si nupserit virgo, non peccavit.*

Et in Epist. ad *Ephes.* 5, 22, *& seqq. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ . . . . viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam . . . viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua, qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit . . . . propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Denique, ne plusquam par est, probatio provehatur, futuram Apostolus prævidens Manichæorum impietatem, discipulum suum Timotheum ita præmonet: (1 *Tim.* 4, 1, *& seq.*) *spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium . . . prohibentium nubere.*

Ex his tam præclaris B. Pauli sententiis haud

haud difficile est, contra insaniam quam refellimus, argumenta validissima intorquere: nisi enim Christus in nova lege matrimonium approbasset, S. Paulus legis gratiæ Apostolus, non præciperet conjugibus debitum sibi mutuo reddere; non prohiberet uxoris a viro, aut viri ab uxore discessionem; non diceret non peccare qui nubunt; matrimonium non appellaret, magnum Christi & Ecclesiæ Sacramentum; non præciperet, Dei amorem amoris conjugalis regulam esse debere; & denique opinionem eorum quos prædicebat nuptias prohibituros, non appellaret doctrinam dæmoniorum; atqui hæc omnia aperte prædicat S. Paulus, & iteratis documentis sæpe inculcat. Eo ergo teste matrimonium est a Deo confirmatum in nova lege: atque etiamsi, prout delirabant Manichæi, antiqui & novi Testamenti conditores, in cæteris reperirentur esse contrarii, certissime in approbando matrimonio consentirent.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Patrum traditione.

Manichæorum errorem egregie confutarunt, *Tertullianus* in libris contra Marcionem, *S. Clemens* Alex. *S. Epiphanius*, *S. Aug.* & plerique alii: quoniam vero longum esset, omnium testimonia recensere, *Tertulliano* præcipue insistemus, quo nemo nervosius ac felicius infaustam hæresim profligavit.

1. *Marcionitæ* spurcitiæ infamiam matrimonio inurebant, nihilque volebant esse discriminis nuptias inter & impudicitiam: calumniam hanc sic depellit Tertullianus: *Inimice*, inquit, (*contr. Marcionem lib. 1, cap. 29*) *conjugium spurcitiæ nomine accusatur, in destructionem creatoris, qui conjugium pro rei honestate benedixit, ad incrementum generis humani . . . . in integros & bonos usus: non ideo autem & cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti, in gulam committunt: ut nec vestitus ideo accusabuntur, quia pretiosius comparati, in ambitionem tumescunt; sic nec matrimonii res ideo respuentur, quia intemperantius diffusæ, in luxuriam inardescunt. Multum differt inter causam, & culpam, inter statum & excessum: ita hujusmodi non institutio, sed exorbitatio reprobanda est, secundum censuram institutoris ipsius, cujus est, tam,* crescite & multiplicamini, *quam,* non adulterabis; *&,* uxorem proximi tui non concupisces, *& morte punientis libidinum insaniam.*

Inde eruo quæ sequuntur argumenta.

1. Debet illa doctrina tamquam impia rejici, quæ Creatoris ipsius destructionem, quantum in ipsa est, machinatur; atqui hujusmodi est Manichæorum & Marcionitarum sententia, nuptias spurcitiæ accusantium. Nam cum certum sit, a creatore esse sancitas, si rem natura malam creasset, summe bonus non esset, quippe rei malæ auctor: Deus ergo non esset, quo nomine ens summe bonum intelligitur.

2. Ideo deberent tamquam malæ nuptiæ respui, quia his homines ad impudicitiam plerumque abutuntur; atqui absurda hæc ratio est. Nam si deberet res ipsa rejici propter abusum, nec cibis, nec vestitu utendum foret, quia homines & vestibus plerumque immoderate indulgent, ut ventri & ambitioni inserviant: cum igitur is ipse qui dixit: *crescite & multiplicamini*: modum præscripserit nuptiis, adjiciendo: *non adulterabis*: *uxorem proximi tui non concupisces*: & libidinum petulantiam morte castigando; sic debet in matrimonio excessus omnis damnari, ut ipsum tamen in se matrimonium approbetur.

3. Ideo nuptias *Marcionitæ* damnabant, quia sanctitati putabant esse contrarias: contendit ex adverso Tertullianus, quando sanctitatis prætextu nuptiæ impugnantur, nullum sanctitati locum relinqui. *Jam dicam*, inquit, (*Ib.*) *Deum Marcionis, cum matrimonium ut malum, & impudentiæ negotium reprobat, adversus ipsam facere sanctitatem, cui videtur studere: materiam enim ejus eradit: quia si nuptiæ non erunt, sanctitas nulla est: vacat enim abstinentiæ testimonium, cum licentia eripitur; quoniam ita quædam in diversis probantur: sicut & virtus in infirmitate perficitur; sic & abstinentia nubendi, in facultate dignoscitur: quis denique abstinens dicetur, sublato eo a quo abstinendum est? quæ temperantia gulæ in fame? quæ ambitionis repudiatio in egestate? quæ libidinis infrænatio in castratione?*

Ita Tertullianus, cujus sententiam totidem pene verbis exscripsit S. Hieronymus l. 1 adversus Jovinianum. Inde sic infero argumentum:

Illud non est habendum ut malum, & impudicitiæ negotium, quod si tollatur, materia sanctitatis, & occasio virtutis eraditur; quod e contra si admittatur, sanctitatis perficiendæ, exercendæque virtutis præbetur materia; atqui si nuptiæ auferantur, sanctitatis occasio tollitur, nullum abstinentiæ ab iisdem futurum est meritum: quis enim abstinens erit, eo sublato quod materia abstinentiæ esse poterat? e contra vero si nuptiarum bonum prædicetur, præsens in illis parandæ sanctitatis & excolendæ virtutis materia est: melius enim

& per-

Digitized by Google

& perfectius est, ad virginitatem sectandam abstinere a nuptiis, quas contrahere in tua habeas potestate. Ergo &c.

3. Inde putabant *Marcionitæ* nuptias malas ostendi, quia contendebant a Deo bono permitti non posse: quod nedum fateatur Tertullianus, ex adverso asserit, Deum bonum non futurum, si nuptias prohiberet. *Jam vero*, inquit, (*Ibid.*) *sementem generis humani compescere totam, nescio an hoc quoque optimo Deo congruat: quomodo enim salvum hominem volet, quem vetat nasci, de quo nascitur, auferendo? quomodo habebit in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur? quomodo diligit, cujus originem non amat? timet forsitan redundantiam sobolis, ne laboret plures liberando, ne multos faciat hæreticos, ne generosiores habeat Marcionitas ex Marcionitis: non erit immanior duritia Pharaonis nascentium enecatrix. Nam ille animas adimit, hic non dat: ille aufert a vita: hic non admittit ad vitam: nihil apud ambos de homicidio differt: sub utroque homo interficitur, sub altero jam editus, sub altero edendus.*

Ita Tertullianus, cujus verba in argumenti formam sic contraho: Deo Optimo Maximo congruit, ut salvum hominem velit, ut multos creet, quibus se præbeat bonum, quosque suæ faciat liberalitatis participes; atqui si damnaret nuptias, & generis humani propaginem aboleret, nemo foret quem salvum vellet, nemo in quem suam bonitatem effunderet: quomodo enim vellet salvare, quem ne nasci quidem vellet? quomodo faceret suæ liberalitatis participem, quem esse non pateretur, nuptias auferendo? cum ergo duritia hæc Pharaonis crudelitatem nascentium enecatricem adæquet, ab idea summi boni procul est amovenda, & ideo bonas esse nuptias confitendum, quia Deus bonus est.

Deinde: insana hæc *Marcionitarum* doctrina, Deum tum impotentiæ arguit; forte enim timet, inquit præclare Tertullianus, redundantiam sobolis, ne plures liberando laboret ac defatigetur: tum invidiæ & mali livoris accusat; veretur enim, ut pulchre ridet acutissimus Africanus, ne ex *Marcionitis* nascantur filii generosiores: *Marcion*, inquit ibid. ex nuptiis natus erat. Ergo &c.

4. Effutiebant *Marcionitæ* nuptias miseriæ, damnationis, ac impietatis esse plenas: contendit ex opposito Tertullianus, magnam esse nuptiarum quæ in Ecclesia celebrantur, felicitatem, & sanctimoniam, verique Sacramenti habere rationem, nedum possint impietatis jure redargui; *unde sufficiam*, inquit, (*lib. 2 ad uxor. cap. 9*) *ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignatum Angeli renunciant... quale jugum fidelium duorum, unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus, carnisve discretio . . . simul orant, simul jejunia transigunt . . . in Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter . . . sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuo provocant, quis melius Deo suo canat: talia Christus videns & audiens, gaudet: his pacem suam mittit: ubi duo, ibi & ipse, ibi & malus non est.*

Et alibi: (*lib. 5 cont. Marcion. cap. 18*) *laborabo ego nunc*, inquit, *eumdem Deum probare masculi & Christi, mulieris & Ecclesiæ, carnis & Spiritus; ipso Apostolo sententiam Creatoris adhibente*: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est? *sufficit inter ista, si Creatoris magna sunt apud Apostolum Sacramenta, minima apud hæreticos; sed*, ego autem dico, *inquit*, in Christo, & in Ecclesia: *habet interpretationem, non separationem Sacramenti: ostendit figuram Sacramenti ab eo præministratam, cujus erat utique Sacramentum.*

Hinc argumentum sic effloresc it:

Status ille bonus est, quo mystice significatur conjunctio Christi cum Ecclesia; cujus author est verus Deus, quemadmodum est Christi hominis & Ecclesiæ conditor; quem denique in veris fidelibus, spei, fidei, caritatis, & virtutum omnium splendidus apparatus exornat: atqui talis est status nuptiarum quæ in Ecclesia celebrantur. Ergo &c.

Legat, qui voluerit veritatem hanc profundius meditari, & plenius auctoritate Patrum defendere, S. *Clementem* Alex. l. 3 Strom. S. *Hieronymum* in libris contra Jovinianum: S. *Joannem Chrysost.* hom. 20 in Ep. ad Ephesios: S. *Aug.* libro de bono conjugali, libris de nuptiis & concupiscentia, aliisque contra Pelagianos & Manichæos editis: S. *Bernardum* serm. 66 in Cantica: aliosque passim SS. Doctores: nobis enim brevitatem sectantibus pauca delibasse, & fontes indicasse sat est.

PROBATIO TERTIA.

Ex universalis Ecclesiæ contra Marcionitas & Manichæos consensione.

Accedit totius Ecclesiæ ad profligandos Marcionitas, & Manichæos consensio.

1. Enim statim atque 2 sæculo Marcionitæ, & 3 Manichæi nefandam suam hæresim excitarunt, bonorum omnium indignationem incurrerunt, ea propter quod execrabili dogmate,

Digitized by Google

mate, Deo simul & homini immane bellum indicerent: Deo quidem, quia duo admittentes rerum omnium principia, numen omne tollebant de medio; cum pluralitas deorum, ut inquit Tertullianus, nullitas deorum sit: homini vero, cujus sobolem penitus extirpare, nuptias prohibendo machinabantur: hinc ab Episcopis toto orbe diffusis, a choro sacerdotali, ab Imperatoribus, ipsaque Christiana plebe, pro merito lacessiti & expugnati: æquum enim erat, ut qui contra omnes pugnabant, omnium inimicitias odiumque experirentur.

2. Quatto Ecclesiæ sæcuio *Eustachius* Sebastæ in Armenia Arianarum Partium Episcopus, multigenique erroris Architectus, inter cætera quæ disseminavit perniciosa dogmata, nuptias cum Manichæis damnare, omnemque conjugatis æternæ beatitudinis spem adimere ausus est: unde contigit, ut mulieres primæ viris derelictis, virique pariter viduatis ante mortem uxoribus, sacrum connubii vinculum, spretis naturæ & religionis sanctissimis edictis abrumperent: contra gliscentem errorem, Synodus *Gangrensis* in minore Asia convocata, (*ann.* 325) canones plurimos edidit, quos in præsenti referre juvat.

Canon 1. *Si quis nuptias accuset, & dormientem cum viro suo, fidelem piamque ac religiosam fœminam detestetur ac vituperet, quasi non possit in Regnum Dei introire: anathema sit.*

Canon 4. *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, quasi non oporteat, eo ministrante, ejus oblationi communicare: anathema sit.*

Canon 9. *Si quis virginitatem custodiens, aut continentiæ studens, velut abhorrens nuptias, secedat, non ideo quia sancta sit virginitas, neque propter ipsum virginitatis bonum: anathema sit.*

Canon 10. *Si quis virginitatem servans propter Dominum, se supra conjugatos extollat: anathema sit.*

Canon 14. *Si qua mulier a marito suo divertat, & secedere velit nuptias abhorrens: anathema sit.*

3. Idem sequentibus ætatibus, tum a Patribus, tum a sacris Conciliis sæpe confirmatum; sic in Concilio *Toletano* I (*ann.* 405) Can. 21, *si quis*, inquiunt Patres, *crediderit conjugia hominum, quæ secundum Dei legem fiunt, esse execrabilia: anathema sit*: & in Concilio Bracharensi (*ann.* 563) Can. I, *si quis vituperat nuptias: anathema sit*. Accedit Concilii Lateran. IV anno 1215, Constantiensis, an. 1418, Florentini, 1439, & denique Trid. sæculo 16 auctoritas; hic enim communi Patrum sententia definitum est, matrimonium esse verum legis Evangelicæ Sacramentum: *si quis dixerit*, ajunt Patris Tridentini, (*Sess.* 24, *can.* 1) *matrimonium non esse vere & proprie, unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum: sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anathema sit* .... nisi enim nuptiæ bonæ essent, ad dignitatem Sacramenti non fuerant evehendæ. Ergo &c.

PROBATIO QUARTA.

Ex nequitia Manichæorum, sibi ipsi mentiente.

Quartum denique petimus argumentum ex moribus Manichæorum, qui vitæ castæ & memorabilis continentiæ imaginem præserentes, omni se spurcitiæ genere inquinabant, & rejecto nuptiarum bono, matrimonium natura Sanctum, in libidinem convertebant, adeoque bonum nuptiarum damnabant, & malum probabant: audiendus de hac re S. Aug. sic eos insectans. (*lib. de moribus Manich. cap.* 17, *& seq.*) *Non concubitum*, inquit, *sed ut longe ante ab Apostolo dictum est, vere nuptias prohibetis, quæ talis operis una est honesta defensio ... nonne vos estis, qui filios gignere, eo quod animæ ligentur in carne, gravius putatis esse peccatum, quam ipsum concubitum? nonne vos estis qui nos solebatis monere, ut, quantum fieri posset, observaremus tempus, quo ad conceptum mulier, post genitalium viscerum purgationem apta esset, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? ex quo illud sequitur, ut, non liberorum procreandorum, sed causa satiandæ libidinis haberi conjugem censeatis? nuptiæ autem, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causa marem fœminamque conjungunt: quisquis ergo procreare liberos, quam concumbere gravius dicit esse peccatum, prohibet utique nuptias, & non jam uxorem, sed meretricem fœminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam ejus libidinem jungitur: si enim uxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est, ubi datur opera, ne sit mater: non igitur uxor: quocirca nuptias prohibetis, nec ab hoc crimine quod olim a Sp. Sancto de vobis prædictum est, illa vos ratione defenditis ... hi sunt vestri mores, hic finis admirabilium præceptorum, ubi nihil certum, nihil constans, nihil rationabile, nihil inculpabile; sed omnia dubia, immo vero sine dubitatione falsissima; omnia repugnantia, abominabilia, absurda ... vidi ego, non solus, sed eum iis qui partim jam illa superstitione liberati sunt, partim adhuc opto ut liberentur: vidi-*

Digitized by Google

vidimus ergo in quadrivia Carthaginis, in platea celeberrima, non unam, sed plures quam tres electos simul, (electos Manichæi vocabant eos qui aliquandiu ab ipsis probati, Manichæismum profitebantur) *post transeuntes nescio quas fœminas, tam petulanti gestu adhinnire; ut omnium trivialium impudicitiam impudentiamque superarent: quod de magna venire consuetudine, atque illos inter se ita vivere satis eminebat: quandoquidem nullus socii præsentiam veritus, omnes aut certe pene omnes eadem teneri peste indicabat: non enim erant hi ex una domo; sed diverse prorsus habitantes, ex eo loco ubi conventus omnium factus erat, pariter forte descenderant: nos autem graviter commoti, graviter etiam questi sumus . . . . id etiam nobis responsum est, cum ad ipsos primates detulissemus, conquestam esse mulierem, quod in conclavi, ubi cum aliis fœminis erat, de illarum scilicet sanctitate secura, ingressis electis pluribus, & ab uno lucerna extincta, incertum cujus eorum in tenebris appetita esset amplexu, & coacta in flagitium, nisi subsidio clamoris evasisset: hoc vobis quoque notissimum nefas; de quanta consuetudine venisse arbitrandum est? & hoc factum est ea nocte, qua festæ apud vos vigiliæ celebrantur . . . . omnes idem crimen involutos tenebat, qui semel ingressi erant. Nam omnibus petulanter clamantibus lucerna extincta placuerat.*

Ita S. Aug. pleraque alia scelera Manichæis ibidem exprobrans, quæ legere quisque in fonte potest. Unde manifestum est, Manichæos subverso penitus judicio, hoc unum quod in nuptiis bonum est, quoque solo nuptiæ vere appellantur, damnasse, illud vero quod malum est, turpes scilicet & infructuosos coitus, approbasse; & dum continentiæ professores haberi volebant, fuisse hominum perditissimos, ut inde intelligendum omnibus darent, quam sit facile simulare, quam difficile habere virtutem.

Diluuntur objectiones.

Opponitur in gratiam Manichæorum: Apostolus 1 Cor. 7, postquam conjugatis dixit v. 5, *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram:* sic pergit v. 6, *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium: volo enim omnes vos esse sicut me ipsum: videlicet sine matrimonio.*

Hinc sic instruitur argumentum:

Quod secundum indulgentiam conceditur, non secundum imperium, bonum non est; indulgentia enim conceditur rei non bonæ; sed matrimonium concedit Apostolus secundum indulgentiam, non secundum imperium. Ergo bonum ex ejus mente dici non debet.

R. admisso authoritatem, & concessa maj. dist. min. matrimonium ex indulgentia permittit Apostolus, *quantum ad excessum qui in ejus usu esse potest*, con. *quantum ad rem ipsam, id est, habita solius in se matrimonii ratione*, n. min. & conseq.

E. R. Matrimonium quantum in ipso est, ad suscipiendam & educandam prolem refertur: matrimonii excessus est, inquit S. Aug. (*lib. 1 de nupt. & concup. c. 14*) *quando conjuges debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate:* dicimus ergo ab Apostolo concedi secundum indulgentiam, id est condonari, non matrimonium ipsum, quod nedum veniam postulet, laudem habet; sed excessum qui in ejus usu esse potest: eodem enim capite v. 28, *si acceperis uxorem*, inquit, *non peccasti*, & *si nupserit virgo non peccavit*, & v. 36, *quod vult*, inquit, *faciat, non peccat si nubat:* quæ verba S. Aug. expendens: *Nunc autem*, ait, (*lib. de bono conjug. c. 10*) *quid dicturi sumus adversus evidentissimam vocem Apostoli dicentis:* quod vult faciat, non peccat si nubat? *hinc certe jam dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum, non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus: nam quis ambigat absurdissime dici, non eos peccasse quibus venia datur? sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, & aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant.*

Idemque alibi repetens: (*lib. 1 de nupt. & concup. c. 14*) *ubi ergo venia danda est*, inquit, *aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur: cum igitur culpabilis non sit, generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est; quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam.*

Inst. 1. Atqui matrimonium etiam in se sumptum peccatum est. Ergo &c.

Prob. subs. Quod sine libidine esse non potest, peccatum est; atqui nuptiarum commercium sine libidine esse nequit. Ergo in se spectatum peccatum est.

℞. Nego subs. ad probat. cum S. Aug. dist. maj. Quod non potest esse absque libidine *dominante*, peccatum est, conc. quod non potest esse absque libidine *serviente*, peccatum

Mm 2 est,

est, n. maj. distinguo pariter min. nuptiale commercium non potest esse sine libidine *dominante*, n. sine libidine *serviente*, subdistinguo: *in statu naturæ lapsæ*, con. *absolute*, n. min. & conseq.

E. D. Libido dominans est, quæ sola propter se in nuptiis quæritur: libido serviens est, quæ sequitur ex matrimonio suscipiendæ prolis causa suscepto: equidem carnalis commixtio peccatum est, cum solius libidinis explendæ causa quæritur. Sed matrimonium generationis causa contractum, etiamsi sequentem ac servientem libidinem habeat, negat S. Aug. esse peccatum: *quia* inquit, (*lib. 1 de nupt. & concup. c. 12*) *bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem: nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum juste redigitur in usum generandi plaga peccati: hujus plagæ effectus*, libido scilicet, *in adulteriorum & fornicationum, & quorumlibet stuprorum, atque immunditiarum fœditatibus regnat: in connubiorum vero necessitudinibus servit: ibi de Domino tali turpitudo damnatur: hic de pedissequo tali honestas verecundatur: non est igitur hæc libido, nuptiarum bonum; sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor* . . . itaque ex S. Aug. licet non possit in præsenti naturæ statu sine serviente libidine esse commercium nuptiale; non debent tamen nuptiæ ipsæ damnari, quia bona voluntas animi sequentes habet, non ducentem sequitur corporis voluptatem: *unde*, inquit ibid. (*cap. 17*) *carnis concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed in nuptiis toleranda: non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum*.

Inst. 2. Quod est proxima peccandi occasio, debet respui, quippe hoc ipso, quod sit malum evincitur; atqui nuptiæ se ipsis, proxima peccandi occasio sunt: quando nam enim contigit, ut libido dominans non reperiatur in conjugatis? Ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. Nam si nuptiæ ex se ipsis proximam afferrent peccandi occasionem, mendacii & impietatis convinceretur Apostolus, loco paulo ante citato sic loquens: (*1 Cor. 7, 5.*) *revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas, propter incontinentiam vestram*: malum enim, bonum vocaret, & contra quam ipse præscripsit, (Rom. 1, 32.) non solum malum facientibus consentiret, sed ejus perpetrandi suasor esset: quod cum suspicari nefas sit, dicendum potius nuptias a peccandi occasione retrahere, nedum in illam inducant.

Ad probat. respondeo cum S. Aug. dist. ant. raro contingit, ut libido dominans non reperiatur in conjugatis, *vitio conjugum*, conc. *vitio nuptiarum*, nego. *Nam*, inquit S. Doctor, (*lib. de bono conjug. c. 14.*) *quid sit nuptiarum considerandum est, non quid nubentium, & immoderatius nuptiis utentium: neque enim si agris inique ac perperam invasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat. Neque si alius ruri paterno, vel juste quæsito avarus incumbat; ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est: nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si Regia clementia tyrannus subditos tractet, nec vituperabilis ordo Regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannica sæviat; aliud est namque, injusta potestate juste velle uti; & aliud est, justa potestate injuste velle uti: ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, justum faciunt concubinatum suum, nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt*.

Inst. 3. Atqui non vitio conjugum, sed vitio nuptiarum adscribi debet, quod connubii fœdus sit malum: ergo &c.

Prob. sub. fons originalis peccati se ipso est malus; atqui nuptialis concubitus originalis peccati fons est; ergo quod nuptiale commercium malum sit, non conjugibus, sed nuptiis adscribendum.

℟. Nego subs. ad probat. cum S. Aug. concessa maj. n. min. fons enim originalis peccati est, unde sequitur, ut reos diabolus parvulos teneat; atqui quod diabolus reos, sibique subjectos parvulos teneat, non hoc ex nuptiis, sed ex malo concupiscentiæ nascitur: „ natos non ex bono, quo bonæ sunt nuptiæ, „ sed ex malo concupiscentiæ, inquit S. D. „ (*lib. 1 de nupt. & concup. cap. 24.*) quo „ bene quidem utuntur nuptiæ, de quo tamen erubescunt & nuptiæ, reos diabolus „ parvulos tenet . . . “ Itaque juxta S. Augustinum, quod nascantur infantes peccato originali obnoxii, non in nuptias de se bonas, sed in malum concupiscentiæ refundi debet: *ita enim nuptiarum bonum, malo originali quod inde trahitur, non potest accusari*, inquit, (*ib. cap. 1*) *sicut adulteriorum & fornicationum malum, bono naturali quod inde nascitur, non potest excusari: nam sicut peccatum sive hinc, sive inde a parvulis trahatur, opus est diaboli; sic homo sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei: igitur carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo qui per illam nascitur, trahit originale peccatum; discerni debet a bonitate nuptiarum: hæc enim pudenda concupiscentia nulla esset*, nisi

Digitized by Google

nisi homo ante peccasset: nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset.

Inst. 4. Atqui nuptiæ se ipsis, & ex natura sunt malæ: ergo &c.

Prob. subs. Lucæ 14, parabola est de iis qui cum a patre familias ad cœnam invitati essent, (quæ Regni Cœlestis figura est) interesse tam splendido convivio variis prætextibus renuerunt: *alius dixit, uxorem duxi, & ideo non possum venire*: alii, prout quisque erat terrenis negotiis implicatus, excusationem similem attulerunt: contra omnes vero lata a Domino sententia est: *dico vobis*, inquit, (*Luc. 14, 24.*) *quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*.

Hinc sic enascitur argumentum:

Pro malo haberi id omne debet, quo homines ab æterno convivio excluduntur, atqui hæc nuptiarum infelicitas est, ut textus laudatus insinuat: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. non enim nuptos ad cœnam vocaret paterfamilias, si connubium ab ejus participatione necessario quemquam repelleret; itaque quod conjugati a Regno Cœlesti repelli possint aut debeant, non in nuptias, quæ se ipsis sunt sanctæ, & a Christo in Evangelio approbatæ, sed in conjugatos refundi debet, qui rem natura bonam & sanctam in malum culpa sua, pravis libidinibus indulgendo convertunt: *in hac parabola exemplum est*, inquit S. *Clemens Alex.* (*lib. 3 Strom.*) *ad eos arguendos, qui ut voluptatibus serviant, abstinent a divino mandato: non autem ad ipsas in se nuptias arguendas*: veritas responsionis ex aliis excusationibus, quas ib. afferunt invitati, manifesto adstruitur: *primus dixit*, inquit, (*Lucæ 14, 18.*) *villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum: & alter dixit, juga bovum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum*: quod non ideo dictum est, quasi villas & boves emere, malum sit æterna morte plectendum; sed ut ostenderetur, eos, qui augendis opibus sic inhiant, ut bona temporalia æternis ac cœlestibus anteponant, indignos esse qui ad cœnam patris familias admittantur: pariter ergo dicendum, non nuptias, sed pravam conjugum voluntatem divino judicio condemnari.

Inst. 5. Apostolus Corinthiis bona cuncta suadens, *dico autem non nuptis & viduis*, inquit, (*1 Cor. 7, 8.*) *bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego: quod si non se continent, nubant: melius est enim nubere quam uri*: quod Apostoli effatum Tertullianus interpretans: „ sic accipendum est, *inquit*, (*lib. de* „ *Exhort. castit. c. 4.*) quomodo melius est „ uno oculo, quam duobus carere: si tamen „ a comparatione discedas, non erit melius „ unum oculum habere; quia nec bonum... " hinc sic infertur argumentum:

Eodem sensu, Tertulliano interprete, dixit Apostolus melius esse nubere quam uri, quo dicitur melius esse carere uno oculo, quam duobus; atqui ita melius est, orbum uno oculo esse, ut tamen malum in se sit: ergo a pari ita melius est nubere quam uri; ut tamen malum sit nubere, licet minus sit malum, quam uri.

R. Admitto auctoritatem, & n. maj. qui enim disertis verbis affirmat, non peccasse qui accepit uxorem, virginem si nupserit, non peccasse, non peccare qui nubunt, & bene facere qui matrimonio conjungit virginem suam; profecto non hoc sensu dicit, melius esse nubere quam uri, quo dicitur melius esse carere uno oculo, quam duobus; atqui in hoc ipso c. 7 primæ Ep. ad Cor. sæpius Apostolus repetit, non peccare qui nubunt, & bene facere qui nuptui tradit virginem suam: idemque in Ep. ad Tim. 1 confirmans: *mulier*, inquit, (*Cap. 2, 15.*) *si permanserit in fide, salvabitur per filiorum generationem*: & in Epistola ad Hebræos: (*Cap. 13, 4*) *honorabile*, ait, *connubium in omnibus, & thorus immaculatus*: denique in Ep. ad Ephesios c. 5, in tantum extollit nuptias, ut in iis agnoscat magnum Sacramentum, quod est in Christo & in Ecclesia: non ergo eo sensu voluit intelligi id quod dixit, *melius esse nubere quam uri*, quasi malum nubere sit, licet sit minus malum quam uri.

Sic respondet S. Aug. in lib. de bono conjugali, c. 8. *Honorabiles nuptiæ in omnibus*, inquit, *& thorus immaculatus: quod non sic dicimus bonum, ut in fornicationis comparatione sit bonum: alioquin duo mala erunt, quorum alterum pejus: aut bonum erit & fornicatio, quia est pejus adulterium: pejus est enim alienum matrimonium violare, quam meretrici adhærere; & bonum adulterium, quia est pejor incestus: pejus est enim cum matre, quam cum aliena uxore concumbere: & donec ad ea perveniatur, quæ sicut Apostolus ait*, (*Ephes. 5, 3.*) *turpe est & dicere, omnia bona erunt in comparatione pejorum: hoc autem falsum esse quis dubitet? non ergo duo mala sunt, connubium & fornicatio, quorum alterum est pejus: sed duo bona sunt, connubium & continentia, quorum alterum est melius; sicut ista temporalis sanitas & immortalitas non sunt duo mala quorum alterum pejus; sed ista sanitas & immortalitas duo bona sunt, quorum alterum melius... sicut autem jejuniis*

Digitized by Google

niis sacrilegorum meliora sunt prandia justorum; ita nuptiæ fidelium virginitati anteponuntur impiorum: verumtamen neque ibi prandium jejunio, sed justitia sacrilegio; neque hic nuptiæ virginitati, sed fides impietati præfertur: ad hoc enim justi cum opus est, prandent, ut tamquam boni Domini quod justum & æquum est servis corporibus præbeant: ad hoc autem sacrilegi jejunant, ut dæmonibus serviant: sic ad hoc nubunt fideles, ut maritis pudice copulentur; ad hoc autem sunt virgines impiæ, ut a vero Deo fornicentur, &c.

Jam quod ad Tertullianum spectat, dicimus ineptam & a vero alienam esse quam attulit testimonii Apostolici explicationem, nulliusque pretii esse auctoritatem ex libro ejus de exhortatione castitatis adductam: hic enim liber, ut alibi admonuimus, de eorum numero est, quos contra doctrinam catholicam scripsit, cum ad partes Montanistarum desertor Ecclesiæ deflexisset: itaque impugnandus Tertullianus hæreticus, iisdem armis quibus Tertullianus catholicus Marcionem gloriosissime, ut prædiximus, debellavit.

Inst. Ultimo: quidam ex antiquis patribus, *Adami* innocentis cum *Eva* matrimonium nullum fuisse dixerunt, neque deinceps futurum, si in innocentia perstitissent: quam opinionem aliquando S. Aug. defendit; atqui hujus amplectendæ sententiæ non alia Sanctis Doctoribus causa fuit, nisi quod crederent nuptias esse intrinsece malas: ergo &c.

R. Dist. maj. quidam ex antiquis putaverunt, Adami innocentis cum Eva matrimonium non fuisse; hoc, inquam, *sine fundamento, & contra communem doctrinam dixerunt*, conc. *cum fundamento, & consentanee ad doctrinam Ecclesiæ*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Peculiaris hæc paucorum opinio rejici debet, tum quia scripturæ testimoniis manifesto contraria, tum quia omni rationis præsidio destituta, tum quia aliorum patrum majori numero contradicit, consensu pene unanimi affirmantium nuptias a proto-parentibus ante omne peccatum esse contractas: hinc S. Augustinus quod primum putaverat, benedictionem Dei qua dictum est: *crescite & multiplicamini*: in carnalem fœcunditatem post peccatum fuisse conversam, postmodum ætate maturior, & in sacra doctrina provectior improbavit.

In Affrica constitutus, inquit in libris retractationum, (*lib.* 1, *cap.* 10.) *conscripsi duos libros de Genesi contra Manichæos . . . quod vero ibi legitur de benedictione Dei, qua dictum est*: crescite & multiplicamini: *in carnalem fœcunditatem, post peccatum, conversam esse credendum; si non potest alio modo dictum inveniri, nisi ut putentur illi homines non habituri fuisse filios homines nisi peccassent, omnino non approbo.*

Longeque præclarius in libris *de Civitate Dei*: (*lib.* 14, *c.* 22.) *nullo modo dubitamus*, inquit, *secundum benedictionem Dei crescere, & multiplicari, & implere terram, donum esse nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam: qui sexus evidens utique in carne est: huic quippe operi Dei etiam benedictio subjuncta est: nam cum scriptura dixisset*: masculum & fœminam fecit eos: *continuo subdidit*: & benedixit eis Deus dicens: crescite, & multiplicamini, & implete terram, & dominamini ejus, &c.... *cui sententiæ tam evidenti magnæ absurditatis est reluctari... aperte enim de vinculo conjugali, quo invicem sibi uterque sexus obstringitur, Dominus interrogatus, utrum liceret quacumque ex causa dimittere uxorem . . . respondit atque ait*: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos; & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una? itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet: *certum est igitur, masculum & fœminam ita primitus institutos, ut nunc homines duos diversi sexus videmus & novimus...* (*ib. cap.* 23.) *quisquis autem dicit, non fuisse coituros, nec generaturos nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum, necessarium homini fuisse peccatum? si enim non peccando soli remanerent; quia sicut putant, nisi peccassent, generare non possent: profecto ut non soli duo justi homines possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit: quod si credere absurdum est, illud potius est credendum, quod sanctorum numerus, quantus complendæ illi sufficit beatissimæ civitati, tantus existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei Gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quosque filii hujus sæculi generant & generantur: & ideo illæ nuptiæ, dignæ felicitate paradisi, si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent.*

Ita S. Doctor: ad ejus itaque mentem quæ prius ejus fuerat, quæque quorumdam aliorum contraria sententia fuit, de nuptiis in statu innocentiæ non futuris, quippe catholicæ doctrinæ adversaria, expungi ac corrigi debet.

Sequitur

C A-

CAPUT SECUNDUM.

Contra Pelagianos ostenditur, sic nuptias esse bonas, ut tamen concupiscentia mala sit.

PElagiani volebant, primum hominum par, morti obnoxium a Deo creatum, & cum ipsa lege peccati quæ in nobis est, id est cum concupiscentia, quam Dei opus esse, & naturæ bonæ bonam conditionem mordicus contendebant: tantumque hoc delectabantur errore, ut non aliter vitari posse Manichæorum Charibdim audacter assererent, eaque de causa catholicos Manichæismi insimularent, qui dicunt concupiscentiam, corruptæ naturæ morbum, & pravam esse affectionem ex peccato originali secutam, non a Deo creatore prognatam.

In contrarium S. Aug. doctrinæ catholicæ contra Pelagianos, totis 20 annis defensor, docet utrosque, Manichæos nimirum & Pelagianos longissime a veritate recedere: *Manichæi*, inquit, (*l.* 2 *cont.* 2 *ep.Pelag.c.* 2) *carnis concupiscentiam non tamquam accidens vitium, sed tamquam naturam ab æternitate malam vituperant: Pelagiani eam tamquam nullum vitium, sed naturale sit bonum, insuper laudant: Catholica Ecclesia utrosque redarguit, Manichæis dicens*: non natura, sed vitium est: *Pelagianis dicens*: non a patre, sed ex mundo est: *ut eam velut malam valetudinem sanari utrique permittant, desinendo illi tamquam insanabilem credere, isti tamquam laudabilem prædicare... his morbis inter se contrariis Manichæi Pelagianique confligunt, dissimili voluntate, simili vanitate, separati opinione diversa, sed propinqui mente perversa... desinant itaque Pelagiani catholicis objectare quod non sunt, sed ipsi potius festinent emendare quod sunt, nec ideo se velint haberi amabiles, quia odioso Manichæorum adversantur errori; sed merito se agnoscant odibiles, quia suum non aversantur errorem: possunt enim duo errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, qui sunt ambo contrarii veritati: nam si propterea sunt diligendi Pelagiani qui oderunt Manichæos; diligendi & sunt Manichæi, qui oderunt Pelagianos: sed absit ut catholica mater propter alterorum odium, alteros eligat amare; cum volente atque adjuvante Domino debeat utrosque vitare, & cupiat utrosque sanare.*

Itaque postquam contra Manichæos statutum, nuptias non esse malas, & malum non habere auctorem; contra Pelagianos probandum, concupiscentiam esse malam, & conditori Deo adscribi minime posse.

PROBATIO PRIMA.

Ex auctoritate scripturæ.

Cujus veritatis primum argumentum scriptura præbet, Pelagianos multis locis redarguens.

Invenio legem, inquit S. Paulus, (*Rom.* 7, 21, *& seqq.*) *volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

Et in Epistola ad Galatas: (*Gal.* 5, 16, *& seq.*) *dico autem, spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.*

B. Jacobus, *nemo*, inquit, (*Jac.* 1, 13, *& seq.*) *cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim .... neminem tentat: unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.*

S. Joannes: (*Joann. epist.* 1, *c.* 2, 15, *& seqq.*) *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.*

Ex his scripturæ testimoniis eruo argumenta quæ sequuntur.

1. Si lex carnis sive concupiscentia Deum haberet auctorem, non repugnaret legi mentis: non enim potest opus Dei operi Dei esse contrarium, & cum illo inimice confligari, quia Deus non vult opus bonum opere bono evertere; atqui teste Apostolo lex carnis, sive concupiscentia, repugnat legi mentis, & quantum in ipsa est, captivare satagit hominem in lege peccati: ergo mala est, adeoque Deum auctorem non habet.

2. Si concupiscentia, bona & a Deo esset, non debuerat Apostolus ideo se infelicem lamentari, quod concupiscentia premeretur, nec pariter debuerat liberationem ab ejus imperio petere: ingratus enim Deo est, qui bonum ab eo acceptum aversatur ac respuit; indeque se miserum putat, unde ditior & ornatior factus

ctus est; atqui ideo se miserum Apostolus prædicat, quod videat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, enixeque petit ab illo mortis corpore liberari: sentit ergo concupiscentiam esse malam, nec auctori Deo, sed naturæ peccato vitiatæ imputandam.

3. Si concupiscentia a Deo esset, quisquis tentaretur a concupiscentia sua, a Deo utique tentaretur: effectus enim jure merito ei adscribitur, qui causam ipsam produxit, unde effectus manavit: quod est causa causæ, ajunt Philosophi, est causa causati; atqui illationem hanc rejicit Apostolus Jacobus, velut impiam & divinæ sanctitati contrariam: *nemo*, inquit, *cum tentatur, dicat quia a Deo tentatur; Deus enim .... neminem tentat, sed unusquisque tentatur a concupiscentia sua illectus & abstractus*: ergo &c.

4. Concupiscentia ex eodem Apostolo mater est peccati & mortis: *concupiscentia*, inquit, *cum conceperit, parit peccatum, & peccatum generat mortem*: ergo impie desipit, quisquis concupiscentiam Deo auctori adscribit, & jactitat esse bonam: nam, quæso, quomodo potest in Deum auctorem refundi, & pro re bona haberi, infelix mater, unde peccatum & mors, adeo horrenda mala originem ducunt?

5. Aperte prædicat Joannes Apostolus, concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, quæ tria sub generali malæ appetentiæ nomine continentur, non ex Deo, sed ex mundo esse, mundum nimirum intelligens genus humanum, protoparentum labe primigenia vitiatum: ergo manifesto contradicunt scripturæ Pelagiani affirmantes concupiscentiam bonam esse, & a Deo procedere.

PROBATIO SECUNDA.

Ex fide peccati originalis.

Ideo volebant Pelagiani, nuptias sic esse bonas, ut nec mala foret concupiscentia, nec pudenda libido; quia peccatum originale negabant, quo sublato reliquum erat, ut vel consentirent Manichæis, nuptias in malum Deum refundentibus: vel, ut errore contrario, non nuptias tantum, sed & ipsam concupiscentiam bono & vero Deo tribuerent, atque adeo bonam esse jactarent. Jam argumentum sic prosequor.

Atqui fidei est, peccatum originale ab Adamo in ejus posteros, non tantum imitatione, verum etiam naturæ propagatione transmitti: nec minus certum est, enormi illo peccato naturam humanam non solum fuisse spoliatam donis gratuitis, sed etiam in naturalibus vulneratam: *si quis non confitetur*, inquit Concilium Trid. (*sess.* 5, *can.* 1) *primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi, iram & indignationem Dei, atque adeo mortem quam illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.*

Cum ergo habeat carnalis concupiscentia & omnis prava libido apertam ac necessariam in peccato originali causam, falso & impie in Deum refunditur.

Descriptio brevis status innocentiæ, & status peccati.

Quod ut evidentius explicetur, juvat breviter hic describere felicitatem status innocentiæ, & miseriam in quam primus homo per peccatum collapsus es, quamque universæ propagini infausta hæreditate reliquit: ubi enim viro Theologo ex doctrina Catholicæ Ecclesiæ innotuerit, quanto Adamus innocens ab Adamo peccatore distet intervallo, non poterit non irasci Pelagianis, in Deum concupiscentiam referentibus.

Fortunatissimum fuisse innocentiæ statum, in quo Adam creatus est, nemo fidelis negaverit: nam non solum insontem & sine vitio, a Deo naturam accepit, a quo repugnat corruptum aliquid & vitiatum prodire; sed ornatum insuper donis omnibus gratiæ ac naturæ excellentissimis: bona, a Deo conditore, voluntate donatus est, dicente scriptura: (*Eccles.* 7, 30) *hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum*: intellectum sortitus est, plenitudine scientiæ illustratum, eadem scriptura attestante: (*Eccli.* 17, 5) *disciplina intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & bona & mala ostendit illis.*

Habuit insuper plenam ad omne bonum opus libertatem: poterat legem facile custodire, si vellet; poterat & non peccare, si nollet: in illo voluntas rationi, appetitus voluntati ad nutum obtemperabat: de corpore ejus quid eloquar, animæ imperio tantum obsequente, quantum Deo homo ipse subditus erat? nulla ibi discordia carnis & spiritus, nulla cum vitiis colluctatio, nullus concupiscen-

tiæ

tiæ prementis inſultus, quem ſi ante peccatum expertus eſſet, præceſſiſſet miſeria ipſa peccatum: nullus ibi ægritudinis, doloris, triſtitiæ ſenſus: mortis nullus pavor: mors enim, & ægritudo mortis prænuncia, dolor ac triſtitia, peccati ſunt appendices. *Per unum hominem*, inquit Apoſtolus, (*Rom.* 5, 12) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Quod autem ad corporales miſerias attinet, divinitus in vindictam prævaricationis eſſe inflictas, ſcriptura teſtatur apertius, quam ut de hac re ulla dubitatio eſſe poſſit: vix enim mandatum primus homo infregerat, cum Dei decretum auditum eſt: (*Gen.* 3, 17, *& ſeq.*) *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi ... in ſudore vultus tui veſceris pane ....* mulieri quoque dixit: (*ib.* 16) *multiplicabo ærumnas tuas ... in dolore paries filios*.

Itaque Adamus immortalis creatus eſt, non quidem conditione naturæ, ſed beneficio conditoris: poterat non mori, ſi peccare nollet ſine defectu annoſus futurus, ad ætatem longiſſimam ſine ſenectutis incommodis provehendus, & tempore quo vellet Deus, ab hac vita ad cœleſtem, ſine morte media tranſiturus; atque ut verbo dicam, ſtabat humana natura ante peccatum in ſublimi dignitatis loco conſtituta, juſtitia originali & omnibus naturæ ac gratiæ donis pleniſſime cumulata, dominatrix omnium, ſolique Deo ſubjecta.

Sed poſtquam merito peccati originalis genus humanum ludibrium factum eſt dæmonum, univerſa in deterius mutata natura eſt: ex hoc enim impuriſſimo fonte manarunt

1. Originalis juſtitiæ, gratiæ ſanctificantis, & amicitiæ Dei privatio:

2. Naufragium ſpiritualium bonorum: & omnium ſive corporis, ſive animi facultatum deſolatio:

3. Inclinationis naturalis in bonum diminutio, languor liberalitatis, & ſumma boni agendi difficultas:

4. Ignorantia mentis:

5. Malitia voluntatis:

6. Effrenata ſenſibilis voluptatis libido, pugna carnis adverſus ſpiritum, & paſſionum turbulentiſſima conflictatio:

7. Mors, & aliæ vitæ præſentis ærumnæ:

8. Tandem peccatorum ex ſe invicem pullulantium deploranda colluvies, quæ humanum genus jam inde ab initio infeſtavit, &, ut ex ſacris litteris notiſſimum eſt, Dei iram ſæpe provocavit.

Cum itaque miſeriæ omnes quibus natura hominis obnoxia eſt, habeant in Adami prævaricatione originem; quis hoc negare de concupiſcentia audeat, quæ plaga omnium graviſſima fuit, & peſtis iniquiſſima? de qua dictum in ſcriptura, (*Eccli.* 9, 9) quod contra legem Dei, *quaſi ignis exardeſcit .... &* (*ib.* 18, 30) *poſt concupiſcentias tuas non eas .... ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*.

PROBATIO TERTIA.

Ex concupiſcentiæ definitione.

Malam enim, quin & malorum omnium lernam concupiſcentiam eſſe, genuina ejus notio ſatis declarat, ſecundum quam definitur, *prava hominis lapſi ad omne peccati genus propenſio*: ſive, ut loquitur S. Thomas, (1, 2, *q.* 82, *art.* 3, *in corp.*) *inordinata converſio ad bonum commutabile*: *quæ inordinatio communi nomine concupiſcentia dici poteſt*: latiſſime ergo ad omne vitiorum genus effunditur: quæ hominem in ſtatu præſenti allicere & inficere poſſunt: hinc S. Aug. *concupiſcentia*, inquit, (*de civ. Dei lib.* 14, *cap.* 15) *eſt generale vocabulum omnis cupiditatis ... eſt igitur libido ulciſcendi, quæ ira dicitur: eſt libido habendi pecuniam, quæ avaritia: eſt libido quomodocumque vincendi, quæ pervicacia: eſt libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur: ſunt multæ, variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam vero non habent*.

In his ergo omnibus concupiſcentia exercetur, quæ ab homine male, & inordinate appeti poſſunt: unde ab Apoſtolo dicuntur ſecundum carnem vivere, & non ſecundum ſpiritum, qui naturæ corruptæ deſideria conſectantur, ſive ad carnales voluptates, ſive ad vitia animi pertinent: *ſpiritu ambulate*, inquit, (*Gal.* 5, 16, *& ſeq.*) *& deſideria carnis non perficietis: caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem ... manifeſta autem ſunt opera carnis: quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, homicidia, ebrietates, & his ſimilia: quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*.

Licet vero generali concupiſcentiæ nomine appelletur propenſio quævis mala ad vitium; ſpecialiter tamen per illud ſignificatur prava libido corporeæ voluptatis, qua nimirum inordinate, & contra rationem caro movetur: *cum igitur*, inquit S. Aug. (*de civ. lib.* 14, *c.* 1) *ſint multarum libidines rerum*; *tamen* cum

cum libido dicitur, *nec cujus rei libido sit*, *additur*; *non fere solet animo occurrere nisi illa*, *qua ad carnales voluptates corpus excitatur*; *quæque sibi non solum totum corpus vindicat . . . . verum etiam totum commovet hominem*, *animi simul affectu*, *cum carnis appetitu conjuncto atque permixto*: *ut ea voluptas sequatur*, *qua . . . . pene omnis acies & quasi vigilia cogitationis obruitur*.

Hac semel posita & explicata concupiscentiæ notione, facile est Pelagianorum paradoxum revincere, Deum concupiscentiæ auctorem esse volentium: rei enim malæ conditor Deus esse non potest; atqui concupiscentia mala est & vitiosa ad omne peccati genus propensio: ergo &c.

PROBATIO QUARTA

Ex ratione.

Quod etsi ad profligandam Pelagianorum impietatem posset abunde sufficere; non abs re tamen erit, quædam ab ipsa ratione advehere argumenta, quæ contra illos feliciter Sanctus Augustinus intorsit.

1 Argumentum: illud non est opus Dei, de quo homo erubescit; atqui de concupiscentia homo erubescit: ergo mala est, & opus Dei dici non potest: *hoc pudoris genus*, *hæc erubescendi necessitas*, inquit S. Doctor, (*lib. 1 ad Bonif. cap. 16*) *certe cum omni homine nascitur*, *& ipsis quodammodo naturæ legibus imperatur*; *ut in hoc verecundentur etiam pudica conjugia . . . . . itaque sua culpa sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere*; *ne cogatur*, *aut* (*quod est impudentissimum*) *de his suis motibus non erubescere*; *aut quod est ingratissimum*, *de sui creatoris operibus erubescere*.

2. Si concupiscentia carnis bonum est; profecto modica concupiscentia bonum est modicum, & magna concupiscentia, magnum bonum: sicut enim malum malo additum, majus malum facit; sic bonum bono adveniens in majus bonum accrescit; atqui eo majus bonum esse concupiscentiam, quo petulantior est, quoque magis in luxuriam inardescit, asseri sine summa impietate parique adsurditate non potest: alioquin enim quo quisque salacior & intemperantior esset, eo foret viri boni titulo dignior æstimandus: atque adeo primam in hoc virtutis genere laudem *Cynici* obtinerent, canum more lascivientes: ergo &c. *vide S. August. operis imperfecti contra Julianum Pelagianum l. 4*, *n. 21*.

3. Concupiscentia carnis lex est, legi mentis, ut testatur B. Paulus, repugnans: unde fit, ut carnis & spiritus conflictatio perpetua sit: vel ergo dicendum malam esse legem mentis, quæ pugnat contra legem carnis; vel malam legem carnis, quæ legem mentis impugnat; atqui primum sine temeritate dici non potest: ergo necessarium est alteri assentiri, atque adeo negandum concupiscentiam esse opus Dei: ita disputat contra Julianum S. Aug. *rogo te*, inquit, (*contr. Jul. lib. 5*, *cap. 7*) *oculos aperi*, *& cerne quæ aperta sunt*: *nulla pugna est sine malo*: *quando enim pugnatur*, *aut bonum pugnat & malum*; *aut malum*, *& malum*: *aut si duo bona inter se pugnant*, *ipsa pugna est magnum malum*.

4. Illud sine dubitatione malum est, cui non consentire bonum est: in quo enim foret arguendus, qui rei bonæ consentiret, & impetum bonæ appetentiæ sequeretur? atqui non consentire concupiscentiæ bonum est: ergo ipsa in se concupiscentia mala est: hac ratione Julianum urget validissime S. Doctor: fatebatur Julianus concupiscentiam esse frænandam, malam tamen esse negabat: cui Augustinus: *cur non potius*, inquit, (*cont. Jul. l. 4*, *cap. 2*) *malum vocetur*, *quod fateris esse frænandum*? *cur quæso frænandum*, *nisi ne noceat*? *nisi ne ad illicita quæ desiderat relaxetur*, *donec eo veniamus*, *ubi nec habeatur*? *non igitur quid boni de concupiscentia carnis fiat*, *sed ipsa quid mali faciat cogitandum est*: *nam pudicitia conjugalis inhiantem concupiscentiam*, *sive de illicito*, *sive de licito percipere voluptatem*, *frænat ab illicito*, *permittit ad licitum*: *hoc est bonum*: *non tamen ejus*, *sed bene utentis bonum est*: *quod autem ipsa concupiscentia facit*, *sive ad licitum*, *sive ad illicitum indifferenter ardescere*, *utique malum est*.

5. Malum est, cui remedium applicatur; ut enim medico, sic & medicina opus non habet, qui bene valet; atqui Apostolus his verbis: *si non se continent*, *nubant*: (*1 Cor. 7*, *9*) significavit nuptias contra morbum concupiscentiæ remedium esse: *Apostolus*, inquit S. Aug. (*lib. 4 cont. Jul. cap. 2*) *ea sententia ubi ait*: si non se continent, nubant: *remedium voluit esse nuptias . . . . hoc autem remedium est*, *non ut sit concupiscentia*, *si non est*, *sed ut non rapiat ad illicita*, *cujus motus infrœnis est*: *pertinet enim ad hoc quoque petitionis genus*, *quod in oratione dominica dicitur*: nec nos inferas in tentationem: *quoniam unusquisque tentatur a concupiscentia sua*, *sicut ait Apostolus Jacobus*: *convenit huic & quod dicimus*: libera nos a malo: *dicunt enim hoc de hac re conjuges*, *ut interim mente liberi a malo*, *bene utantur malo quod habent in carne*, *&c.* ergo &c.

6. Illuc

Digitized by Google

6. Illud sine dubio malum est, quod Sancti accusant suis gemitibus, & contra quod virtute pugnandum est; atqui Sancti gemitibus suis accusant concupiscentiam; & contra illam virtute pugnandum esse, doctrina Evangelica est: ita S. Doctor contra Julianum agens: *Hoc quod omnes sobrii malum sentiunt*, inquit, (*oper. imperf. cont. Jul. lib.* 3, *n.* 56) *& malum judicant, ebrius Pelagiano dogmate asseris bonum: mirabili enim facundia potes, eam quam Sancti accusant gemitibus, tu laudibus ornare libidinem* . . . . . & lib. 5 contra eumdem c. 7, *adhuc non evigilas*, inquit, *ut intelligas nostram naturam non esse, sed vitium, contra quod virtute pugnamus? neque enim bono bonum, sed bono utique malum vincimus: considera cum quo vincat, & cum quo vincatur: quando enim libido vincit, vincit & diabolus: quando libido vincitur, vincitur & diabolus* . . . . *author ergo atque defensor concupiscentiæ diabolus est: atque adeo sic debent nuptiæ prædicari tamquam bonæ, ut malam concupiscentiam fateamur*.

Solvuntur Pelagianorum objectiones.

Opponebant Pelagiani: malam esse concupiscentiam Manichæorum insania est: ut ergo ab illa recedatur, nobiscum fatendum est esse bonam.

R. Cum S. Aug. dist. ant. concupiscentiam esse *substantiam* malam, Manichæorum insania est, conc. concupiscentiam esse *vitium naturæ* quam Deus bonam creavit; vitium, inquam, non a Deo, sed a primi hominis peccato exortum, Manichæorum insania est, n. ant. & conseq.

E. R. Dico igitur, ut veritas catholica defendatur, a Manichæis & Pelagianis æqualiter recedendum, quia utrique veritatem contaminarunt; illi quidem volendo concupiscentiam esse substantiam medullitus malam a malo auctore creatam: isti, naturæ bonæ bonam conditionem, a bono utique creatore, naturæ congenitam prædicando; atque adeo dicendum contra Pelagianos, concupiscentiam esse malam; & contra Manichæos, non esse naturam, sive substantiam, sed vitium naturæ a peccato primi parentis exortum: injuste ergo Manichæismi a Pelagianis arguimur, quando dicimus concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversus spiritum, esse malam: *cum enim quæritur unde hoc sit malum*, inquit S. Aug. (*operis imperf. cont. Jul. lib.* 5, *n.* 30) *a Manichæis diversissimi reperimur, nos enim dicimus, hanc fœdam discordiam carnis & spiritus, per prævaricationem primi hominis in nostram venisse naturam: illi autem dicunt ut invicem adversentur caro & spiritus, alienam nobis, quæ semper mala fuit, adhæsisse naturam: unde nos poscimus Salvatorem, ut hoc vitium nostrum sanetur; illi vero, ut a nobis aliena natura, quæ sanari omnino non potest, auferatur*.

Inst. 1. Atqui concupiscentia non in peccato primi parentis, sed in ipsa hominis natura habet originem: ergo &c.

Prob. subs. concupiscentia est repugnantia carnis adversus spiritum; atqui repugnantia hæc habet in ipsa hominis natura originem: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. illud enim non habet in natura, qualem condidit Deus, originem, quod est naturæ contrarium; atqui carnem contra spiritum resultare, contrarium naturæ est, quam Deus condidit bonam: naturalis quippe ordo est, inquit sexcenties S. Aug. ut caro spiritui sit subjecta: spiritus enim dominus est, & caro servus: tam itaque contra naturam est, carnem adversus spiritum concupiscere, quam servum contra dominum rebellare.

Inst. 2. Prob. min. hominis natura est, ut ex carne & spiritu coalescat: hæ enim ambæ sunt partes essentiam ejus constituentes: atqui ex illa conjunctione necessario concupiscentia profluit, carnis videlicet contra spiritum repugnantia: ergo &c.

Prob. min. Ex eo quod homo spiritualis sit, quod spiritualia concupiscat, in fundo naturæ habet: pariter ergo cum sit corporalis, naturam sequitur corporalia appetendo: ex carne ergo & spiritu necessario concupiscentia profluit, carnis videlicet contra Sp. conflictatio.

R. Concessa maj. n. min. ad probat. concedo ant. & dist. conseq. homo naturam sequitur, corporalia appetendo, *secundum ordinem rationis, & cum subjectione ad spiritum*, conc. *contra ordinem rationis, & cum repugnantia adversus spiritum*, n. conseq.

E. R. Equidem homini quia corporalis est, naturale est, per appetitum sensitivum corporalia concupiscere: sed in appetitu rerum sensibilium hic ordo servandus, ne quid contra rationem & spiritum attentetur: hæc enim rebellio ordinem omnem perturbat, & morbus gravissimus est, ex peccato originali contractus, ut perpetuo docet S. Aug. cui consentiens S. Thomas: *dicendum*, inquit, (1, 2, *qu.* 82, *art.* 3, *ad* 1) *quod quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundum rationis ordinem: concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam: & talis est concupiscentia originalis peccati*.

Digitized by Google

Inst. 3. Atqui ex eo quod homo corporalis sit, in ipsa natura habet corporalia concupiscere, etiam cum repugnantia adversus spiritum: ergo &c.

Prob. subs. naturale homini est, quod Adam in paradiso terrestri, ante omne peccatum expertus est; atqui concupiscentiam carnis, legi mentis repugnantem, Adamus in paradiso ante peccatum expertus est: ergo &c.

R. Nego subseq. ad probat. concessa maj. n. min. cum S. Aug. nam si Adamus innocens concupiscentiam habuisset, legi mentis repugnantem, nec rectum, nec beatum possemus statum innocentiæ dicere, nec plena atque perfecta libertate donatum.

1. *Inquam*, quomodo rectus posset status ille appellari, in quo tanta foret ordinis naturalis subversio, ut famulus contra Dominum audaciter rebellaret?

2. Quæ vera hic felicitas foret, ubi carne spiritui repugnante, pax & tranquillitas conflictu perpetuo turbaretur? porro effectus concupiscentiæ necessarius est, quietem animi perturbare, adeoque miserum hominem facere, prout testatur Apostolus, *infelix*, inquiens, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

3. Quomodo potest plena atque perfecta ibi esse libertas, ubi homo lege peccati captivus tenetur, ut, non quod vult bonum, sed quod non vult malum faciat? atqui magna hæc calamitas est, homini per concupiscentiam importata, ut docet idem Apostolus locis superius allegatis: ergo in innocentiæ statu prorsus esse non potuit: eaque S. Aug. contra Julianum aperta doctrina est: *tu*, inquit, (*op. imperf. lib. 6, n. 8*) *tam disertus defensor libidinis, qui velut patronus egregius, pro suscepta tua tantum audes, ut concupiscentiam carnis qua caro concupiscit adversus spiritum, etiam in paradiso non dubites fuisse ante peccatum: non vides ad hoc te compelli, ut dicas nec tunc fuisse in illis primis hominibus efficacem liberam voluntatem: si enim & tunc caro concupiscebat adversus spiritum; non ea quæ volebant, utique faciebant: sed quoniam per liberum arbitrium, quod tunc integerrimas vires habuit, ea faciebant proculdubio quæ volebant, id est divinæ legi non solum nulla impossibilitate, verum etiam nulla difficultate serviebant; tua ibi suscepta non fuit, qua caro concupiscit adversus spiritum, per quam fit, ut homines, jam etiam per fidem conversi ad Deum, jam baptizati, sanctificati, in libertatem vocati, non faciant in extinguenda vitiosa delectatione quæ volunt.*

Inst. 4. Probando min. peccavit in paradiso Adamus, fructum sibi a Deo vetitum concupiscendo: ergo concupiscentiam carnis, legis mentis repugnantem in paradiso ante peccatum expertus est: ita disputat Julianus apud S. August. l. 1 operis imperfecti, n. 71. *Naturalem*, inquit, *esse omnium sensuum voluptatem, testimonio universitatis docemus: hanc autem voluptatem & concupiscentiam ante peccatum in paradiso fuisse, res illa declarat, quia ad delictum via per concupiscentiam fuit, quæ cum pomi decore oculos incitasset, spem etiam jucundi irritavit saporis.*

R. Cum S. Aug. dist. ant. peccavit in paradiso Adamus fructum vetitum concupiscendo, *per concupiscentiam, tum a diabolo peccatum suggerente, tum ab Adamo se ipsum sponte depravante profectam*, conc. *per concupiscentiam quæ peccatum ejus præcesserit, & Deum auctorem habuerit*, n. ant. & conseq.

E. R. Adamum in paradiso ideo peccasse, quia in Deum rebellis lignum vetitum concupivit, res est, heu! notissima: sed quæstio est, quæ fuerit pravæ hujus libidinis origo & causa? Ecclesiæ Catholicæ doctrina est, tum a diabolo peccatum suggerente, tum ab Adamo, sponte se ipsum depravante esse profectam: volebat e contra Julianus, hanc ipsam concupiscentiam peccatum præcessisse, & Adamo ab auctore Deo ingenitam: quem S. Aug. loco proxime cit. sic refellit: *videant*, inquit, *qui legunt, utrum respondendum sit homini, qui in tantam progreditur insaniam, ut cum fateatur malum esse peccatum, bonam esse dicat concupiscentiam peccatorum? . . . . ergo ne & in paradiso ante malesuadi venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem, illiciti cibi libido jam fuit? & quod intolerabilius dicitur, ad malum provocabat, & mala non fuit? & videbant illi homines fructum ligni prohibiti, & concupiscebant, (concupiscentia carnis:) sed ut non manducarent, concupiscentia spiritus carnis concupiscentiæ resistebat: & vivebant in loco illo tantæ beatitudinis, non habentes in se pacem mentis & corporis? usque adeo dementes estis, ut ista credatis? usque adeo impudentes, ut ista dicatis . . . .* Itaque ex S. Doctore, sive potius ex mente Ecclesiæ, cujus causam Aug. agit, sine dementia & impudentia dici nequit, ante malesuadi venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem, in paradiso cibi illiciti libidinem non fuisse.

Inst. 5. Atqui peccavit in paradiso Adamus, per concupiscentiam, naturæ suæ ab ipso auctore naturæ, ante peccatum impressam: ergo &c.

Prob. subs. concupiscentia nihil aliud est, quam vis ipsa sentiendi: atqui facultatem sentiendi Adamus a Deo conditore naturæ acceperat

perat: ergo peccavit per concupiscentiam, non ex peccato obortam, sed ipsi naturæ ingenitam.

R. Nego subs. ad probat. cum S. Aug. maj. n. vis enim sentiendi est bona, & Deum habet auctorem, qui sensum videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, atque tangendi condidit, instruendo diversis organis humanum corpus: concupiscentia vero diabolum parentem habet, qui illam seminavit persuadendo peccatum: *consequens existimas*, ait S. Doctor, (*lib.* 4 *cont. Jul. cap.* 14) *ut sensum videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, atque tangendi, non a Deo, sed a diabolo, nobis fateamur esse collatum, si concesserimus eam concupiscentiam carnis, cui per continentiam repugnamus, non fuisse in Paradiso ante peccatum, & ex illo accidisse peccato, quod primum primo homini Diabolus persuasit: sic ignoras, vel ignorare te fingis, ... aliud esse sentiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel necessitatem, aliud sentiendi libidinem ..... libido sentiendi de qua nunc agimus, est, quæ nos ad sentiendum, sive consentiente mente, sive repugnante, appetitu carnalis voluptatis impellit: hæc est contraria delectationi sapientiæ, hæc virtutibus inimica .... hanc si voluisses, vel valuisses a sentiendi vivacitate & utilitate descernere, videres quam superfluo tam multa dixisses: non enim ait Dominus*: (*Matt.* 5, 28) qui viderit mulierem; *sed*: qui viderit ad concupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo: *ecce sensum videndi a libidine sentiendi, si pervicax non sis, breviter apertæque discrevit Christus: illud Deus condidit, instruendo corpus humanum: illud Diabolus seminavit, persuadendo peccatum.*

Inst. 6. motus concupiscentiæ, quales bruta animantia experiuntur, boni sunt, & bonum habent auctorem Deum: idem ergo de concupiscentia est dicendum, quam in homine esse, neminem latet: atque adeo in Deum refundi debet: ita contra S. Aug. disputat Julianus. „ Omnia, *inquis*, (*op. imp. lib.* 4, *n.* „ 38) animantium genera, quæ suspendit vo- „ latus, quæ demersit natatus, quæ sparsit „ vagatus, per aera, per freta, per nemora, „ nec tamen aut sublimavit ratio, aut culpa „ depressit, commiscendorum corporum vo- „ luptate inflammantur: illum ergo sensuum „ quem patiuntur ardorem, Dei an Diaboli „ opere susceperunt? clamabis sine dubio: „ Dei. Deus ergo sexum naturali voluptate „ succendit. " Non est ergo Dei operibus indigna illa affectio, quæ in ipsis belluis auctore Deo invenitur etiam ferventior quam in hominibus.

R. Cum S. Aug. concesso ant. n. conseq. indignissimum namque est, hominem pecori æquiparare, & ab unius exemplo, in altero concupiscentiam laudare ac prædicare.

1. Enim belluæ cum sint rationis & voluntatis expertes, nec virtutem mente complecti, nec ejus allici honestate ullo modo queunt; neque possunt ad summi & incommutabilis boni possessionem suis actibus tendere.

2. Non habent belluæ concupiscentiam, quæ contra spiritum concupiscat, quia spirituales non sunt: hoc ipso ergo concupiscentia, mala in illis non esse probatur: *hæc libido*, ait S. Doctor, (*lib.* 4 *cont. Jul. cap.* 5) *ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi qua carent.*

3. Quæ natura est pecoris, per peccatum pœna hominis facta est, & morbus, & miseria: *etsi homo*, inquit S. D. (*lib. de peccat. orig. cap.* 40) *in honore positus, & non intelligens, comparatur pecoribus, eisque similis fit; non tamen usque adeo similis fit, ut pecus sit: comparatur namque per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, sed naturæ: tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.*

Inst. ultimo: non debet quidquam in præsenti materia asseri, quod rationi repugnet; ne nimirum dum veritatem peccati originalis, & secutam ex culpa primigenia naturæ corruptionem vindicare velle videmur, naturam ipsam offendamus, & cachinnos infidelium provocemus: atqui in Paradiso Terrestri, Adamum inter & Evam innocentes, sine ullo concupiscentiæ ac libidinis sensu, matrimonii usum fuisse futurum, Paradoxum videtur rationi plane repugnans: ergo fatendum concupiscentiam, non peccati appendicem, sed naturæ etiam innocentis propriam conditionem fuisse.

R. Concessa maj. dist. min. in Paradiso Terrestri, sine ullo concupiscentiæ sensu matrimonii usum futurum, repugnat rationi *corruptæ* conc. rationi *sanæ, per fidei veritatem correctæ atque illustratæ*, n. min. & conseq.

E. R. Si in rebus ad Religionem spectantibus divinisque mysteriis judex ratio audiatur, nullum pene dogma in tuto futurum est, quia nullum fere est; quod non habeat aliquam cum ratione apparentem pugnantiam: cui enim e. c. prophana philosophia enutrito, & perversis gentilium documentis prævento facile persuadeatur, aut tres esse in uno Deo personas, aut Dei filium patri ab æterno consubstantialem in tempore hominem factum, & ad mortem usque Crucis exinanitum? quis, inquam, ad hæc & pleraque hujus generis admittenda, nisi fidei lumen accedat, induci poterit?

terit? atque ut in præsenti materia sistamus, numquid non videtur res penitus incredibilis, Adamo peccante totam naturam fuisse vitiatam, ejusque unius culpam universam generis humani propaginem pervasisse? atqui tamen hoc, & pleraque alia, illustrati fidei lumine credimus, in quibus Religionis summa consistit; & rationem repugnantem sub imperio fidei, uti par est, captivamus: quid ni pariter crederemus, Adamum & Evam innocentes, in ipso usu matrimonii, ab impotentis libidinis æstibus, & petulantis concupiscentiæ motibus immunes fuisse futuros; cum naturalis ratio dictet talem concupiscentiam, quippe spiritui repugnantem, non naturam, sed morbum hominis esse? porro statui innocentiæ morbum aliquem attribuere, naturam adeo turpiter deformantem, statum ipsum innocentiæ evertere est, & Deo naturæ conditori summam injuriam irrogare: a quibus excessibus ut quam fieri potest longissime recedamus, neve in Pelagianorum errorem & superbiam incidamus: humana hic, ut in cæteris, ratio compescenda, & credendum in innocentiæ statu, sine libidine ac concupiscentiæ motibus, usum matrimonii fuisse futurum: quod si sensui ipsique rationi contrarium videatur, meminerimus divina a nobis mysteria esse credenda, quamquam corruptam mentem offendant, neque lumine rationis cœlestes veritates dimetiendas, sed rationem fidei lumine corrigendam.

Quod etsi ad diluendum difficultatem abunde sufficiat; addam ex S. Aug. aliquo vero sensu admitti posse concupiscentiam in Paradiso ante peccatum fuisse, & in ipso usu matrimonii, durante fortunatissimo innocentiæ statu fuisse futuram; modo concupiscentiæ nomine intelligatur appetitus sensitivus, non procaciter contra rationem insurgens, sed rationali voluntati plene subjectus: *nulla ratione*, ait S. Doctor, (*cont. Jul. lib.* 4, *cap.* 14) *crediderim, in illo tantæ felicitatis loco, aut carnem concupivisse adversus spiritum, & spiritum adversus carnem, atque in ista conflictatione sine interna pace vixisse; aut spiritum desideriis non repugnasse carnalibus, sed quidquid undecumque libido suggesserat, turpi servitio peregisse: remanet igitur, ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia, sed ille fuerit vivendi modus, ut omnia necessaria congruis membrorum officiis, sine ullius motu libidinis implerentur .... aut ne nimium videamur offendere homines, ita ibi credatur carnalium sensuum fuisse libidinem, ut omni modo rationali subdita voluntati, non alias adesset, nisi cum per illam .... stirpis esset propagini consulendum: & tanta adesset, ut nulla ex parte mentem de supernarum cogitationum delectatione deponeret, nullus supervacuus sive importunus motus esset ex illa, nihil nisi quod prodesset fieret per illam, nihil omnino fieret propter illam.*

Et alibi: (*de civit. Dei*, *lib.* 14. *cap.* 23) ,, illæ nuptiæ dignæ felicitate Paradisi, si peccatum non fuisset, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent: sed quomodo id fieri posset, nunc non est quo demonstretur exemplo: nec ideo tamen incredibile debet videri, etiam illud unum sine ista libidine voluntati potuisse servire; cui tot membra nunc serviunt: an vero manus & pedes movemus cum volumus, ad ea quæ his membris agenda sunt, sine ullo renisu, tanta facilitate, quantam & in nobis, & in aliis videmus .... & non credimus, ad opus generationis filiorum, si libido non fuisset, quæ peccato inobedientiæ retributa est, obedienter hominibus, ad voluntatis nutum, similiter ut cætera, potuisse illa membra servire? ... hunc renisum, hanc repugnantiam, hanc voluntatis & libidinis rixam, vel certe ad voluntatis sufficientiam, libidinis indigentiam, procul dubio nisi culpabilis inobedientia pœnali inobedientia plecteretur, in Paradiso nuptiæ non haberent, sed voluntati membra illa ut cætera cuncta servirent ..... (*ib. cap.* 24) seminaret igitur prolem vir, susciperet fœmina genitalibus membris, quando id opus esset, & quantum opus esset, voluntate motis, non libidine concitatis. "

Ita S. D. non tam suam, quam Ecclesiæ Doctrinam contra Pelagianos defendens. Dicendum itaque in Paradiso Terrestri ante peccatum libidinem ac concupiscentiam, nec fuisse, nec durante innocentiæ statu, fuisse futuram: aut si pro hac prima conditione libidinem aliquam concedamus, talem esse intelligendam, quæ omnino rationali voluntati subdita foret: cujus rei convincens scriptura suggerit argumentum, quando observat Adamum & Evam nonnisi post peccatum de sua nuditate erubuisse: de iis enim innocentibus dicitur: (*Gen.* 2, 25) *erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus; & non erubescebant*: de iisdem vero postquam lignum vetitum comederant, additur: (*Ib.* 3, 7) *& aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.*

Quæ verba S. Aug. expendens: *scriptum est*, ait, (*de civit. Dei lib.* 14, *cap.* 17) *nudi erant, & non confundebantur: non quod eis sua nuditas esset incognita; sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat; nondum ad homi-*

minis inobedientiam redarguendam, sua inobedientia caro quodammodo testimonium perbibebat: neque enim cæci creati erant, ut imperitum vulgus opinatur, quandoquidem & ille vidit animalia quibus nomina imposuit, & de illa legitur: vidit mulier, quia bonum est lignum in escam, & quia placet oculis ad videndum: patebant ergo oculi eorum, sed adhuc non erant aperti, hoc est, non attenti, ut cognoscerent quid eis indumento gratiæ præstaretur, quoniam membra eorum voluntati repugnare nesciebant: qua gratia remota, ut pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde esset indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditque confusos: hinc est, quod postea quam mandatum Dei aperta transgressione violarunt, scriptum est de illis: & aperti sunt oculi amborum, & cognoverunt quia nudi erant, & consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi campestria: *aperti sunt*, inquit, *oculi amborum, non ad videndum: nam & antea videbant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ciderant.... cognoverunt ergo quia nudi erant, nudati scilicet ea gratia qua fiebat, ut nuditas corporis, nulla eos lege peccati, menti eorum repugnante, confunderet: hoc itaque cognoverunt quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent: proinde confusi inobedientia carnis suæ, tamquam teste pœna inobedientiæ suæ, consuerunt folia ficus & fecerunt sibi campestria, idest, succinctoria genitalium, &c.*

Sequitur

CAPUT TERTIUM.

Contra Jovinianum demonstratur, meliorem nuptiis esse Virginitatem, aut continentiam pro Deo susceptam.

Superest, ut adversus Jovinianum, ejusque sæculo 16 sequaces Lutherum & Calvinum, veritas Catholica defendatur: illi enim, ut prædictum est, nuptias ita laudarunt, ut Virginitati & continentiæ vel anteponerent, vel æquarent.

PROBATIO I.

Ex Sacris Scripturis.

Testimonia potissimum ex novo testamento producimus: quamquam enim, ut superius observatum est, Virgines ac cœlibes suos Mosaicum fœdus habuerit; multo tamen præclarius in lege gratiæ, quam in veteri, Sancta Virginitas commendatur.

Primum ex Matthæi Evangelio petimus, (*Matth.* 13, 8) ubi postquam parabolam seminantis Christus proposuisset, sic pergit: „ alia autem grana ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum .... " quæ verba sic patres interpretantur, ut per trigesimum, nuptias, per sexagesimum, viduitatem, & denique per centesimum, Virginitatis coronam doceant debere intelligi.

„ Centesimus, & sexagesimus, & trigesimus fructus, *inquit S. Hieronymus*: (*adv. Jovin. lib.* 1, *c.* 1) quamquam de una terra, & de una semente nascatur, tamen multum differt in numero: triginta referuntur ad nuptias .... sexaginta ad viduas... porro centesimus numerus...... exprimit Virginitatis coronam ... " qua posita interpretatione sic argumentor:

Eo status aliquis melior & sanctior judicari debet, quo copiosiorem habet proventum Sanctitatis ac meriti; atqui hujusmodi est status Virginitatatis & continentiæ pro Deo susceptus: ergo &c.

Secundum, ex eodem Matthæi Evangelio ducitur: (*Ib.* 19, 9) ubi cum Christus dixisset: „ quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mæchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur: *& reposuissent discipuli*: (*Ib. v.* 10.) si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere: *de novo inculcans sententiam, replicat Salvator*: (*Ib. v.* 11. *& seq.*) non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum: qui potest capere, capiat. "

Inde sic informo argumentum:

Status ille melior est & perfectior, quem qui amplectuntur, regnum cælorum facilius obtinent, & altiorem gradum felicitatis acquirunt: atqui Christo Judice, qui spretis corporeis voluptatibus, renunciant nuptiis, & pro Dei amore Virginitatem aut continentiam amplectuntur, regnum cœlorum facilius obtinent, & in eo gradum altiorem felicitatis acquirunt: ergo ex scriptura sic bonæ nuptiæ sunt, ut præstantior Virginitas ac continentia sit.

Nec aliter hunc scripturæ locum Sancti Doctores intellexerunt: omnium instar sit S. Hieronymus ita loquens. (*cont. Jovin. lib.* 1, *c.* 7) *Plus amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: majoris*

Digitized by Google

joris gratiæ est, offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris. Apostoli uxoris onera contemplati, si talis est, inquiunt, *causa hominis cum uxore, non expedit nubere: quorum Dominus sententiam probans: recte quidem sentitis*, ait, *quod non expediat homini ad cœlorum regna tendenti, accipere uxorem: sed difficilis res est, & non omnes capiunt verbum istud; verum quibus datum est: alios Eunuchos natura facit, alios vis hominum: mihi illi Eunuchi placent, quos fecit, non necessitas, sed voluntas: libenter illos in meos sinus recipio, qui a nuptiis abstinuerunt propter regnum cælorum, & ob mei cultum noluerunt esse, quod nati sunt .... grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & juxta Apostolum esse Sanctum & corpore, & spiritu.*

Tertium habetur priore Ep. ad Corinth. (1 *Cor.* 7, 25, *& seqq.*) *de Virginibus*, ait Apostolus, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis: existimo ergo hoc bonum esse, propter instantem necessitatem; quoniam bonum est homini sic esse: alligatus es uxori? noli quærere solutionem: solutus es ab uxore? noli quærere uxorem .... igitur & qui Matrimonio jungit Virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.*

Inde facile est, ad nostræ doctrinæ defensionem argumenta instruere.

1. Enim consilium dat S. Paulus servandæ Virginitatis, & de se ipso hujus tenendi propositi præbet exemplum: *volo*, inquit, (*Ib. v.* 7) *omnes vos esse, sicut me ipsum*: sentit ergo Virginitatem connubio esse meliorem: alias imprudens futurus, si id consuleret, quod non putaret esse præstantius.

2. Expresse declarat, qui Virginem suam nuptui dat, bene facere, sed melius, qui non dat: manifesto ergo Jovinianus Apostolo contrarius est, quando Matrimonium Virginitati adæquat, audacter pronuncians, non esse majoris apud Deum meriti Virgines ei dicatas, fidelibus conjugatis: *in conjugio*, inquit S. Hieronymus, (*cont. Jovin. lib.* 1, *cap.* 7) *initium est, in Virginitate perfectio: nisi illaturus esset Apostolus*: melius facit: *numquam præmisisset*: bene facit: *ubi autem bonum & melius est, ibi boni & melioris non unum est præmium: & ubi non unum præmium, ibi utique dona diversa: tantum est igitur inter nuptias & Virginitatem, quantum inter non peccare & bene facere; immo, ut levius dicam, quantum inter bonum & melius.*

Quartum legitur ibid. (*v.* 32, *& seq.*) *qui sine uxore est*, inquit, *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est: & mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt ut sit Sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.*

Hinc sic effloreſcit argumentum:

Melius id putandum est, quo homo fit melior: atqui Virginitate aut continentia homo fit melior, quam connubio: hoc enim quisque melior est, majorique laude donandus, quo sollicitior est placere Deo, quam mundo: atqui teste Apostolo, qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: contra vero qui nuptiis est ligatus, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est: ergo &c.

PROBATIO II.

Ex Sanctis Patribus.

Sanctæ Virginitatis supra Matrimonium excellentiam miris laudibus exornarunt Sacri Doctores, iidem nimirum Virginitatis præcones, qui & custodes: quorum si testimonia recensere animus esset, exitum præsens disquisitio non haberet: tantum aliqua decerpemus, ne aut plura quam opus erat, dixisse; aut in re necessaria siluisse penitus videamur.

Tertullianus, Virgines dicit, (*lib.* 1 *ad Uxor.*) *de familia Angelica deputari.*

S. Cyprianus, Virgines appellat, (*lib. de habitu Virginum*) *florem Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ Spiritualis, illustriorem portionem Gregis Christi, Angelis Dei in terris æquales.*

Desinente sæculo 4 *Siricius* Pontifex Max. congregato Romæ Concilio, (*an.* 390) Joviniani, sectatorumque ejus solemni decreto profligat errorem, ut constat ex ejusdem Siricii Ep. 11 ad Mediolanensem Ecclesiam data. *A fidelissimis Christianis*, inquit, *viris genere optimis, Religione præclaris, ad meam humilitatem subito scriptura horrifica videtur esse delata, ut Sacerdotali judicio detecta, & Divinæ legi contraria, spirituali sententia deleretur: nos sane nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamine intersumus: sed Virgines quas nuptiæ creant, Deo devotas, majore honorificentia veneramur: facto ergo presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, idest, Christianæ legi esse (dogmata Joviniani) contraria: unde Apostolicum secuti præceptum, quia aliter quam quod accepimus, annuntiabant, omnium nostrum tam presbyterorum & Diaconorum, quam etiam totius cleri, una suscitata fuit sententia, ut Jovinianus & alii, di-*

vina

Digitized by Google

vina sententia, & nostro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.

Accepta Siricii Epistola S. Ambrosius Mediolani Concilium congregavit, in quo secundum Pontificis Romani decretum, Joviniano ejusque sequacibus anathema dictum: cujus rei fidem facit ejusdem Concilii Epistola Synodica, quæ inter S. Ambrosii Epistolas legitur.

Idem *S. Ambrosius* Apostoli verba expendens: *qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit; & qui non jungit melius facit. Illa*, inquit, (*lib. 1 de Virginib.*) *non peccat, si nubat; hæc si non nubat, æterna est: ibi remedium infirmitatis, hic gloria castitatis: illa non reprehenditur, ista laudatur.*

S. Aug. libris *de Sancta Virginitate*, & *de bono conjug.* & *S. Hieronymus* libris duobus, Joviniani hæresim data opera refutarunt.

S. Fulgentius: *tantum dicimus*, inquit, (*Ep. 3 ad Probam c. 9*) *a Sanctis nuptiis Sanctam virginitatem distare, quantum distant a bonis meliora, ab humilibus celsa, a terrenis cœlestia, a beatis beatiora, a sanctis sanctiora, a mortali connubio immortale connubium, a carne spiritus, ab infirmitate virtus* .... (*Ib. cap. 10*) *nec dubitamus dicere, tantum a Sancta Virginitate carnis & spiritus, fidelium conjugatorum, licet a Deo concessum distare concubitum, quantum similitudo pecorum ab imitatione discernitur Angelorum.*

Eidem veritati testimonium perhibent,

Theodoretus, l. 5 Hæretic. fabularum, c. 24.

S. Joannes Chrysost. lib. de Virginitate.

S. Athanasius, libro pariter de Virginitate inscripto.

S. Ephrem Syrus, sermone de Virginibus.

Atque ut verbo dicam, Virginitatem Matrimonio esse excellentiorem, patrum omnium & præstantissimorum quos tulit quævis ætas scriptorum, una vox, una sententia est, quam synodus Trid. novo contra Lutherum decreto confirmans: *si quis dixerit*, inquit, (*sess. 24, can. 10*) *statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in Virginitate aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio: anathema sit.*

PROBATIO III.

Ex ratione.

Nec desunt ejusdem veritatis ducta ex principiis Theologicis, rationis argumenta.

1. Est: Christus Dominus Virginem matrem elegit, ipseque Virginitatem perpetuo coluit: exemplo itaque suo nuptiali concubitu meliorem esse monstravit.

2. Bonum animæ bono corporis præferendum, naturæ ipsius est documentum: porro Virginitas ad ornamentum animæ pertinet, quam ad dignitatem angelicam pene evehit; Matrimonium vero in bonis corporeis computatur: ergo &c.

3. Bonum contemplativæ vitæ bono vitæ activæ est præferendum, *atqui*, inquit Sanctus Thomas, (*2, 2, q. 152, art. 1, in c.*) *Virginitas ordinatur ad bonum animæ secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea quæ sunt Dei: conjugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio Generis humani, & pertinet ad vitam activam, quia vir & mulier in Matrimonio viventes, necesse habent cogitare quæ sunt mundi, ut patet per Apostolum 1 Cor. 7, 32; ergo indubitanter Virginitas præferenda est continentiæ Conjugali.*

4. Bonum divinum humano melius est: atqui Matrimonium, cum naturæ congruat, humanum est bonum: e contra Virginitas, cum naturæ corruptæ vires excedat, speciali ratione Dei est bonum, hominem ad Angelorum Deique ipsius societatem ac consortium evehens. *Virginitatem*, inquit S. Ambrosius, (*lib. 1 de Virginib.*) *quis humano possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? e cœlo accersivit, quod imitaretur in terris: nec immerito vivendi sibi usum quæsivit e cœlo, quæ sponsum sibi invenit in cœlo .... quis neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facile invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit? Ergo &c.*

Joviniani oppositiones refutantur.

Opponebat Jovinianus: nuptiæ bonæ sunt, Deumque habent auctorem: ergo facit Deo injuriam, & favet aliquatenus Manichæis, qui putat Virginitatem Matrimonio esse præferendam, & majoris apud Deum meriti esse.

R. Cum S. Hieronymo, concesso ant. neg. conseq. aliud enim est, cum Manichæis dicere, nuptias esse malas; aliud, contra Jovinianum, nuptiis Virginitatem præferre: *quando minora majoribus coæquantur*, ait S. Doctor, (*lib. 1 cont. Jovin. c. 1*) *inferioris comparatio superioris injuria est: neque vero nos Marcionis & Manichæi dogma sectantes, nuptiis detrahimus .... scimus in domo magna non solum vasa esse aurea & argentea, sed & lignea & fictilia .... non ignoramus honorabiles nuptias & thorum immaculatum: legimus primam Dei sententiam: crescite, &* mul-

Digitized by Google

multiplicamini, & replete terram: *sed ita nuptias recipimus, ut Virginitatem quæ de nuptiis nascitur, præferamus: numquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est? aut arboris & segetis contumelia est, si radici & foliis, culmo & aristis, poma præferantur & fructus? ut poma ex arbore, frumentum e stipula, ita Virginitas e nuptiis* . . . Hactenus S. Doctor: quemadmodum igitur non facit Deo injuriam, nec accusat creatorem, qui dicit pomum arbore, frumentum stipula, & aurum argento esse meliora: ita nec Deum accusat, qui virginitatem nuptiis præfert, & quemadmodum argentum malum non dicit, qui aurum pluris facit argento; sic non detrahit nuptiis, qui Virginitatem majore habet in pretio, quia, inquit ib. S. D. c. 4, *inter donum & donum magna diversitas est*.

Instabat 1, hinc probari existimatur, Matrimonio præstare Virginitatem, quia in cœlis æqualis non est futura conjugatorum & Virginum merces: atqui par præmium utrorumque futurum est: ergo &c.

Probabat min. ex parabola operariorum in vineam conductorum, quæ Matthæi capite 20 legitur, a v. 1 ad 16, qui licet æqualiter laborassent, pari unius singulatim denarii mercede donati sunt: unde sic cavillandi arripiebat occasionem.

Denarius in parabola designatus, vitam æternam significat; atqui conjugati pariter ac Virgines, si sancte vixerint, vitam æternam perinde habebunt: ergo præmium utrorumque par in cœlo futurum est.

℟. Concessa maj. n. min. quo enim meritum majus est, eo uberior futura est merces: atqui Virginum quam conjugatorum majus est meritum: ergo majus futurum est præmium: *Pergite itaque*, inquit S. Aug. (*lib. de Sancta Virginit. c. 27*) *pergite Sancti Dei, pueri ac puellæ, mares ac fœminæ, cœlibes & innuptæ, pergite perseveranter in finem . . . . sequimini agnum quocumque ierit . . . . quo ire putamus hunc agnum? quo nemo eum sequi vel audeat, vel valeat nisi vos: quo putamus eum ire? in quos saltus & prata? ubi, credo, sunt grandia gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non Virginibus erunt, sed a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta: gaudium Virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum: gaudia propria Virginum Christi, non sunt eadem non Virginum, quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia: ite in hæc, sequimini agnum, quia & agni caro, utique virgo, &c.*

Ad probat. admitto auctoritatem, & concessa maj. dist. min. cum S. Doctore, conjugati pariter ac Virgines, vitam æternam perinde habebunt, *quantum ad rem*, conc. *quantum ad gradum & perfectionem*, n. min. & conseq.

E. R. Ipsis Aug. verbis: *Quid sibi vult ille denarius*, inquit, (*Ib. cap. 26*) *qui opere vineæ terminato, æqualiter omnibus redditur, sive iis qui a prima hora, sive iis qui una hora operati sunt? Quid utique nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cœlorum, ubi erunt omnes quos Deus prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit? oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: hic est ille denarius merces omnium*: stella tamen a stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum: (1 *Cor.* 15, 41, & *seqq.*) *hæc sunt merita diversa Sanctorum: si enim cœlum significaretur illo denario, nonne in cœlo esse, omnibus est commune syderibus? & tamen* alia est gloria solis, (*ib.*) alia lunæ, alia stellarum: *si denarius ille pro sanitate corporis poneretur, nonne cum recte valemus, omnibus membris communis est sanitas, & ipsa si usque in mortem permaneat, pariter & æqualiter omnibus inest? & tamen posuit Deus membra, singulum quodque eorum in corpore prout voluit; ut nec totum sit oculus, nec totum auditus, nec totum odoratus: & quidquid est aliud, habet suam proprietatem, quamvis æqualiter habeat cum omnibus sanitatem: ita quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus Sanctis, æqualis denarius omnibus attributus est: quia vero in ipsa vita æterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non vivet alius prolixius: in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius.*

Instabat 2 Jovinianus, aut ejus saltem causam agentes sic disputabant: atqui conjugatorum pariter ac Virginum eadem vita æterna futura est, etiam quoad gradum & perfectionem: ergo &c.

Probo subs. auctoritate Apostoli: " de Vir-
,, ginibus, *inquit*, (1 *Cor.* 7, 25, & *seq.*)
,, præceptum Domini non habeo, consilium
,, autem do, tamquam misericordiam conse-
,, cutus a Domino, ut sim fidelis: existimo
,, ergo hoc bonum esse (*abstinere a re uxo-
,, ria*) propter instantem (*vitæ præsentis*)
,, necessitatem: quoniam bonum est homini
,, sic esse: (*idest vitam cœlibem ducere.*) ,,

Inde sic vitilitigandi ansam homines odiosi arripiebant:

Quod

Quod bonum solummodo est, propter præsentem necessitatem, non propter futuram æternitatem, tale non est, ut possit in cœlesti vita majorem quemdam gradum gloriæ procurare: atqui ex Apostolo, a re uxoria abstinere, solummodo bonum est, propter vitæ præsentis angustias & necessitates, a quibus liberi sunt, qui continentem ac cœlibem vitam agunt: ergo &c.

℟. Nego subs. ad probat. auctoritatem recipio, & concessa maj. n. min. cum S. Aug. *mirabiliter desipiunt*, inquit, (*lib. de S. Virginit. c.* 13, *& seq.*) *qui putant continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cœlorum, sed propter præsens sæculum: quia scilicet conjugia terrenis curis pluribus atque arctioribus distenduntur; qua molestia Virgines & continentes carent, quasi ob hoc tantum melius sit non conjugari, ut hujus temporis relaxentur angustiæ; non quod in futurum sæculum aliquid prosit: hanc vanam sententiam ne cordis propria vanitate protulisse videantur; adhibent ex Apostolo testimonium, ubi ait:* de Virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Deo ut fidelis essem: existimo itaque hoc bonum esse, propter præsentem necessitatem, quia bonum est homini sic esse*: ecce, inquiunt, ubi manifestat Apostolus, hoc propter præsentem necessitatem bonum esse, non propter futuram æternitatem: quasi præsentis necessitatis rationem haberet Apostolus, non providens & consulens in futurum; cum omnis ejus dispensatio nonnisi ad vitam æternam vocet: præsens ergo est vitanda necessitas, sed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum: qua necessitate vita cogitur conjugalis, cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeat vir uxori, vel uxor viro: non quod ea separent a regno cœlorum, sicut sunt peccata, quæ ideo præcepto, non consilio prohibentur, quia Domino præcipienti non obedire damnabile est: sed illud quod in ipso Dei regno amplius haberi possit, si amplius cogitaretur, quomodo placendum esset Deo, minus erit utique, cum hoc ipsum, minus, conjugii necessitate cogitatur: ideo de* Virginibus, *inquit*, præceptum Domini non habeo: *præcepto enim quisquis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ: proinde quia uxorem ducere, vel nubere peccatum non est: si autem peccatum esset, præcepto vetaretur; propterea præceptum Domini de Virginibus nullum est: sed quoniam devitatis remissisve peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda: qui consequendæ parum est liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis:* consilium, *inquit*, do, tamquam misericordiam consecutus a Deo, ut fidelis essem: *neque enim invidere debeo fidele consilium, qui non meis meritis, sed Dei misericordia sum fidelis:* existimo ergo hoc bonum esse, propter præsentem necessitatem: *hoc est*, inquit, *unde præceptum Domini non habeo, sed consilium do: hoc est, de Virginibus existimo bonum esse propter præsentem necessitatem: novi enim quid præsentis temporis, cui conjugia serviunt, necessitas cogat, ut ea quæ Dei sunt, minus cogitentur, quam sufficit adipiscendæ illi gloriæ, quæ non erit omnium, quamvis in æterna vita ac salute manentium:* Stella enim a stella differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum.

Inst. 3. atqui nuptiæ vel Virginitate sunt excellentiores, vel saltem bonum aliquod habent, quo Virginitati æquari possint: ergo &c.

Prob. subs. status ille Virginitatis excellentiam vel superat, vel attingit, qui laude sibi propria, & cultores Deo parit, & fœcunditate sua Virginum chorum adauget: atqui nuptiarum laus ea est, quod Deo cultores procreent, & Virgines ipsas pariant; ergo &c.

℟. Nego subs. ad probationem,

℟. 1. Si quid hoc argumentum probaret, inde pariter secuturum, non nuptias tantum, sed & stupra, & adulteria, & fornicationes, Virginitate præcellere; cum non tantum nuptiarum usu legitimo, sed & illicitis ac nefandis quibuslibet maris ac fœminæ mixtionibus, & Virgines procreentur, & cultorum Dei numerus augeatur: hoc autem quam sit absurdum & absonum, nemo est qui non videat.

R. 2. Concessa maj. n. min. veri namque Dei cultores, non temporalis nativitas, sed sola Religio facit: natura enim, quisquis nascitur, est filius iræ, nedum possit in Dei filiorum numero computari: pariter licet carnali concubitu Virgines procreentur, nulla tamen sacra virgo est, nisi quæ de sponsa Christi Ecclesia nascitur: nihil ergo causæ est cur propter carnalem fœcunditatem, putentur nuptiæ Virginitatis meritum vel superare, vel qualitercumque attingere: qua de re summum veritatis magistrum Aug. denuo audire juvat: *non ergo*, inquit, (*lib. de S. Virginit. cap.* 9, *& seq.*) *illarum fœcunditas carnis, quæ hoc tempore nihil aliud in conjugio, quam prolem requirunt, quam mancipent Christo, pro omissa virginitate compensari posse credenda est: prioribus quippe temporibus venturo secundum carnem Christo, ipsum genus carnis in ampla quadam & prophetica gente*

Oo 2 neces-

Digitized by Google

necessarium fuit: nunc autem cum ex omni hominum genere, atque omnibus gentibus, ad populum Dei, & civitatem regni cælorum, membra Christi colligi possint; sacram Virginitatem qui potest capere capiat, & ea tantum quæ se non continet, nubat: quid enim si aliqua mulier dives, multam pecuniam huic bono operi impendat, ut emat ex diversis gentibus servos, quos faciat Christianos: nonne uberius atque numerosius, quam uteri quantalibet feracitate, Christi membra gignenda curabit? nec ideo tamen pecuniam suam comparare muneri sacræ Virginitatis audebit: at si propter faciendos, qui nati fuerint, Christianos, fœcunditas carnis pro amissa Virginitate merito compensabitur: fructuosius erit hoc negotium, si magno pecuniario pretio Virginitas amittatur, quo pueri faciendi Christiani multo plures emantur, quam unius utero quantlibet fertili nascerentur: quod si stultissime dicitur, habeant fideles nuptæ bonum suum... & honorent .... in sacris Virginibus melius earum: nam de illo quid debent continentiam meritis se conferre conjugia, quod ex eis Virgines procreantur: hoc enim non conjugii bonum est, sed naturæ, quæ sic divinitus instituta est, ut ex quolibet humano utriusque sexus concubitu, sive ordinato, & honesto, sive turpi & illicito, nulla fœmina, nisi virgo nascatur: nulla tamen sacra virgo nascitur: ita fit, ut virgo nascatur, etiam de stupro; sacra autem virgo, nec de conjugio: nec nos hoc in Virginibus prædicamus, quod Virgines sunt: sed, quod Deo dicatæ pia continentia Virgines ... hoc genus Virginum nulla corporalis fœcunditas protulit: non est hæc proles Carnis & Sanguinis: si harum quæritur mater, Ecclesia est: non parit Virgines sacras, nisi virgo sacra, virgo illa quæ desponsata est uni viro casta exhiberi Christo: ex illa, non tota corpore, sed tota Virgine spiritu, nascuntur sacræ Virgines & corpore & spiritu: habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, & procreatos pariter, salubriter, instanter educant; quia thori fidem invicem servant, quia Sacramentum connubii non violant: hæc tamen omnia humani officii sunt munera. Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est & in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio: cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis .... profecto habebunt magnum aliquid præter ceteros, in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam, non carnis in carne.

Inst. 4. si Virginitas majus haberet Matrimonio meritum, quælibet virgo qualibet conjugata laudabilior esset, utpote majoris apud Deum meriti: atqui falsum consequens: ergo & antecedens.

R. Cum Sanctis Aug. & Thoma, n. maj. ,, Dicendum, *inquit præceptor Angelicus*, (2, 2, *qu.* 152, *art.* 4, *ad* 2) quod licet Virginitas sit melior quam continentia conjugalis; potest tamen conjugatus melior esse quam virgo, duplici ratione: 1 quidem ex parte ipsius castitatis, si scilicet ille qui est conjugatus, habet animum magis paratum ad Virginitatem servandam, si oporteret, quam ille qui est actu virgo: unde S. Aug. Virginem instituens, libro de bono conjug. c. 22, jubet ut dicat: *Ego quidem non sum melior, quam Abraham, sed melior est castitas cœlibum, quam castitas nuptiarum: quod enim ego nunc ago, melius Abraham, & alii antiqui sancti egissent, si tunc agendum esset: quod autem illi egerunt, sic ego non agerem, etsi nunc agendum esset*: 2 quia forte ille qui non est virgo, habet excellentiorem virtutem: unde idem S. Aug. in lib. de S. Virginit. c. 44, *unde*, inquit, *scit virgo, quamvis sollicita quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio, illa vero mulier cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem Dominicæ humilitatis?* ,,

Inst. ultimo: quando duo concurrunt, quorum alterum Deus imperat, alterum in consiliis locum habet, sine dubio debet præferri, quod est mandatum; Dei namque lex nihil, nisi quod est optimum præcipit: atqui lex matrimonii obeundi lata pro omnibus est quando in ipsis mundi primordiis dixit Deus, *crescite & multiplicamini*: (*Gen.* 1, 28) Virginitatis e contra merum consilium fuit: *de Virginibus*, ait Apostolus, (1 *Cor.* 7, 25) *præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino* &c. ergo nuptiæ Virginitate præcellunt.

R. Multiplex in hoc argumento vitium esse 1. In eo quod dicitur, de Matrimonio divinum esse mandatum, ad omnes respiciens; Virginitatis vero merum esse consilium, manifesta pugnantia ac contradictio est: nam si nubendi necessitatem Deus omnibus posuit, quomodo poterat Virginitatis servandæ esse suasor? hoc enim quid aliud foret, quam legis suæ infractionem consulere? ipsa itaque adversariorum confessio, concedentium tenendæ Virginitatis consilium esse, Matrimonium

non

Digitized by Google

non esse omnibus imperatum, plena convictio est.

2. Quod generatim velut pro certo principio ponitur, præcepta consiliis esse meliora, ineptissimum absurdissimumque est, totamque Evangelii perfectionem subvertit: præcepta namque, majori saltem ex parte, qualia nimirum omnia sunt quæ in Decalogo continentur, in iis versantur rebus, quæ ratio ipsa imperat, lubensque natura sana, quippe convenientissima sibi amplectitur: consilia vero prætergressa naturæ vires, ad heroicam perfectionem aspirant. Sic e. c. modeste ac moderate matrimonio esse utendum, prolem ex eo progenitam pie ac diligenter educandam, nascituros ex nuptiis filios non præfocandos, uxorem alienam non concupiscendam, præcepta naturæ sunt, quæ quisquis in belluam non degenerarit, naturæ vires non superare intelligit: verum propter regnum cœlorum, non ab illicito tantum concubitu, sed a legitimo thalamo abstinere, castigare corpus suum, seque ipsum Christo castam virginem exhibere: consilium hoc est, ad angelicæ naturæ consortium hominem evehens, tantæque excellentiæ ac difficultatis, merito ut a Christo de illo dictum fuerit: *qui potest capere, capiat*: perperam ergo consiliis præcepta æquiparantur, nedum dici possint excellentiora.

3. Concessa maj. n. min. iis namque verbis: *crescite & multiplicamini*: (quod alibi nec semel est observatum) non tam præceptum, quam fœcunditas ipsa benedictioque significatur, humanæ naturæ ad sobolis procreationem concessa: cujus rei præter cætera, invictissimum argumentum est: quod brutis animantibus, non secus ac hominibus dictum sit: *crescite & multiplicamini*: deinde etiam si verum in his verbis præceptum intelligeretur, nihil inde contra nos erui posset: ad hæc enim tempora mandatum respiceret, quibus humani generis, & Israelitici populi propagationi consulendum erat. Adami namque familia per orbem universum propagata, desiit mandatum omnes & singulos obligare, ut constat exemplo Josue, Eliæ, Elizei, Jeremiæ, Joannis Baptistæ, & aliorum qui cœlibem vitam duxerunt: quod cum negari non possit in lege veteri contigisse, quanto flagitiosius diceretur, in lege Evangelica, omnibus matrimonium imperari: cum in contrarium certissime constet, Christum & Apostolos exemplo suo atque doctrina virginitatem summopere commendasse?

Sequitur

QUÆSTIO TERTIA.

De Matrimonii Unitate.

MAtrimonium unum a viri & mulieris singularitate vocatur, quatenus nimirum vir unus una uxore, & una vicissim uxor uno marito contenti vivunt: quæritur utrum hæc singularitas ita matrimonii naturæ conveniat, ut sine illa veras nuptias esse repugnet? sive, ut consuetis verbis utamur, ut polygamia evertat contractus nuptialis essentiam?

Est autem polygamia duplex: simultanea & successiva: simultaneam dicunt, si vir unus cum multis simul uxoribus, vel e contra uxor una cum multis simul maritis pactum ineat conjugale: successivam vocant, quando altero conjugum mortuo, qui superest ad novas nuptias transit.

De utraque sigillatim investigandum, an, & quomodo contractui matrimonii adversetur? Si igitur

CAPUT PRIMUM.

Utrum cum vero Matrimonio Polygamia simultanea stare possit?

Quæstio explicatur.

1. DIvini juris naturalis, & positivi, habendi hic ratio est.

Jus divinum naturale est, quod natura ipsa, verius dixerim, Deus auctor naturæ præscribit: sic, *ab alieno abstinendum*, *nemini inferendam injuriam*, *quod tibi fieri non vis, alteri non faciendum*, generalia naturæ ipsius edicta sunt, quæ omnium mentibus conditor naturæ Deus insculpsit, quæque deleri ab humano corde, nisi natura ipsa aboleatur, non possunt.

Jus divinum positivum est, quod etsi natura non dictet, divina tamen auctoritate indictum est: illudque lege nova & veteri, utroque videlicet testamento amplissime continetur: sic in lege Moysi circumcisio, ad legem positivam divinam spectabat: in Evangelica pariter baptisma jure positivo dicitur absolute necessarium ad salutem.

2. Jus divinum naturale, aliud variabile, aliud invariabile est: invariabile dicimus, quod primario naturæ fini consentaneum est, nec aliter nisi peccando infringi potest: qualia sunt generalia effata: *Deus est colendus*: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, &c. hæc enim & similia quocumque in casu locum habent, nec ullam dispensationem admittunt,

pro-

propterea quod in contrarium agere sit peccatum: variabile est, quod etsi in se præcise, nullaque circumstantiarum habita ratione, quid sit agendum præscribat; attentis tamen locorum, temporum, aliisque conditionibus, aliquam dispensationem admittit, propterea quod non ad primarium naturæ finem, sed ad secundarium ordinetur. Sic, (ne aliunde quam ex præsenti materia exempla quæramus,)quod frater cum sorore nubat, est equidem legi naturali (universim loquendo)contrarium; hujusmodi namque nuptias honestati repugnare, communis gentium omnium, nisi barbaræ & incultæ fuerint, consensio est: fuit tamen tempus, quo propter hominum paucitatem, masculisque ac fœminis ex eodem patre prognatis, ne defraudaretur natura fine suo præcipuo, necessarium fuit fratrem cum sorore Deo dispensante, conjungi: quid enim acturi erant Adami filii, si cum propriis sororibus commisceri ad propagationem generis humani non potuissent?

3. Jus divinum positivum aliud ad antiquam, aliud ad legem Evangelii, ut prædiximus, pertinet: habuit enim lex Moysi, habet & sua Evangelium peculiaria præcepta: unde etiamsi polygamia simultanea in veteri lege concessa attendi possit; non inde sequitur status Evangelici parem esse conditionem.

4. In hac de simultanea polygamia quæstione, non putandum, absolute, & per omnia mulieris virique æqualem esse conditionem: quamquam enim posset vir unus plures simul legitime uxores habere, non inde necessario sequeretur, par mulierum privilegium esse, nisi ostenderetur, utrumque pariter primario naturæ ac matrimonii fini non adversari.

Origo Polygamiæ & progressus.

Matrimonium primitus in unitate, individua scilicet unius cum una conjunctione divina sanctione fundatum, nemo vocabit in dubium, nisi cui Pentateuchus fabula erit: in ipso enim libri Genesis limine, (*Gen.* 1, 27) *creavit Deus*, inquit author sacer, *hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos:* quod & cap. sequente confirmans, *dixit quoque Dominus Deus*, ait, (*ib.* 2, 18, & *seq.*) *non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi . . . . immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam: dixitque Adam: hoc nunc os de ossibus meis & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Primus omnium Lamech de stirpe Cain, uxorum pluralitatem invexit: quod deinceps pravum exemplum gentiles libidine impellente secuti sunt. *Mathusael genuit Lamech*, ait scriptura, (*Gen.* 4, 19) *qui accepit duas uxores: nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.*

S. Patriarcha Abraham veri Dei cultoribus polygamiæ viam, Deo ita disponente, aperuit: ii nimirum non æstu libidinis, ut Gentiles, sed multiplicandi fidelis populi causa, & legis novæ arcana præfigurantes, plerasque simul uxores duxerunt.

Moyses polygamiam velut Israelitarum communi more receptam in Deuter. memorat; *si habuerit homo duas uxores*, inquit, (*Deuter.* 21, 15, & *seqq.*) *unam dilectam, & alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, & fuerit filius odiosæ primo-genitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectæ facere primo-genitum, & præferre filio odiosæ*, &c. . . . & paulo post: (*Ib. c.* 15, *v.* 5) *quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: & primo-genitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel*, &c.

Dominus Jesus Christus, novi Testamenti auctor, veræque sapientiæ promulgator, concessionem veteri populo in causa polygamiæ factam penitus revocavit, & matrimonium ad primævam institutionem reduxit, ut constabit ex dicendis inferius.

§. PRIMUS.

Diversis conclusionibus veritas stabilitur.

Jam quæritur an & quatenus simultanea polygamia legi naturali ac positivæ repugnet? quam difficultatem, quia varia & multiplex est, diversis assertionibus explicabo.

Conclusio I. Polygamia simultanea unius uxoris cum multis viris juri naturali, & fini nuptialis contractus plane repugnat.

Communis hæc gentilium ipsorum sententia fuit, in lumine naturæ fundata: indeque invicte probatur; tum quia prolis generationi, quæ primarius matrimonii finis est, penitus adversatur; cum experientia notum sit, perditas mulieres quæ multis semetipsas viris prostituunt, infœcundas esse: tum quia reddit incertum patrem, adeoque liberorum educationi

Digitized by Google

tioni, qui nuptiarum secundus est finis, maxime nocet: atque hinc patet, quam fuerit insanum commentum Platonis Ethnicorum sapientissimi, in sua non tam Republica, quam Rerumpublicarum eversione, bonorum omnium inter cives communitatem, ne ipsis quidem exceptis uxoribus permittentis: ut enim bene Aristoteles observavit (*Lib. 2 polit.*) hanc sententiam expendens ac refutans, si non in cæteris tantum rebus, sed & in usu mulierum communio locum haberet, sus deque omnia miscerentur, nec jam posset quisquam aut propriam sobolem, aut cognationem agnoscere: atque adeo in tanta confusione, cum nemo patrem, fratres, sorores secerneret, incestibus, parricidiis, omni denique criminum generi fræna laxarentur: unde evidens est perniciosissimum Platonis fuisse consilium. Itaque in hujus conclusionis uberiori probatione non immorabimur, ut ad alias quæ sunt majoris momenti pergamus.

Conclusio 2. Polygamia simultanea unius viri cum multis uxoribus jure naturali & divino illicita est.

PROBATIO I PARTIS.

Prima pars, quæ est de jure naturali, multis momentis adstruitur.

1. Matrimonium mutuam utriusque conjugis in corpus alterius potestatem necessario importat. *Mulier*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 7, 4) *sui corporis potestatem non habet*, *sed vir*: *similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet*, *sed mulier*; atqui non potest jus illud salvum integrumque consistere, nisi vir totum se uni uxori tradat, quomodo uxor uni se viro totam committit: nam propter hanc reciprocam potestatem tenetur maritus uxori debitum reddere, quoties loco & tempore debitis petierit: *uxori vir debitum reddat*, ait Apostolus, (*Ibid. v.* 3) *& uxor viro*. Porro officium illud implere nequit, qui multas simul uxores duxit: ergo uxorum pluralitas tum æqualitati, quam virum inter & mulierem natura ipsa constituit, tum fidei ac justitiæ conjugali contraria est.

2. Quamquam mulierem viro subjectam esse oporteat, prout & natura dictat, & Apostolus præcipit; *mulieres*, inquiens, (*Eph.* 5, 22) *viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris*: non tamen viro despoticum in mulierem, sed politicum duntaxat imperium convenit, nec illam debet famulæ loco habere, sed tamquam sociam honorare: non enim mulier ex pedibus aut capite, sed ex latere viri educta est, ut neque primatum sibi arrogaret: nec ancillis annumeraretur: itaque viri & mulieris, quamquam diversis officiis, in familiæ regimine, perfecta communio est; & ad eam procreandam atque augendam, uterque in alterum exercet, ut prædiximus, principatum. Hoc posito principio sic prosequor argumentum.

Ubi principatus est, singularitatem esse oportet; ubi enim divisio imperii est, vix, ac ne vix quidem intelligitur principatus: hinc a Lucano poeta dictum:

omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

atqui, ut prædictum est, in his quæ ad Thorum conjugii pertinent, par viri & mulieris est potestas: ergo in utroque principatus omne consortium respuit; ita ut nec unius mulieris plures mariti, nec unius viri plures esse uxores possint: hinc illa conjugibus, quodam velut naturæ impetu insita zelotypia, qua vir adversus virum, & mulier adversus mulierem in consortium Thori admissam rabiosa indignatione concitatur.

3. Non ad Thalami tantum, sed & ad familiæ regendæ consortium uxor assumitur: atqui curas domesticas, & familiæ administrationem conturbaret uxorum pluralitas: polygamia enim ex se discordias & bella domestica concitat, cum uxor quælibet præferri se ambiat & filios suos, & ne familiariter quidem eos cum æmulæ filiis vivere facile patiatur, id quod præter cætera quæ afferri possent, vel unum *Saræ*, Abrahæ uxoris, exemplum demonstrat, de qua in Genesi sic narratur, (*Gen.* 13, 9, & *seqq.*) *cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham*: *ejice ancillam hanc*, & *filium ejus* &c. ergo polygamia simultanea juri naturali contraria est.

4. Gentilium, ad quos fidei lumen non pertigerat, accedit consensus: hanc enim veritatem Aristoteles, aliique Philosophi, natura duce cognoverant, & polygamiam velut Reipublicæ perniciosam dissuadebant: hinc etiam jure civili ab Ethnicis principibus constituto cautum fuerat, ut qui plures simul uxores duxisset, infamia notaretur, neve tantum flagitium judex competens inultum esse permitteret, sane qui inter Ethnicos fuerunt naturalis justitiæ observantiores (quæ laus Romanorum propria fuit) monogamiam, teste S. Aug. (*lib. de bono conjug. c.* 7) sic coluerunt, ut numquam sibi uxorum pluralitatem permiserint. Notum *Papyri Prætextati* ingeniosum mendacium, unde continentiæ Romanorum a multis uxoribus certissimum eruitur argumentum. Rem sic narrat *Aulus Gellius*. (*Noctium Atticarum lib.* 1, *c.* 23) *Mos antea Senatoribus Romæ fuit*, *in curiam cum prætextatis filiis*

Digitized by Google

liis introire: cum in senatu res major quæpiam consultata, eaque in diem posterum prolata foret, placuit ut eam rem super qua tractavissent, ne quis enuntiaret, prius quam decreta esset: mater Papyrii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium, quidnam in senatu patres egissent: puer respondit tacendum esse, neque id dici licere; mulier fit audiendi cupidior secretum rei, & silentium pueri animum ejus ad inquirendam everberat: quærit igitur compressius violentiusque: tum puer matre urgente, lepidi atque festivi mendacii consilium capit: actum in senatu dixit, utrum videretur utilius exque Republica esse, unus ne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset: hoc illa ut audivit, animus compavescit; domo trepidans egreditur: ad cæteras matronas pervenit, ad Senatum postridie matrum familias caterva lacrymantes atque obsecrantes orant, una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duæ. Senatores ingredientes curiam, quæ illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio illa vellet, mirabantur: puer Papyrius in medium curiæ progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicuti fuerat, denarrant: Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur: consultum facit uti posthac pueri cum patribus in curiam non introeant, nisi ille unus Papyrius: atque puero postea cognomentum, honoris gratia, decreto inditum, Prætextatus, *ob tacendi loquendique in ætate prætextata prudentiam.*

Ita Gellius de Papyrio, cujus factum tanta cum laude memoriæ proditum plane convincit, uti uxoribus, maritorum, sic maritis pluralitatem conjugum fuisse priscis Romanorum legibus interdictam.

PROBATIO II PARTIS.

Quod vero jure pariter divino polygamia simultanea viris illicita sit, quæ pars conclusionis altera est, probant non semel adducta ex Genesi verba: (*Gen.* 1, 27, 5, 2) *Masculum & fœminam creavit eos*: ad quæ alludens in Evangelio Dominus Jesus: *non legistis*, inquit, (*Matt.* 19, 4) *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem: & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro*: inde enim certo inferunt Sancti Doctores, atque inter cæteros SS. Hieronymus, Aug. Chrysost. Theophyl. Vener. Beda, & Innocentius III, matrimonium hac lege a Deo fundatum, ut in duorum, nec plurium, individua conjunctione consistat: non enim ait Scriptura: *Masculum & fœminas fecit eos*; sed; *masculum & fœminam*: non dicit: *adhærebit uxoribus suis*; sed *: uxori suæ*: non ait: *erunt tres vel plures in carne una*; sed: *erunt duo in carne una*.

Nec est, quod hæc veritas scripturæ testimonio impugnetur, ubi de Lamech dicitur (*Gen.* 3, 19) *quod accepit duas uxores*: hæc enim facti narratio, non approbatio est; atque idipsum exemplo malo, ab homine malo commissum, probatissimi Scripturarum interpretes attestantur.

Sic *Tertullianus*: *vim*, inquit, (*lib. demonog. c.* 5) *passa est institutio Dei per Lamech*: & alibi: (*lib. de Exhort. castit. c.* 5) *numerus matrimonii a maledicto viro cœpit, primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.*

Et S. *Hieronymus*, (*adv. Jovinian. lib.* 1) *una costa*, inquit, *a principio in una uxorem versa est, & erunt duo in carne una, non tres, neque quatuor, alioquin non jam duo, sed plures. Primus sanguinarius & homicida, unam carnem in duas divisit uxores, homicidium & bigamiam eadem cataclysmi delevit pœna.*

Conclusio Tertia. Non ita uxorum pluralitas lege naturali aut positiva vetatur, quin aliquando licitum Deo dispensante fuerit, plures habere.

Probatur 1 conclusio auctoritate & ratiocinio S. Thomæ: *dicendum*, inquit, (*suppl. qu.* 65, *art.* 2, *in corp.*) *quod sicut ex dictis patet, pluralitas uxorum esse dicitur contra legem naturæ, non quantum ad prima præcepta ejus, sed quantum ad secunda, quæ quasi conclusiones a primis præceptis derivantur: sed quia actus humanos variari oportet, secundum diversas conditiones personarum & temporum, & aliarum circumstantiarum; ideo conclusiones prædictæ a primis legis naturæ Præceptis non procedunt, ut semper efficaciam habentes, sed in majori parte: talis est enim tota materia moralis, ut patet per Philosophum in libris Ethicorum. Et ideo ubi eorum efficacia deficit, licite ea prætermitti possunt: sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi, a cujus authoritate lex efficaciam habet, reservatur, ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis casibus, ad quos legis efficacia non extendere se debet: & talis licentia dispensatio dicitur: lex autem de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta; nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut & alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent, & ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem prin-*

cipa-

cipaliter patribus Sanctis facta est, & per eorum exemplum ad alios derivata eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ: semper enim principalior finis magis observandus est, quam secundarius: unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire, ad quod removendum, præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.

Probatur 2, veterum patriarcharum exemplo: ex sacra historia notum est, Abraham, Jacob, Davidem, & alios, uxores plurimas habuisse: quo posito sic argumentor:

Vel dicendum cum Calvino, aliisque sectariis, Abrahamum & alios in antiqua lege plurium simul uxorum ductores, gravissimi eamobrem peccati reos fuisse; vel fatendum polygamiam iis, divina dispensatione permissam: atqui primum dici nequit: ergo alterum concedendum.

Minoris propositionis veritatem non est difficile multis momentis ostendere.

1. Est, reverentia debita sacræ scripturæ, quæ Abrahæ, aliisque Patriarchis singularis Sanctitatis testimonium perhibet: hinc apud Matthæum electis promittitur, (*Matt.* 8, 11) fore ut recumbant cum Abraham & Jacob in Regno cœlorum: & in Evangelio Lucæ, (*Luc.* 16, 22) dicitur Lazarus portatus ab Angelis in sinum Abrahæ tamquam in locum felicitatis; cum tamen ex verbo Dei certum sit, adulteros regnum Dei non possessuros.

2. Est, si quisquis in antiquo Testamento repertus polygamus, adulterii hoc ipso convinceretur, Deus Davidem in ea hypothesi toties adulterum, impunitum non reliquisset, quem propter adulterium cum Bethsabee uxore Uriæ commissum (2 Reg. 11) graviter adeo castigavit: atqui cum de hoc concubitu tanta ultio sumpta sit, de aliis quas duxit uxoribus prorsus in scriptura siletur: nullibi namque legitur quod propter pluralitatem mulierum fuerit reprehensus: ergo &c.

3. Jojada summus sacerdos Joaso Regi Juda duas uxores nuptui dedit: fecit (*Joas*) inquit scriptor sacer (*Paralip.* 2, 24, *v.* 2) *quod bonum est coram Domino, cunctis diebus Jojadæ Sacerdotis: accepit autem ei Jojada uxores duas, e quibus genuit filios & filias:* atqui ei, rei tam malæ author princeps sacerdotum non fuisset, si nimirum uxorem alteram sine adulterio, & violatæ legis crimine ducturus non erat: ergo &c.

4. De Sara in Scriptura legitur, quod ejus hortatu Abraham cum Agar Ancilla sua fœdus nuptiarum iniverit. *Igitur*, ait Auctor sacer, (*Gen.* 16, 1, & *seq.*) *Sarai uxor Abraham non genuerat liberos: sed habens Ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit marito suo: ecce conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad Ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios; cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam Ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan; & dedit eam viro suo uxorem* .... porro nisi concedamus polygamiam Abrahamo Deo revelante permissam, non eum solum, sed & uxorem ejus flagitii accusamus, quippe quæ omni pudore deposito, fideque nuptiarum contempta, maritum suum ad pellicatum induxerit: ergo &c.

5. Mulieres antiquis patribus, plurali licet numero, junctæ, uxores indiscriminatim vocantur, nullibi vero innuitur eas fuisse adulteras: dicendum ergo ideo ab adulterio fuisse immunes, quia hoc sibi erat divina revelatione concessum.

Quod si alicui temerario & absque fundamento dictum videtur, sciat hanc Sanctorum patrum esse sententiam. Sic *S. Ambrosius*: *fortasse*, inquit, (*lib.* 1 *de Abraham c.* 5) *dicet aliquis: quomodo Abraham nobis imitandum proponis, cum de Ancilla susceperit filium? aut quid sibi vult hoc esse, ut tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cujus tanta opera miramur? & ideo ne quodam more navigantium locum hunc, quem plerique vadosum putant, declinasse videamur, rationem ejus explanare cordi est* ..... (*secunda*) (Abrahæ defensio) *illa est, quod non ardore aliquo vage succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, Ancillæ contubernio conjugalem posthabuit Thorum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis: adhuc post diluvium raritas erat generis humani: erat etiam Religionis, ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ* ...... *nec otiosum est, quod uxor auctor facti inducitur ut excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur* ...... *Tertia quoque* (*defensio*) *est, quam nobis Apostoli Pauli tribuit auctoritas, qui ait: illa quæ gessit Abraham ut de Ancilla susciperet sobolem, in figuram facta sunt, & secundum allegoriam dicta: allegoria est, cum aliud geritur, & aliud figuratur; sicut etiam ipse Apostolus docet, dicens:* (*Gal.* 4, 21, & *seq.*) sub lege volentes esse, legem non legistis? scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuerit, unum de Ancilla, & unum de libera: sed is qui de Ancilla, secundum carnem natus est, qui autem

Digitized by Google

de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta: nam hæc sunt duo testamenta: unum quidem a monte Sina in servitutem generans, quod est Agar, *duos populos ostendens de Abrahæ generatione manere: unum Judæorum qui legis syllabis serviat; eo quod de Ancilla in servitutem videatur esse generatus: alterum Christianum, qui ad remissionem peccatorum cœlestis gratiæ libertatem acceperit: quod ergo putas esse peccatum, advertis esse mysterium, quo ea quæ posterioribus erant futura temporibus, revelabantur.... agnoscamus ergo quoniam hæc quæ in figuram contingebant, illis crimini non erant.*

Concinit *S. Joannes Chrysost.* commentario in Gen. (*hom. 56 in Gen.*) ubi de Jacob Patriarcha Sermonem habens, eumque ab omni peccato ex polygamia contracto excusans: *Neque juxta statum qui nunc est*, inquit, *opera quæ tum facta sunt judices: tunc enim quia principia erant, permissum fuit cum duobus vel tribus, vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur.*

Et *S. Aug.* de antiquis Patriarchis: *tunc*, inquit, (*libr. de bono conjug. c.* 17) *ipsius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio nuncia futurorum erat, & ad dispensationem propheticam pertinebat: ideoque non sicut uni viro etiam plures habere licebat uxores, ita uni fœminæ plures viros, nec prolis ipsius causa, si forte illa parere posset, ille generare non posset* . . . . . (*ib. c.* 19) *de suis nuptiis filios propter Christum quærebant ad genus ejus secundum carnem distinguendum ab omnibus gentibus sicut Deo disponere placuit: ut hoc præ cæteris ad eum prophetandum valeret, quod prænuntiabatur, ex quo etiam genere, & ex qua gente esset in carne venturus.*

Accedit auctoritas *Innocentii III*, Pontificis Max. *Nec ulli*, inquit, (*cap. gaudemus: extra: de divortiis*) *unquam licuit simul plures uxores habere; nisi cui fuit divina revelatione concessum . . . per quam sicut Jacob a mendacio, Israelitæ a furto, Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ, & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur*: ergo &c.

Conclusio quarta. Christus in Evangelica lege, omni abrogata dispensatione, & prisca Dei conditoris lege postliminio revocata, matrimonium in viri & mulieris unitate constituit.

Fidei hoc dogma est, a patribus Trid. contra Lutheri nequitiam novo decreto assertum, „ Si quis dixerit, *inquiunt*, (*Sess.* 24, *can.* „ 2) licere Christianis plures simul habere „ uxores, & hoc nulla lege divina esse pro„ hibitum: anathema sit . . . . „ *Et in doctrina de matrimonii Sacramento*: (*Ib.*) *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum*, ajunt, *primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit*: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, *&c. hoc autem vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata referens dixit*: itaque jam non sunt duo, sed una caro: *statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit*: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

PROBATIO PRIMA.

Ex Evangelio.

Apertiora hujus veritatis in Evangelio testimonia sunt, quam ut possint ulla sophismatum caligine obscurari.

Licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? inquiunt Christo Pharisæi tentantes eum: (*Matt.* 19, *& seq.*) *qui respondens ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet . . . . Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

Inde sic enascitur argumentum: nisi in Evangelica lege omnis circa polygamiam simultaneam sublata dispensatio foret, qui dimissa uxore sua aliam duceret, mœchari dici non posset: quomodo enim juste accusaretur de adulterio, qui prima uxore repudiata alteram quæreret, si nec utraque simul retenta in infamiam illam incurreret? porro ubi divina dispensatione licitum foret, duas simul uxores habere, neutrus posset maritus dici adulter, cum utriusque vir esset legitimus: atqui diserte veritas ipsa pronunciat, omnem qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchari, & qui dimissam ducit, mœchari: ergo nullum dispensationi dat locum.

Deinde: tale vult Christus esse sui sequacium matrimonium, quale ab initio a Deo firmatum est; *non legistis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio* &c. atqui ab initio unius cum una matrimonium fœderatum est, non fuit caro una, nisi duorum: iisdem ergo limitibus in nova lege matrimonium coercetur.

Erit

Digitized by Google

Erit forte qui obstrepat, ex ipso Christi oraculo sequi, polygamiam simultaneam aliquando saltem permitti, si nimirum prima uxor adulterium perpetrarit: *qui dimiserit*, inquit, *uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: nam cum rejecta adultera aliam ducere liceat; evidens est, duas in hoc casu, ejusdem uxores esse, quæ nimirum propter fornicationem dimissa est, & quæ novis nuptiis in repudiatæ locum est substitúta.

Verum puerilem hanc esse argutiam, duo quæ sequuntur argumenta invicte probant.

1. Enim dato & non concesso, (id quod erit inferius expendendum) hunc textus Evangelici esse sensum, quod adultera uxore repudiata aliam ducere viro liberum relinquatur; quis non videt in tali casu non futurum polygamum? hoc enim nomine solus ille censeri potest, qui duas simul uxores habet: porro in præsenti hypothesi, non duas, sed unam maritus uxorem haberet, quia matrimonium cum priore contractum, scripto libello repudii, irritum nullumque jam foret, nec ulla posset ratione ullove prætextu redintegrari. *Si acceperit homo uxorem*, inquit Moyses, (*Deut.* 24, 1, *& seq.*) *& habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua: cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino*: ergo &c.

Quid quod, si in tali casu, qui uxorem repudiavit adulteram, ejus non cessavit esse maritus, non destitit pariter illius uxor esse mulier repudiata; cum hæc duo reciproca sint: cumque aliunde, propter adulterium dimissæ liberum sit, ad nova transire vota, consequens erit unius uxoris posse plures simul esse maritos: atque adeo Christum multo fuisse in concedendis dispensationibus largiorem, quam Deus in antiqua lege fuerit: nullibi namque in primi testamenti scripturis habetur, sicut viris plures simul uxores ducere; ita mulieribus habere maritos concessum esse: fatendum ergo, ne in hoc quidem casu, polygamiam a Christo permissam.

2. Nego absolute textus Evangelici hunc esse sensum, ut dimissa uxore adultera, eaque vivente liberum marito sit novam ducere: si quid enim apud Matthæum sententia Christi obscurum habet, Marci & Lucæ lectio explicat, ubi nulla facta restrictione affirmant, omnem esse adulterum, qui priore uxore rejecta aliam ducit: *quicumque*, ait apud Marcum Salvator, (*Mar.* 10, 11) *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*: & in Evangelio Lucæ: (*Luc.* 16, 18) *omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam a viro ducit, mœchatur*.

Quæ verba ponderans S. Augustinus: (*de adulter. conjug. lib.* 1, *c.* 1) " Quod minus ,, intelligitur apud Matthæum, *inquit*, apud ,, alios Evangelistas intelligi potest: quapro,, pter cum legerimus in Evangelio secundum ,, Matthæum: *quicumque dimiserit uxorem* ,, *suam nisi ob fornicationem, & aliam du*,, *xerit, mœchatur*: non debemus continuo pu,, tare illum non mœchari, qui propter cau,, sam fornicationis dimiserit, & aliam duxe,, rit; sed adhuc ambigere, donec Evangelium ,, secundum alios Evangelistas, a quibus hoc ,, narratum est, consulamus: quid si enim se,, cundum Matthæum non quidem quod ad ,, hanc rem pertinet dictum est totum, sed ,, ita pars dicta est, ut intelligeretur a par,, te totum, quod tamquam explanantes Mar,, cus & Lucas, ut clareret plena sententia, ,, totum dicere maluerunt? cum itaque pri,, mum non dubitantes verum esse quod apud ,, Matthæum legitur: *quicumque dimiserit u*,, *xorem suam præter causam fornicationis*, ,, *& aliam duxerit, mœchatur*: quæsierimus ,, utrum tantum iste mœchetur ducendo al,, teram uxorem, qui præter causam fornica,, tionis priorem dimiserit; an omnis qui di,, missa uxore alteram duxerit; ut ibi sit e,, tiam ille qui fornicantem dimiserit? nonne ,, secundum Marcum respondebitur nobis, ,, quid quæritis utrum ille sit mœchus, & ,, ille non sit? *quicumque dimiserit uxorem* ,, *suam, & aliam duxerit, adulterium com*,, *mittit*: nonne etiam secundum Lucam di,, cetur nobis: quid ambigitis utrum ille qui ,, propter causam fornicationis uxorem dimi,, serit, & aliam duxerit, non mœchetur, *o*,, *mnis qui dimittit uxorem suam, & ducit* ,, *alteram, mœchatur*: ac per hoc quoniam ,, fas non est, ut Evangelistas, quamvis di,, versis verbis de una re loquentes, ab uno ,, sensu eademque sententia dissentire dicamus, ,, restat ut Matthæum intelligamus a parte ,, totum significare voluisse: eamdem tamen ,, retinuisse sententiam, ut dimittens uxorem, ,, & alteram ducens, quidam mœchetur, id ,, est qui præter fornicationem dimiserit; qui,, dam vero non mechetur, id est qui propter ,, fornicationem dimiserit; sed omnis qui di,, mittit uxorem suam, & ducit alteram, mœ,, chari minime dubitetur: nam & illud quod ,, etiam secundum Lucam sequitur, *qui dimis-*

„ sam a viro ducit, mœchatur, quomodo est „ verum? quomodo mœchatur, nisi quia illa „ quam duxit, eo vivente a quo dimissa est, „ adhuc uxor aliena est? si enim jam suæ non „ alienæ miscetur uxori, utique non mœcha- „ tur: mœchatur autem: aliena est ergo cui „ miscetur. Porro si aliena est, hoc est, e- „ jus a quo dimissa est, etiam si propter for- „ nicationis causam dimissa est, nondum di- „ mittentis uxor esse cessavit; si autem illius „ esse cessavit, jam hujus est cui nupsit, &, „ si hujus est, non mœchus judicandus est, „ sed maritus: sed quia non eum maritum „ dicit scriptura, sed mœchum, adhuc illa il- „ lius est, a quo etiam causa fornicationis ab- „ jecta est; & ideo quamcumque etiam ipse, „ illa dimissa ducit uxorem, quia cum alieno „ marito concumbit, adultera est; unde au- „ tem fieri potest, ut adulter etiam ipse non „ sit, cum constet adulterare quam duxit? . . „ *Hactenus S. Aug.*

PROBATIO II.

Ex Apostolo.

Nec magistro veritatis Paulus ejusdem præco dissentit, quoties de matrimonio disserit, illud sicut viri unius, ita & mulieris singularitate coarctans. *Propter fornicationem*, inquit, (1 *Cor.* 7, 2, *& seqq.*) *unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat: uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram . . . . iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere . . . & vir uxorem non dimittat . . . . alligatus es uxori? noli quærere solutionem: solutus es ab uxore? noli quærere uxorem &c. His enim similibusque sententiis quid apertius, quid luculentius ad probandum omnem in nova lege polygamiæ concessionem esse sublatam? nam*

1. Ne in fornicationis quidem periculo permittit Apostolus, ut uxoris unitas excedatur: *propter fornicationem*, ait, *uniusquisque suam uxorem, & unaquæque virum suum habeat:* ergo plures unius uxoris viri, vicissimque plures unius viri mulieres sine fornicatione esse non possunt: porro ubi fornicatio, ibi peccatum; ubi peccatum, legis divinæ transgressio est: adeoque polygamiam divina Evangelii lege debemus vetitam confiteri: alioquin enim si in pluribus simul uxoribus a fornicatione cautio legitima foret, potuerat, quin & debuerat Paulus dicere: *propter fornicationem unusquisque suas uxores habeat*: ne nimirum gratiam supremi legislatoris invidere aut restringere videretur.

2. Declarat Apostolus, in matrimonio præsens contra incontinentiam remedium esse: *nolite fraudare invicem*, inquit, *nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*: atqui si viro liceret plures simul habere mulieres, nupriæ uxoribus contra incontinentiam remedium non præberent: quid enim *Berthæ*, exempli causa, juvaret uxorem esse, si concumbendi vexante libidine, vir ejus hoc ipso tempore cum altera uxore utique sua mariti officium exerceret? ergo &c.

3. Doctrina Apostoli est, a Christo sine dubitatione accepta, mulierem sui corporis non habere potestatem, sed virum; virum pariter sui corporis potestatem non habere, sed mulierem: adeoque pari utrumque in usu matrimonii jure frui: atqui si in lege Evangelica uni viro ex dispensatione concederetur multas simul uxores habere, jam mulieris nulla esset in viri corpus potestas, quippe quæ millies in iis quæ spectant ad nuptiarum commercium, repulsam sine injuria pateretur, dum maritus erga alias uxores huic vacaret officio: ergo &c. *si par est forma* (*matrimonii*) *in utroque*, inquit S. Aug. (*de adulter. conjug. l.* 1, *c.* 8) *uterque mæchatur, si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit: parem esse formam in hac causa viri atque mulieris, ibi ostendit Apostolus, quod sæpe commemorando est, ubi cum dixisset:* uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: *adjecit, atque ait*: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.

PROBATIO III.

Ex perpetuo Ecclesiarum & patrum consensu.

Addo ad coronidem ex Ecclesiarum & patrum invariata consensione validissimum argumentum: illud enim ad fidem Catholicam pertinere ambigi nequit, quod ab Apostolicis usque temporibus Ecclesia tenuit, observavitque tamquam a Christo præscriptum: atqui matrimonium in perfecta unitate consistere nec posse sine adulterii crimine duplicari, Ecclesia ab ipso sui exordio docuit, tenuit, observavit, velut acceptum a Domino documentum:

tum: nullus in contrarium canon, nulla cujusvis particularis Ecclesiæ repugnans sive disciplina, sive consuetudo laudari potest: nullus hic personarum, nullus Regum aut principum respectus est habitus, erga quos, quantum quidem licet, Ecclesia, nec immerito indulgentior esse solet: quin eo gravius in ipsis principibus ejusmodi adulterini concubitus reprehensi, quo majus in populis scandalum commovebant: sic enim sæculo 9 *Nicolaus* I Pontifex Max. *Lotharium* Regem, duarum simul uxorum sponsum, palam reprehendere non est veritus, & quod *Lamechi* adulterium turpiter imitatus esset, publice accusare; nulla legum imperialium, si quæ contrariæ fuerint, reverentia præsules potuit a constitutis Evangelii dimovere: intelligebant quippe sacri custodes depositi, aliud Cæsaris, aliud Christi leges esse, neque fas esse illis istas cedere; sed in omnibus Dei edicta debere præponi: in tanto patrum, scriptorumve numero, qui per 1500 & amplius annos difficillimas quæstiones de matrimonio tractaverunt, nec unus occurrit, qui vel leviter a communi doctrina recesserit: sed, una omnium vox, unus sensus fuit, cum veritate Evangelii polygamiam constare non posse, & ne repudiata quidem propter fornicationem uxore, quamdiu illa vixerit, licere aliam ducere: qua de re præter cæteros consuli possunt, *Siricius* Pontifex Max. Ep. 2, *Innocentius* I Ep. 9, *S. Aug.* totis libris duobus de adulterinis conjugiis, ubi præter cætera hactenus memorata, aut quæ referri prolixius possent, sic loquitur: „ (*lib.* 2, „ *cap.* 9) Mulier alligata est, quandiu vir ejus „ vivit: ergo consequenter & vir alligatus est, „ quamdiu mulier ejus vivit: hæc alligatio facit, ut alii conjungi sine adulterina copulatione non possint: unde necesse est, ex duobus conjugibus quatuor adulteros fieri, si & „ illa alteri nupserit, & ille alteram duxerit; quamvis enim sceleratius mœchatur, „ qui non causa fornicationis uxore emissa alteram duxerit: quod genus adulterii commemoravit Matthæus: tamen non solum ipse „ mœchatur, sed sicuti est apud Marcum, „ *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam* „ *duxerit, adulterium committit super eam,* „ *& si uxor dimiserit virum suum, & alii* „ *nupserit, mœchatur*; & sicut est apud Lucam: *omnis qui dimittit uxorem suam, &* „ *ducit alteram, mœchatur; & qui dimissam* „ *a viro duxerit, mœchatur*: de quibus testimoniis jam satis in libro superiore disserui".

Merito ergo nefandum *Lutheri* consilium orbis Christianus exhorruit, quo, accitis ad deliberandum *Melanchtone*, & aliis suæ perfidiæ sociis, *Philippo* Landgravio Hassiæ author fuit, ut propria uxore superstite, infirmitatis ejus prætextu, uxorem alteram duceret. (*Vide Hist. Variationum lib.* 6) Ita nimirum scelestissimi homines qui toti cœlestes videri volebant, sub obtentu reformationis, Evangelium deformabant, conculcabantque! decebat enim vero novum vatem Lutherum, spretis scripturæ & traditionis oraculis, carmina non prius audita populis principibusque cantare!

§. SECUNDUS.

Diluuntur aliquot objectiones, quæ fieri possent.

Audienda nunc & confutanda sunt quæ contra has veritates torqueri possunt argumenta.

Objiciunt. Polygamia qua vir unus plures simul uxores in Thori consortium recipit, nihil habet quod legi naturali repugnare dici possit: ergo &c.

Probatur ant. verbis S. Aug. l. 22 contra *Faustum*, c. 47. *Quando mos erat*, inquit, *crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta: quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus hoc non licet?*

Consentit *Theodoretus* quæst. 67 in Genesim, ubi commixtionem Abrahæ cum Agar Ancilla sua, ea ratione excusat, *quod neque natura, nec ulla lex tum scripta plures ducere uxores prohiberet.*

Inde sic eruitur argumentum:

Quod neque contra naturam fit, neque contra mores, neque contra præcepta, nihil habet legi naturali contrarium. Atqui Aug. & Theodoreto Judicibus, Abrahæ, Jacob, aliorumque patrum polygamia neque contra naturam fuit, nec contra mores, nec contra præcepta: ergo &c.

Respondeo, nego ant. ad cujus probationem admitto auctoritates, & concessa maj. diversas minoris partes diversimode explico.

1. Veterum justorum polygamia contra naturam non fuit, *habita ratione finis primarii nuptiarum*, con. *finis secundarii*, subdistinguo: contra naturam non fuit, *propter divinæ dispensationis interventum*, con. *absolute*, n.

2. Patrum polygamia non pugnabat contra mores,

mores, *consequenter ad divinam revelationem, in Abrahami stirpe receptos*, con. non pugnabat contra mores, *in omnes ubique gentes, ipsa natura magistra inductos*, n.

3. Denique, antiquorum polygamia contraria præceptis non erat, *præceptis*, inquam, *lege aliqua positiva denuntiatis*, conc. min. ab ipsa *natura inditis*, n. min. & conseq.

Jam ut de singulis responsionibus aliquid dicamus, ne nimirum confictæ arbitrariæque videantur:

1. Negat S. Aug. Jacobi polygamiam contrariam naturæ fuisse, & merito quidem; habito namque primarii nuptiarum finis respectu, qui multiplicatio prolis est, ad illum plurimum polygamia conferebat, nedum ab ejus assecutione averteret.

Quod autem ad finem spectat matrimonii secundarium, cui non diffitemur contraire uxorum pluralitatem, attentis temporum circumstantiis, & præcipue fidelis populi augendi necessitate, conditore ipso naturæ dispensante, conqueri de sui violatione natura non poterat. Quod enim pietatis opus est, naturæ non adversatur. Atqui, ait S. Doctor supra laudatus, (*de bono conjug. c. 17*) *tunc ipsius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare, quia illius populi generatio, nuntia futurorum erat, & ad dispensationem Propheticam pertinebat . . .* (*ib. c. 19*) *de suis namque nuptiis filios propter Christum quærebant, ad genus ejus secundum carnem distinguendum ab omnibus gentibus.*

2. Quod ait moribus polygamiam Patriarcharum non repugnasse, ad amussim pariter verum est, si attenderimus S. Doctorem de iis tantum moribus loqui, qui in gentem Israeliticam, divina dispensatione introducti erant. *Si morem*, inquit, *consultas, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur.* Non ait S. Doctor omnium temporum, omniumque locorum hunc morem fuisse: sed, *illo tempore*, inquit, *atque in illis terris*, quo nimirum insinuet præter illud tempus, & extra illas terras ubi in populo Dei Messias expectabatur, polygamiam a peccato & gravissimo scandalo excusari non potuisse, propterea quod nec omne tempus, nec terras dispensatio divina complecteretur.

3. Demum quod adjicit, polygamiam præceptis contrariam non fuisse, manifestum est non de præceptis naturæ, sed de præceptis positiva aliqua lege sancitis, & scripto mandatis debere intelligi.

Quo sensu Theodoretus in objectione laudatus expresse dicit, ideo Abraham ab omni criminis suspicione immunem, *quia nulla lex scripta plures ducere uxores prohibebat*. Revera namque non sicut modo Christianis, ita sub lege naturæ aut scripta viventibus, expresso quodam mandato indictum erat, ut se a pluribus uxoribus continerent.

Instabis 1. De hujusmodi dispensatione, quod alicui concessa divinitus fuerit, ne levissimum quidem in toto veteri testamento vestigium est: gratis ergo fingitur; atque adeo vel *Calvino* consentiendum Abraham cæterosque antiquæ legis polygamos admissa uxorum pluralitate peccasse: vel ne impactæ Sanctis tanti meriti calumniæ arguamur, omnino fatendum cum lege naturæ polygamiam non pugnare.

R. Dist. ant. hujusmodi dispensationis nec minimum in veteri testamento vestigium reperitur, *ex ipso tamen facto certo eruitur quod concessa sit, aliundeque patrum traditione confirmatur*, conc. *secus*, n. ant. & conseq.

E. Responsio: Equidem nullibi expresse in antiquis Scripturis legimus, Deum dispensatione peculiari polygamiam Abrahæ, ejusque filiis ac nepotibus concessisse. Verum revera esse concessam inde certo eruitur, tum quod constet Abrahamum & plerosque alios sanctitate præcellentissimos Patriarchas plures simul uxores habuisse; tum quod certum sit eos eamobrem tamquam de admisso facinore nullibi reprehensos; tum denique quia quod scriptura tacuit, traditione docemur: hujus porro scripturarum silentii causam convenientem afferens S. Thomas: *qualis est lex*, inquit, (*Supp. qu. 65, art. 2, ad 3*) *talis debet esse dispensatio legis: & quia lex naturæ non est litteris scripta, sed cordi impressa; propter hoc non oportuit dispensationem eorum quæ ad legem naturæ pertinent, lege scripta dari, sed per internam inspirationem fieri.*

Instab. 2. lex naturalis nullam patitur dispensationem: sic enim quia mulieri plures simul habere maritos jure naturali vetatur, nulla potest concessione vinculum illud laxari. Vel ergo dicendum peccasse antiquos Patriarchas polygamiam admittendo, vel negandum uxorum pluralitatem juri naturali esse contrariam.

R. Dist. ant. jus naturale nullam patitur dispensationem, *quantum ad præcepta primaria*, conc. *quantum ad secundaria*, n. ant. & conseq.

E. D. Legis naturalis præcepta, ut prædiximus, alia primaria, alia secundaria sunt, quæ nimirum ab illis velut conclusiones a principiis derivantur. Primi equidem generis præcepta rectitudinis regulam ita necessario continent, nullus ut possit casus occurrere, quo prætermitti ea conveniat vel oporteat; atque adeo nec infractionem nec dispensationem admittunt, qualia sunt præcepta de diligendo Deo,

Deo, de non concupiscendo, &c. quæ vero secundi generis sunt, habent illa equidem rectitudinis honestique regulam; sed ita tamen, ut mutatis rerum personarumque circumstantiis, atque exigente fine naturæ primario, moderationem patiantur ac dispensationem, ejus nimirum a quo condita sunt interveniente auctoritate. Quamquam igitur polygamia in se spectata, jure naturali prohibita sit, quia paci domesticæ adversatur, & juri quod habet mulier in mariti corpus; desinit tamen contra jus pugnare, cum speciali Dei dispensatione permittitur ad fidelem populum propagandum. Eo namque casu postulat jus naturale, ut propter bonum publicum, & numerum Dei cultorum augendum, jus uxoris in viri corpus imminuatur.

Atque hinc patet ad exemplum e mulieribus adductum responsio. Quod enim fœmina quælibet, debeat esse univira, non dubitamus in præceptis naturæ primariis contineri; cum nihil magis fini matrimonii necessario, prolis nimirum susceptioni contrarium sit, quam fœdissima illa unius cum multis maritis commixtio. *Non sicut uni viro plures habere licebat uxores*, inquit S. Aug. (*lib. de bono conjug. c. 17*) *ita uni fœminæ plures viros, nec prolis ipsius causa, si forte illa parere posset, illa generare non posset. Occulta enim lege naturæ amant singularitatem quæ principantur: subjecta vero non solum singuli singulis, sed si ratio naturalis vel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur. Neque enim sic habet unus servus plures Dominos, quomodo plures servi unum Dominum. Ita duobus seu pluribus maritis vivis nullam legimus servisse sanctarum, plures autem fœminas uni viro legimus conjunctas, cum gentis illius societas sinebat, & temporis ratio suadebat: neque enim contra naturam nuptiarum est. Plures enim fœminæ ab uno virofœtari possunt, una vero a pluribus non potest.*

Instab. 3. Atqui si polygamia legi naturali quomodolibet adversetur, prolis multiplicatio non potuit esse causa sufficiens dispensationis: ergo &c.

Probat. subseq. si quando fuit humani generis propagationi per concessionem polygamiæ providendum, maxime sub mundi initium, & post diluvium generale; atqui nec in mundi nascentis primordio, nec statim a diluvio locum hujusmodi dispensatio habuit. Adam enim, Noe, & filii ejus, singuli singulis uxoribus juncti erant. Ergo vel non pugnat contra legem naturalem polygamia, vel si pugnat, dispensationem numquam admittit; atque adeo nequeunt a peccato Abraham & alii excusari.

R. Nego subseq. ad probat. dist. maj. si aliquando prolis multitudini concessione polygamiæ providendum fuit, maxime in mundi nascentis exordiis, & statim post generale diluvium; *aliundeque expediens aut facile erat*, n. *secus*, conc. & concessa min. n. conseq.

E. R. Deus Adamum uni conjunxit uxori, quia in eo voluit præscribere formam matrimonii perpetuam, qualem postulabat natura. Conveniens ergo non erat, eximi a lege Proto-parentem, ne videlicet posteri ejus putarent, polygamiam ab ipsa naturæ institutione profectam, cum multarum uxorum virum, primum hominem esse viderent. Quod vero de Adamo dictum, de proximis ejus filiis ac nepotibus dictum puta, tum propter rationem modo adductam, tum quia cum pari fere numero filii & filiæ nascerentur, vix poterant singuli præter quam singulas habere uxores. Jam quod de Noe, & filiis ejus adjectum est, nec speciem habet difficultatis. Cum enim inundatione generali tota foret exterminata Adami prosapia, *paucæque, idest octo animæ salvæ factæ essent*: (1 *Pet.* 3, 20) evidens est, non alias potuisse habere uxores, præter eas quas secum arca communi naufragio eripuerat.

Instab. 4, convenientem ideo diximus a Monogamia dispensationem, ut fidelis populi propagationi consuleretur. Atqui falsum est uxorum pluralitatem ad incrementum fidelium quidquam contulisse. Quos enim Abraham ex Agar Ancilla & ex Cethura genuit filios, ad fidelem populum non pertinebant, juxta hæc scripturæ verba: (*Gen.* 21, 12) *in Isaac vocabitur tibi semen*: ergo &c.

R. 1. Concessa maj. n. min. nam Jacob Patriarcha e. c. ex Lia & Rachel duabus uxoribus suis; item, ex duabus Ancillis Bala & Zelpha plures filios habuit, ut in Genesi, c. 29, & 30 narratur; atqui hi omnes in fideli populo numerati, variarumque tribuum Principes fuerunt. Merito ergo assertum, dispensandi causam communem fuisse fidelis populi propagationem. Quod enim de Jacob scriptura diserte dicit, quid obstat quominus de cæteris dictum putemus? quantum ad Abraham pertinet, de quo idem non possumus affirmare:

R. 2. Dist. maj. convenientem a Monogamia dispensandi causam inde petimus, quod foret propagationi fidelis populi consulendum, *& hæc indulgentiæ partialis causa fuit*, conc. *sola & adæquata*, n. maj. dataque eodem sensu minore, n. conseq.

E. R. Dispensandi duplicem causam passim Sancti Doctores insinuant, alteram quidem apertiorem, nimirum fidelis populi incrementum; alteram latentiorem, quod videlicet no-

væ legis mysteria uxorum numero præfigurarentur. Omnia namque veteri populo in figura & ænigmate contingebant, adeoque non verbis tantum, sed & factis ipsis Sancti Patriarchæ futura prænunciabant. Esto itaque in Abrahamo locum prima dispensandi ratio non habuerit; at habuit certe secunda, occulti nimirum cujusdam mysterii prænuncia figuratio. Unde Apostolus supra laudatus, *scriptum est*, inquit, (*Gal.* 4, 22) *quoniam Abraham duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de libera .... quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar .... Illa autem quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra &c.*

Instab. 5. Cum certum sit polygamiam simultaneam juri tum divino tum naturali repugnare; ii videntur propius ad veritatem accedere, qui peccasse antiquos patres affirmant, adulteriique reos fuisse, sibimet polygamiam permittendo, ergo &c.

R. Nego ant. cujus falsitatem quoniam supra multis modis in probatione tertiæ conclusionis ostendimus, non vacat eadem in præsenti argumenta recudere. Tantum hic observo tetram hanc contra Abrahamum aliosque antiquos justos Calvini calumniam, neminem esse Catholicum qui non detestetur; tamquam verbo Dei, & magnificis quæ ubique leguntur Abrahæ & aliorum encomiis, ipsique pietati contrariam. Quod autem Calvinus addit, accusationis atrocitatem veluti emolliens, Abrahæ & cæteris Patriarchis, quamquam adulteri fuerint, & legis naturalis violatores, hoc crimen eo quod essent prædestinati, non fuisse divinitus imputatum; quid, inquam, hoc est, quam errori putido, per novum errorem præsidium quærere? Quasi nimirum possit aliquis in cœlum admitti qui non sit justus! & quasi possit adulter sola externa non imputatione peccati, pro justo haberi! verum de hoc alias, alterius enim tractatus hæc quæstio est.

Instab. 6. Probando antecedens scripturæ & patrum auctoritate. Et quod ad scripturam quidem spectat, ancillas ex quibus Patriarchæ filios procrearunt, concubinas passim appellat. Significat ergo hujusmodi concubitus adulterinos illegitimosque fuisse.

Patrum vero de hac re testimonia multa occurrunt.

Sic *S. Leo* Pontifex Max. scribens ad *Rusticum* Episcopum Narbonensem (*Ep.* 92) postquam uxorem a concubina distinxit, & utriusque differentiam exemplo Saræ & Agar confirmavit; negat concubinam veram esse uxorem: unde infert eum non duplicare conjugium, qui concubinam habens, cum altera matrimonium contrahit. Pro certo itaque principio ponit, Agar non fuisse veram Abrahæ conjugem, atque adeo S. Patriarcham quando ei se commiscuit, sine dubitatione peccasse.

Concinit *S. Ambrosius* multis locis, præsertim vero l. 1 de Abraham c. 4: *ubi fortasse*, inquit, *dicat aliquis: quomodo Abraham nobis imitandum proponis, cum de Ancilla susceperit filium? aut quid sibi vult hoc esse, ut tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cujus tanta opera miramur? ... Non abnuo quod Abraham de Ancilla susceperit filium; ut cognoscas quoniam non superioris cujusdam naturæ ac substantiæ fuit Abraham, sed unus e numero & fragilitate universorum hominum ... Propositus est ad imitandum tibi, ut & tu advertas, quod si peccatis renunties, possis emereri Domini misericordiam .... Ergo Abraham & unus de populo erat gentili, & causa posteritatis introjerat ad Ancillam; quia uxor ejus sterilitatem suam obumbrare cupiens, auctor ejus facti fuerat viro: & tamen non otiosum est quod post hoc Deus statim, quia alia ejus opera probaret, vel hujus facti pœnitentiam: dixit illi*: Ego sum Deus tuus, emerere in conspectu meo, & esto sine querela. *Quasi adhuc plene non emeruisset, qui desperaret sterilis partum uxoris, & de Ancilla posteritatem quæreret*. Esto, *inquit*, sine querela, *hoc est irreprehensibilis, ut de te non quæratur uxor, nec quisquam tua facta reprehendat. Mutat enim nomen, littera addita, ut de Abram vocaretur Abraham, hoc est, de patre vano, sicut habet Latina interpretatio, vocaretur pater sublimis, pater electus: vel de patre fieret & pater filii. Vanus erat, cum Deum nesciret: electus factus est, postquam cognovit Deum. Pater erat cum de Ancilla prolem haberet: sed pater filii non erat, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo susceptus conjugio. Peperit Sara, & factus est pater filii.*

Ita S. Ambrosius. In hac porro ejus sententia pleraque veniunt observanda.

1. Quod Abrahæ cum Ancilla concubitum, *errorem*, hoc est, peccatum fuisse dicit.

2. Quod inde infert Abraham non superioris cujusdam naturæ substantiæve fuisse, quippe qui cæterorum hominum fragilitatem expertus sit.

3. Ideo nobis Abraham in exemplum esse propositum, ut peccatis, eius imitatione renuntiemus, & Domini possimus misericordiam promereri.

4. Quod de hoc facto pœnitentiam egerit Abrahamus.

5. Quod

5. Quod prole de Ancilla ſuſcepta, filii pater non fuerit, quia non erat ei filius, qui non erat legitimo ſuſceptus conjugio, quodque tunc ſolum pater filii eſſe cœperit, quando Iſaac de Saræ partu ſuſcepit. Quod quid aliud eſt, quam rotunde dicere Iſmael filium adulterinum, adeoque reum adulterii Abraham ipſum fuiſſe?

Addi ad argumenti robur poterat alterum ejuſdem S. Doctoris in libro *De Paradiſo* effatum, (*cap.* 13) ubi verba ſcripturæ: *aſſuerunt folia ficus & fecerunt ſibi ſuccinctoria*, (*perizomata*) (*Gen.* 3, 7) in ſenſum moralem inflectens: *Quicumque prævaricatur mandatum Dei*, inquit, *ſpoliatur atque nudatur*, *& fit ipſe ſibi turpis: vult ſe operire quibuſdam ficus foliis*, *fortaſſe quibuſdam inanibus vel umbratilibus ſermonibus*, *quos compoſitis mendaciis aſſuens*, *& verbum de verbo ſtruens*, *ad operiendam conſcientiam ſuæ mentis*, *factique velamen intexit*, *ut pudenda ſua contegat* .... *Et de ſcripturis divinis frequenter promit exempla*, *quibus juſtos in culpam perhibet incidiſſe*, *dicens ſi forte in ſtupris fuerit deprehenſus: & Abraham cum Ancilla concubuit*, *& David alienam adamavit*, *& ſibi adſcivit uxorem*.

Idem denique ſentit *S. Auguſtinus* in libris contra Manichæos, ubi crimen adulterii Abrahæ a Manichæis afflictum excuſare eo prætextu nititur, quod non impetu libidinis, ſed cauſa gignendæ prolis, ipſaque incitante uxore hoc fecerit. Ergo veroſimilior eorum opinio eſt, qui peccaſſe antiquos patres, reoſque adulterii fuiſſe affirmant, polygamiam admittendo.

℟. Sigillatim ad ſingula.

Ad 1 ex ſcripturà petitum, conceſſo ant. nego conſeq. & dico ineptum cavillandi hoc genus eſſe, quod ab unius vocis æquivocatione obtenditur: concubina enim aliter in ſanctis ſcripturis, aliter intelligitur ex uſu vulgari: equidem ad noſtrum loquendi morem *concubina* vocatur perdita mulier, quæ extra matrimonium turpem ſui viro copiam facit: in ſacris autem litteris, quæ concubinæ, eædem uxores vulgo dicuntur: ſic Geneſis c. 16, *Sarai uxor Abraham*, inquit author Sacer, (*Gen.* 16, 1, 3).... tulit *Agar Ægyptiam ancillam ſuam* ... *& dedit eam viro ſuo uxorem*: ib. c. 25. Cetura Abrahami uxor, uti revera erat, vocatur, & ſequente verſu concubinis ejus annumeratur: *Abraham*, inquit, (*Gen.* 25, 1, 6) *aliam duxit uxorem nomine Ceturam*.... *deditque Abraham cuncta quæ poſſederat*, *Iſaac*: *filiis autem concubinarum largitus eſt munera*, *& ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo*: ib. cap. 30, vers. 3. Bala ancilla dicitur Patriarchæ Jacob a Rachele in conjugium data: eadem ergo erat conjux, quæ concubina: ib. enim c. 35, vers. 22, ſic legitur: *abiit Ruben*, *& dormivit cum Bala concubina patris ſui*: eodemque ſenſu in libro Judicum c. 19, cujuſdam Levitæ conjux unica, nunc uxor v. 1, nunc concubina v. 10, & ſeqq. appellatur: immo in textu Hebraico, ſtatim ab initio capitis vox utraque jungitur: *fuit quidam vir levites*, inquit, ... *qui accepit ſibi uxorem concubinam ad Bethleem Juda*.

Ad 2, ex *S. Leone* adductum, conceſſo antecedente, diſtinguo conſeq. pro certo habet S. Doctor, Agar non fuiſſe veram Abrahæ conjugem, *quantum ad plenam juris uxorii poſſeſſionem*, conc. *abſolute* n. conſeq.

E. D. Apud Hebræos duo olim genera uxorum fuiſſe, compertum eſt: quædam enim ducebantur non ſolum ad liberos procreandos, ſed etiam ut in bonorum ſocietatem venirent, & ad rei familiaris curam, regimenque admitterentur: quædam non alia conditione nubebant, niſi ut filios parerent: cæterum a bonorum conſortio & domus adminiſtratione excluſæ manebant: quæ primi generis erant, re uxoria plene fruebantur, nam & liberæ erant, & matres familias, honoris ergo appellabantur, eorumque filii fundi paterni in ſolidum hæredes deſignabantur: quæ vero ſecundi erant, onus illæ portabant nuptiarum, quarum minime fruebantur honoribus: nam in ſervili plerumque conditione jacebant, nec matres familias dicebantur, nec eorum filii hæredes deſcribebantur: hanc porro Agar fuiſſe ſortem ex ſcriptura notum eſt, cum nec eſſe ancilla deſierit, nec Iſmael ejus filius Abrahæ hæres fuerit.

Jam ut ad S. Leonem redeamus, quando ſupponit Agar veram Abrahæ non fuiſſe uxorem, hoc unum intendit, jure uxorio plene non eſſe potitam: ſic enim ibidem loquitur: (*Ep.* 92 *ad Ruſt.*) " non omnis mulier juncta viro uxor eſt viri, quia nec omnis filius hæres eſt patris .... itaque aliud eſt uxor, aliud concubina: ſicut aliud ancilla, aliud libera: propter quod etiam Apoſtolus ad manifeſtandam harum perſonarum diſcretionem teſtimonium ponit ex Geneſi, (c. 21, v. 10) *ejice ancillam hanc & filium ejus*, *non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac* ... " Itaque S. Doctor non alia cauſa affirmat Agar veram uxorem Abrahæ non fuiſſe, quam quia aliunde licet Abrahæ vero matrimonio juncta, ejus non fruebatur honoribus.

At, *inquis*, ib. S. Leo, Agar exemplo propoſito, negat ſervam concubinam pro vera uxore habendam; indeque veluti rem certam eruit,

eruit, posse ab eo nuptias contrahi, qui tali in præteritum concubina potitus sit: *aliud est uxor*, ait, *aliud concubina*; *sicut aliud ancilla*, *aliud libera*: absolute ergo titulo matrimonii concubinam excludit.

R. Concesso antec. n. conseq. hoc enim S. Doctor dicit, habita ratione disciplinæ quæ jam suo tempore invaluerat, qua a nuptiis valide contrahendis arcentur quæ juris sui non sunt, stricte dicto servitio mancipatæ: haud ergo immerito statuit, qui hujusmodi servam concubinam habet, quandoquidem verum cum illa matrimonium numquam fuit, legitimas cum altera nuptias inire posse, *nisi forte*, inquit ib. *serva illa mulier*, *ingenua facta*, *& dotata legitime*, *& publicis nuptiis honestata esse videatur*: in hoc enim casu dubium de tali matrimonio, quin ratum esset ac legitimum, nullum foret.

Ad 3, ex *S. Ambrosio* R. cum distinctione: commixtionem Abrahæ cum Agar adulterium vocat, *per concessionem*, *& quasi aliorum non improbando sententiam*, concedo: *affirmando*, *& ex propria mente loquens*, n. antec. & conseq.

F. R. In hoc ipso capite, ut prædiximus, S. Ambrosius omnem ab Abrahamo adulterii suspicionem duabus potissimum de causis repellit.

1. Quia studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis cum ancilla conjunctus est: *adhuc enim post diluvium*, inquit, *raritas erat generis humani*: *erat etiam religionis*, *ne quis non reddidisse debitum videretur naturæ*.

2. Quia in duplicato Abrahami conjugio utriusque testamenti mystica præfiguratio erat, nedum aliqua spurcitiæ labe aspergeretur: *quod ergo putas esse peccatum*, ait, *advertis esse mysterium*, *quo ea quæ posterioribus erant futura temporibus*, *revelabantur . . . . agnoscamus ergo quoniam hæc quæ in figura contingebant*, *illis crimini non erant*.

Quando itaque orationis decursu videtur accusationi adulterii aliquatenus consentire, illudque; si aliquod fuerit, dicit pœnitentia expiatum; non ex propria, sed ex aliorum mente per concessionem dictum putari debet: quæ respondendi ratio Theologis ipsisque patribus haud insolens est, quando difficultas aliqua ad propositum nihil facit: eoque minus mirandum, fuisse S. Doctorem in vindicando ab adulterio Abraham negligentiorem, quod ad catechumenos verba faceret, quos operæ pretium erat a pellicatu vehementissime deterrere, quibusque exemplum Abrahæ poterat prætextum offerre libidinis, si ab omni crimine purus dictus fuisset; itaque Ambrosiani ratiocinii hæc vis est: esto errori ac peccato obnoxius Abraham fuerit, cum ancilla concumbendo; at eum certe facto pœnituit, nec aliter poterat Deum promereri: quanto magis vobis catechumenis, in nova lege ab omni specie adulterii est cavendum, ne Dominum irritetis?

Quod porro ejusdem S. Doctoris ex libro *de Paradiso* affertur, præter quam quod pari ratione potest de simplici concessione intelligi; manifestum est, non ex propria mente ab illo dictum, sed ex eorum sententia, qui, ut propheta loquitur, excusant excusationes in peccatis: hic enim loquens peccator inducitur, qui *ut pudenda sua contegat*, *de scripturis divinis promit exempla*, *dicens*, *si forte in stupris fuerit deprehensus*: *Abraham cum ancilla concubuit*, *& David alienam adamavit*, &c.

Ad 4, ex S. Aug. conc. ant. concedo, inquam, quod adulterii crimen ab Abraham hac ratione depellat, quia non impulsu libidinis, sed causa gignendæ prolis, ipsaque volente Sara ad Agar accessit: sed nego conseq. inde videlicet ex mente S. Aug. consequens, quod Agar Abrahæ vera uxor non fuerit: nam quod S. Patriarcha ab omni adulterii suspicione immunis sit, duplex potissimum ex August. est causa:

1. Eaque præcipua, quia Agar revera ejus uxor fuit: 2 quia ad duplicandum conjugium, non libidinis impetu, sed sancto gignendæ prolis ardore, ipsaque suadente Sara inductus est: primam causam sæpe affert S. Doctor, nominatim vero l. 22 contra *Fastum Manichæum*, c. 47, supra laudato: & libr. 16 *de civitate Dei* c. 38, ubi ex professo docet, Sanctos Patriarchas, plures simul veras uxores habuisse: secundam vero contra Manichæos intorquet, qui Abraham, aliosque veteres justos impotentis libidinis accusabant: sic in hoc ipso libro contra *Fastum*: (*lib. 22*, *cap. 47*, *& seq.*) *quia homines*, inquit, *aliter se habentibus jam moribus*, *non possunt delectari uxorum multitudine*, *nisi libidinis magnitudine*: *ideo errant*, *& putant haberi omnino non potuisse uxores multas*, *nisi flagrantia concupiscentiæ carnalis*, *& sordidæ voluptatis*: *comparantes enim*, *non alios quorum animi virtutem prorsus nosse non possunt*, *sed sicut ait Apostolus* (*2 Cor. 10, 12*) *semetipsos sibimetipsis*, *non intelligunt*: *& quia ipsi etiam si unam habuerint*, *ad eamdem non solum generandi officio ducti viriliter accedunt*, *sed sæpe coeundi stimulo victi*, *enerviter pertrahuntur*: *quasi veraciter sibi videntur conjicere*, *quam majore hujusmodi morbo per multas alii captiventur*, *quando se vident in una temperantiam non posse servare*: *verum nos eis qui hanc virtutem*

non

non habent, ita de sanctorum virorum moribus judicium committere non debemus, sicut de ciborum suavitate ac salubritate judicare febricitantes non sinimus . . . . . proinde isti si volunt, non falsæ atque adumoratæ, sed veræ ac solidæ pudicitiæ capere sanitatem; divinæ scripturæ tamquam fortis medicinalibus credant, non frustra tam magnum honorem sanctitatis tributum quibusdam viris, etiam plures uxores habentibus, nisi quia fieri potest, ut imperator carnis animus tanta temperantiæ potestate præpolleat, ut genitalis delectationis motum insitum naturæ mortalium, leges impositas non permittat excedere.

Inst. 7. Esto sane, *inquiet aliquis*, inexcusabilis *Calvini* sycophantia sit, qui Manichæos secutus, Abrahæ aliisque antiquis sanctis affingere crimen adulterii non erubuit; non ita facile videtur contrariam *Lutheri* opinionem refellere, qui ab omni spurcitiæ suspicione Abraham & cæteros ita vindicavit, ut quod illis antiquitus licuit, etiam in nova lege, raro equidem, sed aliquando tamen, juste atque inculpate permitti posse contenderit, reveraque *Philippo* Landgravio Hassiæ permiserit: hoc enim nisi concedimus, tum rigoris nimii Evangelium accusimus, tum homines qui continere non poterunt, in inevitabilem damnationem pertrahimus: quid enim si quis primam uxorem propter adulterium e Thoro dimiserit, vel ei propter lepram, aut aliam quamvis causam cohabitare non debeat, aliunde vero matrimonio carere non possit; numquid adeo barbari erimus, ut ei alterius uxoris consortium denegemus, quod permittendum natura dictat, quodque interventu contractus nuptialis futurum legitimum religio persuadet? cum itaque jugum Christi suave sit, nec minus in nova lege, quam in veteri hominum incontinentiæ sit provisum: fatendum certis saltem casibus, posse secundas nuptias, primis nondum solutis, indulgenter condonari.

R. Contra veritatem Evangelii humana ratiocinia nihil posse, Christi sententia est: *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimissam a viro ducit, mœchatur*; quisquis ergo prima uxore vivente, dicit posse duci alteram, Evangelio contradicit: nec cuiquam adversa Lutheri doctrina probabitur, nisi cui nefarii hominis pseudogmata, magis quam Christi oracula arridebunt: porro qui opponitur prætextus incontinentiæ vanissimus est, ab Aug. verbis præclarissimis refutatus.

,, Respondes mihi, *inquit*, (*de Adult. conj. l. 2, c. 10*) continenter vivere paucorum
,, est: & ideo qui fornicantes conjuges dimiserunt, quoniam non possunt reconciliari,
,, tantum se vident periclitari, ut legem Christi non humanam, sed feralem pronuntient.
,, O frater, quantum ad incontinentes pertinet, multas querelas habere possunt, quibus, ut dicis, legem Christi feralem pronuntient, non humanam: & tamen non
,, propter illos Evangelium Christi pervertere vel mutare debemus: te quippe sola eorum querela permovet, qui conjuges causa
,, fornicationis intercedente dimittunt, si alias ducere non sinantur: quoniam continere paucorum est, atque ad id debent lau-
,, de exhortari, non lege compelli; itaque si
,, dimissa adultera, non ducitur altera, justam querelam, sicut putas, habebit hominum incontinentia: sed attende quam plura
,, sunt, ubi si querelas incontinentium velimus admittere, necesse nobis erit adulteria
,, facienda permittere: quid si enim aliquo
,, diuturno & insanabili morbo corporis teneatur conjux, quo concubitus impediatur?
,, quid si captivitas vel vis aliqua separet,
,, ita ut sciat vivere maritus uxorem cujus
,, sibi copia denegatur: censesne admittenda
,, incontinentium murmura, & permittenda
,, adulteria? . . . nonne lex Christi incontinentibus displicet, qui uxores litigiosas,
,, injuriosas, imperiosas, fastidiosas, & ad
,, reddendum debitum conjugale difficillimas,
,, repudio interposito abjicere volunt, & alteras ducere? jam ergo quia istorum incontinentia legem Christi horruit, ad eorum
,, lex Christi arbitrium commutanda est? jam
,, porro si maritum relinquat uxor, vel maritus uxorem, non causa fornicationis, sed
,, potius continentiæ, sitque incontinens cui
,, repudium propter hoc datur, quæro utrum
,, non erit adulter vel adultera, si alteri copulatur? si, non erit, dicitur, Domino
,, contradicitur, cujus hæc verba sunt . . . .
,, *omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat* . . . . .
,, numquid hic legem Christi dicimus inhumanam, qua constituitur rea tanti criminis,
,, atque punitur, quam vir nulla ejus præcedente fornicatione dimisit, & quia paucorum est continere, dimittendo compulit nubere? cur non hic dicimus habendum esse
,, pro mortuo, qui male dimittendo, prior
,, conjugale vinculum rupit? . . . quid enim
,, videtur justius hujus mulieris querela, quæ
,, dicit, dimissa sum, non dimisi, & quoniam
,, continere paucorum est, non me continui,
,, ne fornicarer nupsi, & dicor mœchata quia
,, nupsi? numquid propter hujus quasi justam

„ querelam, legem censebimus immutandam
„ esse divinam, ut istam non judicemus adul-
„ teram? absit: sed respondebis non eam de-
„ buisse dimitti, quia fornicationis nulla cau-
„ sa præcesserat: verum dicis: nam peccatum
„ mariti ejus Dominus expressit, ubi ait: *qui*
„ *dimiserit uxorem suam, excepta causa for-*
„ *nicationis, facit eam mœchari*: sed num-
„ quid ista ideo nubendo postea non peccavit,
„ quia prius dimittendo ille peccavit? quid
„ ergo ei prodest, quod de lege Christi mu-
„ lier incontinens quæritur, nisi ut murmu-
„ rans puniatur? „

Ita S. Aug. multis ante sæculis impia *Lutheri* commenta refellens, ostendensque legem Christi nullis interpretamentis, nulla tergiversatione eludi posse, omnemque esse adulterum, qui vivente legitimo conjuge ad nova vota transire præsumit.

Inst. 8. Imperator Valentinianus referente Socrate (*hist. l.* 4, *c.* 20) legem tulit, *ut cuicumque volenti liceret duas uxores habere legitimas, eamque in singulis civitatibus divulgavit*: quin & exemplo suo novæ sanctioni auctoritatem adiecit: nam prima uxore sua Severa adhuc in vivis agente, alterum cum Justina matrimonium iniit: ergo tunc non putabatur Polygamiam simultaneam Evangelio repugnare.

R. 1. Socratem in hoc capite, ut in aliis non paucis, quæ contra historiæ veritatem, nullo allegato teste nullo fultus instrumento effutiit, omni auctoritate carere: de hac sane lege nec S. Hieronymus, nec Orosius, nec alii scriptores Latini qui Valentiniani ætate vixerunt, mentionem ullam fecere, cum hujus memorandæ causam sæpe habuerint, iis præsertim in locis ubi de Polygamia tractaverunt: de ea pariter silent, Sozomenus, Theodoretus, Ammianus, Zozimus, & denique omnes sive Ethnici, sive Christiani scriptores coætanei, vel suppares Valentiniano: indignus ergo est Socrates cui credatur, plusque valet cæterorum silentium ad inficiandum, quam unius affirmatio ad consentiendum.

R. 2. Data ant. n. conseq. nequit enim humana lex divinas sanctiones infringere: si quid ergo ad tolerantiam Polygamiæ a principe sæculari legitur alicubi divulgatum, non ideo titubat lex divina a summo Imperatore Christo pro omnibus lata: *nemo*, inquit S. Ambrosius, (*de Abraham lib.* 2, *c.* 4) *sibi blandiatur de legibus hominum: omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet: eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia: quidquid in eam quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine* . . . . (*ib. c.* 7) *nulli licet scire mulierem, præter uxorem: ideoque conjugii tibi datum est jus, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas; vinctus es uxori? noli quærere solutionem, quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere: nam & aliam quærere cum habeas tuam, crimen est adulterii, hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam*.

Inst. Ultimo. *Gregorius* II Pontifex Max. de quodam marito consultus, cujus mulier propter infirmitatem vacare operi conjugali non poterat, novas ei nuptias etiam prima uxore vivente concessit: *proposuisti*, inquit ep. 14 ad Bonifacium, *si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit*: existimabat ergo sum. Pontifex posse inculpate matrimonium duplicari.

R. 1. Admissa auctoritate, dist. conseq. existimabat posse nuptias duplicari, *propter prioris matrimonii nullitatem*, concedo: *secus*, n. conseq. Coeundi impotentiam, quæ hujus nominis vera sit, naturalis nimirum, non adventitia, aut morbo superveniente contracta, impedimentum apponere matrimonio ineundo, initumque dirimere, constans est & in ipso jure naturæ fundata sententia: nihil porro obstat quominus *Gregorii* II rescriptum de hujusmodi infirmitate accipiamus, quæ matrimonium præcessisset, quæque mulierem ad nuptiale officium absolute inhabilem redderet: atque adeo non stupendum, si novas viro ejus nuptias indulserit, hoc ei tantum imposito onere, ut priori uxori putatæ, quamvis non esset, opem subsidii, non stricto debito, sed caritatis officio non subtraheret: nihil ergo in illo decreto est, quo Lutheri causa juvetur: quod si quis contendat pugnaciter, Pontificem non de impotentia naturali, sed de accidente infirmitate consultum, propter quam mulier reddere debitum viro non amplius posset:

R. 2. Admitto totum argumentum, & dico rescriptum hoc de eorum numero esse, quæ summis interdum Pontificibus, ut privatis doctoribus, exciderunt, quæque adeo vim legis aut robur aliquod habere nequaquam possunt: sane ab 8 sæculo quo vixit *Gregorius*, nemini unquam in mentem venit Polygamiam ejus auctoritate defendere; sed judicatum ab omnibus decretum illud vel debere ad sensum catholicum emolliri; vel si non posset aliter quam de infirmitate accidentaria accipi, debere ab omnibus rejici, quia sacris canonibus, & Evangelicæ constitutioni contrarium.

§. TER-

Digitized by Google

§. TERTIUS.

Nonnulla dubia explicantur.

Q. 1. Quo primum tempore antiquis Patriarchis concessum, inculpate plures simul uxores habere?

R. Primam hujus dispensationis epocham diluvio esse posteriorem: unus enim qui ante hæc tempora legitur fuisse Polygamus, Lamechus nimirum, doctorum sententia, ut prædictum est, adulterii reus fuit: itaque primæ in hac re dispensationis origo ab Abraham repetenda, nec aliud hujus dilationis causam petenti quod respondeatur occurrit, nisi divina voluntas, cui non ante lubuit mysteria novæ legis, binis Patriarcharum nuptiis præfigurari; vel longævitas hominum qui hoc tempore poterant prolis multiplicationi, annoso ævo degentes, sine uxorum pluralitate prospicere.

Q. 2. Utrum indulgentia hæc ad omnes promiscue homines, etiam qui de Abrahami prosapia non essent, extenderetur?

R. De hac re Theologos diverse sentire: sunt qui affirmant, generalem fuisse concessionem, non Hebræis tantum, sed & Gentilibus indifferenter indultam: sunt e contra quibuscum stamus, qui negant ad alios quam ad Patriarchas, eorumque posteros respexisse.

Et vero, ut ex *Innocentio* III prædictum est, nemini unquam licuit plures simul habere uxores, nisi cui fuit divina revelatione concessum: porro improbabile est revelationem hanc omnibus indiscriminatim gentibus factam.

Deinde, hujus dispensationis duplex, ut prænotavimus, causa fuit, fidelis nimirum populi incrementum, & occulti cujusdam mysterii præfigurata significatio; atqui neutra in populis infidelibus, veræque religionis expertibus locum habuit: ergo &c.

Præterea, hoc ipsum ostendit discrimen quo dispensatio a lege ab ejusdem abrogatione secernitur: abrogare legem, idem est ac rescindere, & in irritum mittere: dispensare a lege est, ab ejus observatione facere aliquem speciali favore immunem: hæc vero gratia confirmat legem, non destruit, quia ut in juris axiomate est, *exceptio firmat legem*: igitur si dispensatio a Monogamia ad omnes universim populos respexisset, magis abrogatio quam dispensatio a lege fuisset.

¶. *Denique*, lex Evangelica in Gentilium matrimonio nihil mutavit: igitur si ante Evangelii prædicationem, legitimæ fuissent eorum cum multis simul uxoribus nuptiæ, tales etiamnum forent, atque adeo immerito ab Ecclesia post susceptionem baptismi dissolverentur.

Haud abnuo quidem hujusmodi argumenta a N. A. prolata magnam habere vim ad ejus sententiam adstruendam. Non ea tamen sunt, nisi me fallant omnia, quæ e sua probabilitate dejiciant contrariam opinionem, quam defendit Bellarminus *l.* 1 *de matrim. c.* XI cum aliis. Hæc porro opinio nititur authoritate scripturæ, quæ narrat, nedum Abrahæ posteros, sed etiam Esau successores, qui extra Dei populum erant, plures accepisse uxores, quin eos unquam redarguat. Nititur etiam facto Estheris, quæ cum Assuero Rege infideli, & uxorato matrimonio copulata est, tota plaudente, ac exultante Hebræorum natione. Profecto non ita exultasset ob hoc matrimonium Judæorum natio, si vetitum Assuero fuisset plures simul habere uxores: immo nec Esther ipsa, quæ summa pietate pollebat, & Mardochæus vir timens Deum in tale connubium consensissent. ¶

Q. 3. Si quis ab infidelitate ad Christum plures habens uxores conversus fuerit, qua ratione cum illo agendum?

R. Ex Ecclesiasticis canonibus compellendum, ut dimissis cæteris, eam solam retineat, quæ reliquas in matrimonio obeundo præcessit: nec enim permitti ei potest ullam nisi veram habere uxorem; atqui ex ipso jure naturali certum est, hanc solam veram esse uxorem, cum qua primo contractum est; cæteras vero fuisse & etiam num esse adulteras: hac ergo conditione ad Catechumenatum & ad baptismum admitti debet, ut rejectis cæteris, ei uni affectu maritali adhæreat: *quia Pagani*, inquit Innocentius III (*extra de divortiis cap.* Gaudemus) *circa plures insimul fœminas affectum dividunt conjugalem, utrum post conversionem omnes, vel aliquam ex omnibus retinere valeant, non immerito dubitasti, verum absonum videtur hoc, & inimicum fidei Christianæ; cum ab initio una costa in unam fœminam sit conversa, & Scriptura divina testetur, quod propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: non dixit tres, vel plures, sed duo: nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori: veridica hæc sententia probatur etiam testimonio veritatis testantis in Evangelio: quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo uxore dimissa duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta, &c.*

Sequitur

C A-

CAPUT SECUNDUM.

De Polygamia successiva, utrum sit matrimonii naturæ contraria?

POlygamiam successivam, id est, iteratas a morte prioris conjugis nuptias damnarunt,

1. Hæretici *Montanistæ*, ut refert S. Aug. in libro de hæresibus, hær. 26.

2. *Tertullianus*, qui deserta veritate Catholica, magno fidelium scandalo Montanistarum partes amplexus est: scripsit enim de Monogamia librum, ubi in ipso limine contra Catholicos invectus: *Hæretici* (*Marcionitæ*) inquit, *nuptias auferunt*: *Psychici*, (carnales sive animales; ita enim Catholicos per contemptum vocat) *ingerunt: illi nec semel, isti non semel nubunt . . . verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est; neque licentia defendenda, quia psychica est: illa blasphemat, ista luxuriat: illa destruit nuptiarum Deum, ista confundit.*

3. *Novatiani* hæretici, qui ut narrat Theodoretus l. 3 hæretic. fabularum c. 5, secundas nuptias obeuntes a sacris mysteriis repellebant. Adversus illos sit

§. PRIMUS.

Demonstratur polygamiam successivam bis, ter, quater, & amplius repetitam, nihil habere jure divino, aut matrimonii naturæ contrarium.

PROBATIO PRIMA.

Ex novo Testamento.

De veteri nemo dubitat, quin polygamiam successivam concesserit: quibus enim a Deo permissum erat plures simul habere uxores, multo magis liberum erat defunctis primis conjugibus ad secunda vota transire: hinc in Gen. legitur, (*Gen.* 25, 1) quod Abraham mortua Sara *Ceturam* duxit: nec alia desunt exempla quæ proferre in promptu foret, nisi confessa apud omnes hæc veritas esset.

Itaque solis Novi Testamenti sententiis insistemus, quas monogamiæ defensores hæretici, aut obaudire nolebant, aut fœdissime corrumpebant.

Et 1 quidem huc pertinent oracula Christi in Evangelio, (*Matth.* 19, 3, & *seq. Marc.* 10, 11. *Luc.* 16, 18) ubi eos tantum de adulterio arguit, qui dimissis, adhucque viventibus conjugibus suis, alias ducunt: supponit ergo abrupto per alterutrius mortem sacro vinculo, liberum superstiti esse novas nuptias fœderare: alioquin enim & illos & istos eadem damnationis sententia, quod erat facillimum, conclusisset.

2. Quod ex verbis Christi sponte infertur, Apostolus præclarissime proponit & explicat: *Quæ sub viro est mulier*, inquit, (*Rom.* 7, 2) *vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Et alibi; (1 *Cor.* 7, 39) *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium* . . . (*Ib. v.* 8, & *seq.*) *dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant: melius est enim nubere quam uri.*

Et alio in loco: (1 *Tim.* 5, 14) *Volo ergo juniores* (*viduas*) *nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

Inde sic argumentum instauro:

1. Si polygamia successiva illicita foret, fornicationis & adulterii rea esset mulier, quæ defuncto marito, matrimonium novum iniret; atqui expresse declarat Apostolus, liberatam esse a lege viri, ita ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Ergo &c.

2. Nullum flagitium *in Domino*, hoc est, religiose committi potest: quis enim sapiens dixerit, posse aliquem in Domino esse furem, aut homicidam? atqui Apostolo judice potest mulier defuncto viro, cui voluerit inculpate nubere, modo in Domino nubat. Ergo &c.

3. Continere se a re intrinsece & necessario mala, non est consilium, sed præceptum: atqui ex Apostolo a secundis nuptiis abstinere consilii est, non præcepti: *Beatior*, inquit, *erit, si sic permanserit secundum meum consilium.*

4. Si nuptiæ sæpius repetitæ legi divinæ adversarentur, non diceret Apostolus velle se juniores viduas nubere, filios procreare, Matres-familias esse: qualis enim videretur ille tibi esse discipulus, qui id quod a Magistro & Domino vetitum sciret, concedere & approbare præsumeret? atqui *volo*, inquit, id est, *consulo junioribus viduis nubere, ut nullam occasionem dent adversario maledicti gratia.* Ergo &c.

5. Matrimonium ex Apostolo remedium est contra incontinentiam, viduis ipsis divinitus præ-

Digitized by Google

præparatum. Ergo repetere nuptias non est infringere jus divinum.

PROBATIO SECUNDA.

Specialius ostenditur polygamiam successivam nihil habere juri divino contrarium.

Jus divinum vel in lege naturali, vel in Mosaica, vel in Evangelica continetur; atqui polygamia successiva non adversatur

1. Legi naturali. Quod enim fini matrimonii contrarium non est, neque naturæ ejus adversum, contra naturalem legem non pugnat: atqui polygamia successiva, non est matrimonii naturæ contraria; definitio enim conjugii superius data, tam secundis nuptiis convenit quam primis: non pugnat pariter cum matrimonii fine, prolis scilicet susceptione & educatione. Ergo &c.

2. Non contradicit legi Mosaicæ, in qua secundas nuptias approbatas, tum consuetudo veterum Patrum demonstrat, nullibi in primi Testamenti libris reprehensa: tum ea loca evincunt, ubi Judæo cuivis præcipitur, sive virgo sit, sive viduus, sive conjugatus, in matrimonium ducere mulierem, quam frater absque liberis, moriendo reliquerit.

3. Denique polygamiam successivam Evangelio consentaneam esse, nedum repugnet, ex Apostolica auctoritate modo citata apertius est, quam ut possit in dubium mitti. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex traditione & perpetuo Ecclesiæ usu.

Accedit doctrina & praxis Ecclesiæ quam ipse *Tertullianus* agnovit, antequam ad Montani hæresim defecisset: ad uxorem enim sic loquitur: (*lib. 2 ad uxor. cap. 1*) *Apostolus de viduis quidem & innuptis ut ita permaneant suadet, cum dicit: cupio autem omnes meo exemplo perseverare: de nubendo vero in Domino cum dicit*: tantum in Domino: *jam non suadet, sed jubet*... " itaque juxta Tertullianum Catholicum, quod viduæ novas non ineant nuptias, Apostoli consilium est: quod vero si nubant, in Domino nubant, connubia videlicet cum infidelibus non miscendo, præceptum est.

S. Clemens Alex. 3 pariter sæculi Scriptor: *si cui Apostolus*, inquit, (*lib. 3 Stromat.*) *propter intemperantiam & ustionem ex venia secundum concedit matrimonium; hic quidem non peccat ex Testamento, non est enim lege prohibitus: non implet autem summam illam perfectionem, quæ agitur ex Evangelio.*

Scriptor longe antiquior libri cui titulus *Pastor*, ab ipso Tertulliano sæpe laudatus: *si vir vel mulier decesserit*, inquit, *& qui superest nupserit, numquid peccat? qui nubit non peccat.*

Concilium Nicænum I, can. 8: *eos*, inquit, *qui se Catharos, id est puros nominant, si aliquando ad Catholicam & Apostolicam Ecclesiam redierint .... præ omnibus scripto profiteri oportet, quod consentient & sequentur dogmata Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, id est, quod & cum digamis communicabunt, & his qui in persecutione lapsi sunt, &c.*

Concilium *Laodicenum* can. I: *secundum Ecclesiasticum canonem*, inquit, *iis qui libere & legitime binis nuptiis juncti sunt, neque clandestinum matrimonium inierunt, exiguo tempore elapso, postquam precibus & jejuniis vacaverint, secundum indulgentiam communionem reddi definimus.*

S. Ambrosius: *non prohibemus*, ait, (*lib. de Viduis*) *secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas: neque enim quidquid licet, hoc ipso decet; omnia mihi licent, dicit Apostolus, sed non omnia sunt utilia.*

S. Basilius: *quæ in viduitate*, inquit, (*Ep. ad Amphil. can. 51*) *potestatem sui habet, ita ut viro cohabitet, ab omni culpa libera est, cum Apostolus dixerit: si mortuus fuerit vir ejus, libera est, cui vult nubat', tantum in Domino.*

S. Augustinus: *ne arbitreris*, inquit, (*lib. de bono Viduit. c. 11*) *vel secundas nuptias, crimen esse, vel qualescumque nuptias, cum sint nuptiæ, malum esse: non itaque illas te damnatas velim esse, sed spretas.*

Et in libris *de Civit. Dei* explicans cur Abraham centenario major, *Ceturam* defuncta Sara uxorem acceperit: *quid si hoc*, inquit, (*de Civit. Dei lib. 16, c. 34*) *provisum est contra hæreticos, futuros secundarum adversarios nuptiarum; ut in ipso Patre multarum gentium, post mortem conjugis iterum conjugari demonstraretur non esse peccatum?*

S. Hieronymus Ep. 50 ad Pammachium, quæ apologia est pro libris contra Jovinianum a S. Doctore editis: *aperiant*, inquit, *aures obtrectatores mei, & videant me secundas & tertias nuptias concessisse in Domino: qui secundas & tertias nuptias non damnavi, primum potui damnare matrimonium? ... ergo etiam nunc libera voce proclamo: non damnavi in Ecclesia digamiam, immo nec trigamiam: & ita licere quinto & sexto & ultra, quomodo & secundo marito nubere; sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur ... non damno digamos, immo nec trigamos, &, si dici potest, octogamos: habeat*

beat cui liber octavum maritum , & esse desinat prostituta.

Et Ep. ad *Ageruchiam* viduam : (*Ep.* 11, *c.* 3) *quid igitur ? damnamus secunda matrimonia? minime, sed prima laudamus: abjicimus de Ecclesia digamos? absit: sed monogamos ad continentiam provocamus . . . rem dicturus sum incredibilem , sed multorum testimoniis approbatam: ante annos plurimos cum in chartis Ecclesiasticis juvarem* Damasum *Romæ urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem; vidi duo inter se paria vilissimorum e plebe hominum comparata , unum qui viginti sepelisset uxores, alteram, quæ vigesimum secundum habuisset maritum; extremo sibi, ut ipsi putabant matrimonio copulatos: summa omnium expectatio virorum pariter ac fœminarum , . . . quis quem prius efferret: vicit maritus, & totius urbis populo confluente, coronatus & palmam tenens . . . uxoris multinubæ feretrum præcedebat.*

Mitto *S. Joannem Chrys.* hom. 19, & 20 in Ep. ad Ephesios: *S. Epiphanium* hær. 48, & 59: *Theodoretum*, hæretic. fabularum l. 5, c. 26, & alios longe plures , qui secundas & ulteriores nuptias approbant , licet continentiam & sanctam viduitatem merito asserant præferendam.

Unum addo ad coronidem *Eugenium* IV Pontificem Max. in decreto pro instr. Armenorum, ubi, *quoniam*, inquit, *nonnullos asseritur quartas nuptias tamquam condemnatas respuere, ne peccatum ubi non est, esse putetur . . . declaramus non solum secundas , sed etiam tertias , & quartas , atque ulteriores , si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse : commendatiores tamen dicimus , si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint; quia sicut viduitati virginitatem, ita nuptiis castam viduitatem laude ac merito præferendam esse censemus.* Ergo &c.

§. SECUNDUS.

Refelluntur objectiones.

Objicitur : Polygamiam successivam divinæ legi esse contrariam, antiquis videtur canonibus declaratum.

Sic enim Concilium *Neocæsareæ* in Cappadocia Asiæ minoris Provincia anno 314 habitum can. 3 , eos qui pluries nupserint pœnitentiæ publicæ subjicit : *de his* , inquit , *qui in plurimas nuptias inciderunt , tempus quidem* (pœnitentiæ) *præfinitum manifestum est: sed conversatio eorum & fides tempus abbreviat.*

Et can. 7 , prohibet Presbyteris , ne bigamorum nuptiali convivio præsentes adsint , eo quod bigami pœnitentia egeant : *Presbyter* , inquit , *in nuptiis ejus qui digamus efficitur , ne convivetur: cum enim requirat pœnitentiam digamus , qui erit presbyter , qui eo quod sit convivio acceptus, nuptiis assentiatur?*

Inde sic eruitur argumentum:

Illi credunt polygamiam successivam esse divinæ legi contrariam , qui digamos pœnitentia plectendos decernunt ; non enim pœnitentia nisi propter peccatum infligitur; atqui digamos esse pœnitentia castigandos Neocæsariensium Patrum sententia est. Ergo &c.

℞. nego ant. ad probat. admitto canones & dist. maj. illi censent polygamiam esse divinæ legi contrariam , qui digamos pœnitentia plectendos decernunt , *propter ipsas in se nuptias, quasi eas repetere malum sit*, concedo : *propter incontinentiam, repetendi matrimonii plerumque instigatricem* , nego maj. dist. pariter min. Patres Neocæsarienses decernunt digamos pœnitentia castigandos , *propter incontinentiam, ad novas nuptias impellentem*, conc. *propter ipsas in se nuptias*, n. min. & conseq.

E. D. Aliud est, denuo nubentem addicere pœnitentiæ, aliud, secundas nuptias quasi flagitiosas damnare. Primum quidem sancitum a Patribus Neocæsariensibus , disciplinæ severitate quæ prioribus sæculis quibusdam in locis vigebat ; cum enim iteratæ nuptiæ suspicionem incontinentiæ præferant , eoque graviorem , quo sæpius repetuntur ; haud immerito visum Sanctis Antistitibus , ignem intemperantis libidinis laboribus pœnitentiæ aut mitigandum aut restinguendum : quod autem ipsas in se spectatas nuptias nec accusaverint, nec ut malas culpaverint , pleraque summi ponderis argumenta evincunt.

1. Quidem si existimassent se ipsis atque intrinsece malas esse nuptias iteratas, eas prohibere lato canone debuissent, nec vetare tantum, sed & irritas nullasque summo jure decernere: quis enim dixerit sanctos præsules adulterina conjugia & divinæ legi contraria patienter tolleraturos? quæ quæso isthæc species pœnitentiæ foret , castigare adulteros , iisdemque hoc ipso tempore adulterii continuationem permittere ? numquid putares pœnitentiam reprimendis usuris opportunum esse remedium , si iis ipsis qui de usura commissa semetipsos affligerent , interim condonaretur , injustis, uti antehac , fenoribus rem familiarem augere ? atqui Patres Neocæsarienses canonibus suis imponunt quidem de novo nubentibus pœnitentiam , eamdemque volunt habita ratione fidei & conversationis nubentium breviari ; nuptias vero ipsas intactas relinquunt.

Digitized by Google

quunt. Non ergo eas, quasi se ipsis flagitiosas condemnant.

2. Concilium *Laodicenum*, non multo post Synodum Neocæsariensem in Phrygia minoris pariter Asiæ Provincia habitum, Can. supra laudato, bigamos equidem propter incontinentiam jubet purgari orationibus & jejuniis; at ipsas tamen in se nuptias secundas, legitimas, nec ab Ecclesiastica regula alienas, ibidem pro certo ponit. *Secundum Ecclesiasticum canonem*, inquit, *iis qui libere & legitime binis nuptiis juncti sunt, neque clandestinum matrimonium inierunt, exiguo tempore elapso, postquam precibus & jejuniis vacaverint, secundum indulgentiam communionem reddi definimus* . . . ita Laodiceni Patres, quos si quis Neocæsariensium interpretes audire renuerit, næ ille morosior, & supra modum contentiosus futurus est.

3. Responsionem nostram roborat illustratque Nicæni Concilii contra *Novatianos* memorata sanctio, (*Can.* 8) ubi non alia conditione eos in gratiam recipiendos decernitur, nisi ante promiserint se cum bigamis communicaturos: quis porro non videt iniquissimam hanc futuram esse conditionem, qua iis ad reconciliationem aditus intercluderetur, qui nollent rem malam laudare, & cum malis societatem inire refugerent?

4. Denique Latina Ecclesia secundas ulterioresque nuptias numquam irritas vel illicitas declaravit; frustra de hac re decretum aliquod, vel in Conciliis Latinorum, vel in responsis sum. Pontificum quæreretur, cum nullum sit: quin e contra in decretalibus, (*lib.* 4 *decret.*) de secundis nuptiis, earumque obeundarum conditionibus titulus integer extat, ubi nedum reprehendantur, licite ac legitimæ, conceptis terminis, supponuntur. Pariter ergo quando Patres Orientales nuptias repetentibus pœnitentiam imponendam disciplinæ severitate decernunt, non magis ipsas in se nuptias culpare putandi sunt, quam easdem arguere ii dicuntur, qui contra Pelagianos propugnant, malam concupiscentiam esse, sine qua conjugale officium non impletur.

Inst. 1. Atqui ideo Patres digamos pœnitentia expiandos decernunt, quia censent secundas in se nuptias esse malas. Ergo &c.

Prob. subs. auctoritate S. *Basilii* Ep. 1 ad Amphilochium sic loquentis: (*Can.* 4) *trigamorum & polygamorum eumdem canonem definimus, quem in digamis pro proportione: annum enim in digamis præscribimus: alii vero duos annos: trigamos autem sæpe tribus & quatuor annis segregant: id autem non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel potius castigatam fornicationem*,

Basilium longe ante præcesserat *Athenagoras*, secundas nuptias, *fucatum speciosumque adulterium* appellans. (*in apol. pro Christianis*)

Inde sic informatur argumentum.

Illi secundas & ulteriores nuptias se ipsis malas esse pronunciant, qui ne conjugium quidem debere appellari affirmant, sed potius polygamiam, fornicationem, & adulterium palliatum; atqui hæc Athenagoræ, Basilii, & aliorum sententia fuit. Ergo &c.

R. nego subs. ad prob. recipio testimonia, & concessa maj. dist. min. Patres nuptias sæpe iteratas, adulterium potius & fornicationem quam conjugium debere appellari dicunt, *per hyperbolem & sensu improprio*, conc. *sensu proprio*, n. min. & conseq.

E. D. Fornicatio proprie dicitur, illicitus omnis concubitus, vel conjugati cum soluta, vel soluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata: quia vero ad nefarias id genus commixtiones libido immoderata propellit, earumque causa est: hinc improprio quodam & hyperbolico sensu fornicationis nomine nuptiæ sæpius repetitæ notari possunt; quia licet se ipsis bonæ, effrænis libidinis argumenta sunt, & quandam indecori speciem præ se ferunt: nec vero Patribus tantum, sed & ipsis Gentilibus familiaris hæc exaggeratio fuit; sic *Aristoteles* in libris moralium ardentiorem uxoris propriæ amatorem, *adulterum* vocat, non in re quidem & quoad effectum, sed propter affectum inordinatum: hanc porro legitimam esse S. Basilii, aliorumque interpretationem, duobus argumentis ostendo.

1. Est, quia iteratas nuptias absolute fornicationem & adulterium non appellant, quod durius esset, sed palliatum adulterium, & castigatam fornicationem, id est, matrimonii velamine opertam libidinem, in una muliere, non in multis lascivientem.

2. Est, quia bis sæpiusque repetitas nuptias non dirimunt, nec irritas invalidasque declarant; sed polygamos congrua pœnitentia expiatos ad communionem & sacrorum participationem admittunt: non ergo putant iterata conjugia intrinsece & ex substantia mala esse. Quid enim, ut prædixi, pœnitenti prodesset, propter peccatum admissum jejuniis ac fletibus macerari, si malum ipsum de quo pœnitentiam ageret de novo perpetrare secure impuneque posset; cum vera pœnitentia sit, ante acta peccata flere, & flenda non committere? dicendum ergo non ipsas in se nuptias decretis asperioribus damnare, sed nubentibus, ad reprimendam libidinem, salutare voluisse aptare remedium: nec ideo repetitum conjugium adulterium appellasse, quod illud re-

vera tale putarent, sed ut fideles intemperantis libidinis exprobratione, ab hujusmodi nuptiis deterrerent, & ad sectandam continentiam (quod in votis semper Ecclesia habuit) hortarentur.

Inst. 2. *S. Basilius* ib. affirmat, tertium maritum similem esse sexto quem mulier Samaritana habebat; atqui non verus erat ille maritus, sed adulter, prout Christus, veritas ipsa, asseruit: cum enim mulieri dixisset, (*Jo.* 4, 16, *& seq.*) *vade, voca virum tuum, & veni huc*, illaque respondisset, *non habeo virum*; reposuit Jesus: *bene dixisti, non habeo virum*: *quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir*. Ergo a pari tertius conjux, nomine quidem maritus, reipsa tamen adulter est.

R. Distinguo maj. affirmat S. Doctor tertium maritum similem esse sexto quem Samaritana habebat, similem, inquam, *habita ratione pravi affectus nubentium*, conc. *ipsarum in se nuptiarum*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. D. Non tertias in se ipsis nuptias *Basilius* reprehendit, quod ex ante dictis compertum est, sed inordinatam effrænemque libidinem, cujus gravem suspicionem toties nubentes incurrunt, quoque sane respectu maritus tertius haud incongrue sexto quem Samaritana habuit similis esse pronuntiatur: quemadmodum enim hæc mulier quinquies a viro soluta, nedumque satiata maritis, temperare sibi ab adulterino concubitu non potuerat; ita semetipsos videntur incontinentiæ redarguere, qui ad tertia vota prosiliunt, quasi non satis esset semel & bis maritos, uxorésve fuisse.

Inst. 3. Atqui Sancti Patres nuptias sæpius iteratas sentiunt veram esse fornicationem. Ergo &c.

Prob. subs. Ex *S. Joanne Chrys.* operis imperfecti in Matthæum, hom. 32, sic loquente: *Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum: nam secundam quidem accipere præceptum Apostoli est: secundum veritatis autem rationem, vere fornicatio est; sed dum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta fornicatio: Ergo &c.*

℞. nego subs. ad probationem duplex responsio est.

1. Opus illud in Matthæum S. Joannis Chrysost. genium esse inficior. Merito namque Bellarminus & Baronius, Sixtus Senensis, & pene eruditi omnes librum hunc suspicantur ab aliquo hæretico exaratum, vel si Catholicum incogniti nominis auctorem habuerit, ab hæreticis adulteratum: tum quia multis scatet erroribus: tum quia, quantum ad præsens attinet, S. Joanni Chrysost. manifeste contrarius est; ille enim hom. 19 in Ep. ad Ephesios: *secundum matrimonium*, inquit, *concedit Apostolus, tantum dicens: in Domino. Quid est autem in Domino? cum temperantia, cum honestate .... ut ergo digni censeamur Deum videre, sive simus in virginitate, sive in primis, sive in secundis nuptiis, sanctitatem sectemur, sine qua nemo videbit Deum ...* & homilia 20: *quid ad hæc*, inquit, *qui secundis copulantur nuptiis? non id dico condemnans, absit: quippe Apostolus permisit*.

2. Dato & non concesso scriptum illud Chrysostomi esse, Resp. cum S. Thoma (*in* 4, *dist.* 42, *qu.* 2, *art.* 1) distinguo anteced. Iteratum matrimonium secundum veritatis rationem vere fornicatio est, *in causa sua, scilicet in libidine, sicut ad fornicationem, ita ad secundas nuptias impellente*, transeat: *in se*, nego ant. & conseq. Ipse se ipsum quisquis Scriptor ille est, ibidem interpretatur: ait enim, 1, secundum matrimonium ab Apostolo esse præceptum. 2 Addit iteratas nuptias permittente Deo honestas licitasque fieri: eas igitur se ipsis & absolute spectatas fornicationem esse non putat. Nam quomodo, quæso, rem necessario & intrinsece malam imperaret Apostolus? aut quomodo permittente Deo honestum ac licitum fieret, cui repugnaret speciem honestatis induere? quod ergo affirmat secundas nuptias veram esse fornicationem, de libidine est intelligendum, quæ fornicandi est causa.

Inst. 4. Atqui SS. Doctores repetitas nuptias non in sua tantum causa, sed in se ipsis flagitiosas esse contendunt. Ergo &c. prob. subs. ex *S. Hieronymo*, l. 1 contra Jovinianum c. 8 sic loquente: *quomodo virginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias Apostolus, & excusabile facit quod per se non appetitur; ita ob eamdem fornicationem vitandam, concedit viduis secunda matrimonia: melius est enim, licet alterum & tertium, unum virum nosse quam plurimos, id est, tolerabilius est, uni homini prostitutam esse, quam multis*.

Inde sic argumentum efflorescit; qui mulierem secundo aut tertio matrimonio copulatam, prostitutam vocat, censet dubio procul repetitas nuptias radicitus esse malas; atqui hæc S. Hieronymi sententia est. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & dist. maj. Qui mulierem secundo aut tertio matrimonio copulatam, prostitutam vocat, *absolute & in rigore*, censet repetitas nuptias radicitus esse malas, conc. *si sic loquatur per exaggerationem rhetoricam*, o. maj. & eadem distinctione ad min. facta, n. cons. E. D.

Digitized by Google

E. D. Idem S. Hieronymo in præsenti materia contigit, quod aliis sæpe Patribus accidisse *Theodoretus* advertit, qui cum adversus errores aliquos acrius disputarent, in errores oppositos, eos licet pari zelo detestarentur, aliquantisper deflectere visi sunt. *Vehemens cum adversariis contentio*, inquit, (*Dial.* 3, *cui titulus impatibilis*) *fecit ut modum excederent: hoc & iis qui arbores colunt evenire solet: cum enim incurvam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt, sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum statum perducatur*. Ita prædictus Scriptor. Nihil itaque mirum quod S. Hieronymus Jovinianum refellens qui matrimonium virginitati æquabat, disputationis æstu sic abreptus sit, ut virginitatis meritum prædicando, damnare nuptias quadantenus visus fuerit: cæterum quæ ab illo asperius dicta sunt, ex aliis ejus testimoniis facile ad sensum Catholicum revocantur.

1. Enim tantum abfuit S. Doctor a secundarum nuptiarum damnatione, ut hunc Montanistarum & Tertulliani errorem fuisse notaverit, Catholicæ veritati contrarium: *nos*, inquit, (*Ep.* 54, *ad Marcellam*) *secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus, Paulo jubente ut viduæ adolescentulæ nubant. Illi* (Montanistæ) *in tantum putant scelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur*. Hæreticum ergo ex S. Doctore est, dicere eos esse adulteros qui matrimonia duplicant.

2. Idem evincunt ejus testimonia ex Apologia ad Pammachium, & ex Ep. ad Ageruchiam recitata. *Non damnavi*, inquit, *in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam ... Etiamnum libera voce proclamo, ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere ... Non damno digamos, imo nec trigamos, & si dici potest, octogamos. Habeat cui licet octavum maritum, & esse desinat prostituta*. Quorum similia sæpe repetit & inculcat. Quando ergo audis S. Doctorem libera voce clamantem, licere cuilibet ad prostitutionem vitandam, esse digamum, trigamum, & octogamum; agnosce virum Theologum dogma fidei accurate ex mente Ecclesiæ explicantem. Quando ex adverso eumdem audis, repetitas nuptias arguentem, & mulierem multinubam, non secus ac si foret prostituta & adultera increpantem, ex propriis ejus principiis corrige causidicum, exaggeratione Rhetorica modum excedentem, & laudes virginitatis ac vidualis continentiæ cum aliqua nuptiarum injuria decantantem.

3. Responsionem confirmat hoc idem testimonium quod opponitur: ait enim: *quomodo virginibus ob fornicationis periculum concedit nuptias Apostolus ... ita ob eamdem fornicationem vitandam concedit viduis secunda matrimonia*. Judice itaque S. Hieronymo matrimonium repetitum, est contra fornicationem antidotum; atque adeo quod statim subdit, *tolerabilius esse uni homini prostitutam esse quam multis*, dictum per exaggerationem accipi debet.

His jactis fundamentis facillimum erit reliqua diluere quæ ex eodem opponi possunt.

Inst. 5. quale est quod legitur eodem c. 8, libri 1 contra Jovinianum: *considera quod quæ duos habuit viros, etiamsi anus est, & decrepita, & egens, Ecclesiæ stipes non meretur accipere. Si autem panis illi tollitur eleemosynæ, quanto magis ille panis qui de cœlo descendit, quem qui indigne comederit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi*? inde enim hoc petitur argumentum:

A malo eximi nequit id omne quo indignus homo fit communione corporis Christi; atqui ex S. Hieronymo nuptiæ reddunt hominem indignum communione corporis Christi: ergo &c.

℞. Accepta auctoritate, & concessa maj. distinguo min. secundæ nuptiæ reddunt hominem indignum communione corporis Christi, *propter concupiscentiam & pravam libidinem quæ harum incentivum esse videtur*, conc. *ex se ipsis*, n. min. & cons. nova elucidatione responsio, cum fuerit sæpius explicata, non indiget.

Inst. 6. in Ep. ad Ageruchiam c. 2 sic loquitur S. D. *Ab officio Sacerdotii digamus excluditur .... lege Sacerdotali tenetur & Laicus, qui talem præbere se debet, ut possit eligi in Sacerdotium. Non autem eligitur, si digamus fuerit. Porro eliguntur ex Laicis Sacerdotes: ergo & Laicus tenetur mandato, per quod ad Sacerdotium pervenitur*. Inde sic informatur argumentum:

Ad mentem S. Hieronymi, in iis quæ spectant ad nuptias, eadem lex Laicos, quæ Sacerdotes adstringit. Sed Sacerdotes lege Monogamiæ sic tenentur, ut ad Sacros ordines provehi digami nequeant: ergo pariter Laicis secundæ nuptiæ prohibentur.

R. Admitto auctoritatem. Ad argumentum dist. maj. eadem lex Laicos quæ Sacerdotes adstringit, *ex quadam honestate & decentia, ne videlicet sibi præcludant ad Sacros ordines aditum*, conc. *absolute, ita ut etiam Laici manendo, tam debeant esse Monogami, quam ipsi Sacerdotes*, n. maj. & concessa min. n. conseq. plana & facilis solutio est. Qua autem ratione digami ab ordinibus arceantur, diximus libro præcedente.

Inst. 7. S. Gregorius Nazianz. de matrimonio disserens, (*Orat.* 37) *primum*, inquit, *lex est*, *secundum venia & indulgentia*, *tertium iniquitas*. *Qui autem hunc numerum excedit*, *porcinus plane est*. Quis porro dicere audeat, quod porcinum est, divina lege concessum esse?

℞. Admitto auctoritatem, & dist. ant. tertium matrimonium iniquitas est, quartumque porcinum, *ratione causæ ad hujusmodi nuptias pertrahentis*, *impotentis scilicet incontinentiæ ac libidinis*, conc. *ratione sui*, n. solutio patet ex dictis. Cæterum quod S. Gregorius nuptias repetitas probaverit, constat ex ejus *Oratione* 39, ubi contra Novatianum sic invehitur: *quorsum juvenibus viduis ineundi Matrimonii potestatem non facis? atqui Paulus hoc facere minime dubitavit*, *cujus scilicet te Magistrum profiteris*, *quasi ad quartum cœlum altumque Paradisum perveneris .... At*, *inquis*, *hoc minime post baptismum licet*. *Quo argumento id confirmas? aut rem ita se habere proba*: *aut si id non potes*, *ne condemnes*.

Inst. 8. *Origenes* ad præsens propositum duo dicit, observatu dignissima. (*Hom.* 17 *in Luc.*) *Primum est*, digamum non habiturum partem in Regno Dei. *Secundum*, non esse de Ecclesia, licet bonam habeat conversationem, & virtutibus aliunde præluceat: censet ergo secundas nuptias absolute esse malas.

℞. Admitto auctoritatem, & dist. ant. sententia Origenis digamus de Ecclesia non est, nec partem habebit in Regno Dei, *quantum ad gradum quemdam sublimiorem*, conc. *absolute*, n. ant. & conseq.

E. R. Distinguit eo loci Origenes, parum licet accurate, vitam æternam a Regno Dei. Vitam æternam, salutem ipsam intelligit, digamis in Christi nomine concedendam. Regnum vero Dei dicit, Ecclesiam triumphantem & gloriosam, quæ cætum primitivorum appellat, eorum scilicet qui propter heroicas virtutes sublimiorem gloriæ gradum sunt adepturi. Hoc ergo unum contendit, polygamos iis qui virginitatem servaverint, vel uno matrimonio contenti fuerint, gradu felicitatis pares futuros non esse. Qua autem ratione negat digamos futuros de regno Dei, pariter de Ecclesia esse negat, nimirum propter defectum perfectionis, quo fit ut pari cum virginibus & monogamis honore non fulgeant. Nam quod absolute eos esse in Ecclesia recognoscat, inde patet tum quod iis fateatur vitam æternam in Christi nomine concedendam; tum quod ex veteri Ecclesiæ disciplina, quæ sane Origenem non latebat, nemo ab ejus communione, propter polygamiam absolute præcisus sit. *Ecclesia*, inquit S. Epiphanius, (*Hær.* 48, & 49) *ad Monogamiam fideles hortatur*, *sæpeque hortata est*. *Si qui vero ex infirmitate sæpius nuptias iterarint*, *non propterea ab ejus societate præcisi sunt*.

Inst. 9. atqui Origenis & aliorum quæ attulimus contra polygamos testimonia ita debent intelligi, ut polygamia radicitus & se ipsa peccatum sit: ergo &c.

Prob. subs. ut a peccato eximeretur, deberet decisio illa palmari aliquo scripturarum testimonio adstrui, unde constaret posse quemlibet ad secunda, & tertia, atque amplius, vota inculpate in Ecclesia Christi procedere; atqui nullum hujusmodi in scripturis decretum est.

Nam quæ ex Apostolo afferuntur, (1 *Corint.* 7, 1 *Tim.* 5) ad rem nihil facere, duobus modis ostenditur.

1. Dicendo textus Apostolicos debere intelligi de iis qui ante susceptum baptismum in viduitatem inciderint, quibus deinceps ad fidem conversis & baptismo initiatis, uxorem ducere permittitur ab Apostolo: *quia*, inquit Tertullianus, (*lib. de monog. c.* 11) *ante fidem soluto ab uxore*, *non numerabitur post fidem secunda uxor*, *quæ post fidem prima est*: *a fide enim etiam ipsa vita nostra*.

2. Reponendo polygamiam ab Apostolo, non tamquam rem bonam, sed tamquam rem minus malam permitti: hæcque Hieronymi videtur fuisse sententia: *hoc*, inquit, (*Ep. Ad Saturam*) *non vult Apostolus*, *sed cogitur velle*, *& labentibus per incontinentiam in barathrum stupri*, *digamiæ manum porrigere ... Concessit digamiæ præcepta non bona*, *& justificationes pessimas*, *&c.* ergo &c.

℞. Nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. & dico duas quæ afferuntur textuum Apostoli explicationes solidi nihil habere, & ab ejus mente alienissimas esse.

1. Enim unde habetur, id quod dicit B. Paulus: (1 *Cor.* 7, 39, 1 *Tim.* 5, 14) *quod si dormierit vir ejus*, *liberata est*; *cui vult nubat*, *tantum in Domino .... Volo juniores viduas nubere*, *filios procreare*, *matres familias esse*: de iis tantum debere intelligi, quæ ante baptismum, & non etiam de iis quæ post susceptum baptismum, orbatæ maritis fuerint? Cum e contrario manifestum sit, generales ejus esse sententias, nec ulla baptismi accepti, aut non accepti conditione restringi. Quid quod cum hanc Ep. quæ ad Corinthios prima est, scribebat Apostolus ad Dei Ecclesiam, prout statim ab initio legitur: (1 *Cor.* 1, 1 *& seq.*) *Paulus vocatus Apostolus .... Ecclesiæ Dei*, *quæ est Corinthi*, *sanctificatis in Christo Jesu ... gratia vobis*, *& pax &c.* ineptum ac nugatorium est, ejus de matrimonio iterando præscripta, de iis solis accipere qui in infide-

Digitized by Google

fidelitate, & non etiam de iis qui baptiſmate accepto inciderant in mariti aut conjugis orbitatem. Siniſtra ergo hæc interpretatio eſt, textui ſacro vim faciens, eoque certius reſpuenda, quod ſæculorum omnium, omniumque Catholicorum ſenſui adverſetur.

Neque eſt quod Tertulliani auctoritas obtendatur, quæ in præſenti controverſia nulla eſt. Hunc enim, ut prædiximus, *de monogamia* librum, deſertor Eccleſiæ, & Montani ſectator infeliciſſime factus compoſuit; & in eo multa dictavit, tum abſurditatis, tum impietatis pleniſſima: quale eſt quod ibidem delirat & effutit, (*de monogam. c.* 14) ſæpius nubendi licentiam a Paulo nimia facilitate conceſſam, *Montani*, paracleti nimirum, judicio ſaniore ſublatam. *Si enim*, inquit, *Chriſtus abſtulit quod Moyſes præcepit, quia ab initio non fuit ſic; cur non & paracletus abſtulerit, quod Paulus induxit, quia & ſecundum matrimonium ab initio non fuit ſic?*

2. Quod additur Apoſtolum majoris mali vitandi cauſa, rei de ſe malæ faciendæ auctorem ſuaſoremque fuiſſe, tum textui Sacro contrarium, tum præconi ac diſcipulo veritatis tam egregio contumelioſiſſimum eſt. Numquid enim ſi denuo nubere malum foret, poſſet de novo matrimonium *in Domino* contrahi? ait enim: *cui vult nubat, tantum in Domino*. Numquid in Domino fit quod contra Dominum fit? aut poteſt forſan Domino gratum eſſe, quod legem ejus evertit? quid porro profuiſſet Apoſtolo virginitatem & omnimodam continentiam profiteri, ſi peccandi contra continentiam conſiliarius authorque fuiſſet? ait enim ipſe (*Rom.* 1, 32) *dignos eſſe morte, non ſolum qui mala faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Jam quo titulo auſus eſſet de veritatis præconio gloriari, qui junioribus viduis nuptias imperando, de prædicato mendacio convinci tam facile potuiſſet? Nam quæſo, in adverſariorum hypotheſi, quid eſt illud, *volo juniores viduas nubere*, niſi, volo eas ſub obtentu nuptiarum, quas lex divina proſcripſit, inſanis libidinibus indulgere, & in ſpurcitia volutari? Dicendum ergo Apoſtolum digamiam, non ut rem malam, ſed ut rem minus bonam permittere, quod longe diverſum eſt: ab uxore penitus abſtinere, vel ſervata viduitate, vel cuſtodita virginitate, majus bonum eſt, ad quod, ſuo exemplo omnes invitat Apoſtolus. *Volo*, inquit, (1 *Cor.* 7, 7) *omnes vos eſſe ſicut me ipſum .... dico non nuptis & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. At nihilominus, iis qui ſe non continent, nubere in Domino bonum eſt, etſi paris excellentiæ non ſit bonum. *Volo*, ait, *omnes vos eſſe ſicut me ipſum: ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic ... Si non ſe continent, nubant, melius eſt enim nubere quam uri*.

Nec aliter ſenſiſſe S. Hieronymum ex eo ipſo quod opponitur teſtimonio certum eſt. *Hoc non vult Apoſtolus*, inquit, *ſed cogitur velle, & labentibus per incontinentiam in barathrum ſtupri digamiæ manum porrigere*. Quænam enim iſthæc contra incontinentiam manus porrectio foret, ſi ipſa digamia ſtuprum foret, & incontinentiæ perpetuum incentivum? Pergit S. Doctor: *ideo adoleſcentula vidua, quæ non ſe poteſt continere, vel non vult, maritum potius accipiat, quam diabolum*. Porro ſi peccatum digamia foret, adoleſcentula vidua denuo nubendo, tam diabolum acciperet, quam maritum. Pergit iterum: *ita*, inquit, *ſecundum* (Apoſtolus) *indulget maritum, & tertium, & ſi liberet, etiam viceſimum: ſciant* (viduæ) *non ſibi viros datos, ſed adulteros amputatos*. Atqui ſi polygamia peccatum eſſet, non adulterorum amputatio, ſed verius multiplicatio dici deberet. Quid enim eſt illegitimum eſſe virum, niſi eſſe adulterum? nihil ergo S. Hieronymus ibi dixit a ſenſu Catholico alienum, quæque ei quo æſtuabat zelo virginitatis, verba aſperiora & hyperbolica exciderunt, ex aliis locis corrigi debent, ubi polygamiam bonam eſſe rotunde pronunciavit.

Inſt. ultimo. Negare ſaltem non poſſumus, Græcos & Orientales juxta antiquam diſciplinam, quæ etiamnum, vel ex integro, vel magna ſaltem ex parte ab illis rigoroſe ſervatur, digamiam multoque magis trigamiam, & ulterius repetitas nuptias condemnare. Nam

1. Græci, ut ex omnibus eorum veteribus Euchologiis certum eſt, ſecundas nuptias non coronant, ideſt denuo nubentibus benedictionem, in qua conſiſtit Sacramentum matrimonii, non impendunt: *δίγαμος μὴ στεφανοῦται, digamus non coronetur:* ajunt libri omnes rituales. Hanc equidem diſciplinam Græci recentiores mitigarunt erga digamos, quorum nuptias, non ſecus ac monogamorum ritu ſolemni conſecrant. Verum trigamis, multoque magis quadrigamis, & ultra nubentibus, benedictionem hanc conſtanter hactenus denegarunt: idemque omnes Orientales, etiam erga digamos inviolate obſervant. Repetitas ergo nuptias tamquam malas execrantur.

2. Quod pro re mala digamiam habeant evidentiſſimum eſt ex precibus quas pro digamis ubique tum in Oriente tum in Græcia fundunt. *Tu Domine*, inquiunt, *qui omnium miſereris ...... Dimitte ſervis tuis iniquitates eorum .... Concede illis publicam converſionem, fœminæ peccatricis lacrymas, latro-*

tronis confessionem, ut per sinceram cordis pœnitentiam tua mandata implendo, cum pace & concordia ad cœleste tuum Regnum valeant pervenire . . . . Ignosce, Domine, iniquitati servorum tuorum, qui carnis stimulis resistere non valentes, secundo matrimonio copulantur . . . Domine Deus ne statuas illis hoc peccatum &c. ergo &c.

R. Nego ant. aliud enim est, nuptias iteratas propter gravem quam præferunt suspicionem incontinentiæ non probare; aliud, illas uti malas & flagitiosas damnare. Secunda & sæpe repetita conjugia Græci & Orientales, disciplina ab antiquo accepta non approbant, quia ea putant a sanctitate Christianæ professionis ac castimoniæ aliena: qua in re reprehendi non possunt, quin in antiquos Doctores eadem accusatio recidat: at hujusmodi nihilominus nuptiis notam flagitii non inurrunt: canonem enim octavum Nicænum observant, suisque canonum collectionibus insertum habent, quo cautum est, Novatianos in Ecclesiam Catholicam non recipiendos, nisi promiserint se cum digamis communicaturos: longissime ergo absunt a Novatianorum & Montanistarum errore.

Nec quidquam in contrarium probant, duo quæ in probationem adjuncta sunt argumenta.

Non primum de benedictione denuo nubentibus denegata: si enim in eorum sententia sis, qui volunt Sacramenti matrimonii solos contrahentes esse ministros, & sacerdotis benedictionem nihil quidquam esse, nisi nudam & simplicem cæremoniam, ad essentiam Sacramenti nihil conferentem: in hac, inquam, hypothesi manifestum est, per denegationem benedictionis, non impediri quominus secundæ, sæpiusque conjunctæ nuptiæ Sacramenta sint, quandoquidem mutuo consensu nubentium, verbis aut signis expresso contrahuntur, quod ad Sacramentum sat est: quod si eorum opinionem secteris, qui multo probabilius sentiunt, Sacramenti matrimonii solos sacerdotes esse ministros, adeoque presbyteri benedictionem ad ejus essentiam pertinere; nihil hinc tamen erui poterit quo probetur iteratum matrimonium ex Græcorum sententia flagitium esse: hoc enim unum sequetur, Græcos & Orientales, iteratis nuptiis Sacramenti benedictionem non impendere, ne videantur tanti largitione beneficii, nubentium incontinentiæ suffragari: at eas tamen uti contractum naturalem ac legitimum tolerare; quomodo in Latina Ecclesia ante Concil. Trid. clandestina matrimonia, quamquam carentia Sacramenti dignitate, tolerabantur.

Nec plus habet difficultatis secundum. Peccatum enim pro cujus condonatione Græci & Orientales Deum exorant, non nuptiarum, sed nubentium est peccatum: neque hac præcise ratione peccatum dicitur, quia nubunt; sed quia impotens & effrænis incontinentia, cujus impulsu nubere præsumuntur, peccatum est; cujus rei in iis ipsis quæ opponuntur precibus aperta probatio est: ajunt enim: *Tu, Domine, qui servos tuos N. & N. conjungis, per caritatem reciprocam junge eos . . . . ut per sinceram cordis pœnitentiam tua mandata implendo, cum pace & concordia ad cœleste tuum regnum valeant pervenire . . . . ignosce iniquitati servorum tuorum, qui carnis stimulis resistere non valentes, secundo matrimonio copulantur, sicut per Paulum vas electionis, Apostolum tuum præcepisti: ille enim pro nobis infirmis abjectisque dixit*, melius esse nubere quam uri . . . . Jam quæro, qua fronte caritatem reciprocam, pacis & concordiæ spiritum, ipsumque Regnum cęleste pro iis Ecclesia peteret, quos sciret in perpetuo concubinatu victuros? quæ isthæc audacia foret, nefandum concubitum, Apostoli, Deique ipsius mandatum vocare? quæ denique non tam precatio, quam derisio foret, pro his spiritum pœnitentiæ petere, quibus nefario contractu conjunctis, ad extremum usque halitum adulteros & impœnitentes esse permitteretur? fatendum ergo a Græcis & Orientalibus etsi repetitæ nuptiæ non probentur, non tamen ut malas damnari.

Sequitur

QUÆSTIO QUARTA.

De indissolubilitate Matrimonii.

UT status quæstionis aperiatur,

Nota 1. Duplicem posse matrimonii solutionem intelligi; propriam, & impropriam.

Propria est, quando alter conjugum non solum a matrimonii usu & officio conjugali, sed & ab ipso vinculo liberatur, in quo superius dictum est contractus nuptialis naturam positam esse, ita ut pristinæ redditus libertati, sui plene juris sit, possitque si velit, ad vota nova transire: eaque matrimonii tum quoad vinculum, tum quoad Thorum & cohabitationem plena resolutio est.

Impropria dicitur, quando conjugi, sui licet juris non sit, neque possit matrimonium novum inire, propter præcedentis vinculi firmitatem, liberum tamen est non habitare cum conjuge, & a nuptiali officio abstinere: eaque appellatur matrimonii resolutio quoad Thorum & cohabitationem.

Nota 2. Matrimonium, ut alibi dictum est, aliud esse *ratum*, servatis scilicet servandis, mutuo

Digitized by Google

mutuo conjugum consensu initum, & ab Ecclesia approbatum: aliud *consummatum*, carnalis nimirum copulæ interventu completum. Primo sensu, *ratum non consummatum*, secundo *ratum & consummatum* vocatur,

Jam planum est, triplicem posse difficultatem moveri.

1. Est, de matrimonio *rato & consummato*, utrum quantum ad vinculum indissolubile sit?

2. Utrum ne quoad Thorum quidem resolvi queat?

3. De matrimonio *rato*, *& consummato*, utrum sive quoad vinculum, sive quoad thorum irritari frangique possit?

Quæ dubia ut explicemus, sit,

CAPUT PRIMUM.

Utrum matrimonii rati & consummati vinculum indissolubile sit?

OBscurissimam hanc & ad extricandum difficillimam esse quæstionem Doctorum perspicacissimus S. Aug. confessus est. *In divinis sententiis*, inquit, (*libr. de fide & operib. cap. 19*) *ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere; adulter tamen habeatur, si alteram duxerit: ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

Difficultatem auxit non mediocriter silentium Ecclesiæ, quæ primis temporibus controversiam hanc nec expendit, nec ullo, saltem universali, decreto composuit: unde contigit ut in diversas distrahi opiniones antiqui Patres visi fuerint. Nam ex una quidem parte S. Hieronymus, Aug. aliique longe plures inferius allegandi, constanter tenuerunt, matrimonii semel contracti vinculum, nisi mors alterutrius conjugum intervenerit, penitus indissolubile esse: in contrarium quidam alii non ita firmum nuptiarum nexum dixere, quin causa adulterii rumperetur.

Nec major posteriore ætate Scriptorum concordia fuit. Nam

1. Neminem latet Græcos matrimonium propter fornicationem dissolvere, eamque ob rem sæpe a Latina Ecclesia reprehensos.

2. Inter Latinos, Cardinalis Cajetani, Ambrosii Catharini, Erasmi, & quorumdam aliorum sententia fuit, ex sacris litteris & traditione certo non confici, fornicatione nuptias penitus non dissolvi.

3. Lutherus longe audacior, non propter adulterium tantum, sed & aliis multis de causis matrimonium consummatum, etiam quantum ad vinculum disjungi posse asseruit: eademque saltem in casu fornicationis, Calvini & Melanchthonis doctrina fuit. His præmissis sit

§. PRIMUS.

Ne adulterii quidem causa, coniugii rati & consummati vinculum abrumpi posse monstratur.

PROBATIO PRIMA.

Ex Scripturis.

Cujus assertionis primum suggerunt divina oracula argumentum.

Lucæ 16, 18, *omnis*, inquit Christus, *qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & omnis qui dimissam a viro ducit, mœchatur.*

Matthæi 5, 31, & seq. dictum est: *quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.*

Marci 10, 11, & seq. *quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: &, si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.*

Apostolus Rom. 7, 2. *Quæ sub viro est, mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Inde sic argumentamur:

1. Ille sanxit ne adulterii quidem causa matrimonii vinculum solvi posse, qui legem renovans de nuptiali fœdere non frangendo, nullam fecit exceptionem: atqui Christus legem renovans ac confirmans de sacro fœdere non violando, nullam fecit exceptionem: *Qui ergo nos sumus*, ait S. Aug. (*De adulter. conj. lib. 2, c. 8*) *ut dicamus, est qui mœchatur, uxore sua dimissa alteram ducens; & est qui hoc faciens non mœchatur, cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit? proinde si quicumque id fecerit; . . . . ut uxore dimissa alteram ducat, mœchatur, sine dubitatione ibi sunt ambo, & qui præter causam fornicationis, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem.*

2. Qui inculcat ac repetit sola naturali morte rumpi matrimonii vinculum, nuptias dubio procul propter adulterium non resolvit, atqui ita præscribit divina auctoritate Apostolus: *hæc verba Apostoli*, ait S. Aug. (*De adulter.*

con

Digitized by Google

conj. lib. 1, *c.* 8) *toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt: nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit: esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur: licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis: sed nec carebit illo vinculo, etiamsi numquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.*

PROBATIO III.

Ex traditione.

Eamdem adstruit veritatem traditio accepta a Patribus: e multis pauca testimonia seligemus.

Concilium Eliberitanum, desinente 3 aut ineunte saltem 4 sæculo celebratum: *fidelis fœmina*, inquit, (*Can.* 9) *quæ maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, . . . non prius communionem accipiat, quam is quem reliquit, de sæculo exierit; nisi necessitas infirmitatis* (id est ex morbo mortis periculum imminens) *dare compulerit.*

Concilium Milevitanum, cui S. Aug. interfuit, an. 416 habitum: *placuit*, inquit, (*Can.* 17) *ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjungatur: sed ita maneant, ut sibi reconcilientur: quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.*

Innocentius I, ineunte 5 sæculo Pontifex Max. *de his*, inquit in Ep. ad Exuperium Episcopum Tolos. c. 6, *requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio, alio se matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros esse manifestum est: qui ergo vel quæ viro vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, secundum illud quod legimus in Evangelio*: qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur; similiter & qui dimissam duxerit, mæchatur: *ideo tales a communione fidelium volumus abstinendos.*

S. Hieronymus qui sub finem 4 & ad initium 5 sæculi vixit, Ep. 30 ad Oceanum laudat Fabiolam nobilem Romanam, quæ cum viro propter adulterium ejecto contra fas nupsisset cum altero, suum deinceps errorem agnovit, & tantum scelus publica pœnitentia expiavit: *igitur*, inquit, *& Fabiola quia persuaserat sibi, & putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, fœminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit; sed quid ego . . . . . moror quærens excusare culpam, cujus pœnitentiam ipsa confessa est? quis hoc crederet, ut post mortem secundi viri in semetipsam reversa, quo tempore solent viduæ negligentes jugo servitutis excusso, agere se liberius, . . . saccum indueret, errorem publice fateretur, & tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ . . . . staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacbrymantibus, &c.* . . . . . itaque judice S. Hieronymo matrimonii vinculum solvere, est Evangelico vigori contrarium: hinc pariter intelligimus, eo tempore publici criminis rerum Romæ habitum, qui vivente conjuge transiret ad alias nuptias, etiam causa fornicationis.

S. Joannes Chrysost. 4 sæculo, de eo qui causa adulterii uxorem repudiavit, "ille, *inquit*, (*hom.* 17 *in Matt.*) etsi alteram ,, non duxerit, hoc ipso se constituit crimi- ,, nis reum, quod adulteram fecit ex conju- ,, ge, (*quæ nimirum alteri nupsit*:) hic ve- ,, ro accipiendo alienam, adulter effectus est: ,, nequaquam enim mihi referas, quia illam ,, alter ejecit; nam expulsa quoque uxor, es- ,, se ejus qui eam expulit, perseverat. ,, Sane tamdiu constat matrimonii vinculum, quamdiu vere uxor aliqua mariti est, & vicissim; atqui ex S. Joanne Chrysost. uxor propter adulterium ejecta, nihilominus uxor ejus qui eam expulit esse perseverat. Ergo ad mentem S. Doctoris, ne adulterii quidem causa fœdus matrimonii frangitur.

Præiverat 3 sæculo ex eadem Græcorum Ecclesia S. *Clemens Alexandr.* (ne quis regerat Latinorum peculiarem esse sententiam quam defendimus,) libro enim 2 *stromatum* ita scribit: *legem* (*Christus*) *aperte constituit*: non dimittes uxorem, præter quam propter fornicationem. *Adulterum autem existimat conjungi matrimonio, vivo altero ex separatis* . . . *qui autem dimissam accipit uxorem, mœchatur eam, hoc est, cogit eam mœchari: non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed etiam qui eam suscipit, præbens mulieri peccandi occasionem: si enim non suscepisset eam, reverteretur ad virum* . . . . quæ verba vinculi indissolubilitatem luculentissime adstruunt: si enim propter adulterium fœdus matrimonii rumperetur, nec redire posset adultera ad eum a quo propter violatam fidem ejecta foret, nec adulterii reus fieret, cui post repudiationem nupsisset: porro ex Clemente Alexandrino tum potest ad dimittentem dimissa redire, tum non potest alteri sine adulterii crimine nubere. Ergo &c.

De *S. Aug.* constat ex ejus testimoniis supra lau-

laudatis, aliisque longe pluribus, quod eamdem doctrinam tenuerit.

Idemque senserunt, sæculo 6 *Primasius*, Adrumetinæ Ecclesiæ in Africa Episcopus, commentario in Ep. S. Pauli: sæculo 7 *S. Isidorus Hispalensis*, l. 2 de divinis officiis, c. 19, & Synodus *Nannetensis*, (si tamen hujus temporis est, quod non liquet) can. 12 sic decernens: *si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc a viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit propter fornicationem .... vir vero ejus, illa vivente, nullatenus accipiat aliam uxorem.*

Sæculo 8 consentit *Vener. Beda* commentario in c. 10 Marci. Nec prætermittendum ea ætate Concilii *Forojuliensis*, in ditione Venetorum, an. 791 celebrati præclarum testimonium: *Item placuit*, inquit can. 10, *ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo*, (quoad Thorum scilicet, ut ex verbis sequentibus clarum est) *non liceat viro quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere.*

Sæculis 9, 10, 11, & 12 eamdem veritatem suo testimonio approbant, *Paschasius* Abbas Corbejensis, comment. in Matthæum: *Ivo Carnotensis*, Ep. 125 ad Daimbertum Archiepiscopum Senonensem: *Lanfrancus* Cantuariensis Archiepiscopus Ep. 10 ad *Thomam* Eboracensem in Anglia Episcopum: *S. Anselmus* in c. 9 & 19 Matthæi: *Alexander III* Pontifex Max. c. *ex parte*, tit. *de sponsal. & matrimoniis*: & alii quamplures.

Sæculo 13 præter S. Thomam, (*suppl. qu.* 62, *art.* 5) & alios scholarum Magistros, *Innocentius III* Pontifex Max. l. IV decretal. tit. 19 *de Divortiis*, c. *gaudemus*: *sane*, inquit, *veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis, testantis in Evangelio*: quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & *aliam duxerit, mœchatur. Si ergo uxore dimissa duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta.*

Sæculo 14. Scholasticorum innumerabilis caterva consentit.

Sæculo 15 in Concilio Florentino, (*Sess.* 25) *Eugenius IV* Sum. Pontifex, Græcos sic legitur compellasse: *primo dico omnes conqueri de separatione matrimonii, idque correctione indiget* ..... Idemque in decreto pro instructione Armenorum, post concilium edito: *quamvis autem*, inquit, *ex causa fornicationis liceat Thori separationem facere; non tamen aliud matrimonium contrahere fas est; cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit.*

Denique sæculo 16 Concilium Trid. sess. 24 statim ab initio: *matrimonii*, inquit, *perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit*: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una ... *ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis (Christus confirmavit*: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

Ibidem Can. 5. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit.*

Et can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit aut docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero, alii nupserit: anathema sit.*

Ex his Conciliorum, sum. Pontificum, & S. testimoniis sic informatur argumentum:

Illud dogma certo & indubitato tenendum est, quod Synodi, Pontifices, & Sancti Patres propugnaverunt, tamquam ab Evangelica & Apostolica Doctrina descendens; atqui hujusmodi est doctrina affirmans, ne adulterii quidem causa, matrimonii rati & consummati vinculum solvi posse. Ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex ratione.

Juvat & ex ipsa naturali ratione ad hujus doctrinæ confirmationem argumenta exquirere.

1. Est: volunt Lutherani & Calvinistæ, idemque Græci contendunt, matrimonii vinculum saltem adulterii causa dissolvi: quod si vere dicunt & sentiunt, explicent ergo quo tempore sacri fœderis abruptio fiat: an statim ac alteruter conjugum fidem matrimonii adulterio violavit? numquid ab eo instanti quo divortium factum fuerit? numquid denique ubi novum ab alterutro fuerit fœdus contractum? atqui nihil horum vere dicitur.

Non primum: nam si statim ab adulterio perpetrato vinculum rumpitur, desinunt ergo conjuges esse, quorum alter fidem violavit; adeoque sine novo contractu non poterunt conjugale officium exercere: illud porro quam a vero alienum sit, vel inde evincitur, quod sine novo contractu conjux cui illata injuria est, potest adulterum pœnitentem retinere, & in gratiam recipere.

Neque pariter secundum: nam etiam facto secundum leges canonicas & civiles divortio, potest conjux innocens adulteram a se dimissam, si ad bonam frugem redierit, sine novo contractu, etiam invitam revocare; quod in ejus sane potestate non esset, nisi sarta tecta conjugii jura manerent: hinc Apostolus uxorem a viro digressam dicit debere aut innuptam manere, aut viro suo reconciliari, quod sine novo matrimonio fit: *Iis*, inquit, (1 *Cor.* 7, 10, *& seqq.*) *qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, maneve innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Non denique tertium: nam ex concessis qui facto divortio dimittit uxorem, non propterea maritus esse desistit, aut solvit conjugium. Ergo multo minus potest illud solvere, qui uxori dimissæ nubit: quis enim dixerit rem alieni juris posse sola voluntate raptoris in ejus potestatem venire? atqui mulier a viro dimissa, alieni juris est, ad eum nimirum pertinet a quo est dimissa. Ergo si dimittens mulierem, non potest fœdus conjugii frangere, multo minus potest, qui dimissam præsumit facere suam.

2. Est: ponamus *Lucretiam* innocentem injuste a viro dimitti: ponamus insuper *Tulliam* convictam adulterii pariter a marito suo repudiari: hac facta hypothesi sic argumentor: *Lucretia* inique dimissa alteri nubere non potest, nec potest qui dimisit, aliam ducere, quia connubii vinculo eos connecti in confesso est apud omnes. Ergo multo minus potest *Tullia* juste repudiata transire ad novum matrimonium: idemque de viro dimittente dicendum: alioquin melior erit adulteræ quam innocentis conditio: nam ista tenebitur quidquid vitæ superest, aut sine spe conjugii ducere, aut marito improbo reconciliari; ille vero sui juris facta impune duplicabit conjugium; similiter melior erit conditio viri, cui illata per adulterium injuria fuerit, quam ejus qui uxori innoxiæ injuriam iniqua dimissione intulerit: quæ cum absurde dicantur, fatendum ne adulterii quidem causa rumpi matrimonii fœdera.

3. Est: si adulterii causa solvi matrimonii vinculum affirmemus, innumerabilibus repudiis viam sternimus, quodque indignum magis, intemperantiæ ac libidini habenas laxamus. Nam cum conjuges animis plerumque dissideant, sæpeque contingat aut viro uxorem, aut uxori virum, quacumque tandem causa exosum esse; quos sacri fœderis pœniteret, (& revera id genus plurimos esse, quotidiano experimento compertum est) facile sibi adulterium mutuo permitterent, quo solo scirent fatale vinculum abrumpendum: aut certe veri criminis defectu, alter alteri de perpetrato adulterio posset quoquo modo calumniam struere; atqui tantum hoc malum nemo est qui non videat vergere tum in dedecus parentum, qui nuptiis iteratis propriam infamiam publicarent; tum in detrimentum liberorum ex præcedente matrimonio susceptorum, quibus pro Patre vitricus, pro matre noverca subrogaretur. Ergo &c. hoc argumento utitur Sanctus Hieronymus commentario in caput 19 Matthæi. *Quia*, inquit, *accidere poterat, ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum, veteri crimen impingeret; sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat.*

§. SECUNDUS.

Solvuntur objectiones.

DILUITUR I. ARGUMENTUM.

Ex Scripturæ auctoritate petitum.

Opponunt Græci & Hæretici verba Christi, Matth. 19 v. 9.

Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur . . . quorum similia sunt, quæ ibidem cap. 5, v. 32, leguntur; *dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.*

Inde sic colligunt argumentum: ille declarat matrimonii vinculum adulterii causa dissolvi, qui expresse pronunciat, propter fornicationem posse uxorem dimitti, & alteram duci; atqui hæc Salvatoris sententia est locis citatis. Ergo &c.

R. admitto auctoritatem, & concessa maj. n. min. totum argumenti robur in his Christi verbis consistit: *nisi ob fornicationem*: quæ prout varie cum reliquis testimonii partibus connectuntur, diversissimos sensus habent.

1. Quidem si Græcis & hæreticis fides est, ita phrasis est construenda: *quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*: ita ut a lege non dimittendæ uxoris & cum altera non nubendi, una adulterii exceptio sit, & eo tantum casu marito liceat, repudiata adultera novum matrimonii fœdus inire: quæ sane si vera oraculi Evan-

Digitized by Google

Evangelici intelligentia foret, litem Græci & noſtrates Hæretici vincerent.

2. Ex Eccleſiæ Catholicæ mente clauſula (*niſi ob fornicationem*) non ad verba ſequentia (*& aliam duxerit*) ſed ad præcedentia (*quicumque dimiſerit uxorem ſuam*) neceſſario refertur, iiſque intime nectitur; ita ut ſenſus ſit: *quicumque, ſolo excepto fornicationis caſu, uxorem ſuam repudiaverit, eaque ſuperſtite, ſive fornicata fuerit, ſive non, aliam duxerit, mœchatur*: hoc eſt, non veri conſors matrimonii, ſed nefarii concubinatus fit reus: hunc autem eſſe legitimum divini decreti ſenſum, adeoque adverſarios nihil juvare, ſequentibus argumentis oſtendo.

Primo Chriſtus nulla facta exceptione mœchari omnem affirmat, qui duxerit repulſam uxorem: *qui dimiſſam duxerit*, inquit, *mœchatur*: pariter ergo verba præcedentia, *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur*, ſunt univerſim ſine exceptione accipienda.

Prob. ant. Vel in his Chriſti verbis, *qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, nulla reſtrictio eſt, vel ſi qua ſit, ad eam ſolum uxorem ſpectat, quæ juſte propter adulterium eſt dimiſſa; ita ut ſenſus ſit, *mœchari, qui uxorem innocentem, & injuſte dimiſſam ducit, non mœchari vero, qui ducit adulteram & juſte repudiatam*; atqui ſecundum niſi abſurdiſſime dici nequit: inde enim ſequeretur uxorem juſte dimiſſam melioris eſſe conditionis, quam quæ injuſte ejiceretur: illa enim fatentibus adverſariis poſſet alteri nubere, iſta non poſſet: illa a viro inique ejecta, adigeretur ad perpetuam a matrimonio abſtinentiam; iſta ad impudicitiæ præmium, novum Thalamum quærere impune totoque poſſet: reſtat ergo ut ingenue fateamur, Chriſti verba, *qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, nulla debere limitatione reſtringi.

Secundo ſubobſcurum Matthæi textum cæteri Evangeliſtæ clariſſime explicant. Marcus enim & Lucas abſolute affirmant, mœchari omnem qui ducit uxorem a viro adhuc vivente rejectam, & qui dimiſſa priore cum altera jungitur. *Quicumque*, ait Chriſtus apud Marcum, (*Marci* 10, 11) *dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*: *&, ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur* . . . apud Lucam vero: (*Luc.* 16, 18) *omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro duxit, mœchatur* . . . . quis vero exiſtimet hanc tanti momenti tamque neceſſariam exceptionem Sanctos Evangeliſtas prætermiſſuros, ſi revera facta a Chriſto fuiſſet? *Quoniam igitur*, ait S. Aug. (*De adult. conj. lib.* 1, *c.* 8) *fas non eſt, ut Evangeliſtas de una re loquentes, ab uno ſenſu eademque ſententia diſſentire dicamus, reſtat ut Matthæum intelligamus eamdem tenuiſſe ſententiam; ut omnis qui dimittit uxorem ſuam & ducit alteram, mœchari minime dubitetur. Nam & illud quod etiam ſecundum Lucam ſequitur*, qui dimiſſam duxerit, mœchatur, *quomodo eſt verum? quomodo mœchatur, niſi illam quam duxit eo vivente a quo dimiſſa eſt, adhuc uxor aliena eſt? ſi enim jam ſuæ, non alienæ miſcetur uxori, utique non mœchatur: mœchatur autem: aliena eſt ergo cui miſcetur. Porro ſi aliena eſt, hoc eſt, ejus a quo dimiſſa eſt; etiamſi propter fornicationis cauſam dimiſſa eſt, nondum dimittentis uxor eſſe ceſſavit*.

Tertio, cum in iis quæ in libris ſacris dicta videntur obſcurius, privato nemini liceat interpretandi officium uſurpare; ſed debeat unuſquique antiquitati, univerſitati, conſenſioni fideliter adhærere, atque ut verbo dicam, Eccleſiam audire magiſtram & ſequi; cum laudatis ſuperius Patribus & Synodis, maxime vero cum Concilio Trid. in quo quæſtio hæc apertiſſime definita eſt, ſine dubitatione tenendum, ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam, adulterio alterius conjugum matrimonium non reſolvi, hocque unum per verba Matthæi concedi marito adulteræ, aut uxori adulteri, ut vinculo illæſo manente, fidei conjugalis violatorem, a convictu & Thoro excludat.

Inst. 1. Atqui verbis Chriſti ſignificatur reſolutio matrimonii non modo quantum ad Thorum & cohabitationem, ſed & quantum ad vinculum. Ergo &c. prob. ſubs. Præter fornicationem multæ aliæ cauſæ ſunt, ob quas uxor a Thoro & cohabitatione excludi poteſt: quando ergo ait Chriſtus, niſi propter fornicationem dimitti non poſſe, loquitur de vinculi ipſius ſolutione.

R. Nego ſubs. ad probat. diſt. ant. præter fornicationem multæ aliæ cauſæ ſunt, ob quas uxor a Thoro & cohabitatione excludi poteſt, *ad tempus*, conc. *in perpetuum*, n. ant. & conſeq.

E. R. Equidem multæ aliæ cauſæ ſunt, propter quas uxor ad tempus dimitti poteſt, de quibus capite ſequente dicturi ſumus: ſed præter fornicationem nulla occurrit, propter quam licitum ſit eam a Thori conſortio in perpetuum ſegregare: cum enim propter alias cauſas dimittitur, non abſolute repudiatur, nec ſine ſpe reditus, ſed ad tempus, donec reſipuerit; ita ut ad maritum ſit reverſura, ſi ipſa ad mentem officiumque redierit: verum propter fornicationem abſolute poteſt &

perpetuum repudiari, ita ut etiamsi insanos amores correxerit, eam maritus de novo recipere minime teneatur: non enim dimittitur ne pergat facere, sed quia fecit injuriam; nec ea tantum de causa ejicitur, ut culpam emendet, sed ut quoad vixerit pœnam luat criminis, quo fidem conjugalem, in qua matrimonii basis est, violavit.

Inst. 2. Christus his verbis: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, respondet ad quæstionem sibi a Pharisæis propositam, *numquid ex quacumque causa liceret uxorem dimittere*? atqui nisi verba ejus de dimissione etiam quantum ad vinculum accipiantur, non diluit quæstionem: Pharisæi enim Christum de ea dimissione interrogabant, qualis moribus Judæorum fieri consueverat; atqui dimissio hæc importabat ipsius vinculi fractionem. Ut ergo quæsito responsum conveniat, de vinculi solutione accipi debet.

R. concessa maj. n. min. ad probat. concessa iterum maj. dist. min. dimissio hæc importabat ipsius vinculi fractionem, *ex patientia sive tolerantia legis*, con. *ex lege ipsa*, n. min. & conseq.

E. R. Tametsi Christus de dimissione a Thoro tantum, non vero de vinculi ipsius solutione de qua fuerat interrogatus responderit; ad propositum tamen, appositeque respondit: insinuare quippe & inculcare voluit, quid in Judaicis divortiis licite, quid illicite fieret: cum enim libellus repudii duo importaret, perpetuam videlicet conjugis a Thoro expulsionem, & cum altera nubendi licentiam; hæc duo Salvator ita distinxit, ut dimissionem quidem a Thoro propter adulterii causam concesserit, potestatem vero nubendi cum altera, quam antiqua lex in Judæis, ad majus malum vitandum patienter tolerabat, omnino abstulerit.

Inst. 3. Ex concessis quidquid licite in antiqua lege fiebat, Christus in nova probavit confirmavitque; atqui Judæis olim solemne erat, dato libello repudii non modo repudiatam conjugem a Thoro repellere, sed & alteram in ejus locum, soluto præcedente vinculo subrogare. Ergo hoc ipsum in Evangelio Christus permisit.

R. Transeat major, cujus veritatem expendere præsentis non est instituti, & nego minor. nego, inquam, matrimonii vinculum apud Judæos, vero legis decreto solutum. Nam

1. Deuteronomii c. 24, mulier quæ accepto libello repudii alteri nupserit, polluta dicitur & abominabilis coram Domino: *non poterit*, inquit Moyses v. 4, *prior maritus suscipere eam in uxorem, quia polluta & abominabilis facta est coram Domino*. Non ergo divina constitutione matrimonii vinculum tum temporis solvebatur.

2. Quæro dispensationis hujusmodi quæ Deo causa conveniens esse potuisset? numquid fidelis populi augmentatio? atqui Israelitarum incremento, polygamiæ concessione consultum sat erat: numquid duritia cordis Judæorum? quis porro dixerit, ideo debuisse Deum in malo permittendo facilem esse, quia difficiles obstinatique Judæi erant, & nolebant intelligere ut bene agerent?

Inst. 4. Probando min. *Deuteronomii* 24 statim ab initio sic habetur: *si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem; scribet libellum repudii, & dabit in manum illius, & dimittet eam de domo sua: cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam in uxorem* . . . Inde sic colligitur argumentum:

Moyses divina auctoritate Judæis permisit, 1 ut uxores quavis de causa exosas dimitterent: 2 ut scripto libello repudii facultatem eis facerent libere ad novas nuptias transeundi. Ergo Judæorum matrimonia non quoad Thorum tantum, sed & quoad vinculum libellus repudii dirimebat.

R. Admitto auctoritatem, & n. 2 partem antecedentis: duo enim in hoc decreto necessario distinguenda, uxoris nimirum expulsio, & libellus repudii facultatem derelictæ faciens denuo nubendi. Primum præcipit Moyses in hypothesi quod virum inter & uxorem rixæ ac perpetuæ inimicitiæ sint: secundum non præcipit, sed permittit, non quia bonum, sed quia minus malum uxoricidio, a quo sibi forte Judæi pro innata feritate non temperassent, quo promptius se a molestiis infausti matrimonii liberarent: hinc Christus apud Matthæum (19, 7) opponentibus Pharisæis: *quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Moyses*, inquit, *ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic*: quibus verbis significat Moysen, ipsumque proinde Deum indulgentia usum esse; libellum repudii permittendo, ne videlicet per uxoricidium, veneficia, & apostasiam a cultu Dei, in mala graviora incurrerent: *ab initio autem*, inquit, *non fuit sic*: id est, Adæ aut proximis ejus posteris neutiquam concessum est uxores dimittere; sed stabat tum temporis conjugium institutione sua & ordinatione divina prorsus irrevocabile.

Inst. 5. Nisi hæc uxorum, etiam cum fractio-

ctione vinculi conjugalis, repudiatio, lege veteri approbata fuisset, Prophetæ, sacerdotes, ipsaque lex Judæos hoc tantum malum sibi permittentes acriter reprehendissent; atqui eos hac de causa culpatos nullibi legimus. Ergo &c.

R. Concessa maj. n. min.

1. Enim, ut prædictum est, mulier novo post libellum repudii marito juncta, in Scripturis polluta dicitur, & abominabilis coram Domino (*Deut.* 24).

2. Jeremias c. 3, statim ab initio, Israelitas veri Dei, per idololatriam desertores, mulieri comparat quæ viro vivente, necdumque resoluto prioris matrimonii vinculo, ad secundas nuptias transit. *Vulgo dicitur*, inquit, *si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem* (Domus Israel) *fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.*

Falso ergo asseritur Judæos de diremptione matrimonii numquam reprehensos: quod autem non ita frequentes hujusmodi objurgationes essent, in causa fuit obstinatio Judæorum, quam prævidebant prophetæ suis adhortationibus & exprobrationibus non frangendam: tacere namque satius esse putabant, quam surdis, aut audire nolentibus canere.

Expenditur & resolvitur objectio altera ex antiquorum auctoritate petita.

Opponunt 2. Veterum Imperatorum etiam Christianorum legibus licitum erat, matrimonia, quantum ad vinculum solvere: eumque morem in Galliis olim fuisse receptum constat ex *Formulis* Marculphi 7 sæculo Monachi, *Formula* 30, cui titulus est; *libellus repudii*. Ergo sine crimine olim matrimonia rumpebantur, & possunt hodie dirimi.

℞. Concesso ant. n. conseq. Quod enim exemplo malo committitur, & pravis hominum decretis probatur, non propterea vim divinæ constitutionis infringit; nec debet divina lex humanis sanctionibus cedere, sed e contrario debent hominum præscripta damnari ac rejici, hoc ipso quod divinis contraria esse comperiuntur; atqui constat ex prædictis, matrimonii vinculum, summo Imperatore Christo ita volente, ne in casu quidem adulterii solvi posse. Frustra ergo in contrarium, Constantini, Justiniani, & aliorum leges jactantur: *aliæ sunt leges Cæsarum*, ait S. Hieronymus, (*Ep.* 30) *aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit* ..... & S. Joannes Chrysost. (*in cap.* 7 *Ep. ad Rom.*) *nec mihi*, inquit, *recites leges externas atque prophanas, quæ libellum repudii dare, ac divortium facere præcipiunt: non enim profecto secundum has leges judicaturus est Deus, sed juxta eas quas ipse posuit* ... parique sensu S. Aug. hom. 46 inter 50 (*novæ edit. serm.* 392) *hoc*, ait, *non licet jure poli, etsi liceat jure fori*: consentiunt ad unum SS. Doctores, concordi judicio affirmantes, civiles Romanorum leges cum iniquas recognoscuntur, merito damnari ac rejici.

Inst. 1. Non civilibus tantum, sed & Ecclesiasticis legibus olim licentia illa concessa est. Ergo &c.

Prob. subs. Origenes 3 sæculi Scriptor tract. 7 in Matthæum asserit, non sine causa Episcopos aliquibus mulieribus permisisse, ut nuberent cum viris, quorum adhuc vivebant priores uxores. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & n. conseq. ibidem observat Origenes, perperam hoc & contra Scripturæ auctoritatem esse concessum. *Scio*, inquit, *quosdam qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere, viro priore viventе: & contra Scripturam quidem fecerunt dicentem*: mulier ligata est, quanto tempore vivit vir ejus. *Item*: vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: *non tamen omnino sine causa hoc permiserunt: forsitan enim propter infirmitatem & incontinentiam hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt permiserunt, adversus ea quæ ab initio fuerant scripta*: dico autem vobis, quoniam quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Ita Origenes, cujus auctoritas qua ratione queat contra indissolubilitatem matrimonii venditari prorsus non apparet.

Inst. 2. Atqui antiquorum opinio erat, repetitas post repudium nuptias, nihil habere Evangelicæ legi contrarium. Ergo &c.

Probant subseq. Ex *Arelatensi* I Concilio (*an.* 314) Can. 10 sic statuente: *de his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit ut quantum possit, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant* ... inde sic instruunt argumentum:

Si existimarent Patres Arelatenses, secundum, dimissa priore conjuge, matrimonium Evangelio repugnare, non dicerent junioribus fidelibus qui uxores dimittunt adulteras, dandum esse consilium, iis viventibus, a novo matrimonio abstinere; sed longe consultius hunc tantum abusum anathematis comminatione reprimerent; atqui multo agunt mitius, hocque

unum

unum definiunt, debere hujusmodi ab iterandis nuptiis, paterno monitu, & amicabili consilio deterreri. Judicant ergo esse quidem melius & perfectius, in tali casu de novo non nubere, non tamen nubere malum esse, aut legi Dei contrarium.

R. Nego subs. ad probat. duplex responsio est. 1. Esto hæc Arelatensis Synodi sententia fuerit, nego hinc inferri legitime, hujusmodi matrimonium legi divinæ non adversari: tantum enim sequitur, privatos quosdam Doctores, aut etiam particulares Synodos, in hac obscurissima quæstione a veritatis tramite deflexisse, quod facile posse contingere, sua, ut prædixi, ætate S. Aug. agnovit. *Quisquis*, inquit, (*de fide & operib. cap. 19*) *uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta causa adulterii dimittunt & ducunt .... in ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum iste cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit; ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur*: itaque ad sensum S. Doctoris, si qua in decreto Arelatensi deceptio fuit; nondum eliquatis controversiæ hujus ambagibus, venialis fuit.

R. 2. Admitto auctoritatem, & concessa maj. dist. min. Declarant Patres junioribus fidelibus dandum esse consilium, viventibus uxoribus licet adulteris, cum aliis non nubendi: *consilium scilicet intelligendo, rei necessariæ persuasionem*, conc. *secus, quasi licet melius esset non nubere, non tamen esset nubere malum*, n. min. & conseq.

E. R. non omnis qui consilium dat, hoc ipso supponit posse impune prætermitti quod consulit; sic enim quod ait Apostolus ad Titum, (2, 6) *juvenes hortare ut sobrii sint*, numquid ita dictum accipi potest, quasi indifferens æqualeque sit ad salutem, sobrios vel intemperantes esse? aliud ergo consilium est rei non necessariæ, quale est consilium servandæ virginitatis; aliud rei absolute necessariæ & divinitus imperatæ; qualis est exhortatio omnis impudicitiæ & fornicationis vitandæ: hoc porro secundo sensu debere decretum Arelatense intelligi, canonis ipse contextus insinuat: *de his*, inquit, *qui conjuges suas in adulterio deprehendunt ... & prohibentur nubere, placuit, ut quantum possit, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant*: agnoscunt itaque patres, secundum matrimonium, quoad primæ uxores supersunt, lege, utique Evangelica, prohibitum esse: atque adeo vox, *consilium*, non de rei melioris, sed de rei necessariæ denunciatione accipi debet.

Jam si quæratur cur non imperandi, sed consulendi vox expressa in canone fuerit?

R. Ex œconomia ita factum, ne nimius in præcipiendo rigor rebelles magis faceret quam dociles & obsequentes: ad adolescentes enim canon ille respiciebat, quos tum ebullientis libidinis ardor, tum civilium legum auctoritas, tum diversarum provinciarum consuetudo, ad secundas, viventibus adulteris uxoribus, nuptias vehementer incitabat: caute itaque loco imperii, nomen consilii a patribus usurpatum, quo eos facilius in officio continerent.

Inst. 3. S. Ambrosius qui eodem 4 sæculo floruit, comment. in cap. 7 primæ ad Corinthios: *viro*, inquit, *licet ducere aliam uxorem, si dimiserit uxorem peccantem; quia non ita lege constringitur vir sicut mulier: caput enim mulieris vir est*: censet ergo S. Doctor licere viro, facto cum conjuge adultera divortio, novum inire matrimonium, licet eamdem dimissæ mulieri deneget facultatem; atque adeo putat, saltem ex parte viri, frangi in hoc casu matrimonii vinculum.

R. Nego suppositum: quod enim vendicatur sub Ambrosii nomine in Pauli Epist. commentarium, genuinum S. Doctoris opus non esse, sed vel a Pelagio hæretico, vel ab Hilario Romanæ Ecclesiæ diacono Luciferaniorum fautore & sectatore confectum, probant nostræ ætatis critici pene omnes, tum ex styli diversitate, tum ex doctrinæ dissonantia, tum multis aliis argumentis, quæ prosequi nostri non est instituti: cæterum verus Ambrosius in hac causa, quod mulieri non licet, viro pariter esse vetitum, conceptis verbis affirmat: *nemo*, inquit, (*lib. 1 de Abraham cap. 4*) *sibi blandiatur de legibus hominum: omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet: eadem a viro quæ ab uxore debetur castimonia .... (ib. cap. 7) vinctus es uxori? noli quærere solutionem; quia non licet tibi uxore vivente, uxorem ducere: nam & aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii, hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam*.

Inst. 4. Et varia testimonia congerunt, quæ quia eamdem difficultatem important, pariter resolvi debent aut explicari.

1. Inquiunt, *Lactantius Firmianus*, 4 sæculo scriptor insignis, cui propter sermonis facundiam, & eloquentiæ nervos, Christiani Ciceronis nomen inditum est, divinarum institutionum l. 6, c. 23, ait, *esse adulterum, qui a marito dimissam duxerit, &, eum qui, præter crimen adulterii, uxorem dimiserit, ut alteram ducat*: censet ergo ab omni criminatione liberum esse, qui propter adulterium uxore dimissa alteram ducit.

2. Con-

Digitized by Google

2. Concilium *Veneticum* (*anno circiter* 465) can. 2 " eos quoque, *inquit*, qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta fornicationis causa, sine adulterii probatione alias duxeriot, statuimus a communione statim arcendos . . . " itaque judicio Synodi, adulterii facta probatione licitum est, aliam uxorem, priore superstite ducere.

3. Vetus pœnitentiale Romanum decernit, " ut uxor quæ juridice probaverit, invitam se, & marito cogente adulterium perpetrasse, si se continere non potest, nubat cui voluerit, tantum in Domino: maritus vero sine uxoris spe in perpetuum maneat."

4. In Capitulario *Caroli Magni* l. 5, c. 19, sic legitur: " si quis homo habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteravit cum ea, ille frater, vel illa fœmina, quia adulterium perpetrarunt, interim quoad vivunt, numquam amplius habeant conjugium: ille vero cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet, uxorem accipere aliam . . . " ergo sæculo 9, quo prædicta capitularia scripta sunt, in Galliis & in universo Caroli Magni imperio, viro innocenti licebat, dimissa uxore adultera, cum altera nubere: atque adeo causa adulterii vinculum matrimonii solvebatur.

5. Longe antiquior *S. Basilius*, Ep. 1 canonicæ ad Amphilochium c. 9, docet: " virum ab uxore dimissum, venia dignum esse si nubat cum altera; neque mulieri quam ducit, tale conoubium crimini esse vertendum: " ergo &c.

R. Fateor laudata testimonia, & ejusdem sensus alia quæ afferri poterant, contrariæ sententiæ magis favere quam nostræ: me haud equidem latet, quosdam esse Theologos, in conciliandis & explicandis patribus tam miræ sagacitatis, ut putent Lactantium, Basilium, & cæteros, ad communem Ecclesiæ doctrinam absque ullo negotio revocari, ponendo nimirum eos esse locutos, non de licentia quam Evangelium faciat, sed quam leges civiles concesseriot: verum, ut libere dicam quod sentio, hoc mihi non operosum tantum, sed & impossibile prorsus videtur: quod ultro concessurum confido, quisquis verba Lactantii & aliorum attentius pensitaverit.

Dico itaque cum Card. *Bellarmino*, (*libr. 1 de matr. c.* 7) *Natali Alex.* & aliis magni nominis Theologis, in obscurissima quæstione quæ tum temporis non erat liquido disceptata, nec ab aliquo generali concilio explicata, veteres qui opponuntur scriptores cum aliqua excusatione errasse.

Nec est quod reponatur, causam Græcorum, Lutheranorum, & Calvinistarum hac confessione juvari: contendimus namque multis modis vinci adversarios, nec quidquam ex quorumdam quos prisca tulit ætas, aberratione, habere præsidii: vincuntur, inquam

1. Auctoritate scripturæ, quæ indissolubile esse nuptiarum vinculum sine ulla exceptione pronunciat.

2. Conciliorum, sum. Pontificum, & patrum decretis, quibus aperte declaratur, matrimonia propter adulterium solvere, Evangelico vigori esse contrarium, & frustra contra doctrinam hanc leges civiles opponi, quæ, ut Tertullianus loquitur, (*Apol. c.* 4) *cum iniquæ recognoscuntur, merito damnantur*: iniquas porro esse dubium non est, hoc ipso quod cum Evangelio pugnant.

3. Quæ temporum præcedentium nubes & caligo fuit, sequentibus, bene favente Deo, depulsa est: nam quæstio de indissolubilitate matrimonii in concilio Florentino agitari cœpta est, ubi Eugenius IV Pontifex Max. paterna sollicitudine Græcos commoneos: *propono*, inquit, *vobis aliqua ut fratribus, ut Ecclesiarum doctoribus, & primo dico omnes conqueri de separatione matrimoniorum, idque correctione indiget*: deinceps vero in Concilio Trid. finita, ubi anathemate percussus est, quisquis diceret, *errare Ecclesiam cum docet aut docuit, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi*.

Inst. 5. Si hæc de matrimonio controversia conciliorum œcumenicorum auctoritate finita est, dicendum Græcos ea de causa esse hæreticos, quippe qui matrimonia propter adulterium usu antiquissimo dirimunt, nec ex quo Trid. Synodus celebrata est, dissolvere destiterunt.

R. Nego conseq. quamquam enim Græci & Orientales culpabiles sint, reveraque a Latinis sæpe fuerint reprehensi; non ideo tamen hæretici sunt dicendi, quia non eos Concilium Trident. anathemate feriit, sed Lutheranos & Calvinistas Romanæ Ecclesiæ calumniatores: rem ita narrat Card. *Pallavicinus* in historia Concilii Trid. (*lib.* 22, *cap.* 4) " Canon, *inquit*, paratus fuerat cum anathemate in eum qui diceret, matrimonia consummata ob adulterium dissolvi: sed oratores Veneti exposuerunt patribus, septimo canone, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim vero Græcis, in subjectis Reipublicæ Venetorum locis degentibus, scilicet in insulis Cretæ, Cypri, Corcyræ &c. non solum cum publicæ quietis, sed etiam cum Catholicæ Ecclesiæ detrimento: tametsi enim Græca Ecclesia a Romana ex parte dissentiret, non eo tamen de-

" spe-

„ sperationis deventum esse, ut meliora spe-
„ rari non possint; præsertim cum Græci in
„ subjectis Reipublicæ locis degentes, quam-
„ vis ritu suo viverent, tamen præsulibus a
„ Romano Pontifice assumptis obtemperarent:
„ eapropter tum rerum convenientia, tum o-
„ ratorum munere se compelli, ne ipsi eos po-
„ pulos percuti sinerent ejusmodi anathemate,
„ quo ad tumultum & integram a sede Apo-
„ stolica defectionem provocarentur: satis con-
„ stare in more positum apud Græcos ut u-
„ xorem adulteram deserant, & aliam ducant,
„ veterrimam majorum consuetudinem, ut i-
„ psi dicunt, secuti: nec idcirco illos damna-
„ tos aut anathemate perculsos fuisse ab ulla
„ Synodo œcumenica, etiamsi Romanæ & Ca-
„ tholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquido in-
„ notuisset: existimare igitur oratores sui es-
„ se muneris, quam efficacissime possent po-
„ stulare, ut voces canonis adeo moderate le-
„ nirentur, ne Græcis detrimentum infer-
„ rent . . . . posse, quantum ipsi putabant,
„ & obtineri quod Synodus intendebat, & Rei-
„ publicæ satisfieri, canone ejusmodi verbis
„ conflato: *anathema sit, si quis dixerit, sa-*
„ *crosanctam Romanam, Catholicam, & A-*
„ *postolicam Ecclesiam, quæ mater & magi-*
„ *stra aliarum est, errasse aut errare cum*
„ *docuit & docet, propter adulterium alterius*
„ *conjugum matrimonium non posse dissolvi*.
„ &c. „

Cum itaque patres Trid. Venetorum postulationi acquieverint, & ad eorum sententiam canonem septimum reformarint; manifestum est hoc decreto non Græcos, sed Lutheranos & Calvinistas, qui Romanam Ecclesiam erroris & sævæ Tyrannidis accusabant, anathemate esse perculsos: qua de re si quis adhuc dubitat, attendat ad morem a Concilii Trident. temporibus ad hanc usque diem inviolabiliter observatum: in his enim provinciis ac diœcesibus ubi Græci Latinis permixiti proprias Ecclesias habent, a Latinis Episcopis quibus subjiciuntur, contra antiquam quam hactenus retinuerunt matrimonia propter adulterium dirimendi consuetudinem, nihil legimus ordinatum; tantumque Synodicis constitutionibus cautum est, ne mariti auctoritate propria nullaque præmissa forma judicii uxores adulterii prætextu dimitterent, & novis deinceps uxoribus jungerentur: *tam facile dirimi inter conjuges Græcos matrimonia*, inquiebat Cardinalis Montaltius, Montis-Regalis in Sicilia Archiepiscopus, in Synodo provinciali an. 1652 habita, *approbare nullo modo debemus: ideoque huc usque factas separationes quoad vinculum, extrajudicialiter & auctoritate propria, nullas fuisse atque irritas declaramus.*

§. TERTIUS.

Utrum matrimonii vinculum nullo casu, quoad vivunt conjuges, rumpi possit?

Ut quæstio explicetur, revoca in memoriam quod superius dictum est, magnam esse matrimonii *rati*, & matrimonii *legitimi* differentiam: *ratum* dicitur, quod inter fideles juxta canonum præscripta initur, & ab Ecclesia approbatur: *legitimum* appellatur, quod ab ipsis etiam infidelibus contrahitur, quatenus naturæ officium est, & secundum leges quidem civiles ac naturales, sed contra Ecclesiasticam regulam: hoc posito

Dico 1, matrimonii *rati* & consummati vinculum ita firmum & inviolabile esse, ut nulla penitus causa, nisi mortis naturalis interventu dissolvi queat: hocque quoniam toto §. 1 probatum est, nova argumentatione non eget.

Dico 2 matrimonium *legitimum* & consummatum, etiam quantum ad vinculum solvi posse, si alterutro ad fidem converso nolit alter ei cohabitare, aut commorari renuat sine injuria creatoris, veræque religionis blasphemia.

Hæcque manifesto doctrina Apostoli est, ad Corinthios sic loquentis: (1 *Cor.* 7, 10, & *seq.*) " iis qui matrimonio juncti sunt,
„ præcipio non ego, sed Dominus uxorem a
„ viro non discedere: quod si discesserit, ma-
„ nere innuptam, aut viro suo reconciliari:
„ & vir uxorem non dimittat: nam cæteris
„ ego dico, non Dominus: si quis frater uxo-
„ rem habet infidelem, & hæc consentit ha-
„ bitare cum illo, non dimittat illam: & si
„ qua mulier fidelis habet virum infidelem,
„ & hic consentit habitare cum illa, non di-
„ mittat virum: sanctificatus est enim vir in-
„ fidelis per mulierem fidelem, & sanctifica-
„ ta est mulier infidelis per virum fidelem...
„ quod si infidelis discedit, discedat: non e-
„ nim servituti subjectus est frater aut soror
„ in hujusmodi. „

Inde sic efflorescit argumentum: Apostolus matrimonium inter fidelium & infidelium discrimen aliquod facit, nec pari utrumque ratione posse dissociari insinuat: alioquin enim frustra de utroque diversis sententiis loqueretur; cum utrique potius eadem esset regula præscribenda; atqui fideles conjuges ea conditione avelli permittit, ut omnino a novo matrimonio, quoad uterque vixerit, obeundo abstineant: *præcipio*, inquit, *non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo* *recon-*

Digitized by Google

reconciliari: quod ergo subjicit de iis qui in infidelitate contraxerant: *si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in casu hujusmodi*: debet de vinculi ipsius solutione intelligi, ita ut sensus sit: „ si infidelis conjux discedit, vel revera & corporaliter divortium faciens, vel affectu & moribus abalienatus, & in Christum ejusque religionem blasphemus, sponsumque vel sponsam pertentans ad Idololatriam aut judaismum retrahere: eo casu discedat etiam fidelis, plenumque divortium faciat, ita ut possit si velit, ad nova vota transire: alioquin enim nimiæ servituti subjectus esset fidelis, si fœdus matrimonii in tali casu inviolabile permaneret.„

Hæcque non nostra, sed Ecclesiæ interpretatio est: *si alter infidelium conjugum*, inquit Innocentius III Pontifex Max. Doctrinam & praxim Ecclesiæ explicans, (*tit. de divortiis cap. quanto*) *ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini numinis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda si voluerit, vota transibit*: & *in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus*: si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi: & *canonem etiam in quo dicitur*: contumelia creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur.

Addo verba Angelici præceptoris: "dicendum, *inquit*, (*supp.* 4, 59, *a.* 5, *in corp.*) „ quod quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate manente, distinguendum est; quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia creatoris, id est, sine hoc, quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere: sed discedens non potest alteri nubere: si autem infidelis non vult cohabitare sine contumelia creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens, & nomen Christi audire nolens; tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari . . . . . . vir enim, *inquit paulo supra*, (*ib. in arg. sed contra*) non debet cohabitare uxori infideli, nolenti cohabitare sine contumelia creatoris: si ergo non liceret ei aliam ducere, cogeretur continentiam servare, quod videtur inconveniens quia sic ex conversione sua incommodum reportaret.„

Diluuntur quædam objectiones.

Opponunt: pugnat hæc doctrina cum Christi verbis: *quod Deus conjunxit, homo non separet*: ergo &c.

R. Nego ant. non enim homo in hoc casu, sed Deus in gratiam nomen suum confitentis id separat, quod ipse ante conjunxerat: atque adeo non inconstantia ac volubilitate humana, sed providentia & largitione divina, conjux fidelis a jugo eximitur, cui collum in infidelitate submiserat: contumelia namque creatoris circa eum qui relinquitur, matrimonii jura solvit, nec ei servanda fides conjugii, qui Deo fidelis esse recusat.

Inst. 1. Verba Christi: *qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa*, & *aliam duxerit, mœchatur*: nullam, ut superius dicebamus, patiuntur exceptionem: nulla ergo ratione potest conjux fidelis ab infideli, fractione vinculi abstrahi.

R. Dist. ant. nullam patiuntur exceptionem, *si sermo sit de matrimonio in Ecclesia fœderato*, conc. *si de matrimonio in infidelitate contracto*, n. ant. & conseq.

E. R. Verba Christi spectant ad fideles, quorum matrimonium ratum & consummatum, penitus, omnique facta hypothesi indissolubile est; non vero ad eos qui in infidelitate conjuncti sunt, quorum altero ad fidem converso, si alter in infidelitate obstinato, & cum injuria creatoris permaneat, æquum est absoluta nuptiarum disruptione Dei contumeliam vindicari.

Deinde: *matrimonium*, inquit S. Thomas, (*ib. in arg. sed contra*) *non est ratum sine Sacramento baptismi*: *sed quod non est ratum potest dissolvi*: *ergo matrimonium in infidelitate contractum potest dissolvi*: & *ita soluto matrimoniali vinculo, licet viro aliam ducere in uxorem*.

Inst. 2. Ut posset conjux fidelis ab infideli discedens ad nova vota transire, deberet prius matrimonium irritum fieri ac dissolvi: atqui matrimonium jure naturæ indissolubile est: ergo fideli conjugi post suam discessionem nullo prætextu licet nuptias secundas contrahere.

R. Concessa maj. dist. min. matrimonium *perfectum* indissolubile est, conc. *imperfectum*, n. min. & conseq.

E. R. verbis Angelici præceptoris: *dicendum*, inquit, (*ib.*) *quod matrimonium infidelium est perfectum*, & *ita est firmius*: *semper autem firmius vinculum solvit minus firmum, si sit ei contrarium*: & *ideo matrimonium quod post in fide Christi contrahitur*, sol-

Digitized by Google

solvit matrimonium quod prius in infidelitate contractum fuerat: unde matrimonium infidelium non est omnino firmum & ratum, sed ratificatur postmodum per fidem Christi.

Inst. 3. Conjugi in infidelitate manenti, non licet quoad vivit ejus consors ad fidem conversus novum inire matrimonium: ergo multo minus fideli licet.

R. Dist. ant. *antequam conjux fidelis contraxerit*, conc. *postquam ille novum obierit matrimonium*, n. ant. & conseq.

E. R. Equidem priusquam conjux ad fidem conversus, infideli derelicto novum matrimonii fœdus inierit, a nuptiis duplicandis, qui in infidelitate remansit, jure naturæ prohibetur: sed *inquit S. Thomas*, (*ib. ad* 3) *postquam fidelis contraxit, solutum est vinculum matrimonii ex utraque parte, quia matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum: unde in pœnam uxoris infidelis, magis quam ex virtute matrimonii præcedentis, ei indicitur quod non possit cum alio contrahere: sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensative ut alteri nubat, si vir ejus aliam in uxorem duxit.*

Inst. 4. Adulterium cum matrimonio magis pugnat, quam infidelitas contra Deum: manifestum namque est posse Thalami nuptialis officia etiam ab eo qui Deo non credit impleri: atqui quantumlibet alter conjugum de adulterio sit convictus, consorti non licet eo vivente nuptias novas inire: idem ergo in causa infidelitatis dicendum.

R. Dist. maj. cum S. Thoma: adulterium magis cum matrimonio pugnat, quam infidelitas contra Deum; si spectetur matrimonium *quatenus naturæ officium est*, conc. si spectetur *quatenus est Ecclesiæ Sacramentum*, n. maj. & concessa min. n. conseq. *dicendum*, *inquit S. Doctor*, (*supp. q.* 59, *art.* 6, *ad* 1) *quod quamvis adulterium magis directe opponatur matrimonio, in quantum est officium naturæ, quam infidelitas; tamen e contrario est, in quantum matrimonium est Sacramentum Ecclesiæ ex quo habet perfectam firmitatem, in quantum significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ: & ideo matrimonium quod non est ratum, magis potest solvi quantum ad vinculum per infidelitatem, quam per adulterium.*

Inst. 5. Præcipuum & fere unicum nostræ sententiæ fundamentum est, necessitas ulciscendæ injuriæ Deo illatæ a conjuge infideli; atqui debile prorsus ac ruinosum fundamentum illud est; eoque minus probandum, quod innumerabilibus divortiis prætextum parat, & viam latissimam aperit: quem enim latet, post matrimonium in vera fide contractum, posse alterutrum conjugem in infidelitatem incidere, tantoque contra Christum & ejus Ecclesiam odio æstuare, ut cum consorte in fine perseverante, nolit sine creatoris blasphemia habitare? quis nescit posse virum vel fœminam, etiam si publice & cum scandalo Christum non neget, perversissimos mores induere, & in tantam nequitiam provehi, ut quem lecti nuptialis consortem habet, scelerum complicem omni industria & pravis exemplis facere tentet? vel ergo in tali casu conjux fidelis matrimonii vinculo liberatus, poterit ad secunda vota transire, ut numini illatam injuriam vindicet; vel si hoc in potestate non habet, nec pariter conjugi ad fidem converso concedi potest.

R. Concessa maj. n. min. ad cujus probationem admisso ant. n. conseq. & dico hoc argumentum a præsenti controversia toto ostio aberrare; hic enim agimus de matrimonio *legitimo*, non de matrimonio *rato*, cujus vinculum nulla ratione nulloque casu abrumpi posse, superius auctoritate & ratione probatum est: quantumvis itaque post nuptias in Ecclesia contractas conjugum alter contra Christum perjurus fiat, & fidei Christianæ desertor ad idolatriam vel ad judaismum deficiat, aut Christiani nomen retinens, perditissimis moribus vivat; non ideo consors ejus dicendus est a vinculo nuptiali solutus, quia hoc privilegium iis divinitus est concessum, qui in infidelitate contraxerint: longe namque ut prædiximus firmius est matrimonium in fide Christi contractum, quam matrimonium infidelium; nec quia istud aliquando dissolvitur, consequens est, illud pariter posse dirimi: *intelligendum est*, inquit *S. Thomas*, (*supp. q.* 59, *art.* 6, *in c.*) *quod matrimonium dupliciter solvitur: uno modo quantum ad vinculum: & sic non potest solvi, postquam matrimonium est ratificatum neque per infidelitatem, neque per adulterium: sed si non est ratificatum, solvitur vinculum, permanente infidelitate in alterutro conjugum, si alter conversus ad fidem ad aliud conjugium transeat: non autem solvitur vinculum prædictum per adulterium: alias infidelis libere posset dare libellum repudii uxori adulteræ, & ea dimissa aliam ducere, quod falsum est: alio modo solvitur vinculum quantum ad actum: & sic solvi potest, tam per infidelitatem, quam per fornicationem corporalem &c.*

Ita S. Doctor: itaque cujus maritus vel uxor post nuptias in Ecclesia Christi initas in infidelitatem, & impietatem quantumvis enormem inciderit, quærat in Thori separatione contra periculum subversionis remedium; sed sibimet de recuperata pristina libertate non blan-

Digitized by Google

blandiatur: nexum divina auctoritate firmatum revereatur, nec sub obtentu ulciscendæ injuriæ, qua Christum improbus consors affecit, maximam ipse Christo contumeliam faciat, quod conjunxit ille, impie separando, & reprobando quod ille probavit.

§. QUARTUS.

Quædam dubia explicantur.

Quæritur 1. Utrum hoc ipso matrimonii vinculum dirimatur, quo conjugum alter fidem amplectitur, altero in infidelitate relicto?

R. Negative: aliud enim potestas matrimonii dirimendi, aliud actualis ejus solutio est: equidem conjux ad fidem conversus, in pristinam libertatem sic vindicatur, ut pro libito possit ad nova vota transire; sed non ante prius conjugium solvitur, quam revera ad novas nuptias consensum præbuerit: cujus rei peremptorium argumentum est, quod si ante novum conjugium, consors infidelis baptismum susceperit, & Christo dederit nomen, ad illum recipiendum jure canonico compellatur: *dicendum*, inquit præceptor Angelicus, (*supp. q.* 59, *art.* 1, *ad* 2) *quod crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia creatoris, absolvit virum a servitute qua tenebatur uxori, ut non posset ea vivente aliam ducere; sed nondum solvit matrimonium, quia si a blasphemia illa converteretur, antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus: sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis, nisi solutus a servitute uxoris suæ per culpam ejusdem.*

Q. 2. Utrum secunda conjuge mortua possit vir fidelis priorem a qua propter infidelitatem recesserat, sine novo contractu resumere?

R. Negative: ut enim ad priorem sine novo contractu redire posset, deberet vinculum matrimonii in infidelitate contracti, etiam post secundas nuptias permanere; atqui, ut prædiximus, prioris matrimonii vinculum, secundo superveniente rescissum est: quod nisi concesserimus, fateri compellimur talem virum esse Polygamum, duas simul uxores habentem: habet, inquam, illam cum qua post conversionem suam contraxit; habet & alteram a qua propter infidelitatem recessit: uxorem enim facit contractus; atqui in præsenti hypothesi matrimonium novum non impedit, quominus præcedentium nuptiarum integra conventio maneat: duas ergo simul habet uxores: quod cum inepte dicatur, fatendum secundo matrimonio ita prius esse solutum, ut ad primam conjugem reverti maritus sine nova pactione non possit.

Q. 3. Utrum conjux ad fidem conversus teneatur cum infideli consorte manere, si consentiat cohabitare pacifice, & sine injuria creatoris?

R. 1. Generatim negative, ad illud enim non tenetur, de quo merum consilium est; atqui de non dimittendo conjuge infideli equidem Apostoli est consilium, sed Domini præceptum non extat: *ego*, inquit, (1 *Cor.* 7, 12 & *seqq.*) *dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum*: ergo &c.

Ita sentit S. Thomas: *dicendum*, ait (*supp. q.* 59, *art.* 3, *in corp.*) *quod fides ejus qui est in matrimonio, non polluit, sed perficit matrimonium: unde cum inter infideles sit verum matrimonium, per hoc quod alter eorum convertitur ad fidem, non ex hoc ipso vinculum matrimonii solvitur: sed aliquando vinculo matrimonii manente, solvitur matrimonium quantum ad cohabitationem & debiti solutionem; in quo, pari gradu currunt infidelitas & adulterium, quia utrumque est contra bonum prolis: unde sicut se habet in potestate dimittendi adulteram, vel commanendi cum ea; ita se habet in potestate dimittendi infidelem, vel commanendi cum ea: potest enim vir innocens libere manere cum adultera spe correctionis, non autem si in adulterii peccato fuerit obstinata, ne videatur patronus turpitudinis; quamvis etiam cum spe correctionis possit eam libere dimittere: similiter fidelis conversus potest cum infideli commanere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit: & bene facit commanendo, tamen non tenetur: & de hoc est consilium Apostoli.*

R. 2. Habita ratione circumstantiarum loci & temporis, nedum teneatur conjux fidelis infideli cohabitare, teneri e contra ad dimittendum, quamtumlibet pacificam conversationem promittat: illud enim Apostoli sive præceptum sive consilium, non divinum est, ut prædiximus, sed humanum: est igitur pro diversa locorum ac temporum conditione mutabile: tunc nimirum cessare ejus observatio debet, quando plus de conjugum cohabitatione, quam de separatione timendum est: quod tunc sane contingit, quando conjugi fideli subversionis periculum imminet; vel quando permitti non potest sine gravi fidelium offensione hujusmodi cohabitatio: quis porro negare audeat, in locis ubi Christiana religio dominatur, gravissimum scandalum excitandum, pessimi-

ſimique exempli rem eſſe futuram, ſi publice cerneretur maritus recens ad fidem converſus, cum uxore judaiſmum aut mahumetiſmum profitente cohabitare? merito ergo attentis hujusmodi circumſtantiis, ab Eccleſia decretum eſt conjuges eſſe ſeparandos: *Judæi qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent*, ait Concilium Toletanum IV, can. 62, (*ann.* 633.) *admoneantur ab Epiſcopo, ut ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur: quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur; quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem.*

Dicendum, inquit S. Thomas (*ſupp. q.* 59, *art.* 3, *ad* 2) *quod in primitiva Eccleſia tempore Apoſtolorum paſſim convertebantur ad fidem & Judæi & Gentiles, & ideo tunc fidelis vir poterat habere probabilem ſpem de uxoris converſione, etiam ſi converſionem non promitteret: poſtmodum autem tempore procedente, Judæi ſunt magis obſtinati quam Gentiles, quia Gentiles adhuc intrabant ad fidem, ſicut tempore martyrum, & temporibus Conſtantini Imperatoris, & circa tempora illa: & ideo tunc non erat tutum fideli cum uxore infideli Judæa cohabitare, nec erat ſpes de converſione ejus, ſicut erat de converſione uxoris Gentilis: & ideo tunc fidelis converſus poterat cohabitare cum Gentili, ſed non cum Judæa, niſi converſionem promitteret ..... ſed nunc pari paſſu ambulant utrique, ſcilicet Gentiles & Judæi, quia utrique obſtinati ſunt: & ideo niſi uxor infidelis converti velit, non permittetur ei cohabitare, ſive ſit Gentilis, ſive Judæa.*

R. 3. Noſtra hac ætate, in regionibus infidelium, ubi verbum Dei a ſacris præconibus ſeminatur, licere quidem fideli conjugi ab infideli diſcedere, etiam cohabitationem pacificam promittente; ſed tamen non expedire.

Quod quidem liceat jam probatum eſt: quod non expediat ſic oſtendo: illud non eſt conveniens fieri, unde prævidetur grave offendiculum oboriturum, nec minus grave obſtaculum progreſſui Evangelii inferendum; atqui in his regionibus ubi idololatria ſectatorum numero longe prævalet, apud Sinenſes e.c. ſi prætextu fidei chriſtianæ paſſim permitterentur divortia inter conjuges amice & pacifice viventes; tum gravis inde in Gentilium animis offenſio naſceretur, tum veniret in odium Chriſtiana religio, adeoque ejus progreſſui opponeretur obſtaculum invincibile: ergo convenientius eſt Apoſtolo obſequi, & conjugi infideli cohabitare, quam ab illo diſcedere.

Præclara de hac re S. Auguſtini ſententia eſt, lib. 1 *de adulterinis conjugiis*, c. 17, & ſequentibus: *ut igitur*, inquit, *ſi poſſumus, enitamur, inter id quod licet & non expedit, & id quod non licet atque ideo non expedit, aliquo certo fine diſtinguere: ea mihi videntur licere & non expedire, quæ per juſtitiam quidem, quæ coram Deo eſt, permittuntur, ſed propter offenſionem hominum, nec ob hoc impediantur a ſalute, vitanda ſunt: ea vero non licere, & ideo non expedire, quæ ſic ipſa juſtitia vetantur, ut facienda non ſint, etiam ſi ab eis quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur: quod ſi ita eſt, ideo non niſi illicita prohibentur a Domino, ut ea quæ licita ſunt, & non expediunt, non legis vinculo, ſed libera diſcretionis beneficentia caveantur: quocirca ſi dimittere infidelem conjugem non liceret, hoc fieri Dominus prohiberet, neque id Apoſtolus prohibens diceret*, ego dico, non Dominus: *nam ſi propter cauſam fornicationis permittitur homo a conjuge ſeparari; quanto magis in conjuge mentis fornicatio deteſtanda eſt, id eſt infidelitas, de qua ſcriptum eſt:* quoniam ecce qui longe ſe faciunt a te, peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te? *ſed quia ita licitum eſt, ut non expediat, ne propter conjugum ſeparationes offenſi homines, ipſam doctrinam ſalutis, qua illicita prohibentur exhorreant: ac ſi pejores atque perituri in eadem infidelitate remaneant; intercedit Apoſtolus, & monendo fieri vetat, quod ita licitum eſt, ut non expediat: ſic enim recedere ab infidelibus uxoribus vel maritis fideles viri vel fœminæ non prohibentur a Domino, ut neque jubeantur: nam ſi dimittere tales conjuges juberentur, nullus eſſet locus conſilio monentis Apoſtoli ne hoc fieret: nullo modo enim quod Dominus jubet, ſervus bonus fieri prohiberet ... Ideo autem nec juberi debuerunt fideles ab infidelibus ſeparari, quia non contra juſſionem Domini gentiles fuerint ambo conjuncti: quoniam ergo ab infideli fidelem diſcedere nec prohibet nec jubet Dominus, ideo ut non diſcedat, Apoſtolus dicit, non Dominus, habens utique Sp. Sanctum, in quo dare poſſit utile & fidele conſilium .... aliud eſt Domini jubentis imperium, aliud conſervi ſecundum miſericordiam caritatis, quæ eſt illi a Domino inſpirata atque donata fidele conſilium: ibi aliud facere non licet, hic autem licet; ita ſane ut ipſum licitum partim quidem expediat, partim vero non expediat: expedit tunc, quando non ſolum per juſtitiam quæ coram Domino eſt, permittitur; ſed etiam hominibus nullum ex hoc impedimentum ſalutis infertur .... tunc autem non expedit id quod licitum eſt, quando permittitur quidem, ſed uſus ipſius poteſtatis aliis affert impedimentum ſalutis: ſicut eſt ... diſceſſio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet* Do-

Dominus præcepto legis, quia coram illo iniusta non est, sed prohibet Apostolus consilio caritatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis: non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi; verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint, viventibus eis a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati, difficillime resolvuntur.

Sequitur

CAPUT SECUNDUM.

De solutione matrimonii rati & consummati quantum ad Thorum & cohabitationem.

Divortium est, *legitima conjugum separatio*, quæ tribus modis fieri potest: 1, quoad vinculum, si nimirum ipsa nuptialis conventio dissolvatur, ita ut pro non nuptis de cætero habeantur, qui hac ratione disjuncti sunt: 2, quoad Thorum, ita ut vinculo illæso manente, a debito conjugali liberi sint: 3, quoad Thorum simul & cohabitationem; quando nimirum conjuges non solum a nuptiali thalamo abstrahuntur, verum & contubernales esse desistunt; ita ut retento conjugum inviolabili nomine, sub eodem tecto nun maneant.

De divortio primi generis præcedenti cap. actum est, solideque ut putamus, probatum, matrimonii rati & consummati indissolubilem nexum esse: restat ut de 2 dicamus & 3: qua in re, ut in cæteris, Lutherani veritati catholicæ infensissimos se esse declarant: ubi enim de vinculo matrimonii agitur, non propter adulterium tantum, sed & ob alias causas abrumpi posse, acriter contra Romanam, hoc est, Catholicam Ecclesiam disputant: ubi vero ad alteram de Thoro & cohabitatione quæstionem perventum est, mordicus contendunt, manente conjugii vinculo, causam nullam esse conjuges a contubernio separandi: hæc enim sic volunt esse conjuncta, ut quamdiu subsistit vinculum, subsistat obligatio commanendi.

Contra illos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur matrimonium ratum & consummatum quantum ad Thorum & cohabitationem dirimi posse.

Ad 1 quidem verba Christi, (*Matt.* 5, 32, 19, 9) *omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat*, significant aliquam in casu adulterii dimissionem licitam esse: porro, ut capite præcedente monstratum est, non divortium illud significant, quod vinculi scissionem vel inferat vel sequatur: ergo saltem debent intelligi de solutione quantum ad Thorum & cohabitationem.

2. Id ipsum confirmant verba Apostoli: *iis*, inquit, (1 *Cor.* 7, 10, & *seq.*) *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari:* si enim offensa mulier jure suo non discederet, Apostolus absolute præciperet, ut quantocyus ad virum rediret, eique sine mora reconciliaretur; nec daret ei optionem, aut seorsim ab illo innuptam manendi, aut in ejus gratiam redeundi.

3. Revincendæ hæreticorum audaciæ plenissime sufficit perpetua & universalis Ecclesiæ praxis, qua constat matrimonia multis de causis quoad Thorum & cohabitationem dirimi posse, sæpeque esse soluta: quam disciplinam Trid. Synodus renovans & confirmans, *si quis dixerit*, inquit, (*sess.* 2, *can.* 8) *Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad Thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.*

Jam si hujusmodi separationis causa quæratur, respondeo non unam, sed multas esse.

1. Est, adulterium ab alterutro conjuge perpetratum, de quo Christi locis citatis expressa sententia est.

2. Est, mutuus conjugum consensus vitam perfectiorem, & meliora charismata æmulantium: ut si uterque matrimonio consummato continentiam voveat, & in eremum, monasteriumve secedat; aut si alter in sæculo manens, alteri licentiam faciat abeundi: cujus rei multa in Ecclesiasticis annalibus exempla occurrunt: sic enim Sancti *Lupus* Trecensis, *Paulinus*, *Germanus* Altissiodorensis, & plerique alii vitæ studio sanctioris, uxorum consensu præhabito, vel vitam monasticam sunt professi, vel sacris initiati ordinibus: hucque pertinet oraculum Christi, (*Matt.* 19, 29) *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores . . . . aut uxorem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

3. Est, alterius conjugum a Catholica fide defectio: quando enim instat necessitatis articulus, ut vel uxor sit relinquenda, vel cultus veri Dei per apostasiam deserendus, nullus cunctationi aut deliberationi superest locus, sed faciendum sine mora divortium: *si quis venit ad me*, ait Christus, (*Luc.* 14, 26) *& non odit patrem suum, & matrem, & uxo-*

Digitized by Google

uxorem , *& filios . . . adhuc autem & animam suam* , *non potest meus esse discipulus:* meminisse debet homo christianus Deo animam suam prius longeque arctius quam mulieri esse desponsatam , adeoque longe tutius , imo hoc solum tutum sibi esse , ne deserendi Dei periculum ineat , uxorem deserere : *hæreticum hominem* , inquit Apostolus , (*Tit.* 3 , 10) *post unam & secundam correctionem devita*: hæcque non humana , sed divina præscriptio est , quæ ad omnes , ne ipsis quidem conjugibus exceptis, extenditur : qui enim de matrimonio dixit, (*Gen.* 3 , 24) *quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem* , *& adhærebit uxori suæ* , ut ostenderet vinculum illud in humanis conventionibus futurum esse sanctissimum; non dixit , *relinquet homo Deum* , *& adhærebit uxori suæ* : ne videlicet primum maximumque mandatum infringeret , *Dominum Deum tuum adorabis* , *& illi soli servies*.

4. Est , si alter conjugum impellat alterum ad peccandum, ita ut ei cohabitare sine manifesto Deum offendendi periculo nequeat : *si oculus tuus scandalizat te* , ait Christus , (*Matt.* 18 , 9) *erue eum* , *& projice abs te* : *bonum tibi est* , *cum uno oculo in vitam intrare* , *quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis* : quem locum Sanctus Hieronymus explicans , sententiam Domini esse affirmat , ut si ii qui nobis conjuncti sunt , & cari instar oculorum, parentes videlicet, filii, uxor, causa nobis ruinæ , & perditionis occasio fuerint , protinus deserantur.

§. SECUNDUS.

Hæreticorum oppositiones excutiuntur.

Christus , inquiunt hæretici , dimissionem conjugis, solo fornicationis casu excepto , illicitam illegitimamque pronunciat: ergo contra ejus auctoritatem Romana præsumit Ecclesia, non propter adulterium tantum, sed aliis multis de causis separationem conjugum faciens aut permittens.

R. Dist. ant. Christus dimissionem conjugis *perpetuam* , solo fornicationis casu excepto , illegitimam esse pronunciat , conc. dimissionem *quæ sit ad tempus* , n. ant. & conseq.

E. R. In his Evangelii locis Salvator de perpetuo divortio loquitur , de quo a Pharisæis quæsitus erat : ejus porro faciendi nulla præter fornicationem est causa : ubi enim in hoc tantum facinus conjux infidelis proruperit , etiamsi in posterum resipiscat , a reddendo ei debito innocens per omne vitæ tempus sine dubio liberatur , quia adulterii perpetrator peccato suo jus potestatis conjugalis amisit : verum de aliis causis propter quas conjugis dimissio fit , aut fieri potest , diversum debet esse judicium : non enim eximunt innocentem a debito per omne vitæ tempus reddendo , sed pro eo tantum tempore quo durant crimina quæ separationis causa fuerunt : nam si qui consortem ad peccandum illiciebat , ad frugem redierit , & vitam mutarit in melius , eum tenetur conjux recipere, eique affectu maritali cohabitare : hæc enim peccata , in hoc (quod ad præsens spectat) a fornicatione diversa sunt , quod non per se sicut fornicatio , sed per accidens matrimonio opponantur.

R. 2. Dist. idem ant. Christus dimissionem conjugis, solo fornicationis casu excepto, illicitam esse pronunciat , *quia sola fornicatio propria ratio est matrimonii dirimendi*, conc. *ita ut alias causas excluserit* , *quæ matrimonio cum cæteris confœderationibus sunt communes* , n. ant. & conseq.

E. D. Sola fornicatio causa propria est matrimonii resolvendi , quia ea sola fidei conjugali & substantiæ matrimonii directe opponitur : cæteræ autem tum nuptiis , tum aliis hominum fœderationibus sunt communes : nam propter Apostasiam, hæresim, vel ad peccandum impulsionem , non solum conjux a conjuge, sed filius a patre, frater a fratre, servus debet avelli a domino : omnis denique societas dissolvenda, ne cum Deo societas amittatur; ut vere cum Apostolo ab homine fideli dicatur: (*Rom.* 8 , 38 , *& seq.*) *certus sum quia neque mors*, *neque vita* , *neque Angeli* , *neque principatus*, *neque virtutes . . . . neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei*, *quæ est in Christo Jesu Domino nostro... Christus ergo dicendo conjugem non debere nisi propter fornicationem dimitti* , *causam resolvendi matrimonii quam peculiarem habet* , *significavit*; *cæteras propter quas quælibet societas dirimi potest* , *ac debet* , *nec attulit* (*quod non erat eo loci necessarium*) *nec exclusit*.

Inst. S. Hieronymus commentario in c. 19 Matthæi , hæc Evangelii verba expendens : (*Matt.* 19 , 10) *si ita est causa hominis cum uxore*, *non expedit nubere*: *grave pondus uxorum est* , inquit , *si excepta causa fornicationis* , *eas dimittere non licet*: *quid enim si temulenta fuerit* , *si iracunda* , *si malis moribus*, *si luxuriosa*, *si gulosa*, *si vaga* , *si jurgatrix* , *si maledica* ; *tenenda erit istiusmodi* ? *volumus* , *nolumus* , *sustinenda est* : *cum enim essemus liberi* , *voluntarie nos subjecimus servituti*: existimat ergo S. Doctor, matrimonium quantum ad Thorum & cohabitationem, solius causa fornicationis dirimi posse.

R. Admitto auctoritatem , & dist. conseq.

ita

Digitized by Google

ita cenſet Hieronymus, *quando ex cobabitatione nullum peccati atque ruinæ periculum imminet*, conc. *ſecus*, n. min. & conſeq.

E. R. Vel tales ſceleſti conjugis mores ſunt, ut ſibi ſoli ſit malus, nec quidquam conſorti ejus de corporis aut ſpirituali morte timendum ſit; vel in tantam impietatem proceſſit, ut quem lecti & tecti ſocium habet, omni arte atque imperio moliatur, ſuæ hæreſis, aut facinorum reddere complicem. Si primum: ſententia S. Hieronymi locum habet, *volumus*, *nolumus*, *ſuſtinenda eſt*: ſi ſecundum, id eſt, ſi conjugi vel familiæ, ruinæ ſive corporalis ſive ſpiritualis diſcrimen immineat, juſteque timeatur conſortis, ac liberorum ſubverſio vel occiſio; tum ſane dimitti debere, S. Doctor nedum inficietur, affirmat: in eodem enim ſuper Matthæi Evangelium commentario, ubi ad hæc verba pervenit, (*Matt.* 18, 9) *ſi oculus tuus ſcandalizat te*, *erue eum & projice abs te* &c. *Melius eſt enim*, inquit, *vitam ſolitariam ducere*, *quam ob vitæ præſentis neceſſaria*, *æternam vitam perdere*.

§. TERTIUS.

Quædam dubia diluuntur.

Q. 1. Ita ne certum ſit in cauſa fornicationis matrimonium dirimi, ut nullam regula hæc patiatur exceptionem?

R. Excipi caſus aliquos jure divino ac naturali.

1 Eſt, ſi conjux uterque ejuſdem criminis reus fuerit: ut enim in jure habetur, *paria crimina mutua compenſatione delentur*: ita definitum ab Alexandro III, Extra: *de divortiis*, cap. *ſignificaſti*: & Innocentio III extra: *de Adulteriis*, cap. *tua fraternitas*. Idemque longe ante docuerat S. Aug. l. 1 *de ſerm. Domini in monte*, cap. 28, affirmans, *nihil eſſe iniquius*, *quam cauſa fornicationis dimittere uxorem*, *ſi & ipſe maritus convincitur fornicari*: & lib. 2 *de Adulter. conjugiis* c. 8, ubi commemorat legem ab Antonino Imperatore Ethnico latam, qua cautum erat, ne maritus adulter uxorem adulterii accuſaret. „ Iſti „ *inquit*, quibus diſplicet, ut inter virum & „ mulierem par pudicitiæ forma ſervetur, po„ tius eligunt . . . mundi legibus ſubditi eſſe „ quam Chriſti, quoniam jura forenſia non eiſ„ dem quibus fœminas pudicitiæ nexibus viros „ videntur obſtringere: legant quid Imperator „ Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac „ re conſtituerit, ubi maritus uxorem de a„ dulterii crimine accuſare non ſinitur, cui „ moribus ſuis non præbuit caſtitatis exem„ plum; ita ut ambo damnentur, ſi ambos „ pariter impudicos conflictus ipſe convicerit: „ nam ſupradicti Imperatoris hæc verba ſunt, „ quæ apud Gregorianum leguntur. *Sane*, „ inquit, *meæ litteræ nulla parte cauſæ præ*„ *judicabunt*: *neque enim ſi penes te culpa* „ *fuit*, *ut matrimonium ſolveretur*, & *ſe*„ *cundum legem Juliam Eupaſia uxor tua nu*„ *beret*; *propter hoc reſcriptum meum*, *adul*„ *terii damnata erit*, *niſi conſtet eſſe com*„ *miſſum*: *babebunt autem ante oculos inqui*„ *rere*, *an tu cum pudice viveres*, *illi quoque* „ *bonos mores colendi author fuiſti*: *perini*„ *quum enim mihi videtur eſſe*, *ut pudici*„ *tiam vir ab uxore exigat*, *quam ipſe non* „ *exhibet* . . . ſi hæc obſervanda ſunt propter „ decus terrenæ civitatis, quanto caſtiores „ quærit cœleſtis patria, & ſocietas Angelo„ rum. “

2 Eſt, ſi Vir uxorem ipſe ſuam proſtituerit, eique auctor fuerit fornicandi: hoc enim adulterium, magis, aut ſaltem non minus viro debere imputari, quam fœminæ, tum ratio ipſa clamat, tum ex jure canonico conſtat.

3 Eſt, ſi conjux conjugem poſt ejus cognitum adulterium ad Thorum receperit: hæc enim agendi ratio reconciliationis vim habet.

4 Eſt, ſi fornicatio fuerit ſine crimine: ut ſi vim paſſa ſit mulier, aut involuntario errore decepta.

5 Eſt, ſi uxor virum ſuum probabiliter mortuum credens propter longam ejus abſentiam, alteri nupſerit.

6 Eſt, ſi matrimonio in utriusque infidelitate contracto, vir dederit uxori libellum repudii, & uxor alteri nupſerit: tunc enim ſi uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.

De his ſimilibusque exceptionibus legatur S. Thomas ſuppl. qu. 62, a. 1, conſulantur & caſuum conſcientiæ tractatores: nobis enim dogmati explicando intentis, non vacat ſingula minutim dubia explicare.

Q. 2. Utrum teneatur vir uxorem adulteram, & viciſſim uxor adulterum virum dimittere?

R. cum diſtinctione vel enim conjux adulter reſipiſcentiæ certa aut veroſimilia ſigna præbet; vel perſeverat in voluntate peccandi.

Si primum: qui læſus eſt, ad divortium non tenetur, imo interdum lege caritatis tenetur adulterum retinere.

Pr. 1 pars: nulla lex eſt quæ hominem adigat ad injuriam ulciſcendam; immo humanitati & miſericordiæ valde eſt conſentaneum, ut qui læditur, adverſum lædentem jure ſummo non dimicet, & aliquid de legum

Digitized by Google

gum severitate remittat: ergo conjux innocens recedere ab adultero non tenetur: hinc Christus interrogatus an liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Respondit non licere nisi causa fornicationis; ubi tam interrogatio quam responsio rem licitam significant, non præceptam.

Prob. 2 pars, quod nimirum aliquando ex debito caritatis teneatur conjux innocens pœnitentem adulterum retinere: debet enim maritum uxoris saluti, quoad fieri potest, consulere; idemque de uxore dicendum erga maritum. Si ergo periculum sit, ne ejecta mulier in desperationem propter contractum dedecus incidat, vel egestate, aut alia qualibet impellente causa semetipsam prostituat, illam tenetur maritus caritatis officio retinere: *quod tibi durum videtur*, ait S. Aug. (*de adulter. conjug. l.* 2°, *c.* 6) *ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux, si fides adsit, non erit durum: cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos? hæc crimina in vetere Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ in novo testamento in Sanguine Christi sine dubitatione mundantur: & ideo tunc omnino prohibitum est, ab alio contaminatam viro recipere uxorem: . . nunc autem postquam Christus ait adulteræ*, (*Joan.* 8, 10, 11) nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare: *quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum?*

Si vero uxor in adulterio perseverare elegerit; iterum distinctione opus est: vel enim crimen ita est certum ac manifestum, ut juridica ejus fieri probatio possit: vel ita occultum, ut de eo coram judice convinci non possit.

Si primum, tenetur eam maritus servato ordine juris dimittere; alioquin, ut monent canones, patronus turpitudinis, & lenocinii reus habebitur; *qui expellit mulierem bonam*, ait sapiens, (*Prov.* 18, 22) *expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & impius*: quæ verba S. Hieronymus explicans, commentario in cap. 19 Matthæi: *cum uxor* inquit, *unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit a marito; non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat esse, dicente scriptura:* qui adulteram tenet, stultus est & impius.

Si secundum: tenetur maritus saltem a Thoro eam repellere, tum quia, ut ex canonico jure prædiximus, crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio detinent: tum quia ad hanc separationem sententia judicis non requiritur, quomodo ad adulteram de domo & cohabitatione pellendam: *Dicendum*, inquit S. Thomas, (*sup. quæst.* 62, *art.* 3, *in corp.*) *quod vir potest uxorem dimittere dupliciter: uno modo quantum ad Thorum tantum, & sic potest eam dimittere, quam cito sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur . . . alio modo quantum ad Thorum & cohabitationem, & hoc modo non potest dimitti, nisi judicio Ecclesiæ, & si aliter dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum nisi posset ei vir incontinenti fornicationem probare &c.*

Quæritur 3. Utrum conjux innocens ad adulteram recipiendam adigi possit, saltem quando resipiscit & pœnitentiæ signa dat?

R. Negative: nam etiam post pœnitentiam, potest eam maritus de adulterio accusare: ergo ad eam recipiendam compelli non potest: cujus insuper causa est, ut alibi diximus, quia admisso ab uno conjugum adulterio facta est innocenti potestas eum a Thoro in perpetuum repellendi: unde absolute liberatur a debito conjugali, potestque sine ejus consensu vitam religiosam amplecti, vel ad sacros ordines promoveri, ut est canonibus constitutum.

Q. 4. Utrum jus divortii pariter ad conjugem utrumque pertineat?

R. Pariter pertinere, non parem tamen in utroque esse divortii causam.

Quod quidem par uterque jus habeat, inde probatur quod conjuges in his quæ ad matrimonium pertinent, sint æquales: *mulier*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 7, 4) *sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: quemadmodum igitur liberum marito est, adulteram uxorem repellere; ita mulieri licet secedere a marito adultero ad ulciscendam injuriam pro potestate quam habet in corpus ejus illatam: hinc quod a Christo de viro erga mulierem dictum est: (*Matt.* 5, 32) *omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*, de muliere erga virum pariter debere intelligi, discipulus Christi insinuat. *Iis*, inquit, (1 *Cor.* 7, 10) *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Quod vero causa divortii utrimque non sit æqualis, inde adstruitur quod longe gravius sit crimen mulieris fornicantis quam viri: uxor enim adultera præter quam quod fidem conjugii violat, quod commune cum marito adul-

adultero habet, magnam tum marito, tum proli naſcituræ facit injuriam: marito quidem cui falſum hæredem ſupponit, proli vero, cujus reddit incertum patrem: rem ſic explicat S. Thomas, (*ſuppl. qu.* 62, *art.* 4 *in c.*) *Dicendum*, inquit, *quod in cauſam divortii vir & uxor ad paria judicantur, ut idem ſit licitum & illicitum uni quod alteri: non tamen pariter judicantur ad illa, quia cauſa divortii eſt major in uno quam in alio; cum tamen in utroque ſit ſufficiens cauſa ad divortium: divortium enim eſt pœna adulterii, in quantum eſt contra matrimonii bona, quantum ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter ſibi invicem tenentur: tantum enim peccat contra matrimonium adulterium unius, ſicut adulterium alterius: & hæc cauſa in utroque ſufficit ad divortium: ſed quantum ad bonum prolis, plus peccat adulterium uxoris quam viri: & ideo major eſt cauſa divortii in uxore, quam in viro. Et ſic ad æqualia, non ex æquali cauſa obligantur, nec tamen injuſte, quia in utroque eſt cauſa ſufficiens ad hanc pœnam: ſicut eſt etiam de duobus qui damnantur ad ejuſdem mortis pœnam, quamvis alius altero gravius peccaverit.*

Quæritur 5. Utrum ſeparatio quoad cohabitationem privata conjugum auctoritate fieri queat?

R. Negative: quia enim contingere poterat ut ſæpe conjuges levibus de cauſis cum publico ſcandalo matrimonia ſolverent; ſapienter legibus cautum eſt, non eſſe divortia niſi ex ſententia judicum facienda: hinc ſanctionibus Eccleſiaſticis, civilibuſque damnantur, qui dimittere uxores præſumpſerint, priuſquam diſſidii cauſis juridice prolatis atque probatis condemnationis ſententiam obtinuerint.

Q. 6 & ultimo, utrum propter animi corporiſque defectus ſit conjugum ſeparatio permittenda?

R. Iis de cauſis non facile concedendam: divortiorum enim nullus finis futurus eſſet, ſi propter animi corporiſque vitia, quæ vel præceſſerint matrimonium vel ſecuta ſint, disjunctio conjugum fieret. *Si uxorem quis habeat*, inquit alicubi S. Aug. *ſterilem vel difformem corpore, ſive debilem membris, vel ſurdam, vel cæcam, vel claudam, vel ſi quid aliud; ſive morbis & doloribus, languoribuſque confectam, & quidquid cogitari poteſt vehementer horribile, pro fide & ſocietate ſuſtineat*. Hinc in *Gratiani* decreto legitur, (*cauſa* 32, *quæſt.* 5) nec propter ſupervenientem lepram liberum eſſe conjugem dimittere.

Dixi ſeparationem non facile concedendam, ut innuerem poſſe, imo & debere aliquando concedi: ſi enim maritus e. c. adeo ſit ferox & ſævus & in furorem ita vehementem proclivis, ut cum eo uxor nequeat ſine evidenti periculo habitare, quis dubitet ſententia judicis a marito improbo avellendam, ne videlicet dum jura matrimonii ſcrupuloſius defenduntur, naturalis æquitas violetur.

CAPUT TERTIUM.

Utrum matrimonium ratum non conſummatum quantum ad vinculum ſolvi poſſit?

Pono tamquam certum, interveniente conſenſu mutuo, quantum ad cohabitationem & Thorum dirimi poſſe: ſuperius enim probatum eſt,

1. Matrimonii veritatem ex carnali copula, non pendere.

2. Poſſe conjuges ſtatim ab inito matrimonii fœdere perfectius vitæ genus amplecti, virginitatem vovendo aut perpetuam continentiam; nec rumpi inter illos vinculum conjugale, quibus ex conſenſu placuerit, ab uſu carnalis concupiſcentiæ abſtinere.

3. Matrimonium ratum & conſummatum poſſe quantum ad Thorum, utroque conſentiente, aut etiam certis in caſibus alterutro repugnante diſſolvi: idem ergo a fortiori dicendum de matrimonio rato non conſummato: difficilius namque eſt poſt nuptiarum conſummationem a Thoro & cohabitatione recedere, quam priuſquam nuptiis perfectio per earum uſum acceſſerit.

De ſolo itaque vinculo difficultas in præſenti movetur.

§. PRIMUS.

Oſtenditur matrimonii rati, non conſummati, alterutrius monaſtica profeſſione, etiam altero repugnante, vinculum ſolvi.

Ita a patribus Trid. definitum contra Lutheranos qui prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, inſanis ſcriptis effutiebant, matrimonium etiam non conſummatum, haudquaquam poſſe Religioſa profeſſione diſſolvi. *Si quis dixerit*, inquiunt, (*ſeſſ.* 23, *can.* 6) *matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi: anathema ſit.*

PROBATIO PRIMA.

Ab Exemplis Sanctorum.

Ac primo quod a Sanctis plurimis legimus etiam cum laude factum, velut juri divino contrarium improbare summa temeritas est: atqui de plerisque Sanctis narratur, quod a nuptiis contractis, ante earum consummationem, sanctioris vitæ proposito resilierint.

Sic *S. Theclam* Virginem Pauli Apostoli exhortatione, a nuptiis ante concubitum revocatam, testantur SS. Epiphanius *Hær.* 76, & Ambrosius *l.* 2 *de Virginibus*.

S. Cæcilia prima nuptiarum nocte Valeriani sponsi sui amplexus recusavit, quia Christo sponso virginitatem devoverat, ut legitur apud Metaphrasten, & in Romano breviario.

S. Alexius ipso nuptiarum die sponsam intactam relinquens, peregrinam & cœlibem vitam amplexus est, ut apud eundem Metaphrasten & in breviario Romano habetur.

S. Macarius inter Christi Eremitas præcipuus, celebrato convivio nuptiali, cum vespere thalamum aditurus esset, ex urbe furtim egrediens, transmarina petiit, & solitudinem eremi sibi elegit, ut refert S. Hieronymus a Gratiano citatus: ergo &c.

PROBATIO SECUNDA.

Ex decretis summorum Pontificum.

Accedit sum. Pontificum veneranda auctoritas, qua præsens quæstio sæpius est definita.

Sic inter cæteros *Alexander III*, cap. *verum*, Tit. *de conversione* conjugatorum: *verum*, inquit, *post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire; quia cum non fuissent una caro simul effecti, potest unus ad Deum transire & alter in sæculo remanere.*

Et cap. *Ex publico*: (*ib.*) " cæterum, *in-„ quit*, quia licet a præfato viro desponsata „ fuerit; adhuc tamen, sicut asserit, a viro „ est incognita: mandamus quatenus si præ-„ dictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, „ & eadem ad Religionem transire voluerit... „ ipsam a sententia qua tenetur absolvas; ita „ quod si ad Religionem transierit, uterque „ restituat alteri quod ab eo noscitur acce-„ pisse. „

Tum objectionem refutans quæ poterat ex Evangelii auctoritate opponi: " sane, *ait*, (*ib.*) „ quod Dominus in Evangelio dicit, non li-„ cere viro nisi ob causam fornicationis uxo-„ rem suam dimittere, intelligendum est, se-„ cundum interpretationem sacri eloquii, de „ his quorum matrimonium carnali copula est „ consummatum, & sine qua consummari non „ potest. „

Concinit *Innocentius III*, cap. *ex parte*: (*Eodem tit. de convers. conjugat.*) ubi " nos, „ *inquit*, nolentes a prædecessorum nostrorum „ vestigiis declinare, qui respondere consul-„ ti, antequam matrimonium sit per carna-„ lem copulam consummatum, licere alteri „ conjugum, reliquo inconsulto, ad Religio-„ nem transire; ita quod reliquus ex tunc le-„ gitime poterit alteri copulari: hoc ipsum „ tibi consulimus observandum. „

PROBATIO TERTIA.

Ex antiquo Ecclesiæ more.

Ex his Sanctorum exemplis & sum. Pontificum sanctionibus efflorescit tertium urgumentum, quod sic in forma propono: est illud dogma certo tenendum, quod antiquissima Catholicæ Ecclesiæ consuetudine roboratur: atqui hujusmodi sententia est asserens matrimonium ratum non consummatum, quantum ad vinculum, virginitatis proposito, & monastica professione resolvi: nam vel fatendum doctrinam hanc longæva antiquitate vigere; vel dicendum Pontifices Max. qui hoc fieri posse sanxerunt, novam disciplinam præteritis ætatibus incognitam invexisse; & præterea exorbitasse a Regula Evangelii viros Sanctos, qui spreto thalamo nuptiali maluerunt Christum virginem virgines sequi, quam liberis procreandis operam dare; atqui secundum cum aliqua veri specie dici nequit: nam si ii quos prædiximus viri Sancti, aliique longe plures, & sum. Pontifices in suis decretis a veritatis regula recessissent, aliquo historiæ Ecclesiasticæ monumento ostendi posset, eos vel a majoribus reprehensos, vel correptos a Synodis, vel ab inimicis Ecclesiæ accusatos velut falsæ pietatis sectatores, & novæ doctrinæ authores: quis enim crediderit in quæstiones tanti momenti neminem intercessurum, neminem contra opinionem novellam pro antiquo dogmate pugnaturum? atqui nullibi doctrina hæc legitur aut ab hæreticis reprehensa, aut patrum sententiis, synodorumque decretis correcta: hoc ergo dogma fatendum est esse in Ecclesia antiquissimum.

PRO-

PROBATIO QUARTA.

Ex Theologica ratione.

Nec deest ab ipsa ratione petita defensio.

1. Enim liberum semper homini fuit, relicto statu minus perfecto perfectiorem amplecti, modo unus cum altero posset sine cujusquam detrimento aut injuria commutari: atqui vita monastica nuptiarum conditione nemine diffitente sanctior est: *qui sine uxore est*, inquit Apostolus, (1 *Cor.* 7, 32, *& seq.*) *sollicitus est quæ Domini sunt, quo modo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est: & mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit Sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*: aliunde vero nullam conjugi facit injuriam, qui matrimonio nondum consummato vitam monasticam eligit: sua namque discessione conjugi quem vel quam relinquit, pristinam libertatem restituit, qua fit ut possit ad novas, si voluerit, nuptias pervenire: ergo &c.

2. In matrimonio vinculum duplex spectari potest: spirituale unum, mutuo conjugum consensu firmatum: carnale alterum, officio conjugali, sive matrimonii consummatione contractum: porro vinculum carnale morte corporali dissolvitur: de nupta namque muliere Apostolus dicit, (*Rom.* 7, 2, 1 *Cor.* 7, 39) *quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro*: pariter ergo morte civili ac spirituali vinculum spirituale rumpendum est: atqui monastica professione homo spiritualiter moritur, abdicato enim liberi arbitrii usu, totum se Deo mancipat, & unice ex ejus nutu dependet, in nulla re sequens aut consulens motum propriæ voluntatis: ergo &c.

3. Negari non potest conjugalis vinculi firmitatem a carnali præcipue copula dependere, per quam inita inter conjuges conventio confirmatur: *erunt duo in carne una*, ait Scriptura, *jam non sunt duo, sed una caro*: donec ergo ad copulam ventum fuerit, deest aliquid matrimonii firmitati, atque adeo potest aliqua ratione infringi: quæ autem hujus rescissionis causa validior esse potest, conjugis vitam perfectiorem propter Deum amplectentis proposito? hic enim, si bene attendimus, agitur causa Dei, cui iniquum est humanas conventiones, necdumque plene firmatas non cedere, poterunt scilicet terrestres principes ac legislatores contractus subditorum certis conditionibus coarctare: & non poterit Deus, ut servos suos totos sibi vindicet, contractum matrimonii, defectu copulæ adhuc incertum ac pendulum suprema rescindere auctoritate?

§. SECUNDUS.

Solvuntur Hæreticorum objectiones.

Opponunt. Matrimonium, ut superius dictum est, maritalis est conjunctio, viri & mulieris consensione firmata, indissolubili copulata vinculo, quod ex mutua conjugum obligatione resultat: inde sic inferunt argumentum.

Definitio hæc matrimonio sive consummato sive non consummato pariter convenit: non enim unum ab altero essentialiter discrepat: quemadmodum ergo matrimonium consummatum sola morte resolvitur, de non consummato idem judicium esse debet.

R. Concesso ant. dist. conseq. matrimonium non consummatum resolvitur sola morte, *vel civili, vel naturali*, conc. sola morte *naturali*, nego.

E. D. Duplex attendi debet in matrimonio unitas, civilis una sive domestica, in convictu & conversatione consistens; altera carnalis ex corporum admixtione resultans, de qua dictum a Deo est: *jam non sunt duo, sed una caro:* prima unitas matrimonio convenit hac præcise ratione qua ratum est: secundam nisi sit consummatum, non habet: jam fateor carnalem unitatem sola morte naturali dissolvi posse, quam solam habet contrariam: quod vero spectat ad civilem sive domesticam, non naturali tantum morte abrumpi contendo, sed & civili, quam infert solemnis in Religione approbata professio: ille enim merito affirmatur civiliter sive spiritualiter mortuus, qui nec sui corporis nec propriæ libertatis est compos sed totus ac perpetuo in jus alienum translatus: talis porro est qui in approbata religione votum solemne emisit: hinc legibus civilibus constitutum, per solemnem voti nuncupationem, non secus ac per mortem naturalem, testamentum ante editum confirmari; ita ut illius retractandi aut reformandi testator amplius potestatem non habeat: ergo &c.

Inst. 1. Ut matrimonium ratum non consummatum morte civili dirimeretur, juris sui esse deberet qui talem sibi mortem inferret; sive, ut planius dicam, penes illum esse deberet, per professionem monasticam spiritualiter mori; atqui nuptiis semel contractis, neu-

Digitized by Google

ter conjugum sui juris est, fecit enim uterque alteri reciprocam sui corporis potestatem: hinc ab Apostolo dictum: (1 *Cor.* 7, 4) *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: ergo &c.

℟. Concessa maj. n. min. ut enim prædiximus, liberum cuique est a minus perfecto statu ad perfectiorem transire, modo migratio hæc sine proximi injuria fiat: atqui conjugi non facit injuriam, nec quidquam ei affert detrimenti, qui sæculo valedicens, ante matrimonii consummationem ad statum monasticum confugit; siquidem pristinam ei restituit libertatem, vel cœlibem vitam ducendi, vel nubendi cui voluerit: ergo &c.

Ad probat. dist. ant. fecit uterque conjux alteri sui corporis potestatem, *conditionatam*, in hypothesi nimirum quod matrimonii consummatio, morte civili per solemnem in approbata Religione professionem interveniente non prævertatur, concedo; *absolutam*, n. antec. & conseq. antequam enim matrimonio ultima perfectio per ejusdem consummationem accesserit, in utriusque conjugis arbitrio est, sanctius vitæ genus amplecti, in quo spreta corporali fœcunditate, & contemptis caducæ hujus vitæ deliciis, Deo liberius vacet: adeoque reciproca quam alter in alterum transfert sui corporis potestatem, donec matrimonium consummetur, implicita conditione restringitur, nisi nimirum meliori proposito vita monastica eligatur; hanc autem conditionem ponendi aut non ponendi, cum parem habet potestatem uterque conjux, injustitiæ accusari nequit, qui matrimonio ante ejus consummationem nuncium mittens, totum se Deo per monasticæ vitæ professionem mancipat; nec quidquam in contrarium erui ex Apostolo potest, ejus enim verba de matrimonio consummato debere intelligi, tum *Alexander III*, cum aliis Sanctis Doctoribus attestatur; tum ipse verborum contextus insinuat: " Propter fornicationem, ,, *inquit*, (*ibid. v.* 2, *& seq.*) unusquisque ,, suam uxorem habeat, & unaquæque suum ,, virum habeat; uxori vir debitum reddat: ,, similiter autem & uxor viro: mulier sui cor- ,, poris potestatem non habet &c.,,

Inst. 2. Atqui matrimonium ratum non consummatum, nequit professione vitæ monasticæ irritari; ergo &c.

Prob. subs. quod juris divini est, non potest per instituti humani professionem infringi; atqui indissolubilitas matrimonii juris divini est, & monastica vita juris humani: ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. concessa maj.

1. Dist. 1 partem minoris: indissolubilitas matrimonii *rati & consummati*, juris divini est, conc. *rati non consummati*, n. responsio nihil habet difficultatis, quod explicatum ante non fuerit.

2. Dist. alteram ejusdem minoris partem; monastica professio est juris humani, *quoad voti solemnitatem*, quæ juris Ecclesiastici est, conc. *quantum ad rem ipsam*: n. min. & conseq. professio enim monastica in se spectata Spirituale connubium est, quo homo Deo consecratur, ut insistendo consiliis Evangelicis, possit facilius divinam Legem implere, & consequi æternam hæreditatem: atqui Conciliorum Evangelicorum professio divini juris est, non humani; falso ergo in argumento supponitur, matrimonium per alterutrius conjugum solemnem professionem humana auctoritate resolvi. *In transitu ad Religionem*, ait Nicolaus I Pontifex Max. (*Can. scripsit*, *causa* 27, *qu.* 2) *conjuges non homo, sed Deus ipse interna inspiratione separat divino jure, quo Religio tamquam spirituale connubium instituta est*.

Inst. 3. Nequit jus divinum juri naturali esse contrarium; alioquin Deus legis naturalis conditor secum ipso pugnaret: atqui matrimonium ratum non consummatum, est jure naturæ indissolubile: ergo professione Religiosa, etiamsi concedatur juris esse divini, dirimi nequit.

R. Concessa maj. dist. min. matrimonium ratum non consummatum, jure naturæ indissolubile est, *quandiu conjux uterque vivit*, conc. *secus*, n. min. & conseq. porro ut prædiximus, monastica professio, spiritualis quædam mors est, adeoque quam contractus matrimonii nexuerat civilem & domesticam unitatem abrumpit. " Dicendum, *inquit S. Tho-* ,, *mas*, (*supp. qu.* 61, *art.* 2, *in corp.*) quod ,, ante carnalem copulam est inter conjuges ,, tantum vinculum spirituale; sed postea e- ,, tiam est inter eos vinculum carnale: & ideo ,, sicut post carnalem copulam matrimonium ,, solvitur per mortem carnalem; ita per in- ,, gressum Religionis vinculum quod est ante ,, carnalem copulam solvitur, quia Religio est ,, quædam mors spiritualis, qua aliquis sæcu- ,, lo moriens, vivit Deo.,,

Inst. 4. Ex concessis non potest homo a statu minus perfecto, ad perfectiorem cum alterius detrimento transire; atqui nequit conjux sine gravi damno consortis amplecti vitam monasticam: ergo nec potest dirimere matrimonium.

Probatur minor variis modis.

1. Enim derelictæ conjugis fama periclitabitur; nam, ut homines natura maligni sunt, & proni ad suspicandum, existimare poterunt ideo a profugo nuptias fuisse rescissas, quia in

in conjuge notabilem aliquam sive corporis sive animi deprehendit deformitatem; indeque sequetur, ut mulier sinistris diffamata rumoribus, sine sua culpa innupta perpetuo maneat.

2. Unde constabit matrimonium consummatum a profugo non fuisse? Illud vero quamdiu in dubio erit, quis erit adeo imprudens tamque nullius consilii homo, qui velit primi mariti in monasterio relegati subire locum, & prolis forte non suæ vocari pater?

3. Ponamus heri cum *Catharina* nupsisse *Petrum*, & mutato derepente consilio in monasterium aufugisse; nulla probata Religio est, quæ ante solemnem professionem, annum ad minus probationis integrum non requirat; quomodo vero hoc tempore decurrente Catharinæ consultum erit? novas nuptias toto hoc anno, primis nondum resolutis inire non poterit; neque etiam poterit debitum conjugale a viro exigere, quem supponimus in claustro reclusum, & de hoc uno sollicitum, quomodo placeat Deo; atqui procrastinatio hæc sine summa conjugis contumelia esse nequit: ergo &c.

4. Quid si *Petro* lubitum fuerit, per multos annos suum in Religionem ingressum differre, sicque tractu dierum longissimo suspendere jus quod mulier in ipsius corpus habet? in hac enim hypothesi non poterit ad debitum conjugale maritum adigere sanctiora consilia meditantem.

5. Denique professio Religiosa a debito pecuniario neminem eximit: ergo multo minus a debito conjugali, quod longe sanctius & inviolabilius est; adeoque quemadmodum summa injustitia foret, prætextu Religionis creditori non satisfacere, ita iniquum injustumque est, eodem Religionis obtentu debitum conjugale non solvere.

R. Concessa maj. n. min. cui enim quæso in tali casu injuria fieret? an fini matrimonii qui est procreatio prolis? atqui nullus præcessit maritalis congressus: atque adeo nihil proli timendum quæ nulla erit; numquid sponsæ derelictæ? neque vero id magis: cum enim integra manserit, nihil floris, nihil decoris, aut honoris amisit, quominus novas possit expetere & consequi nuptias, in pristinam libertatem reddita digressu primi mariti.

Venio nunc ad argumenta adjuncta.

Ad 1. Dico periclitationes hujusmodi in quas uxor derelicta incurrit, non esse natura conjunctas cum matrimonii scissione propter professionem monasticam, sed oriri ex hominum malevolorum suspicionibus, quas compescere nec tenetur, nec potest, cui propositum est vitam monasticam profiteri.

Ad 2. Dico 1. Solemnem professionem non emitti nisi anno probationis expleto; atque adeo de priore matrimonio dubium non relinqui, fuerit ne aut non fuerit consummatum. 2 Si suspiciones hujusmodi deberent a nuptiis contrahendis animum avocare, nulla inter homines matrimonia inirentur, aut firma consisterent quod quam absurdum sit, nemo opinor est qui non sentiat.

Ad 3. Sunt equidem qui respondent, tempus probationis abbreviandum, ne qui manet in sæculo, tamdiu anceps hæreat & incertus, maxime si eo reluctante consors ejus in monasterium se receperit: *verum*, inquit Dominicus Soto, (*in* 5, *dist.* 27, *qu.* 1, *art.* 4) *multo certior, immo certissima est Durandi, Paludani, aliorumque opinio existimantium, quod etiamsi alter altero invito monasterium ingrediatur, non est compellendus renunciare juri suo quo sibi annus probationis conceditur: nam si ei licet habitum Religionis induere, illum cum privilegiis juris induit: præsertim cum annus probationis etiam in favorem monasterii sit concessus: quare qui manet in sæculo, totum annum expectare tenetur, quia ante alterius professionem ad alias nuptias migrare non potest*. Ita Dominicus Soto: quæ vero hinc *Catharinæ* querendi causa sit non apparet: numquid enim si statim post contractas nuptias vel in gravem morbum conjux ejus incideret, vel longum teneretur iter arripere, vel alio quovis impedimento detineretur, patienter & sine querela, donec amotus esset obex, non expectaret? pariter ergo dolendi ansam non habet, si conjux in monasterio menses aliquot propter Deum detentus, (cui, nondum plene probatus, nondum scit utrum vel in cœnobio, vel in sæculo totam vitam sit serviturus) tempus consummandi matrimonii differat.

Ad 4. Negamus Petro licere per multos annos ingressum in approbatam Religionem differre. Duo enim, nec amplius, menses ad deliberandum sponsis jure canonico conceduntur, quibus exactis neutri liberum est, debitum petenti negare. *Cæterum*, inquit Alexander III, (*c.* ex publico) *quia licet a præfato viro desponsata fuerit, adhuc tamen sicut asserit, ab ipso est incognita: mandamus quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad Religionem transire, vel ad virum suum redire intra duorum mensium spatium debeat, ipsam a sententia qua tenetur absolvas*.

Ad 5. Nego antec. professio enim monastica, quæ est mors civilis, non minus liberat a debito pecuniario, quam mors naturalis: sed quemadmodum post mortem naturalem tenentur hæredes defuncti nomine solvere; ita post mor-

Digitized by Google

mortem civilem vel ad eos hæc obligatio transit, quibus legata in sæculo hæreditas fuerit, vel ad Monasterium ipsum, ne prætextu Religionis offendatur proximus, & fides labefactetur: hinc a Religionis candidatis antequam vota emittant, diligenter præter cætera quæritur, sint ne liberi ab ære alieno? nec tamen par ratio est debiti conjugalis, quod simpliciter per mortem sive naturalem sive civilem extinguitur, quia obligatio ejus sive vinculum ipsum matrimoniale vitæ limites non excedit.

Inst. 5. Licet posteriorum Pontificum decretis hæc nostra sententia adstruatur: non potest certe antiqua auctoritate probari, imo majorum doctrina plane videtur contraria: sic inter cæteros *S. Gregorius M.* disciplinam hanc tamquam Evangelio adversariam respuit. *Et si*, inquit, (*lib. 9 Epist. Ep. 39*) *dicunt aliqui, Religionis causa conjugia debere dissolvi; sciendum est quia etsi hoc lex humana concessit, lex divina tamen prohibuit: per se enim veritas dicit*: quod Deus conjunxit, homo non separet: *quæ etiam ait:* non licet dimittere uxorem, excepta fornicationis causa: *quis ergo huic cœlesti legislatori contradicat? scimus quia scriptum est*: erunt duo in carne una: *si ergo vir & uxor una caro sint, & Religionis causa vir dimittit uxorem, & mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita vota migrantem; quæ est ista migratio vel conversio, in qua una eademque caro & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in corruptione?* ergo &c.

R. Nego ant. ad S. Gregorii testimonium dico debere de matrimonio consummato intelligi, quod ex divina lege certum est nulla ratione posse dissolvi; quod autem vera hæc interpretatio sit, inde patet quia S. Doctor sententiam suam adstruit his Scripturæ verbis: *erunt duo in carne una*: quibus matrimonium consummatum significatur: additque, si per Religionis ingressum sancta hæc unitas solveretur, rem absurdam secuturam, nimirum unam eamdemque carnem ex parte transire ad continentiam, & ex parte in corruptione manere: non sunt ergo accusandi posterioris ætatis Pontifices, quasi novam opinionem invexerint; cum nemo præter hæreticos reperiatur, qui eos hoc nomine accusaverit.

Inst. 6. Quid ergo, *inquiunt*, hæc sibi S. Gregorii verba volunt: *quia etsi hoc lex humana concessit, lex divina tamen prohibuit?*

R. Imperatorum Christianorum leges his verbis significari, quibus non modo matrimonium ratum, sed etiam consummatum per Religiosam professionem dissolvebatur: hunc enim Justiniani sæculo sexto imperatoris errorem fuisse constat, ex ejus *Novella* 23, c. 40, & ex ejusdem codice, tit. *de Episcopis & clericis*: de his vero legibus merito affirmat Gregorius Magnus loco citato, legi divinæ esse contrarias: idemque alibi repetens: (*lib. 9, Ep. 44*) *Etsi*, inquit, *mundana lex præcipit, conversionis gratia, utrolibet invito posse solvi conjugium: divina hoc tamen lex fieri non permittit:* quam ejus aliorumque patrum doctrinam amplexa Ecclesia, sentit matrimonium ratum & consummatum professione Religiosa non dirimi; quin & vinculum inter conjuges manere contendit, etiam si mutuo consensu uterque vota monastica solemniter nuncuparit.

Inst. 7. Atqui posteriorum Pontificum & Concilii Trid. in præsenti quæstione decretis nulla antiqua auctoritas suffragatur: vel enim illa in Scripturis divinis, vel in traditione reperitur: porro neutrum probabiliter dici potest.

Non primum: in toto enim novo testamento nec syllaba quidem est, qua vel leviter innuatur, matrimonium ratum non consummatum, monastica professione rescindi: cum e contrario, si quid sapimus, generale Christi effatum: *quod Deus conjunxit, homo non separet:* omne verum matrimonium comprehendat; quo sane in genere nuptiæ sunt, antequam carnali copula compleantur.

Nec secundum: totis enim decem prioribus sæculis hujus disciplinæ nec levissimum vestigium, nec ullum exemplum occurrit: quæ enim SS. Alexii, Macarii, Theclæ, Cæciliæ, & aliorum facta laudantur, tum incerta pene omnia sunt, tum nihil ad propositum facere, multis modis demonstratur.

1. More hodierno matrimonium ratum non dirimitur nisi per solemnem in approbata Religione voti nuncupationem: porro primis temporibus nulla erat, quomodo nunc intelligitur, approbata Religio; cum status Monachorum ad certam disciplinam redactus, Evangelii prædicatione longe recentior sit.

2. Sed esto jam tum viguisset approbata quædam cœnobitarum Religio, quis audeat contra historiæ veritatem affirmare, virgines, Sanctosque viros in objectione laudatos, talem professionem amplexos? numquid sub regulari aliquo instituto Monachus vixit *Alexius*, de quo hoc unum historia prodit, quod prima nocte nuptiarum intacta uxore relicta, illustriorum per orbem Ecclesiarum peregrinationem totis septemdecim annis susceperit, tandemque in paterna domo tamquam pauper alienus exceptus hospitio, diem ibi ultimum clauserit? numquid solemniter post matrimonium initum professa Cæcilia, quæ non ideo ut voveret, prima nuptiarum nocte Valeriano nun-

nuncium misit, sed ideo potius ejus recusavit amplexus, quia virginitatem jam ante voverat Deo?

3. Secundum præsentem doctrinam, voti *simplicis* a voto, ut ajunt, *solemni*, magnum faciendum discrimen est; ita ut per *solemne* quidem, matrimonium dirimatur, rescindi vero per *simplex* non possit: atqui hujus distinctionis, nulla apud veteres memoria est; nihilque antiquitus castitatis professio in ipsis monasteriis fuisse videtur, quam nudum a re uxoria abstinendi propositum, tamdiu duraturum quamdiu perseveraret voluntas, in monasterio commorandi. Si quis enim virgines & Monachos primæ ætatis ex hodiernis moribus æstimaret, tota ille erraret via: quo vero primum tempore hæc differentia voti solemnis a simplici facta fuerit, dubium admodum obscurumque est: si ergo aliquid Sanctorum exempla probarent, pariter inde conficeretur, voto ipso simplici vinculum nuptiarum abrumpi.

4. Denique unde habent qui hujusmodi exemplis nituntur, Theclæ, Cæciliæ, aliorumque matrimonium non tantum quoad Thorum & cohabitationem, sed etiam quantum ad vinculum scissum esse? hoc enim ipsum est de quo dubitatur: cum ergo ex facto incerto non possit erui conclusio certa, fatendum infirma prorsus hujusmodi argumenta esse, nihilque ad præsentem disciplinam vindicandam proficere.

R. Nego subsumptum: ad probat. concessa maj. n. min. & subjuncta argumenta sic diluo.

Ad 1, ex scriptura adductum dico, ut sententia quam defendimus pro certissima habeatur, necessarium non esse ut expresso aliquo sacrarum litterarum testimonio comprobetur: sed satis superque esse, 1 quod nihil habeat verbo Dei scripto contrarium: 2 quod consentanea sit legi naturali: 3 quod scripturæ silentium antiqua traditio suppleat. Atqui

1. Licet de Matrimonio rato non consummato, per solemnem castitatis professionem, etiam quantum ad vinculum abrumpendo, nulla in scripturis divinis sanctio sit; nihil tamen hæc sententia habet verbo Dei scripto contrarium: quod enim unum affertur, *quod Deus conjunxit, homo non separet*: jam ostensum est contra nos immerito intorqueri, quia quando maritus nondum conjugali officio functus, ab uxore Religionis ergo secedit, non ab homine, sed a Deo ad perfectiorem vitam vocante separatio illa fit.

2. Quod naturalis lex dictat, non potest verbo Dei scripto esse contrarium: alioquin enim secum ipso pugnaret Deus, aliud consignans litteris, aliud cordibus hominum per æternæ legis impressionem insculpens: atqui uxorem, matrimonium nondum consummato, relinqui posse, ut Deo liberius ac sanctius serviatur, juris naturalis præscriptio est, nisi velimus lege naturæ, debere divino cultui humanum officium necessario anteponi: nec est quod reponatur, sub obtentu Deo exhibendæ servitutis, justitiam proximo debitam violari: nam, ut prædiximus, qui ita recedit, nec proli, quæ nulla nascitura est, nec conjugi facit injuriam, quam intactam & pristinæ redditam libertati relinquit.

3. Scripturæ silentium antiqua traditione suppleri, superius in probatione assertionis, tum exemplis Sanctorum virorum ac fœminarum, qui spretis nuptiarum illecebris, castitatis professione totos se Deo dicarunt, tum Pontificum Max. decretis monstratum est: *post consensum legitimum de præsenti*, ait Alexander III, *licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt &c.* & Innocentius III: *nos nolentes a prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti .... licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire . . . hoc ipsum tibi consulimus observandum*: in his enim & similibus Pontificum rescriptis antiquam regulam agnitam, inde patet, quod nemine reclamante, summaque omnium consensione accepta sint.

Superest ut reliqua diluamus, quæ magna quidem ab adversariis ostentatione jactantur, sed nihil tamen, aut parum certe roboris habent.

1. Inquiunt, *antiquitus nulla erat, quomodo nunc intelligitur, approbata Religio*: quam difficultatem sic explico: nulla, inquam, *quantum ad modum*, concedo: *quantum ad rem ipsam*, nego.

Approbata, prout hodie intelligitur, Religio est, quam speciali diplomate sedes Apostolica confirmavit: approbata quantum ad rem est, monasticæ vitæ, Ecclesia applaudente, nedum improbante, professio: fateor prisca ætate nullam, prout hodie dicitur, probatam Religionem fuisse; ut enim bene observat, Card. Bellarminus, (*lib. 2 de Monachis c. 4*) ante Concilium Lateran. IV sub Innocentio III an. 1215 celebratum, nulla ordinis seu Religionis institutio, approbatione sive confirmatione sedis Apostolicæ indigebat, quam in posterum fore necessariam merito a Lateranensibus patribus, præsidente Innocentio constitutum; tum ne novorum ordinum adinventione antiqui vilescerent; tum quia periculum erat, ne sub obtentu novæ Religionis superstitio introduceretur, & solida ac catholica pietas rueret: sed numquid ideo dicturi sumus, ante sæculum 13 nullam in se, probatam Religionem

ligionem fuisse; cum monumentis tam antiquis, tam inconcussis constet, Monachatum a primis usque temporibus, in omnibus Ecclesiæ partibus floruisse? porro primaria vitæ monasticæ regula, cœlibatus sive abstinentia a matrimonio semper fuit; ita ut cœlibatum tollere idem semper putatum sit, ac Monachatum ipsum auferre: quo sensu in Concilio Chalcedonensi œcumenico (*an.* 451) canone 16 decretum est, *Virginem quæ se Deo Domino dedicaverit, similiter & Monachos non licere matrimonio conjungi: si vero*, ajunt Patres, *hoc fecisse inventi fuerint, excommunicentur ...* parique sensu S. Hieronymus apud Gratianum (*dist.* 27, *can.* 5) *si*, inquit, *nupserit virgo non peccat, non illa virgo quæ semet Dei cultui dedicavit: harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit*: quin & hoc ipsum Christianorum principum edictis variis constitutum*: si quis* ait Justinianus Imperator in codice, (*lege* 5, *de Episc. & Cler.*) *non dicam rapere, sed attentare tantum jungendi matrimonii causa sacratissimas Virgines ausus fuerit; capitali pœna feriatur*.

Nihil ergo est argumentum quo nostram sententiam inde concutere nitebantur, quod nulla olim fuerit, quomodo hodie intelligitur, Religio approbata.

2. Ajunt, quis audeat affirmare, Alexium, Cæciliam, & cæteros in probatione adductos, professionem monasticam observasse; imo, inquio ego, quis audeat hoc negare, si modo monachi nomen, non ex habitu, aut cellula, sed ex officio æstimavit? monachus enim vere est, vereque vocatur quisquis spretis carnis illecebris, rerum omnium temporalium sollicitudine abdicata, soli Deo a tumultu sæculi alienus vivit & servit: talem porro fuisse Alexium, talem Macarium, tales Theclam, Cæciliam, & plerosque alios, quorum S. Gregorius M. *l.* 2 *dial.* c. 13, Gregorius Turonensis lib. *de vitis SS. Patrum*, c. 20, Venerab. Beda lib. 4 *historiæ Anglorum* c. 19, Surius, & alii meminerunt, ex eorum historia certum est.

3. Quod dicunt differentiam voti solemnis a simplici, priscis temporibus incognitam, posteriore ætate inductam, ultro fatemur: ante 12 enim sæculum, quo Gratianus *decretum* scripsit, vix ulla hujus diversitatis occurrit alicubi mentio: primusque omnium *Bonifacius VIII*, desinente sæculo 13, & 14 ineunte Pontifex Max. expresse definit, *illud solum debere votum solemne dici, quod solemnizatum est per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem*; sed nego erui inde posse, vel prioribus sæculis voto continentiæ ante matrimonii consummationem emisso rescissas nuptias non fuisse, vel nostra etiam ætate sola voti simplicis nuncupatione abrumpi; in voto namque duo necessario distinguenda sunt, quorum alterum divini, alterum juris est humani; quod votum, sive promissio de bono meliore, ab homine libero & in debitis circumstantiis Deo facta, impleri necessario debeat; juris hoc nimirum divini est, quod nulla valet creata potestas infringere: quod autem votum, ut ad abrumpendas nuptias validum sit, certis debeat restringi conditionibus, quod solemne esse debeat, & in approbata aliqua, uti nunc loquimur, Religione emissum, hoc juris humani Ecclesiastici est, quod, non secus ac cætera ad disciplinam spectantia potest pro ætatum diversitate varium esse: porro in potestate Ecclesiæ esse, votum, non secus ac plerosque alios humanos actus, certis conditionibus coercere, quarum defectu, vel absolute, vel respectu quorumdam effectuum, pro irritis habeantur: hoc, inquam, penes Ecclesiam esse nemo sapiens dubitat: hoc posito tota evanescit difficultas: juxta mores hodiernos, sequente voto matrimonium ratum non consummatum ea lege dirimitur, quod votum solemne sit, & in approbata Religione emissum, quia Ecclesiæ justis de causis sic visum est, quæ cum priscis temporibus pariter non urgerent, alia invaluerat disciplina.

4. Inquiunt, unde habemus Theclæ, & aliorum matrimonium, non tantum quoad thorum & cohabitationem, sed & quantum ad vinculum scissum fuisse? sed tute ipse quisquis hujusmodi cavillationibus delectaris, quod scissum non fuerit unde habes? non enim magis veterum de hac re silentium causam promovet tuam quam meam: sed audi modo unde hoc habeam: habeo ex jure ipso naturali: æquitas namque postulat, ut altero conjugum propter Dei amorem, ante consummationem matrimonii recedente, alteri libertas nubenti qua ante gaudebat restituatur: habeo ex decretis Pontificum, qui hæc non separant, sed ita alteri conjugum, antequam ad carnalem copulam ventum fuerit, Deo castitatem vovere permittunt, ut alteri liberum esse affirment ad secunda vota transire: & utramque sententiam veterum exemplis confirmant.

Sequitur

§. TERTIUS.

Quæstiones variæ resolvuntur.

Q. 1. Utrum voto simplici amplectendæ Religionis obstrictus, si postea contraxerit matrimo-

Digitized by Google

monium, ante ejus consummationem, profiteri vitam monasticam teneatur?

R. Affirmative: ut enim a voti solvendi debito liber diceretur, deberet matrimonio subsequente, poni ejus solutioni obstaculum: atqui quominus voto quo prius erat obstrictus se liberet, matrimonium sequens, ratum illud quidem sed nondum consummatum, non impedit: nam etiam si nullum ante emisisset votum, adhuc tamen in potestate haberet, in monasterium ante copulam carnalem secedere: a fortiori ergo, cum supponatur voto præcedente devinctus, potestatem hanc non amisit: quomodo autem est certum quod possit; ita non est minus certum quod debeat: jure enim Canonico & decretis Pontificiis sæpe declaratum, votum castitatis in approbata Religione servandæ, necessario a vovente implendum, nec posse in aliud commutari.

Q. 2. Quid si simpliciter castitatem vovisset, de amplectenda Religione non cogitans?

R. In hac quæstione diversos diversa sentire.

Multorum opinio est, in tali casu, teneri qui continentiam voverat, ad ingressum Religionis: omne namque votum, inquiunt, oblata oportunitate solvendum est; eaque præscriptio est juris divini. *Si quis virorum Domino voverit*, inquit Deus ipse (*Num.* 30, 3) *non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit* .... (*Deut.* 23, 21, 23) *cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum* ..... *quod semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es*. Tenetur igitur quisquis voti reus est, ut fidem liberet Deo datam, medium opportunam amplecti: porro in præsenti hypothesi, ei qui priusquam contraheret matrimonium, castitatis voto devinctus erat, ut promissum adimpleat, non alibi quam in monasterio perfugium restat: si enim in sæculo permaneret, ad matrimonium consummandum summo jure adigi posset: quamquam ergo dum virginitatem promitteret, de ingressu in monasterium nec cogitarit quidem, in his quibus modo premitur angustiis, tenetur ad monasterium tamquam ad portum salutis confugere, si votum suum reputari sibi non vult in peccatum.

Alii, longeque numero plures in contrarium sentiunt non teneri: obligatio enim promissum non debet excedere, idest, nemo tenetur plus solvere quam promisit: atqui talis homo Virginitatem quidem voverat, sed monachus fieri minime proposuerat: ergo ad ingressum monasterii, debito conscientiæ non tenetur: cumque aliunde, in sæculo manens, ad implendum mariti munus compelli possit, & exactis duobus mensibus teneatur; consequens est, a voto solvendo absolute liberum esse.

Doctrinam hanc *Joannis* XXII Pontificis Max. auctoritate confirmant, Extra: *antiquæ*, ubi uxoratum ante matrimonii consummationem, sine consensu uxoris suscipientem sacros ordines, dicit *inducendum esse ut Religionem ingrediatur; quod si nolit, cogendum esse matrimonium consummare, petente uxore*: atqui, inquiunt, hæc ipsa coactio ad consummandum, esset prorsus illicita, si uxoratus ille qui in sacri ordinis susceptione castitatem solemniter vovit, non posset licite consummare: ergo Pontificia responsio demonstrat quod possit: quod si de eo qui est ad ordines promotus concedimus, quid ni pariter de eo, cujus nuptias continentiæ votum præcesserat, admittamus?

Utriusque sententiæ præcipua fundamenta hæc sunt: quæ magis arriserit, eligatur: tantum advertat studiosus theologus, primam, cum legi Dei & voti sanctitati magis faveat, esse tutiorem; alteram, quippe quæ humanæ magis libertati, quam Dei cultui consulat, paululum hac ipsa ratione esse susceptam: nec deesse valida ad ejus confutationem momenta; quod enim ajunt neminem teneri plus solvere quam promisit, ultro citroque concedimus: at fatendum pariter teneri hominem Deo solvere quod promisit, adeoque debere amplecti media ad persolutionem debiti opportuna, quæ si usurpare renuerit, faciet irritum verbum suum, eritque votifragus: porro qui antequam nuptias iniret, voto se simplici castitatis, de monasterio non cogitans, obligaverat, habebat vel in sæculo, vel in monastica vita implendi voti medium opportunum, adeoque erat ei liberum, vel commorari in sæculo, vel quærere Religionis secessum: postquam vero promissi immemor ad nuptias temerario evolavit, ipse sibi e duobus quæ ante habebat ad votum solvendum mediis, unum præcidit: adeoque unus ei ad monasterium secessus reliquus est, quo si perfugere renuit, reatum voti infracti incurrit.

Jam quæ in contrarium *Joannis* XXII affertur auctoritas, nihil videtur ad propositum facere: longe namque diversa quæstio est, de illo qui post contractum matrimonium vovet, & de illo qui ante matrimonium voverat: illius, quia sui compos non erat, quippe matrimonii obligatione devinctus, votum solemne castitatis in ordinatione emissum irritum fuit, adeoque merito compellitur ad nuptias con-

summandas; istius vero, quem præcedens nulla obligatio constringebat, votum simplex castitatis validum fuit: adeoque iter monasterii, quod unum apertum est, ad votum solvendum tenetur arripere.

Q. 3. Cur voto simplici continentiæ matrimonium ratum, non consummatum, non dirimatur.

R. Hoc ideo esse quia qui votum continentiæ vel in sæculo, vel in Religione non approbata emisit, cum propria semetipsum voluntate absque spe regressus non abdicaverit; mundo penitus mortuus non censetur: porro matrimonium etiam non consummatum, sola, ut prædiximus, morte naturali, aut civili sive spirituali dissolvitur: *indissolubilitas*, inquit S. Bonaventura, (*In* 4, *dist.* 27, *art.* 3, *quæst.* 2) *consequitur matrimonium non tantum consummatum, sed etiam ratum, & propter hoc etiam ratum est, quia quandam indissoluvilitatem, licet minorem quam matrimonium consummatum habet: habet tamen sibi competentem: sicut enim vinculum matrimonii consummati est insolubile viventibus extremis vita corporali, nec solvitur nisi morte corporali: sic nec matrimonium, in quo est conjunctio mentium & animorum, potest solvi nisi homo moriatur spiritualiter huic mundo, sive operi carnis: & hoc fit intrando Religionem, & emittendo votum castitatis solemne.*

Q. 4. Utrum statim a susceptione monastici habitus matrimonium non consummatum solvatur.

℞. Negative: non enim solvitur nisi morte spirituali: porro qui monasticum habitum induit, donec votum solemne emiserit, spiritualiter aut civiliter mortuus necest nec censetur, cum plenam habeat libertatem retroeundi, & cuculla deposita ad sæculum redeundi: ergo &c.

Q. 5. Numquid saltem ordinis sacri susceptione matrimonium non consummatum dirimi queat?

R. Negative. *De fratrum nostrorum consilio*, ait Joannes XXII Pontifex Max. (*extra.* antiquæ, *Tit.* 6, de voto.) *præsenti declaramus edicto, quod licet votum solemnizatum per sacri susceptionem ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum; ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sacros reperiamus canones hoc statutum, invalidum est censendum.*

Q. 6. Utrum propter aliam quamlibet gravem causam, matrimonium ratum non consummatum, saltem auctoritate Pontificia solvi possit?

R. Negative, quidquid in contrarium sentiant *Panormitanus*, *Hostiensis*, & plerique alii juris consulti, quibus Cardin. Cajetanus, Sanchez, & quidam alii Theologi adhæserunt: in iis enim quæ juris divini sunt Sum. Pontifex dispensandi auctoritatem non habet, sed in iis solum, quæ sunt juris Ecclesiastici, idque quando justa necessitas postulat: atqui matrimonium ratum, necdumque carnali copula consummatum, cum sit verum Christi Sacramentum, jure divino indissolubile est: nulla ergo humana, etiam Pontificia, potestate rescindi potest: standum itaque antiquæ doctrinæ qua traditum accepimus, matrimonium *legitimum*, &, non *ratum*, in sola fidei causa, quando scilicet altero conjugum ad Christum converso, alter ei pacifice, sine injuria creatoris cohabitare non vult; *ratum* vero, & non *consummatum*, per solam in approbata Religione professionem resolvi: eamque non ab homine scissionem fieri, sed a Deo, suos sibi servos ut Christiane vivant, vel ut perfectius vitæ genus amplectantur, potestate primaria vindicante.

Haud me equidem latet a Juris Consultis & Theologis contrarium sentientibus pleraque exempla proferri dispensationum, quas volunt a summis Pontificibus, non solo Religiosæ professionis intuitu, sed aliis de causis concessas: ita sane sua ætate sæpius factitatum Cajetanus Cardinalis affirmat, *opusculorum* tom. 1, c. 28, qu. unica de Matrim. eoque antiquior S. Antoninus affirmat, (3 *parte*, *tit.* 1, *c.* 21, §. 3) vidisse se Bullas Martini V, & Eugenii IV, idem concedentium: idem de Paulo III, & Pio IV, Navarrus in *Enchiridio* c. 22, n. 22; de Clemente VIII, & Urbano VIII, Pyrrhus Corradus, *in praxi* l. 8, c. 6, multis adductis exemplis graviter attestantur: imo si quam Henriquez fidem meretur, hujusmodi gratiarum sæculo duodecimo tanta tamque facilis copia fuit, ut die una Gregorius VIII cum undecim dispensaverit.

Ast neminem qui vere Theologus fuerit a doctrina Ecclesiæ exempla talia dimovebunt; tum quod incerta penitus sint; tum quod disciplina divinitus constituta factis contrariis convelli non possit. *Auctoritas Martini*, inquit Dominicus Soto, (*in* 4 *dist.* 27, *qu.* 1, *art.* 4) *auctoritas Martini & Eugenii, si ita verum est, quod similem dispensationem fecerunt, nullatenus tamquam Ecclesiæ determinatio movet; quia factum Pontificum non facit fidei articulum; sed opinionem Canonistarum*

sunt

Digitized by Google

sunt secuti: & tamen alii Pontifices non leguntur talem fecisse dispensationem, cum tamen credibile sit, creberrime oblatos fuisse dispensandi casus: imo Adrianus VI, vir tum utriusque juris peritissimus, tum & rei Theologicæ non infime doctus, cum ab illo hujusmodi dispensatio fuisset postulata, oblataque fautrix sententia Cajetani, demiratus est virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse: & ideo improbis precibus succumbens respondit, se dare quod posset, sed tamen credere nihil posse.

Ita Dominicus Soto, cui S. Antoninus præiverat, loco cit. sic scribens. *Pontifices non sunt condemnandi; sed nec consulendum est alicui, ut procuret talem dissolutionem sive dispensationem; cum Theologi videantur tenere quod non possit dissolvi Matrimonium, nisi per ingressum Religionis.*

Sequitur

QUÆSTIO QUINTA.

De solemnitatibus ad contractum Matrimonii requisitis.

Contractus matrimonii ut solemnis sit, & in foro tum civili tum Ecclesiastico admittatur multa requirit.

1. Namque præcedere debent sponsalia.

2. Proclamationes, sive futuri matrimonii publicæ denunciationes, quæ *Banna* vulgo vocantur.

3. Necessaria est præsentia Parochi, testium, & contrahentium sive per se, sive per procuratores.

4. Oportet parentum consensum accedere.

De Parochi, testiumque & contrahentium præsentia, & de parentum consensu, quæstione sequente dicturi sumus: de solis itaque sponsalibus & proclamationibus, quid sint, & quatenus præmitti matrimonio debeant, quærendum in præsenti occurrit. Quapropter sit

CAPUT PRIMUM.

De sponsalibus.

Quæritur 1. Quid sint sponsalia?

R. Sponsaliorum sive sponsalium nomen diversimode a jurisconsultis intelligi.

1. Pro sponsalibus de præsenti accipiuntur, sive pro matrimonio ipso, quatenus hic & nunc contrahitur, & est ratum non consummatum: hinc vir & uxor nuptiis celebratis, etiam antequam ad carnalem copulam ventum fuerit, sponsus & sponsa dicuntur: quas voces alibi ostendimus haud infrequenter in sacris litteris usurpari.

2. Magis proprie longeque frequentius a Canonum legumque peritis, pro sponsalibus de futuro sumuntur: eoque sensu non incongrue describuntur, *futurarum nuptiarum promissio*: sive, *mentio & promissio nuptiarum futurarum*: itaque a sponsalibus fundamentum jaci incipit nuptiarum, tantumque matrimonio differunt, quantum spes distat a re quæ speratur: secundo hoc sensu, nec aliter, sponsalia accipimus in præsenti.

Q. 2. Utrum mos ab antiquo acceptus sit, sponsalia matrimonio præmittendi?

R. Antiquissimum esse: a Romanis prisca ætate observatum testatur jurisconsultus *l. 2, ff. de sponsalibus*: " sponsalia, *ait*, dicta sunt a „ spondendo: nam moris fuit veteris stipulari, & „ spondere sibi uxores futuras . . . „ earum in Aulo Gellio ex Servii Sulpitii auctoritate mentio est: (*Noct. Attic. lib. 1, cap. 4*) *sponsalia*, inquit, *in ea parte Italiæ quæ Latium appellatur, hoc more atque jure solita fieri scripsit Servius Sulpitius, in lib. quem scripsit de dotibus: qui uxorem*, inquit, *ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat: is contractus stipulationum sponsionumque, dicebatur* sponsalia: *tunc quæ promissa erat*, sponsa *appellabatur: qui spoponderat ducturum*, sponsus: *sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur . . . . judices cognoscebant: judex quamobrem data acceptave non esset uxor, quærebat: si nihil justæ causæ videbatur, litem pecunia æstimabat: quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum qui spoponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat: hoc jus sponsaliorum observatum dicit Servius, ad id tempus quo civitas universo Latio lege Julia data est: hæc eadem Neratius scripsit in lib. quem de nuptiis composuit.*

Nec tantum apud Romanos gentilitate detentos, sed & apud Christianos consuetudo hæc viguit: hinc in antiquo jure Canonico sponsalia matrimonio præmitti ubique videmus: quæ Latinorum, eadem Græcorum & Orientalium disciplina fuit, ut constat tum ex Imperatorum edictis, quorum meminit Photius in nomocanone, tit. 13, c. 2, tum ex euchologiis in quibus legitur: *ordo servari solitus in sponsalibus celebrandis*: (vide Goar in euchologio Græcorum).

Q. 3. Quæ causæ sint sponsalia matrimonio præmittendi?

R. Hujus inducendæ consuetudinis diversas causas fuisse.

1. Fuit, ut matrimonii decori consuleretur pu-

Digitized by Google

bliceque conſtare poſſet, non turpibus, ſed honeſtis conditionibus, non illata vi, ſed ſumma libertate, plenoque contrahentium conſenſu nuptias fœderatas.

2. Fuit, ut ſolemnitate ſponſalium clandeſtinis & temerariis futuri matrimonii pactionibus, quæ plurium fons & origo malorum eſſe ſolent, occurreretur.

3. S. Aug. inſinuat l. 8 *confeſſion.* c. 3, *inſtitutum eſt*, inquit, *ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim*, *ne vilem habeat maritus datam*, *quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam*.

4. Fuit, ut matrimonium inire volentes, aliquanto ante contractum Eccleſiæ innoteſcerent, & de iis probatio fieret, quod eſſent ab omni nuptiarum impedimento immunes: quemadmodum enim olim Catechumeni pro baptiſmo, pœnitentes pro reconciliatione, & clerici pro ordinibus obtinendis, ſua dare nomina tenebantur, & etiamnum tenentur qui aſpirant ad ordines; ita ſapienter conſtitutum, idem erga conjugandos eſſe ſervandum, ut intervallo aliquo inter ſponſalia & nuptias interpoſito, de eorum moribus, ſtatu, conditione, poſſet diligens inquiſitio fieri.

5. Ad Sacramenti Sanctimoniam pertinens fuit, ut ab illa die qua mutuam ſibi connubendi voluntatem ſponſus & ſponſa ſignificaſſent, ad contractus celebrationem tempus aliquod intercederet, quæ futuri ſtatus ſanctitatem ſerio, ut Chriſtianos decet, meditarentur; ſeſeque ad gratiam Sacramenti obtinendam, per pœnitentiam, & divinæ Euchariſtiæ perceptionem diſponerent.

„ S. Synodus conjuges hortatur, *inquiunt patres Trid.* (*ſeſſ.* 24, *in decr. de Ref. matrim.*) ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant. „

Et S. Carolus: " Parochus, *inquit*, (*in inſtruct. de Matr.*) aget omni cohortatione cum ſponſis, ut ad matrimonii celebrationem ne accedant priuſquam peccata diligenter confeſſi, ſacram communionem ſumpſerint, ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem. „

Q. 4. Utrum ſponſalia nuptiis abſoluta neceſſitate ſint præmittenda?

R. Negative: vel enim ideo abſolute neceſſaria dicerentur, quia contractus matrimonii ex natura irritus eſſet, niſi ejus in poſterum ineundi ſolemnis promiſſio præceſſiſſet; vel quia de iis mandatum divinum, aut generalis Eccleſiæ præſcriptio eſſet: atqui neutrum dici poteſt: non primum, quia res quælibet in præſenti valide datur, tametſi in antecesſum promiſſa non fuerit: *non eſt neceſſarium*, inquit S. Antoninus, (3 *par. tit.* 1, *c.* 18) *quod ſponſalia præcedant*, *quia abſque promiſſione facta de futuro*, *poteſt quis ſubito contrahere per verba de præſenti*: neque pariter ſecundum, quia nullibi, nec in ſcripturis, nec in traditione, de hac re mandatum Dei comparet: nec denique tertium; aliud enim eſt conſuetudo ab antiquo fere ubique recepta, aliud neceſſitas generali ſanctione impoſita: conſtat equidem more vetuſtiſſimo tum Græcorum tum Latinorum, ab ipſis, ante Evangelium, Gentilibus obſervato, præmitti ſponſalia matrimonio; quod autem præcedere neceſſario debeant, ita ut aliter irritum matrimonium ſit futurum, nec antiquis nec novis canonibus legimus conſtitutum; hinc Concilium Trid. in decreto de Ref. matrimonii, (*ſeſſ.* 24) ubi omnia minutim explicat ad ejus ſolemnitatem pertinentia, de ſponſalibus nihil dicit; tantumque generatim inſinuat, retinendas cuilibet locorum & provinciarum in quibus degit conſuetudines: *ſi quæ provinciæ*, inquit, (*ib. c.* 1, *ad fin.*) *aliis*, *ultra prædictas*, *laudabilibus conſuetudinibus & cæremoniis hac in re utuntur*, *eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat*: de ſponſalibus publice ac ſolemniter celebrandis, nihil Romanum Rituale præſcribit: ſi qui ergo ritum hunc prætermitterent, non ideo rei agerentur, quia ejus defectu contractum matrimonium irritum nullumque foret, ſed quia a laudabili Eccleſiæ conſuetudine temerario receſſiſſent.

Q. 5. In contrahendis ſponſalibus quæ forma tenenda?

R. Cum ſponſalia contineantur in genere conventionum de quibus inter ſe paciſci homines ſolent, diverſis modis, non ſecus ac cæteri contractus, iniri poſſe: *conſenſus in conjugalem copulam per verba de futuro*, inquit S. Thomas, (*ſuppl. qu.* 43, *art.* 1, *in corp.*) *non facit matrimonium*, *ſed matrimonii promiſſionem* . . . . *fit autem iſta promiſſio dupliciter*, *ſcilicet abſolute*, *& ſub conditione*: *abſolute*, *quatuor modis*: 1 *nuda promiſſione*, *ut cum dicitur*, accipiam te in meam, *& e converſo*: 2 *datis arrhis ſponſalitiis*, *ut pecunia vel aliquo hujuſmodi*: 3 *annuli ſubarrhatione*: 4 *interveniente juramento*: *ſi autem fiat dicta promiſſio ſub conditione*, *diſtinguendum eſt*, *quia aut eſt conditio honeſta*, *ut cum dicitur*, accipiam te, ſi parentibus placeat; *& tunc ſtante conditione*, *ſtat promiſſio*, *& non ſtante non ſtat*: *aut eſt inhoneſta*, *& hoc dupliciter*: *quia aut eſt contraria bonis matrimonii*; *ut ſi dicam*, accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures, *& tunc non contrahuntur*

tur sponsalia: *aut non est contraria bonis matrimonii*, *ut si dicam*, accipiam te, si furtis meis consentias, *& tunc stat promissio*, *sed tollenda est conditio* . . . . . . Ita Angelicus Doctor: contrahuntur itaque sponsalia vel re, ut per subarrhationem, vel annuli traditionem hoc fine factam; vel verbis, vel nutu, vel scripto, etiam inter absentes; vel per internuncium aut procuratorem.

Q. 6. Ad sponsaliorum solemnitatem quid observandum?

R. Requiri 1 præsentiam testium, maxime vero consanguineorum: 2 præsentiam Parochi: cum enim sponsalia propter connexionem quam habent cum matrimonio proxime secuturo, res veluti sacra censeantur, merito constitutum, non aliter quam præsente Parocho contrahenda: hinc in omnibus pene Ritualibus veluti certum supponitur, sponsaliorum ministrum Parochum esse, vel Vicarium ejus, vel quemvis alterum Sacerdotem, cui hæc vel ab ipso Parocho, vel ab Ordinario concessa facultas fuerit.

Ad Parochum porro pertinet,

1. Procurare, ut sponsalia contracturi, bene, ut Christianos decet, dispositi, non ab immodica, ut sæpe fit, compotatione recentes, sed sobrii ac modesti, loco & tempore congruis conveniant: non enim ubique indifferenter, sed in sacro, vel saltem honesto loco sponsalia ineunda: " sponsalia, *ait Synodus Provincialis* 1 *Cameracensis*, (*Tit. de matr. cap.* 6) loco ac tempore fiant commodo: idest, non in œnopolis, at tabernis potatoriis, sed in loco sacro, non post dissolutas compotationes: cureturque, ut & sponsus & sponsa sobrii, non ebrii, neque alias mente capti sponsalia ineant " . . . . *ejusdem Cameracensis Ecclesiæ manuale*: " non aliter, *ait*, quam publice, aut alibi quam in Ecclesia, vel Sacra Capella, vel Cœmeterio, sponsalia fiant " . . . *manuale Mechliniense*: " fiant, *inquit*, in Ecclesia, vel Sacra Capella, vel Cœmeterio, aut alio publico seu honesto loco, minime vero in cauponis. "

2. Ad eumdem spectat, contracturos de fidei rudimentis interrogare, quæ si nesciverint, nec ad sponsalia, nec ad matrimonium ex Ecclesiæ præscripto admitti debent: tum ab iisdem inquirere, utrum ab omni Canonico impedimento sint liberi: moxque eos de sanctitate matrimonii, & de iis quæ ad statum conjugii pertinent graviter admonere, ne videlicet Sacramentum divinum profanent, & Christi benedictionem in maledictum, sua culpa, convertant.

3. Ejusdem officium est, sedulo a desponsandis inquirere, utrum maturo consilio, nemine cogente, nullo præcedentium sponsaliorum aut nuptiarum vinculo impediti, ad fidem sibi mutuo promittendam accesserint, his aut similibus verbis utendo: *venisti huc tua libera voluntate*, *a nullo coactus*, *nec ulli alii alligatus*, *ut promittas te ducturum in legitimam uxorem N. quam hic manu tenes*? eademque deinceps formula sponsam interrogando.

4. Postquam sponsus & sponsa fidem sibi mutuo promiserint, his aut similibus verbis: *ego in præsentia astantium promitto me daturum fidem meam tibi N. quam hic manu teneo*, *& te ducturum in legitimam uxorem meam*, *si non obstiterit aliquod Canonum impedimentum*: ego &c. . . . . . promitto me *daturam fidem meam tibi N. quem hic manu teneo*, &c. tum sacerdos Ecclesiæ nomine, reciprocam promissionem acceptans & approbans: *& ego*, inquit, *tamquam minister Ecclesiæ Dei*, *ejus nomine hanc vestram mutuam promissionem accepto & approbo*.

Q. 7. Qua ætate iniri sponsalia possint?

R. Juris communis habita ratione sponsalia etiam impuberum acceptanda, & ad eorum validitatem septennii ætatem sufficere, imo & minorem, si usus rationis hos annos prævertérit: ita a Pontificibus Max. sæpe declaratum: sic *Alexander* III ab Eboracensi Archiepiscopo consultus de Matrimonio quod quidam inivérat cum femina, cujus filiæ ante fuerat desponsatus: *si tibi constiterit*, inquit, (*cap. accessit*: *ext. de desponsatione impuberum*) *quod puella præfata non esset septennis*, *quando præmemorato Wilhelmo desponsata fuit*, *& postea in eum non consenserit*; *matrimonium inter eumdem Wilhemum & matrem puellæ celebratum præcipias immobiliter observari*, *& eorumdem proles denuncies esse legitimas*: *quia desponsationes ante septimum annum fieri non possunt*, *si consensus postea non intervenit*.

Idemque in rescripto ad Episcopum Erphordiensem: (*ib.*) " quidam perfectæ ætatis, *inquit*, quandam puellam in incunabilis desponsavit: procedente vero tempore matrem puellæ cognovit, & eam in uxorem accepit: si præfatus vir matrem puellæ antequam septimum annum complesset, in uxorem accepit, matrimonium non dissolvas, cum desponsationes hujusmodi nullæ sint, quæ in incunabulis fiunt: verum si postquam puella septimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit uxorem, cum sponsalia ex tunc placere consueverint; inter eos sententiam divortii non differas promulgare, nec ipsum filiam, seu matrem habere permittas. "

Et

Et Innocentius III, (*cap. ad dissolvendum ext. de despons. impuber.*) *inter juvenem & puellam*, inquit, *sponsalia non fuisse contracta pronunciavimus; cum constet puellam nondum ad septennium pervenisse*.

Dubium ergo non est, jure communi impuberum sponsalia pro ratis & veris habenda: cæterum hodierno qui pene ubique obtinet, more, impuberes ad sponsalia contrahenda, non facile, nec sine speciali superiorum licentia admittuntur, idque perquam merito: si enim septennis ætas, aut etiam paulo provectior, nondum judicatur cæteris quæ inter homines fieri solent pactionibus ineundi idonea, propter consilii & maturitatis defectum; quanto magis a contrahendis sponsalibus impediri convenit, quod genus pactionis in humanis rebus præcipuum est?

Quæritur 8. Valida ne sint sponsalia impuberum, non propria ipsorum, sed aliena parentum aut tutorum voluntate facta?

R. Negative: eatenus enim contractus sponsalium validus est, quatenus propria eorum voluntate initur, qui mutuo sibi futuri matrimonii fidem spondent; quomodo contractus ipse nuptiarum nisi proprio nubentium consensu non valet: *dicendum*, inquit S. Thomas, (*suppl. qu.* 43, *art.* 2. *ad* 1) *quod si ante annos pubertatis fiunt contractus sponsalium per alium, scilicet per parentes vel tutores, ambo, vel alter reclamare possunt: unde nihil tunc actum est, adeo ut nec affinitas ulla ex hoc contrahatur: & ideo sponsalia quæ inter aliquos per alias personas contrahuntur, robur habent in quantum illi inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, ex quo intelliguntur consentire his quæ per alios facta sunt*.

Q. 9. Utrum sponsalia pariant obligationem matrimonii contrahendi.

℟. Affirmative: idem enim de sponsalibus, ac de alio quovis contractu judicium esse debet: atqui hæc contractuum omnium natura & conditio est, ut statim atque inita sunt obligationem pariant, & contrahentes ad sui adimpletionem adstringant: pariter ergo sponsalia mox ubi consensu mutuo pacta fuerint, non est dubium quin liberandæ fidei obligationem importent. *Dicendum*, inquit S. Thomas, (*supp. qu.* 43, *art.* 1, *ad* 2) *quod ex tali promissione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat: & secundum hoc Ecclesia cogit, injungendo pœnitentiam pro peccato: tamen in foro contentioso non compellitur, quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere; nisi forte juramenta intervenerint, quia tunc cogendus est qui promisit, ut quidam dicunt, quamvis aliis non videatur propter causam prædictam, præcipue si de uxoricidio timeretur*.

Quærit. 10. Utrum expediens sit eos qui celebratis sponsalibus inire matrimonium renuunt, ad illud compelli censuris Ecclesiasticis?

℟. Ad mentem S. Thomæ modo laudati, non esse expediens, eamque doctrinam Canonicis institutis esse conformem.

Præterea, inquit Alexander III (*extra*: de sponsalibus *cap.* 2) *hi qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt & omnibus modis inducendi, ut fidem præstitam observent: si tamen se ad invicem admittere noluerunt, ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat quam odio habet; videtur quod ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eamdem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari*.

Ibidemque (*c.* 11) interrogatus qua censura mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi Religione neglecta, nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit: respondet Pontifex Max. *quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda; cum coactiones soleant difficiles exitus frequenter habere*.

Q. 11. Quæ causæ possint esse legitimæ sponsalium solvendorum?

℟. Cum Sanctis Raymundo & Antonino, in novem præsertim casibus sponsalia summo jure & sine peccato resolvi.

1. Est, mutuus sponsorum consensus, quo se invicem ab implendæ fidei debito liberant.

2. Est, quando sponsorum alter vitam Religiosam amplectitur.

3. Est, si celebratis sponsalibus alteruter deserta patria in externam regionem aufugerit: quanti autem temporis absentia requiratur, ut hoc titulo prima libertas recuperetur, nullibi legimus definitum, sed arbitrio judicis est relictum; nisi certum tempus ipso sponsalium tempore præscriptum conventione mutua fuerit, intra quod nuptiæ fieri deberent: eo enim elapso certum est sponsalia dirimi.

4. Est, si sponsorum alter in paralysim, lepram, vel notabilem quandam deformitatem inciderit: idemque de infamia est intelligendum, in quam semel ac sponsus inciderit, jure excidit nuptiarum.

5. Est, superveniens inter sponsos affinitas; si nimirum sponsus carnale cum consanguinea sponsæ commercium habuerit, vel sponsa cum consanguineo sponsi.

6. Est, si sponsorum alter vel carnaliter fornicetur, vel spiritualiter, in hæresim aut Apostasiam incidendo.

7. Est,

7. Est, quando sponsus vel sponsa contrahit cum altero matrimonium: nam vinculum nuptiarum fortius est vinculo sponsalium, ut habetur extra: *de sponsalibus*, cap. 32.

8. Est, si sponsus & sponsa ante annos pubertatis sponsalia contraxerint: ubi enim ad adultam ætatem pervenerint, possunt petere a vinculo liberationem, & facultatem nubendi cum aliis impetrare.

9. Est, si rumore publico habeatur, quodam esse inter sponsos impedimentum, quo nuptiis repromissis ponatur obex.

Q. 12. Utrum ita generaliter verum sit, sponsalia mutuo consensu resolvi, ut hujus regulæ nulla exceptio sit.

℟. Nullam esse *jure naturæ*; quid enim magis naturæ congruit, quam ut pacta inter homines plena libertate inita, pari libertate solvantur? esse tamen aliquam *jure positivo* inductam: qui enim impuberes contrahunt, donec ad annos pubertatis attigerint, nequeunt, etiam mutuo consensu, a vinculo sponsalium eximi: idque prudenter statutum, propter puerilis ætatis levitatem & inconstantiam, ne videlicet pueri diebus singulis nova sponsalia contrahendo, pactionem natura sanctam & inviolabilem in ludum converterent.

Q. 13. Utrum ad dissolutionem sponsalium satis sit, supervenire aut detegi circumstantiam aliquam, quæ si præscripta fuisset, fides futurarum nuptiarum data non esset?

℟. Circumstantiarum & personarum faciendum esse discrimen, spectandumque quale sponsalitii tempore, & quam firmum animi propositum fuerit: aliquando enim causa sive circumstantia superveniens, aut de novo detecta sic levis est, ut etiam si ejus intuitu sponsalia iniri non debuissent, aut iniri conveniens non fuisset, contracta tamen subsistant firmiter, nec resolvi queant: cujus causa in promptu est: priusquam *Berthæ* futuras nuptias repromitteres, plena tibi nubendi aut non nubendi libertas erat: poterasque quocumque, quantumvis levi prætextu, matrimonii ineundi fidem non dare: contractis vero sponsalibus, hanc tu tibimet libertatem præripuisti: omnis ergo causa quæ sufficere tibi poterat ad fidem non dandam, ad resiliendum non sufficit: sic, ut doctrina exemplo firmetur, *Berthæ* nuptias promisisti, cujus tibi vehementer forma placebat, quam placidissimæ indolis esse putabas, quam sperabas decem millibus nummûm dotandam: in febrim *Bertha* ante nuptias incidit, quæ venustatem ejus aliquantum infuscavit; paulúlum esse rixosam, aut tutemet observasti, aut relatum ab aliis accepisti: dotem paulo quam speraveras minorem ei assignandam rescivisti: leviores sanæ hæ causæ sunt, quam ut earum prætextu licite valeas fidem datam infringere, & cum altera desponsari.

Rursum ita gravis esse potest causa quæ de novo supervenit, aut detegitur, ut ejus intuitu dirimi posse sponsalia natura ipsa præscribat: sic enim si in paralysim aut lepram *Bertha* inciderit; si ei brachium, aut nasum præ morbi gravitate necesse fuerit amputari; si quam putabas pinguissimam tibi dotem laturam, ne obolo quidem donanda sit: in his certe circumstantiis, si nubendi propositum non mutaris, magnæ equidem dabis fidei & caritatis exemplum; sed facturum te ultra debitum, affirmare non dubito.

Præterea, personarum, ut prædixi habenda ratio est: aliquando enim quod alicujus respectu parvi aut nullius videtur esse momenti, comparate ad alios magnum est: quo fit ut diversis modis pro personarum diversitate solvenda quæstio sit: sic vir tu plebejus cum sis, cum Bertha quam nobilem ajunt, sponsalia contrahis: hanc si deinceps detexeris jactata nobilitate carere, non hæc tibi causa sufficiet ad nuptias disturbandas: nulla namque tibi injuria fit, si paris tecum conditionis uxorem, data fide, ducere compellaris: at eadem tamen causa nobili viro ad resiliendum sufficeret, magnum sibi detrimentum ac dedecus talibus nuptiis allaturo.

Denique, caute spectandum dixi quale quantumque fuerit, sponsalium tempore, matrimonii perficiendi propositum: si enim his verbis sponsus & sponsa usi sint, unde merito præsumatur, se nullam superventuri cujusvis casus exceptionem facere voluisse; si mutuam promissionem interposito juramento firmaverint: tum sane evidens est, sponsalia, quamtumlibet gravis causa emerserit, longe difficilius abrumpenda, quia humanis contractibus quo sanctiores firmioresque sunt, eo majorem deberi reverentiam in confesso est.

In his porro & ejusmodi casibus legum divinarum & humanarum habenda ratio est, quid liceat, quidve non liceat, prudenti consilio expendendum, non suo, sed sapientum acquiescendum judicio, cauteque providendum, ne dum nimium servitur temporalibus commodis, salus æterna perdatur.

Q. 14. Utrum hoc ipso quod ex parte unius solvuntur sponsalia, dirimi ex parte alterius necessarium sit?

R. Negative: fieri enim potest, ut unus liberetur a fide solvenda, altero non liberato: sic e. c. fornicatio sponsi tollit obligationem nubendi ex parte sponsæ, non tollit ex parte spon-

Digitized by Google

sponsi: matrimonium enim inire tenetur, si ipsa velit: idemque in multis aliis casibus est dicendum.

Q. 15. Utrum voto simplici castitatis sponsalia dirimantur?

R. Cum S. Antonino facta distinctione: vel enim, *inquit*, (3 *par. tit.* 1, *cap.* 18, §. 2) *votum simplex castitatis præcedit sponsalia, vel sequitur: si præcedit, impedit & dirimit sponsalia de futuro, etiam jurata, quia hoc casu juramentum est illicitum, cum juret facere contra id quod voverat: si sequitur, non impedit, nec dirimit sponsalia, sed eo casu cogi debet, vel votum solemnizare, scilicet profitendo in religione, & sic essent soluta sponsalia; vel sponsalia profiteri, & contrahere matrimonium.*

Q. 16. Cum in præsenti materia, ubi agitur de conflictu voti castitatis, & contractus sponsalium, possint diversi casus occurrere, quibus regulis debeant resolvi?

R. Cum S. Antonino, (*ibid.*) duas potissimum regulas in hujusmodi difficultatibus observandas.

1. Est, quoties contrahuntur duo vincula æqualis potentiæ, & incompossibilia, primum præjudicat secundo, illudque irritum facit: unde quia sponsalia & vota simplicia æqualis putantur esse potentiæ; qui hodie sponsalia contrahit, cras votum castitatis emittet inaniter: & vice versa qui promittit hodie castitatem, cras matrimonium nequicquam spondebit.

2. Est, si duo vincula disparis potentiæ, & incompossibilia contrahuntur, fortius sive præcesserit, sive non, quod minus forte est, superat ac repellit: sed quia voti solemnis in approbata religione obligatio major est obligatione sponsalium, licet sponsalia præcesserint, debet nihilominus votum impleri.

Quæritur 17. Utrum sponsalia nequeant, nisi sententia judicis interveniente resolvi?

R. Inspecto jure communi judicis sententiam non requiri, solumque partium consensum sufficere: contractus enim sola contrahentium voluntate firmatus, sola pariter utriusque libera retrocessione dirimitur: atqui sponsalia nihil aliud sunt quam mutua repromissio nuptiarum: ut ergo hæc conventio dirimatur, satis superque, absolute loquendo, est, secessio libera ac reciproca contrahentium.

Dixi, *inspecto jure communi*: diversarum enim Ecclesiarum consuetudo, privatis legibus fundata obtinuit, ut sponsalia coram Ecclesiæ ministro, ritu solemni contracta, non sola desponsatorum libera retrocessione, sed etiam prælatorum auctoritate dirimerentur: cujus ferendæ legis ratio fuit, tum reverentia Ecclesiæ debita, quæ ubi pactionem aliquam sua auctoritate firmavit, sine judicio ejus rescindi non convenit; tum ut sponsorum levitati occurreretur, qui, nisi tale frænum obstaret, nimium plerumque ad sponsalia dissolvenda faciles essent, novisque in dies nuptiarum promissionibus, priores non sine scandalo irritarent: *in duobus casibus*, inquit S. Thomas, (*suppl. q.* 43, *art.* 3, *in corp.*) *scilicet cum quis ad religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præsenti contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur: sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiæ.*

Q. 18. Possint ne ante matrimonii celebrationem sponsus & sponsa in eadem domo cohabitare?

R. Ad hunc reprimendum abusum teneri pastores vigilantiam omnem afferre: numquam enim magis ab hujusmodi consortio & familiari conversatione cavendum, quam eo tempore quod inter sponsalium & matrimonii celebrationem fluit: quam ingentium malorum hæc commorandi facilitas causa sit, experimento eheu! nimium frequenti compertum est: sub spe secuturi quantocyus Sacramenti, in antecessum sanctitas ejusdem Sacramenti contaminatur; dum inardescit carnalis amor, caritas Dei extinguitur; jura matrimonii dum prævertuntur, violantur; quam sibi futurarum nuptiarum dedere fidem sponsus & sponsa, jam frangunt, sibique ipsis adulterandi in posterum sunt magistri; nam quibus fornicandi velamen desponsatio est, eisdem ad adulteria quotidiana ita in matrimonio latibulum offeretur: atque ita quæ debuerant sanctissimi fœderis nexus esse, sponsalia, rixarum, discordiarum, divortiorum, suspicionum origo fiunt: quomodo enim uxoris fidem præstiturus est maritus, quam Deo expertus est infidelem? itaque nihil instantius novis sponsis est consulendum, quam ut brevi post sponsalia tempore, ad matrimonium ineundum procedant, interimque, ut veros christianos decet, ab omni familiaritate abstineant: *hortatur S. Synodos*, inquiunt Patres Tridentini (*sess.* 24, *in decr. de reform. matrim. c.* 1) *ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent* .... & Concilium VI Mediol. sub S. Carolo habitum: (*tit. de his quæ ad matr. pertinent*) *Episcopi cura sit*, inquit, *pœnis & censuris quas arbitratu suo constituerit, sancire ne sponsi prinsquam matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti celebraverint, non modo simul non habitent: sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine, commerciove utantur.*

CAPUT SECUNDUM.

De Bannis, sive proclamationibus matrimonii.

QUæritur 1. Bannorum nomine quid significetur?

R. Quantum ad præsens spectat, hac voce intelligi publicas denunciationes sive edicta, quibus futurum matrimonium auctoritate Ecclesiæ proclamatur.

Quæritur 2. Quid antiquitatis disciplina hæc habeat?

Respondeo bannorum usum pridem in Gallicana Ecclesia receptissimum, ineunte sæculo 13 in Concilio *Lateran.* IV sub *Innoc.* III ad omnes generatim Ecclesias extensum fuisse, & sæculo 16 a Concilio Trid. confirmatum: *specialem quorumdam locorum consuetudinem*, ajunt patres Lateranenses, (*c.* 5, 1) *ad alia generaliter prorogando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per presbyteros proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat.*

Trid. vero Synodus: *cum ab Ecclesia*, inquit, (*Sess.* 24, *cap.* 1) *quæ de occultis non judicat, malo* (*ex clandestinis conjugiis emergenti*) *succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco Sacri Lateran. Concilii, sub Innocentio III celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.*

Quæritur 3. Bannorum, sive proclamationum qui scopus sit?

Respondeo Proclamationes ideo institutas, ut si quæ futuro matrimonio obstarent impedimenta detegi facilius possent. Unde consequens est,

1. Non in alterutrius tantum, sed in utriusque sponsi Ecclesiis, si ad diversas Parochias pertinent, proclamationes esse faciendas.

2. Debere fieri festivis aut Dominicis diebus, quibus major esse solet populi concursus. Si enim profestis diebus, aut iis qui nulla sunt celebritate notabiles, futuræ nuptiæ edicerentur, non jam publica sed privata earum denunciatio foret; atque adeo fine suo facile Ecclesia fraudaretur.

3. Si quis sponsorum in diversis Parochiis domicilium habeat, aut recens in alias Parochia sit, in iis præsertim locis debere fieri proclamationes, in quibus prævidetur veritatem facilius ac certius detegendam.

Quæritur 4. Quid si vagi homines matrimonio jungi petant?

℟. Verbis Concilii Trid. *Multi sunt*, inquit, (*Sess.* 24, *de Ref. matr. c.* 7) *qui vagantur, & incertas habent sedes, &, ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens S. Synodus occurrere, omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiat; magistratus etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant: Parochis autem præcipit, ne eorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Quæritur 5. Quid erga eos Parochus agere debeat, qui matrimonio jungi volunt, & eamobrem petunt fieri proclamationes?

℟. Ejus officii esse, sponsos serio ac graviter admonere, ut ipsi se ipsos, antequam publica denunciatio fiat, coram Deo examineut, utrum ab omni contrahendi impedimento sint liberi, procurentque ne quid in tanti momenti negotio, unde præsentis vitæ tranquillitas & æterna vita dependet, contra divinas humanas-ve leges admittant. *Matrimonium futurum Parochus antequam in Ecclesia denunciet*, ait Concilium Mediol. VI sub S. Carolo habitum, (*Tit. de his quæ ad matrimon. pertinent*) *sponsos seorsum moneat, ut videant ne matrimonio quod inter se contrahere volunt, aliquod impedimentum obstet. Viderint igitur, an alteri fidem adstrinxerint, aut jurejurando spoponderint? an castitatis Religionis-ve votum ediderint? an aliquod impedimentum inter eos intercedat cognationis, etiam spiritualis, aut affinitatis usque ad gradum jure, Tridentinoque Concilio prohibitum? Si vero filii familias sint, hos Parochus valde cohortetur, ut parentibus, in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, ut illis ne insciis quidem, nedum invitis rem tanti momenti ineant: id præterea studiose, paterneque etiam utrumque hortetur, ut singulari quadam animi pietate, & oratione imprimis frequentiore in re tam gravi ad Deum confugiant: quo in genere Tobiæ adolescentis, cum uxorem duxit, commemorabile exemplum, imitationeque dignum proponat.*

Quæritur 6. Utrum qui impedimentum aliquod matrimonio subesse cognoverint, ad ejus revelationem teneantur?

R. Affirmative. Tenentur enim fideles præcipien-

cipienti Eccleſiæ morem gerere, eoque magis, quo de re graviori mandatum fuerit; atqui propalanda eſſe nuptiarum impedimenta, quibus ſponſi vel ſcienter vel ignoranter tenentur, mandatum Eccleſiæ eſt, unicuique a Parocho, quando publice nuptias meditatas denunciat, intimatum: ergo &c.

Deinde laboranti proximo eſſe ſuccurrendum, juris ipſius naturalis præſcriptio eſt, quæ ſine graviſſimo peccato infringi nequit. Sed qui impedimento ligati nuptias nihilominus appetunt, in evidens æternæ damnationis diſcrimen incurrunt. Ergo iis nolle opitulari, cum poſſis, ſumma crudelitas, adeoque peccatum eſt.

Præterea, non ſolum ii peccant, qui male agunt, *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. (*Rom.* 1, 32) Sed qui impedimento ligati nubere volunt, peccatum ſine dubitatione committunt. Peccant ergo pariter qui iis conſentiunt. Porro nolle impedimentum cognitum revelare, idem eſt ac iniquitati prave nubentium conſentire. Ergo intempeſtive contra Eccleſiæ mandatum ſilentibus, coram Deo quem nihil latet, imputabitur ſacrilegium, quo ſanctitas Sacramenti fuerit violata; imputabitur concubinatus, in quo contra Dei & Eccleſiæ decreta nubentes victuri perpetuo ſunt; imputabuntur denique peccata omnia ex nuptiis illicitis ſecutura.

Quæritur 7. Quid ſi ſubeſſe impedimentum, juridice probari non poſſit, numquid eo caſu eſt revelandum?

R. Eſſe nihilominus revelandum: tum quia declaratio hæc Parocho occaſio erit diligentius inquirendi, qua inveſtigatione forte continget, ut impedimentum cum omni certitudine propaletur, & ſecundum ejus formam probari poſſit: tum quod vel unius teſtimonium ad matrimonium impediendum ex juris diſpoſitione ſufficiat. *Super illa quæſtione*, inquit Alexander III Pontifex Max. (*cap.* ſuper eo: *Extr.* de Teſtibus & atteſtationibus) *an mulier conjungenda non ſit viro, pro eo quod ſola mater alterutrius eos eſſe conſanguineos confitetur: Reſpondemus, quod ſi non eſt firmatum matrimonium inter eos, matre aſſeverante ipſos eſſe conſanguineos, non debent conjungi, quia præſumptio eſt non modica, quod ſe linea conſanguinitatis attingant.*

Nec eſt quod ſcrupulis aliquis ea ratione angatur, quod impedimenti revelatio, quædam proximi accuſatio ſit, quæ tum maxime injuſta eſſe videtur, quando id de quo accuſatur, ex præſcripto juris probari nequit. Impedimenti enim propalatio non ad ſcelus plectendum, ſed ad illud impediendum ordinatur: ideſt, non ideo quis declaratur aliquo impedimento ligatus, ut de admiſſo ſcelere caſtigetur, cum poſſit ſine crimine multiplex impedimentum incurri; ſed ne ſit in poſteram inito contra divinas humanasque leges matrimonio caſtigandus.

Q. 8. Quid ſi ex occulti impedimenti revelatione, boni nihil ſperandum, graviſſima mala timenda ſint?

R. In his circumſtantiis revelationem fieri non debere: ideo enim propalatio illa exigitur, ut flagitioſa, diviniſque aut humanis legibus contraria matrimonia impediantur: ubi ergo certo prævidetur, bonum illud ex revelatione non ſecuturum, magnumque e contrario, aut revelanti ipſi, aut aliis quibuſvis perſonis detrimentum accerſendum; tum ſane revelandi nulla eſt cauſa.

Q. 9. Quid ſi per conceſſionem ſacramentalem impedimentum cognitum fuerit?

R. Nedum teneatur ſacerdos ad revelandum, graviſſime peccaturum ſi propalaret: major namque eſt ſigilli confeſſionis ſervandi neceſſitas, quam impedimenti cujuſlibet declarandi: *de illis*, inquit S. Thomas (2, 2, *q.* 70, *art.* 1, *ad* 2), *quæ homini ſunt commiſſa ſecreto per confeſſionem, nullo modo debet teſtimonium ferre: circa vero ea, quæ aliter homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt: quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur; ut ſi ſint in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi, quod quis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denunciando*, &c.

Itaque ſi Parochus, alterutrius ſponſorum, aut utriuſque Sacramentali confeſſione cognoverit, aliquod inter ipſos eſſe nuptiarum impedimentum; tenetur quidem illos a tali matrimonio, divini comminatione judicii dehortari; aut ſaltem monitis ſalutaribus obtinere, ut matrimonium ſine prævia diſpenſatione non ineant: tenetur inſuper, ſi in perverſa contra Dei & Eccleſiæ leges nubendi voluntate perſtiterint, eis Sacramentalem abſolutionem penitus denegare: verum poſtquam ea omnia, quæ ſunt ex præſcripto Eccleſiæ nuptiis præmittenda, obſervata fuerint, ſi inſtanter ſponſi petierint matrimonio copulari, tenetur ſuum illis miniſterium commodare, ne nimirum de revelata confeſſione ſuſpicionem incurrat: *quidquid videtur*, inquit S. Antoninus (3 *par. tit.* 13, *c.* 1), *confeſſori faciendum vel omittendum pro bono ipſius confitentis, vel bono communi, poteſt facere vel omittere, dummodo per hoc non reveletur confeſſio, ad quod ſolum obligatur*.

Q. 10. Utrum proclamationum defectu irritum ſit matrimonium?

R. Ne-

R. Negative: quamquam enim vehementer Trid. Concilium exoptaverit, sine præviis proclamationibus matrimonia non iniri; noluit tamen ab iis validitatem nuptiarum necessario dependere, neque earum omissione contractum matrimonium dirimi, ut declaravit sacra congregatio Concilii Trid. interpres, & consensu unanimi canonistæ ac Theologi docent: cujus rei argumentum convincens est, *in decreto de reformatione matrimonii*, (*sess.* 24, *c.* 1) ubi a S. Synodo sic statutum: *qui aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, &c.* . . . cum itaque de proclamationibus matrimonio præmittendis nihil tale sancitum a patribus fuerit, ex eorum mente futuri denunciatio matrimonii, non ita necessaria est putanda, ut ejus defectu nuptiarum contractus irritus sit: atque adeo peccarent quidem qui sine præmissis proclamationibus nuberent, sed non propterea nupsisse invalide dici possent.

Deinde, ut cum aliqua verisimilitudine diceretur, defectu proclamationum matrimonium irritari, affirmari quoque deberet denunciationes ad substantiam contractus matrimonii pertinere; atqui secundum dici non potest: tum quia ex concilii Trid. decreto sine præviis proclamationibus, ex dispensatione Episcopi, possunt nuptiæ celebrari: tum quia ad substantiam rei pertinere immerito creditur, quod re posterius est; eique jam constitutæ adventitium; atqui ex ejusdem Synodi decreto liberum Episcopis est, matrimonii proclamationes post matrimonium ipsum justis de causis differre: *quod si aliquando*, inquit, (*in decr. de ref. matrim. c.* 1) *probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat: vel saltem parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio Sancta Synodus relinquit* . . . Itaque certum quidem est peccaturos, qui prætermissis proprio arbitratu proclamationibus nuberent, sed non propterea matrimonium nullum esset.

Q. 11. Utrum factis proclamationibus liberum sit, matrimonium in plures menses differre?

R. Liberum quidem esse, sed ea conditione ut si nuptiarum procrastinatio duos menses excesserit, denunciationes de novo pro Episcopi arbitrio fiant: *si infra duos menses*, ait rituale Romanum, *post factas denunciationes matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur* . . . concinit Concilium Mediol. V sub S. Carolo, (*tit. de his quæ ad matr. pertinent.*) ubi præter cætera constitutum, ut si denunciationibus factis, matrimonium ultra duos menses differatur, *ne idem antea parochus celebret, quam iterum denunciationes ex Concilii Trid. præscripto fecerit, edixeritve, si modo aliud Episcopus non concesserit*: illud porro sapientissimum esse decretum nemo negabit, qui attenderit ideo proclamationes debere fieri, ut impedimenta si quæ obstent matrimonio propalentur; atqui contingere potest, ut qui factis denuntiationibus notabili temporis intervallo nuptias suspendunt, in aliquod impedimentum incurrant: igitur proclamationes de novo fieri conveniens est.

Q. 12. Ad quem pertineat super proclamationibus dispensare?

R. Concilii Trid. decreto solis Episcopis, aut eorum Vicariis generalibus, aut sede vacante, Vicariis a capitulo designatis, facultatem hanc attributam: quod enim ajunt patres, (*decr. de ref. matr.*) *Nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio S. Synodus relinquit*: de solis Episcopis, non de prælatis inferioribus, jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus accipi debere, sacra congregatio Concilii Trid. interpres, probante Gregori XIII Pontifice Max. declaravit: eademque *Fagnani*, in l. 4 decretalium, tit. *de clandestina desponsatione*, cap. *cum inhibitio*, & aliorum canonistarum communis doctrina est.

Q. 13. Utrum in Episcoporum arbitrio sit, a matrimonii denunciationibus indifferenter, & sine causa legitima dispensare?

Respond. Negative. Sicuti enim gravissimis rationibus Ecclesia mota est ad denunciationes præcipiendas; ita nec in cujusquam gratiam sine causis urgentissimis debet legis relaxatio fieri. Porro causis gravissimis inductam esse Ecclesiam ad legem de nuptiis proclamandis ferendam, manifestum est ex malis innumerabilibus quæ ex matrimoniis illegitimis oriri solent, quæque vix aliter quam per proclamationes præcaveri possunt. Quisquis ergo aut nulla aut levi de causa proclamationum obligationem remittit, non dispensat, sed dissipat. *Possunt ipsi Prælati*, ait S. Antoninus, (1 *par. Tit.* 17, *c. unic.* §. 20) *dispensare*

Digitized by Google

sare, & *debent causa rationabili*, *puta alicujus necessitatis*, *vel majoris utilitatis*. *Quod si Prælati absque rationabili causa*, *vel saltem dubia*, *pro sola voluntate licentiam tribuant veniendi contra leges*, *secundum Bernardum non erunt dispensatores*, *sed dissipatores*; & *peccabunt ipsi dispensantes cum dispensatis*, *si eis utuntur*.

Quocirca Episcopi in his & similibus gratiis largiendis debent maturum judicium, summamque prudentiam, prout a Concilio Trid. præscriptum est, adhibere. *Sicuti publice expedit*, ait S. Synodus, (*Sess.* 25, *de Refor. c.* 18) *legis vinculum quandoque relaxare*, *ut plenius*, *evenientibus casibus* & *necessitatibus*, *pro communi utilitate satisfiat*: *sic frequentius legem solvere*, *exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu*, *petentibus indulgere*, *nil aliud est*, *quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire*. *Quapropter sciant universi*, *Sacratissimos Canones exacte ab omnibus*, & *quoad ejus fieri poterit*, *indistincte observandos*. *Quod si urgens justaque ratio*, & *major quandoque utilitas postulaverit*, *cum aliquibus dispensandum esse*: *id causa cognita ac summa maturitate*, *atque gratis a quibuscumque*, *ad quos dispensatio pertinebit*, *erit præstandum*; *aliterque facta dispensatio*, *surreptitia censeatur*.

Quæritur 14, quæ dispensandi causæ legitimæ sint?

R. Unam dumtaxat a Concilio Trid. expressam, in Decreto de Ref. matrimonii, sæpe laudato, quando nimirum *probabilis fuerit suspicio*, *matrimonium malitiose impediri posse*, *si tot præcesserint denunciationes* &c.

Quamquam vero hanc unam expresserit, dubium tamen non est, quin existimaverit, posse alias graves causas occurrere, quæ necessario hanc relaxationem requirant. Totum enim illud negotium reliquit Episcoporum judicio ac prudentiæ. Atqui plerique casus occurrunt, quibus denunciationes vel ex integro vel ex parte remitti, prudentia & æquitas postulant.

Quinam autem hi casus sint, ex S. Antonino, (3 *par. Tit.* 1, *c.* 16) & aliis legum interpretibus enarrabo.

1. Est, quando certo prævidetur ex proclamationibus infamia contrahentium secutura: puta, si hactenus in concubinatu vixerint, & habiti fuerint pro veris conjugibus.

2. Est, quando sine gravi animæ aut rerum temporalium detrimento nuptiæ differri non possunt: ut si vir periculose decumbat, aut extemplo teneatur longum iter arripere, necesseque sit accelerare connubium, ut ingenuæ puellæ honori consulatur, & proles jam concepta, forteque edita, legitima fiat.

3. Est, quando ad vitandum peccatum, vel scandalum, vel infamiam, vel odia, & litigia, quamprimum nubere expedit, & periculum in mora est, ne alterius voluntas ex levitate, infidelitate, aut pravis æmulorum suasionibus invertatur; atque adeo matrimonium disturbetur.

4. Est, quando nupturientium alter est sub potestate tutoris, curatoris, vitrici, novercæ, aliorumve affinium aut cognatorum, qui obstare matrimonio omni artificio moliuntur, spe capessendæ, sibique vindicandæ hæreditatis.

5. Est, si inter nubere volentes magna ætatis, conditionis, aut possessionum disparitas sit, propter quam gravia prævidentur matrimonio obstacula opponenda.

6. Est, quando de Summorum Principum, magnatumve futuris nuptiis agitur; tum quia hujus generis hominibus honor peculiaris habendus est; tum quia quo in altiori gradu versantur, eo illorum affinitates & facta omnibus certius innotescunt; atque adeo minus de occultis impedimentis timendum est.

7. Est, quando tempus instat, quo celebrari nuptias ab Ecclesia interdictum est, nec tamen sine periculo animæ, propter alterutrius incontinentiam, aut alio quovis gravi incommodo differri possunt.

Hæ, inquam, communiores causæ sunt, propter quas Canonistæ & casuistæ affirmant, non modo posse, sed etiam teneri ordinarium, ad partium petitionem a denuntiationibus dispensare; nisi aliunde malæ fraudis suspicio sit, propter quam gratia non concedenda putetur.

Fatendum tamen non omnes omnibus probari æqualiter. Sic enim S. Carolus antiquæ disciplinæ acerrimus vindex, non putavit hac ratione promulgationes remitti posse, quod instet adventus aut quadragesimæ tempus. *Matrimonii denunciationes*, inquit, (*Concil. Mediolan.* 5, *part.* 3, *tit. quæ ad matrimon. pertinent.*) *quas aliquando ab Episcopo remitti*, *constitutione Tridentina permissum est*, *is videat*, *ne ob aliam causam*, *quam ea ipsa constitutione cavetur*, *remittat*; *cum scilicet ordinarii judicio verisimilis suspicio est*, *matrimonium malitiose impediri posse*; *at vero si hæc causa non subest quamobrem illas remittat*, *ea certe sola*, *quod instat Sacri Adventus*, *quadragesimæve tempus*, *neque necessaria est*, *nec vero cum ratione consentiens*; *cum præsertim eo Sacro tempore qui jam matrimonio juncti sunt*, *ab illius usu abstinere potius conveniens sit*, *nedum sponsos una conjungi*.

Quæritur 15, & ultimo, utrum, nullo casu possit matrimonium sine præviis proclamationi-

Digitized by Google

tionibus contrahi, non obtenta ab Episcopo dispensatione?

R. Gravi urgente necessitate, si propter angustias temporis non possit Episcopus conveniri, quia metus est ne occasio fugiat; aut si postulatus Episcopus renuat obstinate remissionem hanc facere; posse sine denunciationibus præviis matrimonium contrahi: quia in hoc casu necessitas, ut vulgari proverbio dicitur, legem non habet, nec censebitur rebellis Ecclesiæ, qui ut majoris momenti legem impleret, a proclamationibus præmittendis abstinuit. Si quis enim e.c. in extrema periodo positus, concubinam vult ducere, tum ut ejus infamiam aboleat, tum ut proles ex illegitimo concubitu suscepta, vi secuti matrimonii pro legitima habeatur; bonum sane illud impediri eo prætextu non debet, sive quia recurri ad Episcopum, propter temporis brevitatem non potest; sive quia rogatus Prælatus, supplicanti repulsam inique dedit: majus enim graviusque præceptum est, caritatis & justitiæ erga proximum exercendæ, quam sine præmissis promulgationibus non nubendi.

In his porro & similibus summa cautela & cum matura deliberatione agendum, ne sub speciosæ necessitatis obtentu, auctoritas Ecclesiæ contemnatur.

Sequitur

QUÆSTIO SEXTA ET ULTIMA.

De matrimonii impedimentis.

IMpedimenti nomine intelligimus in præsenti, quidquid nuptiis vel contractis vel contrahendis obicem ponit, easque reddit vel irritas, vel illicitas: unde duplicis generis impedimenta censentur: quædam enim ita cum matrimonio pugnant; ut illud non modo illicitum, verum & invalidum nullumque reddant: unde *dirimentia* appellantur: quædam vero sic resistunt matrimonio contrahendo, ut contractum non irritent: eaque impedimenta *impedientia* vocitantur.

Impedimenta *dirimentia* quatuordecim recensentur, & solent his versibus exprimi:

Error, conditio, votum, cognitio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Affinis, raptor, si clandestinus, & impos:
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta *impedientia*, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam numero quinario continentur, hisque versibus significantur:

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jurgito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

De his omnibus & singulis præsens quæstio instituitur, quam ut more solito ad certa capita revocemus:

1. Quærimus in ponendis impedimentis quid natura, quid lex civilis, quid denique Ecclesia valeat?

2. De impedimentis *dirimentibus:*

3. De *impedientibus* dicturi sumus:

4. Erit expendendum, utrum, & a quo, & quatenus possint nuptiarum impedimenta laxari?

Quas difficultates sic attingemus, non quidem ut omnia explicemus quæ jure sibi vindicant canonum & civilium legum interpretes; sed ita tamen, ut quæ virum Theologum scire oporteat, perfunctorie non dicamus. Jam sit

CAPUT PRIMUM.

In ponendis impedimentis quid natura, quid lex civilis, quid Ecclesia valeat.

MAtrimonium natura dictat, cohonestat respublica, religio perficit: *in quantum igitur*, inquit S. Thomas, (*lib. 4 contr. gentes c. 78*) *ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem, a natura inclinante in hunc finem; & sic dicitur esse naturæ officium: in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis: in quantum igitur ad bonum Ecclesiæ ordinatur, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico* . . . Ita S. Doctor: cum itaque ex natura, Republica, & Ecclesia nuptiæ pendeant, consequens est, naturæ, Reipublicæ, Ecclesiæ legibus, certis limitibus circumscribi, a quibus non possunt sine sui ipsarum violatione exorbitare: hi autem limites, impedimenta ipsa sunt de quibus est controversia: nec putandum contractus nuptialis simplicitati quidquam detrahi, eo quod in legum tam diversarum potestate reponatur: *considerandum enim est*, ait ib. præceptor Angelicus, *quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit: unde oportet quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur.*

Nihil ergo isthæc quæstio difficultatis haberet; (cum cuilibet mediocriter attendenti evidens sit, impedimenta, alia quidem ab ipsa natura, qualia sunt e. c. erroris, & impotentiæ; quædam civilibus sanctionibus; alia denique decretis Ecclesiasticis constituta:) nisi oporteret Lutheri ejusque sequacium temera-

rium

Digitized by Google

rium absurdumque dogma refellere, asserentium, nullis hominum, quævis tandem illæ sint, legibus, posse matrimonia irritari, eaque solum veri nominis esse impedimenta, quæ nuptiis contrahendis jus naturale, vel positivum divinum opposuit. Adversus illos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur, olim Ecclesiam potuisse, & posse etiam num constituere impedimenta matrimonium dirimentia.

Dogma fidei est, in Concilio Trident. nova definitione contra Lutheri temeritatem assertum: *si qui dixerit*, inquit, (*sess.* 24, *can.* 3) *eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur* (Levit. 18) *posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant: anathema sit* .... (*ib. can.* 4) *si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anathema sit.*

PROBATIO PRIMA.

Ex præscriptione.

Et hic locum habet argumentum præscriptionis toties contra hæreticos, tamque feliciter inculcatum.

Quo tempore Lutherus contra Ecclesiam vexillum rebellionis erexit, jus sibi Ecclesia arrogabat, matrimonium impedimentis tum dirimentibus, tum impedientibus coercendi; eodemque jure (quod nemo negabit, nisi qui publice mentiri non erubuerit,) quatuor ante Conc. Trid. sæculis, pacifice & nemine repugnante potita erat: Nam

1. Quæ modo numerantur nuptiarum impedimenta, vel in decreto *Gratiani*, vel in *Gregorii IX* Pontificis Max. decretalibus sæculo 13 editis fere omnia continentur.

2. Quatuor integris quæ Trident. concilium præcessere ætatibus, undique gentium ad Ecclesiam causæ matrimoniales deferebantur, non a plebe iis tantum & obscuris hominibus, sed & a viris principibus, regibus, imperatoribus, qui authoritati Ecclesiæ, uti par erat, reverentiam exhibentes, gratiam sibi fieri postulabant, intra prohibitos aliquos gradus nubendi.

Atqui quam Lutheri temporibus, & quatuor ante sæculis vindicabat sibi Ecclesia potestatem, ab omni retro ætate habuerat; ita ut nullum possit assignari tempus, quo jus illud, ante incognitum, usurpare primo incœperit. Igitur tam antiqua ejus, quam Ecclesiæ ipsius origo est.

Minorem propositionem demonstramus, vanas Hæreticorum cavillationes convellendo.

Primo, *inquiunt*, paulatim furtivoque gradu, Tyrannidem hanc Ecclesia usurpavit: proindeque fieri non potuit, ut principes quorum intererat, intercederent, & contra novitatem, uti debuerant, reclamarent.

Verum qui ita non tam disputant, quam nugantur, si fidem sibi haberi vellent, deberent proferre, suisque appellare nominibus illegitimæ invasionis authores, artesque & machinationes retegere, quibus ambitiosum consilium ad optatum exitum Ecclesia molita sit perducere. Non enim in re adeo gravi frivolis conjecturis, sed ratione & auctoritate pugnandum. Illud porro cum ne tentare quidem audeant, nedum assequantur; pro merito mendacii arguuntur, & causa cadunt: & vero qui fieri potuisset, ut in communi omnium offensione, ne unus quidem reperiretur, qui de violato jure gentium, & nuptiarum oppressa libertate conquereretur: simulque omnes orbis Christiani præsules, Principes, Imperatores, Regnorum & Rempublicarum moderatores, nemine contradicente, tam iniquæ Tyrannidi consentirent; cum interim multis aliis de causis quæ longe minoris momenti erant, contra potestatem Ecclesiasticam querelæ tam frequentes a Principibus moverentur?

Secundo, *ajunt*, jus illud cœpit arrogare sibi Ecclesia 9 sæculo, quo tempore prodierunt Ep. decretales priorum temporum Pontificibus falso attributæ, spuriisque & supposititiis rescriptis refertæ. Subinde vero huic usurpationi auctoritatem, 11, & sequentibus sæculis *Ivo Carnotensis*, *Gratianus*, & alii summæ existimationis scriptores conciliarunt.

Sed nec veri speciem exceptio ista habet. Nam

1. Canones de matrimoniis prohibendis aut dirimendis non in falsis tantum decretalibus, sed in antiquis conciliis, & indubitatis Pontificum Max. rescriptis leguntur, quæ sæculum nonum longo intervallo temporum præcesserunt, ut statim dicturi sumus.

2. Ubi primum lucem viderunt supposititiæ decretales, earum illico falsitas tum Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, tum aliis hujus ætatis eruditis innotuit, a quibus publice & cum indignatione est propalata; atqui nec Hincmarus nec alii ut spuriis decretalibus detraherent fidem, eo usi sunt argumento, quod contra morem antiquum & receptam ubique disciplinam, darent Ecclesiæ potestatem impedimenta

Digitized by Google

menta matrimonii vel prohibentia, vel dirimentia opponendi: quod argumentum omnium validissimum futurum erat: ergo &c.

PROBATIO II.

Ex Traditione.

Deinde, potestatem hanc Ecclesia non illegitima usurpatione, sed jure hæreditario ab ipso Christo acceptam habet, quam ei provinciarum omnium & ætatum traditio vindicat; atqui hujusmodi est potestas ponendi matrimonio impedimenta tum simpliciter prohibentia, tum dirimentia.

Sic enim ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio Apostolus nuptias propter disparitatem cultus abrumpi sancivit. *Si quis frater*, inquit, (*1 Cor.* 7, 12, *& seqq.*) *uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier fidelis virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum . . . quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*. Quod enim ab ipso Apostolo edita hæc constitutio fuerit, præcedentia verba demonstrant: *cæteris*, inquit, *ego dico*, *non Dominus:* quasi diceret: *non hanc Dominus legem expresse tulit*, *sed ego Domini spiritus ductus*, *& fretus auctoritate sic statuo*.

Jam ætates antiquissimas revolventi manifestum erit Sacros Antistites in instituendis nuptiarum impedimentis B. Pauli exemplum esse secutos.

Sic 2 desinente & ineunte 3 sæculo *Tertullianus* idem ex cultus disparitate impedimentum agnovit. *Coronant*, inquit, (*lib. de cor. mil. cap.* 13) *nuptiæ sponsos*, *& ideo non nubimus Ethnicis*, *ne nos ad idololatriam usque seducant*, *a qua apud illos nuptiæ incipiunt*.

Sæculo 4 (*ann.* 314) Concilium *Neocæsariense* canone 2, per affinitatem matrimonium abrumpi denunciat. „ Mulier, *inquit*, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad „ mortem. Verum tamen in morte si promiserit, quod ubi convaluerit, solvet matri„ monium, propter humanitatem, pœnitentiam habebit. Sed si mortua fuerit mulier „ in hujusmodi conjugio existens, vel ejus „ maritus, difficilis erit pœnitentia rema„ nenti. “

Eodem sæculo (*ann.* 314) Concilium Ancyranum can. 21, impedimentum raptum constituit. „ Desponsatas puellas, *inquit*, & ab „ aliis postea raptas, placuit iis reddi qui„ bus desponsatæ fuerant; etiamsi vim passæ „ sunt. “

Eadem ætate *S. Basilius*, Ep. 1 canonica ad Amphilochium expresse meminit impedimentorum ordinis, voti, raptus, & affinitatis: Canone namque 6: *Canonicorum fornicatio*, inquit, *pro matrimonio non reputetur*, *sed eorum conjunctio divellatur*. Ubi, *Balsamone* interprete, Canonicos generatim dicit omnes qui in Canone Ecclesiæ recensentur, omnes nimirum tum in Clero, tum in Monachatu virginitatem professos. Et ex Can. 18: *Virgo* (quæ sui corporis copiam fecerit,) *adulteræ judicio subjicitur*.

Canone porro 22: „ Eos, *ait*, qui ex ra„ ptu habent mulieres, si ab aliis quidem „ desponsas habuerint, non oportet prius ad„ mittere, quam ab eis ablatæ sint in eo„ rum potestate, quibus desponsæ fuerant, „ an eas velint accipere, an desistere. Si „ quis vero vacantem acceperit, auferre qui„ dem oportet, & suis restituere; illorum „ autem sententiæ permittere, sive sint pa„ rentes, sive fratres, sive quicumque alii „ virgini præsint. “

Et denique Can. 23, Epistolam memorans a se scriptam *ad Diodorum*, (*Epist.* 197) propter impedimentum affinitatis dirimi matrimonium asseverat, ejus qui viduam fratris sui uxorem duxit; *item* ejus qui duas sorores ducit; *item* ejus quæ cum duobus fratribus contrahit. Verba porro Ep. ad *Diodorum* hæc sunt: „ principio, *inquit*, (quod in „ ejusmodi rebus maximi momenti est) mo„ rem qui apud nos est objicere possumus, „ quod is legis vim habeat; propterea quod „ sanctiones istæ a Sanctis nobis sunt viris „ traditæ. Est autem hic mos talis, si quis „ affectu immundo correptus, ad illicitam „ duarum sororum communicationem exorbi„ taverit, id neque conjugium esse censen„ dum, neque talem ad Ecclesiasticum cœ„ tum admittendum, priusquam se invicem „ dirimantur. “

Canones Apostolici nuptias majoribus clericis interdicunt, adeoque ordinis impedimentum constituunt: *innuptis qui ad clerum provecti sunt*, ait canon 27, *præcipimus*, *ut si voluerint uxores accipiant: sed lectores cantoresque tantummodo*.

De voti impedimento præclara Concilii Chalcedonensis IV Œcumenici (*ann.* 451) definitio est. „ Sancimus, *inquit*, virginem quæ „ se Deo Domino dedicavit, similiter & mo„ nachos, non licere matrimonio conjungi: si „ vero hoc fecisse inventi fuerint, excommu-

ni-

„ nicentur : statuimus vero auctoritatem ha„ bere loci Episcopum, iis humanitatem lar„ giri. "

Trullana Synodus (*ann.* 692) quam quinisextam dixerunt , eo quod veluti in supplementum 5, & 6 Œcumenici Concilii celebrata sit, can. 53, de impedimento spiritualis affinitatis sic statuit : „ Quoniam spiritualis „ necessitudo seu affinitas, corporum conjun„ ctione major est; in nonnullis autem locis „ cognovimus quosdam , qui ex sancto & sa„ lutari baptismate infantes suscipiunt , post„ ea quoque cum matribus illorum viduis ma„ trimonium contrahere : statuimus ut in po„ sterum nihil hujusmodi : si qui autem „ post præsentem canonem hoc facere de„ prehensi fuerint , ii quidem primo ab hoc „ illicito matrimonio desistant : deinde & for„ nicatorum pœnis subjiciantur. "

Can. vero 54, cognatorum & affinium nuptias prohibet, decernens, nec cum patrui filia sive consobrina , nec cum duabus sororibus , nec patris & filii cum matre & filia , nec matris & filiæ cum duobus fratribus, nec duorum fratrum cum duabus sororibus conjunctiones licitas esse.

Et demum Can. 98, honestatis impedimentum edicit, adulterii damnans eum, qui alteri desponsatam mulierem , eo adhuc vivente cui desponsata est, in matrimonium ducit.

Quos hactenus laudavimus Patres , Græci & Orientales , uno excepto Tertulliano fuerunt : unde facile colliget studiosus Lector calumniari hæreticos quando ajunt a Latina præcipue Ecclesia cæpisse usurpari auctoritatem , impedimentis diversis matrimonia coercendi.

Redeo nunc ad Latinos , ut utriusque Ecclesiæ magis ac magis consensio pateat.

Siricius sæculo 4 Pontifex Max. in Ep. 1, ad *Himerium* Episcopum Tarraconensem, c. 4, non licere cum desponsata alterius contrahere matrimonium aperte definit. „ De conjuga„ lium violatione requisisti , *inquit* , si des„ ponsatam alii puellam alter in matrimo„ nium possit accipere ? hoc ne fiat modis „ omnibus inhibemus, quia illa benedictio quam „ nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cu„ jusdam sacrilegii instar est , si ulla trans„ gressione violetur. "

Et cap. 6, impedimentum voti confirmans : „ præterea, *inquit*, monachorum quosdam at„ que monacharum , abjecto proposito sancti„ tatis , in tantam protestatis demersos esse „ lasciviam; ut prius clanculo, velut sub mo„ nasteriorum prætextu , inlicita ac sacrilega „ se contagione miscuerint : postea vero in „ abruptum , conscientiæ desperatione , per„ ducti , de inlicitis complexibus libere filios „ procrearint : quod & publicæ leges & Ec„ clesiastica jura condemnant: has igitur im„ pudicas detestabilesque personas a monaste„ riorum cœtu , Ecclesiarumque conventibus „ eliminandas esse mandamus : quatenus re„ trusæ in suis ergastulis , tantum facinus „ continua lamentatione deflentes , purifica„ torio possint pœnitudinis igne decoquere ; „ ut eis vel ad mortem saltem , solius mise„ ricordiæ intuitu per communionis gratiam „ possit indulgentia subveniri. "

Ne interrupta probatio sit , una serie , sequentium Pontificum non omnia quidem (nimis enim longum foret) sed aliqua decreta , obices matrimonii edicentia enarrabo.

Innocentius I, ineunte 5 sæculo Pontifex Max. in Ep. ad *Victricium* Rothomagensem Episcopum , c. 11 , prædecessoris sui de voti impedimento edictum , nova sanctione corroborat. „ Item, *inquit* , quæ Christo spiritua„ liter nupserunt, & a sacerdote velantur, si „ postea vel publice nupserint , vel se clan„ culo corruperint ; non eas admittendas esse „ ad agendam pœnitentiam , nisi is cui se „ junxerant, de mundo recesserit : si enim de „ hominibus hæc ratio custoditur , ut quæ„ cumque vivente viro alteri nupserit, habea„ tur adultera , nec ei agendæ pœnitentiæ „ licentia concedatur , nisi unus ex his fue„ rit defunctus : quanto magis de illa tenen„ da est , quæ ante immortali se sponso con„ junxerat , & postea ad humanas nuptias „ transmigravit? "

Idem in Ep. 9 *ad Probum* impedimentum ligaminis sua auctoritate confirmat , pronuntians matrimonium *Fortunii*, cujus uxor *Ursa* nomine a barbaris rapta fuerat , ea adhuc vivente contractum, nulla ratione esse legitimum, nec debere subsistere.

Eodem sæculo pleraque in hanc rem decreta edidit *S. Leo M.* sic in Ep. 84, (vel 12) ad *Anastasium* Thessalonicensem : „ nec sub„ diaconis, *inquit* , carnale connubium con„ ceditur, ut & qui habent sint tamquam non „ habentes , & qui non habent maneant sin„ gulares . . . " quibus sane verbis impedimentum ordinis continetur.

Et in Ep. 79, (vel 129) ad *Nicetam* Aquilejensem, consultus circa fœminas quasdam, quæ viris sui in captivitatem abductis , nupserant aliis: „ Quia novimus scriptum , *inquit* , „ quod a Deo jungitur mulier viro , & ite„ rum præceptum agnovimus, ut quod Deus „ junxit, homo non separet ; necesse et , ut „ legitimarum fœdera nuptiarum redintegran„ da credamus , & remotis malis quæ hosti-

„ litas

„ litas intulit, unicuique id quod legitime
„ habuit, reformetur: omnique studio procu-
„ randum est, ut recipiat unusquisque quod
„ proprium est . ... Et ideo si viri post lon-
„ gam captivitatem reversi, ita in dilectione
„ suarum conjugum perseverent, ut eas cu-
„ piant in suum redire consortium, omitten-
„ dum est & inculpabile judicandum, quod
„ necessitas intulit, & restituendum est quod
„ fides poscit: si autem aliquæ mulieres ita
„ posteriorum virorum amore sunt captæ, ut
„ malint his cohærere, quam ad legitimum
„ redire consortium; merito sunt notandæ,
„ ita ut etiam Ecclesiastica communione pri-
„ ventur, quæ de re excusabili contaminatio-
„ nem criminis elegerunt, ostendentes sibimet
„ pro sua incontinentia placuisse, quod justa
„ remissio poterat excusare . . . . „ impedi-
mentum ligaminis quis hic non videt?

Et in Ep. 92, (vel 2) ad Rusticum Episcopum Narbonensem, c. 4: „ Non omnis mu-
„ lier viro juncta, *inquit*, uxor est viri;
„ quia nec omnis filius hæres est patris: nu-
„ ptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt
„ legitima, & inter æquales, & multo prius
„ hoc ipsum Domino constituente, quam ini-
„ tium Romani juris existeret . . . (cap. 6)
„ ancillam a Thoro abjicere, & uxorem cer-
„ tæ ingenuitatis accipere, non duplicatio
„ conjugii, sed profectus est honestatis ... "
ecce tibi impedimentum conditionis.

Sexto desinente & ineunte septimo sæculo *S. Gregorius M.* ad *Augustinum* Anglorum Apostolum scribens, de impedimentis consanguinitatis & affinitatis diserte pronunciat.
„ Quædam, *inquit*, (*lib.* 22 *Epist. Ep.* 31)
„ terrena lex in Romana Republica permit-
„ tit, si sive fratris, sive sororis, seu duo-
„ rum fratrum Germanorum, vel duarum
„ sororum filius & filia misceantur. Sed ex-
„ perimento didicimus, ex tali conjugio so-
„ bolem non posse succrescere: & sacra lex
„ prohibet cognationis turpitudinem revela-
„ re: unde necesse est, ut jam tertia vel
„ quarta generatio fidelium licenter sibi jun-
„ gi debeat. Nam secunda, quam diximus,
„ a se omnino debet abstinere: cum noverca
„ autem misceri, grave est facinus . . . cum
„ cognata quoque misceri prohibitum est, quæ
„ per conjunctionem priorem caro fratris ef-
„ fecta est. "

Ita Sum. Pontifex aperte declarans, esse in potestate Ecclesiæ, aliqua nuptiis impedimenta ponere vel laxare: ibidem enim Anglis recens conversis condonat matrimonia in gradibus prohibitis, dum adhuc infideles essent, contracta. „ Quia vero, *inquit*, multi sunt
„ in Anglorum gente, qui dum adhuc in in-
„ fidelitate essent, huic nefando conjugio di-
„ cuntur admixti; ad fidem venientes admo-
„ nendi sunt, ut se abstineant, & grave hoc
„ peccatum esse cognoscant, tremendum Dei
„ judicium pertimescant, ne pro carnali dele-
„ ctatione tormenta æterni cruciatus incur-
„ rant: non tamen pro hac re Corporis &
„ Sanguinis Domini communione privandi sunt,
„ ne in eis illa ulcisci videamur, in quibus
„ se per ignorantiam ante lavacrum baptisma-
„ tis adstrinxerunt: in hoc enim tempore San-
„ cta Ecclesia quædam per favorem corrigit,
„ quædam per mansuetudinem tolerat, quæ-
„ dam per considerationem dissimulat atque
„ portat, ut sæpe malum quod aversatur,
„ portando & dissimulando compescat: om-
„ nes autem qui ad fidem veniunt admonen-
„ di sunt, ne aliquid tale audeant perpe-
„ trare. "

Idem alibi, (*lib.* 7, *Ep.* 119) voti atque violentiæ impedimenta declarans, *Virgilium*, & *Syagrium* Galliarum Episcopos graviter reprehendit, quod *Syagriam* sanctimonialem violenter abripi, & tradi in matrimonium permisissent, eique suum, uti bonos decebat pastores, patrocinium denegassent: „ quid enim
„ dicturi, *inquit*, quamve rationem futuro
„ estis judici reddituri, quos stupri scortatio
„ non commovit, quos ad defendendum favor
„ nequaquam Religiosi habitus excitavit, quos
„ ad tutandam pudicitiæ integritatem sacer-
„ dotalis consideratio non erexit? vel nunc
„ ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus
„ recordatio culpæ sollicitet, & officii vestri
„ consideratio ad prædictæ mulieris vos ad-
„ hortationem impellat: & ne forte per tem-
„ pus transisset in voluptatem necessitas, lin-
„ gua illi vestra, medela sit, atque admonen-
„ tibus vobis, orationibus operam det, de me-
„ moria lamenta pœnitentiæ non recedant,
„ Redemptori nostro cor pœnitens exhibeat,
„ & castitatis damna, quam ei corpore ser-
„ vare non licuit, fletu resarciat. "

Pleraque alia tum ejusdem Gregorii, tum sequentium quavis ætate Pontificum de hac re edicta, ne lectori tædio sim, lubens taceo: non præteribo tamen famosum *Gregorii V* decretum, desinente 10 sæculo in Romana Synodo latum, quo *Roberti* Francorum Regis cum *Berta* consanguinea matrimonium irritum fuisse, & modis omnibus dissolvendum, sub anathematis interminatione pronunciavit: simulque *Erchembaldum* Archiepiscopum Turonensem, cæterosque Episcopos qui talibus nuptiis, contra Ecclesiasticam regulam, interfuerant, donec ab iis foret Sedi Apostolicæ satisfactum, communione privavit: canone namque primo decretum: *Ut Rex Robertus consan-*

Digitized by Google

guineam suam Bertam, *quam contra leges in uxorem duxerat*, *derelinquat*, *& septem annorum pœnitentiam agat*, *ut secundum præfixos Ecclesiasticos gradus judicatum est*: *quod si non fecerit anathema sit*: *idemque de eadem Berta præceptum est* . . . . . Canone vero 2: *Erchembaldum Turonensem Archiepiscopum talis conjugii consecratorem*, *cum omnibus Episcopis*, *qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis & Bertæ consanguineæ suæ*, *a sacrosancta communione suspendimus*, *donec ad hanc sanctam Sedem Apostolicam veniant satisfacturi*.

Ne qua sui parte probatio defraudetur, addam Synodos non omnes quidem, sed paucas e multis, in quibus pariter est de nuptiarum obicibus constitutum.

De impedimento quidem *conditionis* in Concilio Aurelianensi IV, (*ann.* 545) can. 21, ita sancitum: *quæcumque mancipia sub specie conjugii ad Ecclesiæ septa confugerint*, *ut per hoc credant posse fieri conjugium*; *minime eis licentia tribuatur*, *nec talis conjunctio a clericis defensetur*: *quia probatum est*, *ut sine legitima traditione conjuncti*, *pro religionis ordine*, *statuto tempore ab Ecclesiæ communione suspendantur*, *ne in sacris locis*, *turpi concubitu misceantur*: *de qua re decernimus*, *ut parentibus aut propriis Dominis*, *prout ratio poscit personarum* . . . *sub separationis promissione reddantur*.

Pari sensu Concilium Triburiense: (*an.* 895) can. 38: *Paternam*, inquit, *sequentes auctoritatem*, *statuimus & libere judicamus*, *ut quisquis liber libertam*, *hoc est*, *ex ancilla per manumissionem & regalem largitionem liberam factam*, *legitime in matrimonium duxerit*, *ulterius habere debeat* . . . *& quamdiu illa vivat*, *nullam aliam accipiat*.

De impedimento voti edictum in Conciliis, *Carthag.* IV, an. 398, can. 104, *Aurelianensi* II, an. 536, can. 17, *Parisiensi V*, Ecclesiæ Gallicanæ plenario, an. 615, can. 13, *Romano* I, sub Gregorio II, an. 721: expressa canonum verba studiosus Theologus in fonte exquirat. Ego causa brevitatis tantum hic refero Concilii Parisiensis sententiam: *De viduabus & puellis*, inquit, *quæ sibi vestes in habitu Religionis in domibus propriis*, *tam a parentibus*, *quam per se ipsas mutaverint*, *& se postea contra statuta Patrum*, *vel præcepta canonum*, *conjugio crediderint copulandas*; *tamdiu utrique habeantur a communione suspensi*, *quo usque quod illicite perpetraverunt*, *emendent*, *aut si emendare neglexerint*, *a communione Ecclesiastica*, *vel omnium Christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati*.

Porro de impedimentis consanguinitatis, & affinitatis quoties in sacris Synodis constitutum? extant de iis decreta solemnia, in Concilio *Agathensi*, an. 506, can. 61, in *Lugdun.* I, an. 517, *Aurelianensi* III, an. 540, can. 10, *Aurelianensi IV*, an. 545, can. 27, *Parisiensi* V, an. 615, can. 14, *Remensi* anno 625, can. 8, *Romano* I, sub Gregorio II, an. 721, item *Romano* altero sub *Zacharia* Pontifice Max. ubi *Clementi* hæretico anathema dictum, *qui SS. Patrum rescripta respuens*, *& omnia Synodalia acta parvipendens*, *judaismum Christianis inferebat*, *prædicando fratrem uxorem fratris sui defuncti sibi matrimonio jungere posse*: & denique (ne plura referam) in Moguntino an. 813, cujus canones hic inserere opus est, quia omnes consanguinitatis & affinitatis obices comprehendunt: canon 54 sic est: *contradicimus quoque*, *ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur*; *ubi autem post interdictum*, *factum inventum fuerit*, *separetur*: canon 55, *nullus proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat*; *nec filiolam*, *nec commatrem ducat uxorem*; *nec illam cujus filium*, *aut filiam ad confirmationem duxerit*: *ubi autem factum fuerit*, *separentur*: can. 56, *si quis uxorem viduam duxerit*, *& postea cum filiastra sua fornicatus fuerit*, *seu duabus sororibus nupserit*; *aut si qua duobus fratribus nupserit*, *seu cum patre & filio*: *tales copulationes anathematizari & disjungi præcipimus*, *nec unquam amplius conjugio copulari*.

Circa impedimentum *criminis*, unum allegabo Concilium *Triburiense*, an. 895, c. 40, sic definiens: *non licet*, *nec Christianæ Religioni oportet*, *ut ullus ea utatur in matrimonio*, *cum qua prius pollutus est adulterio*.

De matrimonio propter *cultus disparitatem* solvendo, in IV Concilio Toletano, anno 633, can. 62 sancitum his verbis: " Judæi „ qui Christianas mulieres in conjugio ha„ bent, admoneantur ab Episcopo, ut si cum „ eis permanere cupiunt, Christiani effician„ tur: quod si admoniti noluerint, separen„ tur: quia non potest infidelis in ejus per„ manere conjunctione, quæ jam in Chris„ tianam relata est fidem. "

De impedimento *ordinis* libro præcedente abunde dictum: tantum hic exscribam Concilii *Carthagin.* II, ann. 390, canonem 2, statuentem, *ut Episcopi*, *Presbyteri*, *& Diaconi*, *vel qui Sacramenta contrectant*, *pudicitiæ custodes*, *etiam ab uxoribus se abstineant*.

A primo igitur ad ultimum constat, Ecclesiam ab ipsis suæ institutionis exordiis habuisse in ponendis matrimonio obicibus facultatem

Digitized by Google

tem, eamque non a principibus sæcularibus precario esse acceptam, nec tyrannice, ut hæretici garriunt, usurpatam, sed sibi a sponso Christo commissam.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione.

Quidni vero haberet Ecclesia in moderandis nuptiis facultatem, quæ omnibus universim humanis actibus & officiis summo jure modum præscribit, ut ad honestatis regulas exigantur? scilicet, poterit Ecclesia in cæteris pene omnibus, de quibus pacisci homines possunt, quod æquitati ac veritati consentaneum fuerit, pro Christianæ Reipublicæ bono decernere: solusque nuptiarum contractus, quo nullus sanctior, quo nullus diligentiorem circumspectionem requirit, ejus fuerit jurisdictioni subtractus?

Deinde, matrimonium, quatenus ejus subsidio quotidie spiritualis Dei civitas crescit, in bonis Ecclesiæ continetur; nisi enim ope nuptiarum carnales filii nascerentur, spirituales undis salutaribus in Ecclesiæ gremio non renascerentur. Ergo ut bonum matrimonii intactum sanctumque servet Ecclesia, habere debet in potestate sua, a nuptiis quidquid non est bonum & honestati conveniens amovere. „ Matrimonium, *ait S. Thomas supra laudatus*, (*l.* 4 *cont. gent. cap.* 78) in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis: in quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico.“

Præterea, matrimonium Sacramentum est, cujus materia est contractus ipse, sive mutua viri ae mulieris in nuptias obeundas consensio. Porro contractus ille in civili ac naturali ordine humanis & civilibus legibus subjacet; pariter ergo in ordine spirituali, quatenus officium est religiosum, per leges Ecclesiæ dirigi debet. „ Matrimonium, *ait Præceptor Angelicus*, (*in* 4 *sent. dist.* 40, *qu.* 1, *art.* 3, *ad* 2) non tantum est Sacramentum, sed etiam est in officium: & ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiæ, quam baptismus qui est Sacramentum tantum: quia sicut contractus & officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus & officia spiritualia lege Ecclesiæ.“

Adversariorum effugia præcluduntur.

Opponunt. Si hanc Deus Ecclesiæ facultatem fecisset, nuptias impedimentis dirimentibus coercendi, Scripturarum auctoritate adstrueretur; atqui potestatis hujusmodi quam in Ecclesiam Deus transtulerit, nec leve in Scripturis vestigium est. Ergo &c.

R. 1. nego maj. Cum enim duæ sint regulæ præscriptæ divinitus ad mores componendos, & fidem stabiliendam, Scriptura & traditio; modo altera dogma quodlibet vindicetur, certo immobiliterque consistit; atqui ex traditione liquido constat, Ecclesiam a primis temporibus constituisse impedimenta matrimonium dirimentia. Ergo jure sibi divinitus concesso hoc potuit: atque adeo ad silentium Scripturæ immerito hæretici provocant.

R. 2. Nego min. hanc enim potestatem Ecclesiæ traditam, ab Apostolo docti sumus (1 Cor. 7) ubi conjugi ad fidem conversæ, cum qua vir infidelis pacifice & sine creatoris injuria habitare renuit, permittit ab eo discedere, & ad nova vota transire: adeoque infidelitatem sive cultus disparitatem dirimens esse impedimentum, data sibi & Ecclesiæ auctoritate decernit: *cæteris*, inquit, *ego dico, non Dominus . . . si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.*

Deinde, quod Matthæi 16, v. 19 legitur: *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: quidam antiqui interpretes, non solum de potestate remittendi peccata, & excommunicatione plectendi; verum insuper de matrimonio ipso intellexerunt, quod potest Ecclesia certis conditionibus circumscribere, quas ultra citraque consistere nequeat: eoque forte sensu a Tertulliano dictum, (*lib.* 2 *ad uxor.*) *Deus pater matrimonium ratum habet in cœlis, ubi a sacerdotibus consecratum fuerit in terris.*

Inst. 1. Ut potestate illa Ecclesia frueretur, deberet in ipsum matrimonium jus habere; atqui tale jus nullum Ecclesia habet. Ergo &c.

R. Concessa maj. n. min. cum enim Ecclesia, sacra Respublica sit, cui a Christo data est amplissima legum condendarum potestas; consequens est, ut sicut Respublicæ temporales, jure suo contractibus civilibus dirimentia impedimenta opponunt, pariter Ecclesia contracti matrimonii, ad spiritualem ordinem, scilicet ad Sacramenti dignitatem evecto, & ad forum suum pertinenti, possit fines præscribere, quos prætergredi nequeat; quemad-

modum enim Deus in lege veteri varia per se ipsum nuptiarum impedimenta constituendo, non prohibuerat ne Synagoga pro loco & tempore alia statueret; ita, multoque magis, eadem potestate Ecclesiam a Christo dotatam credendum est.

Inst. 2. probando min. Ecclesia in res mere politicas ac civiles jus nullum habet; ejus enim regnum non est de hoc mundo: atqui matrimonium contractus mere politicus est, ac civilis. Ergo &c.

℟. Concessa maj. nego min.

1. Enim matrimonium qua contractus naturalis est, conditionem spiritualem habet, tum in ratione signi, significat enim ineffabilem Christi & Ecclesiæ unionem; tum in suo effectu, quia nectit vinculum nulla humana potestate solvendum.

2. Licet inter gentes quæ Deum ignorant, matrimonium in contractibus mere civilibus numeretur; non tamen in Ecclesia Dei, in qua contractus ipse divini Sacramenti materia est, ad gratiæ productionem accommodati: ea itaque ratione de matrimonio judicare, eique modum necessarium ponere ad Ecclesiam pertinet.

Inst. 3. Si ita res habeat, dicendum erit Sacramentorum immutabilem non esse substantiam, sed ab Ecclesiæ nutu totam pendere: quod sic conantur abstruere: contractus matrimonii, *inquiunt*, juxta doctrinam Romanæ Ecclesiæ est pars saltem dimidia Sacramenti; ejus enim ut minimum materia est, ut minimum, *inquam*, non enim desunt Theologi, qui in contractu ipso, sive consensu mutuo contrahentium, Sacramenti formam reponunt; atqui si Ecclesia possit impedimentis a se præscriptis matrimonium solvere, potest consequenter naturam contractus mutare: ipsam itaque substantiam Sacramenti illa potestate utendo invertet: quod ne gratis dictum putetur: ante Concilium Trid. consensus etiam clandestinus ad matrimonii contractum sufficiebat: jam vero ex decreto ejusdem concilii, ita ad matrimonii veritatem consensus solemnis requiritur, ut ejus defectu matrimonium irritum quantum ad substantiam declaretur. Ergo substantia Sacramenti mutata fuit: adeoque contra quam docent Catholici, erit negandum Sacramentorum substantiam immutabilem esse institutione divina.

℟. Nego inde sequi Sacramentorum substantiam immutabilem non esse: ad prob. concessa maj. n. min. nam ante Concilium Trident. materia Sacramenti erat consensus legitimus contrahentium. Porro in hac re nulla mutatio obtigit: hoc enim unum concilii decreto præfixum est, consensum non futurum deinceps legitimum, qui non esset publice ac solemniter datus. Responsio ut intelligatur

Notandum, matrimonium natura sua contractum prius esse quam Sacramentum: contractus enim Sacramento præcurrit, sicut debet virtus pœnitentiæ ipsum pœnitentiæ Sacramentum præcedere: hinc fit, ut quidquid contractum impedit, consequenter Sacramentum impediat: sublato namque priori, posterius auferri necesse est, sicut concusso fundamento corruit ædificium, & amota natura, gratia tollitur quæ naturam perficit: quidquid igitur matrimonio mutationis accidere potest, sive civili, sive Ecclesiastica auctoritate hoc fiat; matrimonium afficit non quatenus Sacramentum, sed prout civilis & naturalis contractus est: unde sequitur Sacramenti substantiam intactam esse relictam, quando est ab Ecclesia constitutum, matrimonii contractum, nisi solemniter fieret, legitimum de cætero non futurum.

Ita respondit in Concilio Trident. *Camillus Campegius* Ordinis Prædic. Theologus insignis, cui a Patribus pro merito est applausum. *Cum ibi*, inquit Card. Pallavicinus, (*hist. Concil. Trid. lib. 22*) *variæ a variis doctoribus quærerentur rationes, quibus, immutata Sacramenti natura, clandestinum matrimonium posse irritum fieri declararetur; ecce* Camillus Campegius *Dominicanus eam invenit & proposuit, quæ pluribus arrisit, non mutari videlicet Sacramentum, etiamsi quis efficiat, ut quod Sacramenti materia est, desinat Sacramenti materia esse: qui autem civilem matrimonii contractum sustulerit, personas ad contrahendum reddens inhabiles, continuo effectum dixit, ut matrimonii contractus non possit amplius Sacramenti esse materia . . . . . Camillo Campegio cui difficultates omnes facile solventi applaudebatur a quamplurimis*, Antonius Solisius *Hispanus reclamavit . . . sed quid inde factum est? inventus a Campegio rescindendi clandestini conjugii modus Trid. Patribus omnino placuit, insuper habitis quæ* Solisius *contra Campegianæ speculationis usum disseruerat.*

Inst. 4. Quando Christus connubium ad honorem Sacramenti Evangelici extulit, nihil aliud fecit, nisi quod naturali contractui, quatenus a Deo ab ipso mundi primordio fuerat institutus, vim gratiæ producendæ adjunxit: atqui contractus ille erat, modoque est ab humanis legibus independens: vel ergo fatendum ab Ecclesia substantiam contractus esse mutatam, adeoque in Sacramentum ipsum mutationem hanc incidisse; vel omnino inficiandum potuisse aut posse Ecclesiam nuptiis obices interponere.

℟. Con-

Digitized by Google

℟. Conceſ. maj. n. min. ut enim ſolidiſſime diſputat Angelicus Doctor ſupra laudatus, voluit Deus conjugium quatenus diverſa officia continet, & ad fines diverſos dirigitur, tum a natura, tum a civili lege, tum denique ab ipſis Eccleſiæ canonibus dependere. *Quando aliquid*, inquit, *ad diverſos fines ordinatur, indiget habere diverſa dirigentia in finem, quia finis eſt proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur etiam ad perpetuitatem Eccleſiæ, quæ in fidelium collectione conſiſtit: unde oportet quod hujuſmodi generatio a diverſis dirigatur: in quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem; & ſic dicitur eſſe naturæ officium: in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet ordinationi legis civilis: in quantum igitur ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico* . . . . Ita S. Doctor; quemadmodum itaque æquum fuit, ut humanæ omnes ſive pactiones ſive tranſactiones non ſolius naturæ dictamine, ſed civilibus etiam legibus dirigerentur, quod nimirum obviam iretur fraudibus, fallaciis, & ſubreptionibus, quibus poterant conventiones hujuſmodi vitiari; ita a fortiori putandum eſt, non ita contractum matrimonii primitus inſtitutum a Deo, quin illum Reipublicæ, & Eccleſiæ ipſius decretis ſummiſerit.

Inſt. 5. Si exiſtimaſſet Eccleſia penes ſe eſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, non poſtulaſſet, immo nec permiſiſſet ſuos de hac re canones a principibus ſæcularibus confirmari; atqui hoc nedum paſſa Eccleſia fuerit, fieri ſuppliciter poſtulavit; ſic enim, ut exemplis plurimis ſuperſedeam, Concilium *Moguntinum* ſupra laudatum, poſtquam diverſa conſanguinitatis, cognationis, & ſpiritualis affinitatis impedimenta diſtinxit, a *Carolo M.* in Occidente tum temporis imperante, eorum ſupplex petiit confirmationem: cenſebant ergo Patres Moguntini nihil a ſe niſi permittente & approbante ſæculari principe. in matrimonii cauſa poſſe decerni.

℟. conceſ. maj. diſt. min. petiit ſæpe Eccleſia ſuos de matrimonio canones a principibus ſæcularibus confirmari, id eſt, *rogavit ut eorum executio a principibus imperaretur*, conc. *ut eis auctoritatem, quam aliter non haberent, tribuerent*, n. min. & conſeq.

E. R. Si ideo quia petiit ſæpe Eccleſia a principibus confirmari canones ſuos ad matrimonii diſciplinam ſpectantes, debemus dicere regum duntaxat conceſſione poſſe illam matrimonii impedimenta ſtatuere; dicendum pariter erit canones ad fidei dogmata pertinentes, ſine conceſſione & approbatione principum non valere; quia certum eſt Sanctas Synodos ſuorum generaliter canonum, ne iii quidem exceptis, in quibus de cauſa fidei agebatur, approbationem aliquando a principibus poſtulaſſe: quod cum ſit abſonum & a veritate alieniſſimum, dicendum reſtat nihil quidquam Eccleſiam a principibus poſtulaſſe, niſi ut canonum executionem procurarent, & auctoritatem Eccleſiaſticam pro more tuendo, ſubditos in officio continerent: nec alio ſenſu a Moguntinis Patribus Caroli M. imploratam eſſe auctoritatem, eo certius eſt, quod ex *præfatione* concilii conſtet, cauſas ad matrimonium pertinentes non a laicis Magiſtratibus, qui Synodo magno numero aderant, ſed ab Epiſcopis *ſacra dogmata diligenti ſtudio perquirentibus* fuiſſe diſcuſſas.

§. SECUNDUS.

Expenditur quid ſæcularis auctoritas valeat, in impedimentis matrimonii ſtatuendis?

Cum matrimonium, inquit S. Thomas ſupra laudatus, *in quantum ordinatur ad bonum politicum, ſubjaceat ordinationi legis civilis, conſequens eſt, poſſe per civilem legem ſeu magiſtratum ſtatui quædam impedimenta, quæ nimirum neceſſaria, aut convenientia viſa fuerint, ut matrimonium finem ſuum certius aſſequatur. Unde legibus non modo naturæ & Eccleſiæ, ſed etiam civilibus poteſt perſona effici ad matrimonium illegitima*: quapropter

Dico 1. Principes infideles olim potuiſſe, & poſſe etiamnum ſtatuere impedimenta non tantum impedientia, ſed etiam dirimentia inter ſubditos ſuos infideles. Cum enim matrimonium civilis contractus ſit, & ad bonum temporale Reipublicæ dirigatur, oportet legibus Principum etiam infidelium ſubjici: non enim ideo quia princeps aliquis Ethniciſmum profitetur, excidit poteſtate quam jure divino in ſubditos habet. Indeque eſt, quod impedimenta nuptiarum non inter Chriſtianos tantum, ſed & inter gentiles ab antiquo ſtatuta ſunt, dictante nimirum lumine naturali, debere conjugium certis limitibus circumſcribi, ne ultra modum a natura præſcriptum exorbitaret: cujus rei experimentum faciet quiſquis Romanorum Principum vetera edicta evolvit, quæ in corpore juris hodieque extant, quibuſque ætas, qualitas, & pleraque alia ad matrimonium ſpectantia præſcribuntur.

Dico 2. Principes Catholicos poſſe pariter matrimoniorum impedimenta indicere, quibus non illicita tantum, verum & invalida in ſuis reſpective ditionibus efficiantur. Cum enim

pote-

Digitized by Google

potestas Regia ad tranquillitatem & bonum Reipublicæ sit potissimum ordinata, ad Regum proinde ac Principum curam pertinet, de iis rebus leges sancire, e quibus Rerumpublicarum tranquillitas pendet; atqui Rerumpublicarum non modo perpetuitas, verum & tranquillitas a matrimonio maxime pendet: ergo eadem auctoritate qua Principes regunt subditos sibi populos, possunt de ineundis matrimoniis leges ferre, eaque necessariis conditionibus, & diversis obicibus coercere. *Nec debent*, ait Petrus Soto, (*lect. 4, de matrimon.*) *ægre ferre Prælati Ecclesiæ, si sæculares Principes statuant, quæ temporali paci necessaria judicarint. Nec est cur se illis opponant: sed permittant potius matrimonium humanis legibus ordinari, cum officium humanum sit: & addant postea ipsi, si videbitur, quod ad bonum Religionis pertinet.*

Dixerit forte aliquis: matrimonium est Sacramentum. Atqui Sacramenta humanis legibus non subjiciuntur. Ergo nec matrimonium; atque adeo penes Principes sæculares non est, apponere matrimonio impedimenta, sive prohibentia, sive dirimentia.

Respondeo, dist. maj. matrimonium est Sacramentum: *simul & contractus civilis*, conc. *est Sacramentum tantum*, n. maj. & concessa min. dist. pariter conseq. matrimonium humanis legibus non subjicitur, *quatenus est Sacramentum*, conc. *quatenus est civilis & naturalis contractus*, n. conseq.

E. R. Quod matrimonium civilis naturalisque contractus sit, a natura ipsa, & a prima mundi origine habet: quod vero divinis annumeretur mysteriis, Christo Evangelicæ legis latori acceptum refert. Poterat itaque aliter providente Deo, Sacramentum non esse; contractus civilis & naturalis non esse non poterat. Jam sic subsumo; atqui contractus civiles & naturales, cum ad Rerumpublicarum bonum, tranquillitatemque pertineant, sæcularium Principum edictis subjiciuntur. Possunt ergo ex juxta causa matrimonium irritare, perinde ac si Sacramentum non esset, reddendo scilicet personas ad contrahendum inhabiles, & invalidum contractum efficiendo.

Dico 3. Longum tempus esse, ex quo pietate Christianorum Principum, eorumque adversum Ecclesiam reverentia, exercitium ponendi impedimenta dirimentia soli Ecclesiæ est relictum; ita ut etiamsi quantum ad effectus civiles possit matrimonium edictis Principum irritari; in ratione tamen vinculi & Sacramenti, nisi aliter Ecclesia judicaverit, firmum integrumque consistat. *Civiles leges*, ait modo laudatus Petrus Soto, (*ib.*) *in his omnibus ex pietate certe & voluntate Principum facile cesserunt Ecclesiæ; ut jam nullum censeatur matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat.* Itaque secundum hodiernam disciplinam, quæ jam a multis sæculis robur habet, sæculares Principes nihil amplius circa vinculum matrimonii sua auctoritate decernunt; sed integrum ejus usum ita in manu Ecclesiæ esse volunt, ut quidquid illa statuerit, ipsi ultro amplectantur atque suscipiant. *Non tamen*, ait Petrus Soto, (*ibid.*) *propterea vel legi, vel consuetudini Reipublicæ hoc auferendum est, ut illegitimos aliquos reddere, si velint, possint; sed potius, si opus foret, confirmandum esset ab Ecclesia.* Legi de hac re potest *Gerbesii* Doctoris Sorbonici Tractatus, *de potestate Ecclesiæ & Principum super impedimentis matrimonii*, in quo Petri Soto sententiam tum exemplo tum ratione nervose defendit & explicat.

Dico 4. Non Ecclesiæ tantum ac Principum edictis, sed & consuetudine ipsa posse matrimonii impedimenta induci. Vim enim legis habet inveterata consuetudo, unius aut plurium gentium consensione accepta. Ubi ergo mos antiquus esset, matrimonia certis de causis prohibendi aut dissolvendi, unicuique haud dubie mos suæ regionis esset tenendus: quorsum enim id quod consentiunt juris periti ac Theologi, in cæteris ad disciplinam spectantibus, necessario a quolibet observandum, impune posset in sola causa matrimonii violari? hujus assertionis probatio haud obscura ex Rescripto Pontificio petitur (*Ex. de Cognatione spirit. c.* 1) ubi interrogatus pontifex, possintne simul conjungi filii & filiæ, ante vel post compaternitatem geniti? Affirmative respondet: *nisi*, inquit, *consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur.*

CAPUT SECUNDUM.

De impedimentis dirimentibus.

Habenda præ oculis quæ in limine quæstionis recensuimus 14 impedimenta: in his enim qui & quatenus matrimonium dirimant, explicandis præsens dissertatio quam perspicue & breviter fieri poterit, impendetur.

Sit igitur

§. PRIMUS.

De Impedimento erroris.

Circa matrimonium potest quadruplex error obrepere: *personæ*, nimirum, *qualitatis*, *fortunæ*, & *conditionis*.

Error *personæ* est, quando circa personam erra-

erratur: ut si putetur Petrus esse, qui Paulus est, vel vice versa: non quidem ut sit error in nomine, sed in persona ipsa quæ sic vocatur, aut vocari creditur. Tali errore Jacob Patriarcha deceptus est, quando *Liam* uxorem duxit in locum *Rachelis* fraudulenter suppositam. (*Gen.* 29)

Error *qualitatis* respicit animi vel corporis dotes: ut si quis sobriam existimans ducere, ducat violentam.

Error *fortunæ* versatur in bonis temporalibus: ut si existimetur abundare divitiis, qui ad nuptias quæritur, cum revera sit pauper ac tenuis.

De Errore *conditionis* quia constituit secundum impedimentum, secundo loco dicetur.

His positis,

Dico 1, Errorem *personæ* esse impedimentum matrimonium dirimens.

Error enim ille non jure tantum Canonico & civili, sed etiam naturali matrimonium reddit irritum, qui contractus nuptialis substantiæ penitus adversatur. Porro error hujusmodi pactioni matrimonii e diametro contrarius est: contractum enim nuptialem intelligimus, quo duo sibimet consensu mutuo faciunt reciprocam sui corporis potestatem: sive, viri & mulieris maritalem conjunctionem, individuam vitæ consuetudinem retinentem; atqui ubi error *personæ* est, duo intelligi nequeunt qui consensu mutuo faciant sibi suorum corporum potestatem, velintque individuam vitæ consuetudinem retinere: ponamus enim e. c. *Petrum* velle cum *Catharina* nubere, & in ejus locum *Agnetem* esse substitutam. Jam sic argumentor:

Petrus illi consensum ad nuptias non accommodat, quam ducere nedum velit, ne cogitat quidem; atqui *Agnetem* falso Catharinæ suppositam non vult ducere: ergo suum ei non præbet consensum; atque adeo quantumlibet velit ei Agnes connubio copulari, non propterea verum matrimonium fit, quod ex reciproco duorum consensu necessario dependet: vere itaque dictum, errorem hujusmodi non tam lege positiva, quam jure ipso naturali matrimonium irritum reddere: quemadmodum enim nulla & invalida foret auri emptio, si ejus loco aurichalcum supponeretur; ita nullum censeri debet matrimonium, quando uni personæ altera substituitur.

Dico 2, errorem qualitatis sive fortunæ dirimens impedimentum non esse, nisi error in personam ipsam redundet.

Probatur 1 pars. Illud non dirimit matrimonium, quo veritas consensus non tollitur; atqui errore fortunæ aut qualitatis veritas consensus non tollitur: quod enim aliquis certa vel corporis vel animi dote præfulgeat, aut fortunæ bonis abundet, ratio quidem hæc est, ad consentiendum alliciens, sed non est objectum ipsum consensus ad nuptias; cum hujusmodi accidentia non sint absolute necessaria ad contractum, nec ejus naturam constituant. Ergo error ille matrimonii veritatem non tollit, adeoque nec contractum dirimit.

Probatur altera pars, errore scilicet qualitatis aut fortunæ dirimi nuptias, quando error in personam ipsam redundet. Nam, ut modo dicebamus, tunc matrimonium irritum est, quando circa personam erratur; atqui error qualitatis aut fortunæ in personam ipsam redundans, est error personæ. Ponamus e.c. offerri cuidam principi puellam in matrimonium, quam affirmant filiam esse Regis primogenitam, Regnique hæredem, quæ vere talis non sit: tum sane error qui qualitatis primo aspectu videtur, error tamen personæ est, ideo namque consentit princeps in matrimonium, quia nuptui sibi datam puellam, filiam esse Regis pro certo habet, alias non consensurus. Error ergo ille personæ est: atque adeo matrimonium nullum est, propter defectum consensus.

Quando autem occurrunt hujusmodi quæstiones, hac una regula facile possunt resolvi: inquirendum diligenter, quodnam fuerit consensus objectum, utrum in hanc directe personam respexerit, nullo talis aut talis qualitatis intuitu; vel in eamdem personam cui talis putabatur qualitas adjacere, ita ut errore detecto consensus datus non esset: si primum, solius qualitatis error fuit, matrimonium non dirimens. Si secundum, error personæ fuit, matrimonium irritum faciens.

Diluuntur objectiones.

Contra primam assertionem opponitur: Patriarchæ Jacob cum Lia verum conjugium fuit; atqui erravit Jacob errore personæ, putabat enim Rachel sibi in conjugem datam. *Servivit Jacob pro Rachel (obtinenda) septem annis*, inquit textus Sacer, (*Gen.* 29, 20, & *seq.*) *dixitque ad Laban, da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam: qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias: & vespere Liam filiam suam introduxit ad eum...* Ergo error personæ non dirimit matrimonium.

℞. Dist. maj. Patriarchæ Jacob cum Lia verum matrimonium fuit, *ex consensu sequente*, conc. *ex consensu prævio*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Jacob & Liam ipsa nuptiarum nocte qua

qua convenerunt, propter errorem personæ veros conjuges non fuiſſe, ex principiis jam conſtitutis affirmo: non enim *Liæ* Patriarcha conſenſum præbuerat, ſed *Racheli* ſorori ejus, pro qua ſeptem annis ſervierat: poſtmodum vero Jacobi adveniente conſenſu conjuges factos, ibidem Scriptura declarat. *Facto mane*, inquit, (*ib. v.* 25, *& ſeq.*) *Jacob vidit Liam, & dixit ad ſocerum ſuum: quid eſt quod facere voluiſti? nonne pro Rachel ſervivi tibi? quare impoſuiſti mihi? Reſpondit Laban, non eſt in loco noſtro conſuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias: imple hebdomadam dierum, & hanc quoque dabo tibi pro tempore quo ſerviturus es mihi ſeptem annis aliis: acquievit* (*Jacob*) *placito, & hebdomada tranſacta Rachel duxit uxorem.*

Inſt. 1. Si quis volens baptizare Petrum, baptizaret Joannem, verum nihilominus Sacramentum conferret; vereque baptizatus eſſet Joannes: pariter ergo ſi quis volens cum Catharina nubere, Agnetem duxerit, matrimonium vere contraxit: atque adeo error perſonæ matrimonii veritati nil officit.

℞. Conceſſo ant. n. conſeq. & paritatem: diſparitas eſt, quia cum baptiſmus aliaque Sacramenta habeant a Deo auctore efficaciam; hoc ipſo quod accedit verbum ad elementum, & utrumque a miniſtro Chriſti vices gerente ſubjecto idoneo applicatur, fit Sacramentum; ad cujus valorem nihil intereſt, ſive Petrus, ſive Joannes, ſive quivis alius homo ſit, cui beneficium Sacramenti impenditur; cum nemo ab ejus participatione excludatur: at vero matrimonium eſt contractus inter duas perſonas cum aliarum excluſione initus: atque adeo ubi error perſonæ contingit, inutiliter fit, quidquid fit. Quid quod matrimonium non tantum inter perſonas contrahitur, ſed etiam de perſonis ipſis, ſive perſonæ ſunt res ipſa & materia contractus: quo ſenſu ab Apoſtolo dictum: *mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir &c.* quemadmodum igitur in cæteris contractibus, ut habeant firmitatem, debet res ipſa tradi de qua conventum eſt inter contrahentes; neque fas eſt unam pro altera ſubſtituere: idem a fortiori de matrimonio eſt dicendum, quod viri mulieriſque intima conjunctio eſt, individuam vitæ conſuetudinem retinens: vanum ergo eſt argumentum a baptiſmi aliorumque Sacramentorum comparatione petitum.

Inſt. 2. S. Patriarcha Iſaac vere Jacob benedixit, licet in perſona erraverit; putabat enim Eſau eſſe cui benedictionem impendebat, ut narratur in Geneſi, c. 27. Ergo a pari poteſt verum matrimonium, etiam cum errore perſonæ conſiſtere.

℞. Diſt. ant. Iſaac licet in perſona erraverit, vere Jacob benedixit *ex Dei intentione*, con. *ex intentione ſua*, ſubdiſt. *ex intentione ſequente*, conc. *ex intentione primaria*, n. aut.

E. R. In facto Iſaac prophetia attendi debet, cujus eventus ex ſola Dei voluntate pendebat: ſicut enim per Balaam nolentem, ita per Iſaac errantem, potuit Deus Jacob ejuſque poſteritati, quamcumque voluit impartiri benedictionem: deinde Iſaac etſi primo non intenderat alteri quam Eſau fauſte precari; cognito tamen errore, datam Jacob benedictionem probavit confirmavitque: *benedixi ei*, inquit (*Gen.* 27, 34), *& erit benedictus*: quod ergo primo non intenderat, voluntate ſequente implevit: qua reſponſione pariter uti poſſumus ad argumenti illationem: poteſt nimirum verum matrimonium cum errore perſonæ conſiſtere, ſi cognito errore conſenſus in perſonam accedat, concedo: ſecus, n. conſeq. ſolutio patet ex dictis.

Inſt. 3. Illud nequit ponere matrimonio obicem, quod non eſt ejus bonis contrarium: atqui error perſonæ abſolute loquendo non eſt matrimonii bonis contrarius: ergo &c.

℞. Conceſſa maj. diſt. min. error perſonæ non eſt matrimonii bonis contrarius, *ſi effectuum ejus præciſe ratio habeatur*, tranſeat: *ſi matrimonium in cauſis ſuis ſpectetur*, n. min. & conſeq.

E. R. Cauſa matrimonii efficiens, ut quæſtione prima prædictum eſt, in mutuo contrahentium conſenſu conſiſtit: cauſa formalis ejuſdem eſt vinculum ex mutuo conſenſu reſultans: cauſa vero materialis ſunt ipſæ perſonæ obligationem conſenſu reciproco contrahentes: porro effectus matrimonii in prolis ſusceptione & educatione, in bonorum communicatione, & individua virum inter & mulierem vitæ conſuetudine ponimus: eſto cum his effectibus error perſonæ abſolute non pugnet, quod tamen non puto facile admiſſurum quiſquis attenderit ad rixas & diſcordias ex hujuſmodi conjunctionibus ſecuturas: at negari certe non poteſt, cauſas matrimonii cum errore perſonæ nulla poſſe ratione ſubſiſtere: ubi enim conſenſus non eſt, nec cauſa matrimonii effectrix, nec materia ejuſdem, nec forma comparet.

§. SECUNDUS.

De impedimento conditionis.

Error conditionis, ut paulo ante diximus, conſtituit ſecundum impedimentum, matrimonium dirimens: conditionem porro intelligimus

mus in præsenti, statum libertatis, aut servitutis.

Est autem servitus duplex: prima est, qua quis sic subest Domini potestati, ut ejus propria possessio sit, & ab eo jure vendi possit, quomodo venditur ager, frumentum, pecus, &c. secunda est, qua quis sub jurisdictione alterius continetur, ut filius sub parente, aut sub regimine œconomico, tamquam famulus: quales servi sunt, quos mercede conducimus, ad infima familiarum officia obeunda.

Quæstio est, utrum servilitas primo modo intellecta, sit impedimentum matrimonium dirimens? nam de secunda quam diximus propriam famulorum, nulla difficultas est, cum servi hujusmodi absolute liberi sint, suique juris: de filiis vero familias, an possint sine parentum consensu contrahere nuptias, inferius expendetur.

Nota, servitutem vel esse utrique sponso communem, vel unum tantum afficere: si ambo conjuges servi sint, conditio hæc etiam ignorata matrimonium non solvit, quia neuter alteri facit injuriam.

Si vero sponsorum unus servus sit, alter liber: vel servitus fuit ante matrimonium cognita, vel non fuit: si primum, non est impedimentum dirimens, ut constat ex canone, *si quis liber*: causa 29, qu. 2, & ex Alexandro III, tit. *de conjugio servorum*, cap. 1, idemque S. Thomas confirmans, *Dicendum*, inquit, (*Suppl. qu.* 52, *art.* 1, *ad* 1) *quod servitus contrariatur matrimonio quantum ad actum ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exequi* .... sed quia quilibet potest in eo quod sibi debetur, sponte detrimentum aliquod subire; ideo si alter conjugum scit alterius servitutem, nihilominus tenet matrimonium.

Quod si fuerit incognita servitus, tum sane hic error fuit impedimentum nuptias dirimens: *Duo enim*, inquit S. Doctor, (*Suppl. qu.* 51, *art.* 2, *in corp.*) *includit ipsum matrimonium, scilicet personas duas quæ conjunguntur, & mutuam potestatem in invicem; in qua matrimonium consistit: primum autem tollitur per errorem personæ: secundum per errorem conditionis, quia servus non potest potestatem sui corporis libere alteri tradere, sine consensu sui Domini*.

Idem ab *Innocentio III* Pontifice Max. declaratum, cap. *ad nostram*: extra; *de conjugio servorum*. *Mandamus*, inquit, *quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem* .... *contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem*.

Diluuntur quæsita quædam.

Q. 1. Utrum servus possit nesciente vel invito Domino inire matrimonium?

℟. Cum S. Thoma affirmative. *Dicendum*, inquit, (*Suppl. qu.* 52, *art.* 2, *in corp.*) *quod jus positivum progreditur a jure naturali; & ideo servitus quæ est de jure positivo, non potest præjudicare his quæ sunt de jure naturali: sicut autem appetitus naturæ est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei per generationem: unde sicut servus non ita subditur Domino, quin libere possit comedere & dormire, & alia hujusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest: ita non subditur ei quantum ad hoc quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam Domino nesciente aut contradicente*.

Nec est quod opponatur, neminem posse alicui dare quod est alterius, sine consensu ipsius: adeoque servum, cum sit res sive possessio Domini, non posse, nisi illo annuente, dare uxori per matrimonium sui corporis potestatem: *servus enim*, ait ib. Angelicus Doctor, (*in Resp. ad* 1) *est res Domini, quantum ad ea, quæ naturalibus superadduntur; sed quantum ad naturalia, omnes sunt pares: unde in his quæ ad actus naturales pertinent, servus potest alteri, invito Domino, sui corporis potestatem per matrimonium præbere*.

At, inquis, tenetur servus præcipienti Domino obedire: nubere ergo Domino prohibente non potest.

R. Dist. ant. tenetur obedire *justa* præcipienti, conc. *etiam contra jus imperanti*, n. ant. & conseq. *Dicendum*, ait ib. S. Præceptor, (*in Resp. ad* 2) *quod servus Domino suo tenetur obedire, in his quæ Dominus licite potest præcipere: sicut autem licite non potest Dominus præcipere servo quod non comedat, vel dormiat; ita etiam nec quod a matrimonio contrahendo abstineat*.

Q. 2. Fuerit ne semper licitum servis, etiam invitis Dominis inire matrimonia?

℟. Negative: olim enim apud Romanos servilis conditio contractum insciis aut invitis Dominis matrimonium dirimebat, ut habetur l. 14, ff. *de Ritu nuptiarum*: cui quidem suam antiquitus disciplinam accommodavit Ecclesia, ne videlicet lex Evangelica videretur turbare Rempublicam: hinc longo annorum tractu servorum conjugia pro irritis habuit, & dirimi passa est, si consensus Dominorum non accessisset.

sisset. Ita testatur S. Basilius. *Quæ præter Domini sententiam se viro tradidit*, inquit, (*Ep. 1 canon. ad Amphiloch. canon.* 40) *fornicata est: quæ vero postea* (*Domino permittente*) *libero matrimonio usa est, nupsit: quare illud quidem fornicatio, hoc vero matrimonium fuit: eorum enim, qui sunt in alterius potestate, pactiones, & conventiones, firmi nihil habent . . .* (*Ib. can.* 42) *quæ sine iis qui habent potestatem fiunt matrimonia, sunt fornicationes: vivente ergo patre vel Domino, ii qui conveniunt, non sunt ab accusatione liberi, donec conjugio Domini annuerint: tunc enim firmitatem conjugium accipit.*

Idem in Concilio Cabilonensi II, an. 813, aperte insinuatum: *nobis visum est*, inquiunt patres, *ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos Dominos habeant; sed in uno conjugio permanentes Dominis serviant suis: & hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum* . . . ita Synodus Cabilonensis a Gratiano citata. (*caus.* 29, *quæst.* 2, *can.* 8) Porro si ea conditione servorum matrimonia non rumpebantur, quod forent consentientibus Dominis sociata; consequens erat ut rumperentur si præter Dominorum consensum inita essent.

Q. 3. Quanto tempore lex illa viguerit?

R. Quantum licet conjicere ad duodecimum usque sæculum perdurasse: hoc enim primum tempore legitur *Adrianus IV* Pontifex Max. approbasse servorum nuptias, etiam invitis & contradicentibus Dominis celebratas: consultus namque super hujusmodi matrimoniis ab *Eborardo* Salisburgensi Archiepiscopo, respondit in hunc modum: *sane juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu, neque liber, neque servus est a Sacramentis Ecclesiæ removendus: ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: etsi contradicentibus Dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda: debita tamen & consueta servitia non minus debent propriis Dominis exhibere.* Ita *Adrianus*, cujus Rescriptum legitur libro 4 decretalium, tit. *de conjugio servorum* cap. 1, indeque manifestum est, eo quidem tempore nondum indubitatum fuisse, valere servorum matrimonia invitis Dominis copulata; cœpisse nihilominus jam tum hoc impedimentum ab Ecclesia abrogari: quantum vero ad præsens spectat, indubitata res est conjugia illa valere, cum ea tamen moderatione quam *Adrianus* præscripsit, ut nimirum debita & consueta servitia servi teneantur post matrimonium propriis Dominis exhibere.

Jam ut ad impedimentum servitutis pertinentia compendio colligam: matrimonium servi cum serva, vel servi cum libera, & vice versa, insciis aut repugnantibus Dominis contractum, olim non valuit, modo valet; quia abrogata lex est, qua ita servi erant in potestate Dominorum, ut sine illorum consensu ne nubere quidem possent: quam autem merito talis constitutio abolita sit, inde patet, quod foret naturæ ipsi injuriosa: matrimonium vero servi cum libera & vicissim, nesciente altero alterius servitutem, fuit semper & etiamnum est, legibus Ecclesiasticis & civilibus irritum: adeoque ei qui delusus est, postquam errorem agnovit, liberum est ad secunda vota transire.

Notandum tamen huic impedimento in Italia, Gallia, Belgio, multisque aliis provinciis ac regionibus, locum non esse, quia hanc in usu non habent servitutem, quæ a jurisconsultis definitur, *Constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur.* Imo si quis in America servus e. c., ab hero in Galliam ductus fuerit, simul ac ad aliquem Galliarum portum appulerit, beneficio reginnis fit liber: quod in plerisque aliis provinciis observari notant juris interpretes.

§. TERTIUS.

De impedimento voti.

Quo facilius intelligatur in quo impedimentum istud consistat, sciendum quid & quotuplex votum sit. Itaque

Q. 1. Quid sit votum?

R. Esse promissionem deliberatam Deo factam, de bono meliori: dicitur 1 *promissio*, qua nimirum se homo ad aliquid præstandum adstringit; ut distinguatur a simplici proposito, quo aliquid se facturum constituit: dicitur 2 *deliberata*, idest cum pleno usu rationis & libertatis: dicitur 3 *Deo facta*, unde differt a promissione quæ homini fit; quæque voti rationem proprie loquendo non habet: votum enim actus est Religionis, & ad genus latriæ pertinet, quæ soli debet supremo numini exhiberi: dicitur 4 *de bono meliori*: illud enim Deo vovemus, quod melius est facere, quam non facere: sic nubere bonum est; melius vero, quo Deo liberius serviatur, a nuptiis abstinere: adeoque promissio continentiæ in votis merito numeratur.

Q. 2. Quotuplex sit votum?

R. Duo in voto spectari posse, materiam ejus, & formam: materia voti res ipsa est, quæ promittitur: eoque sensu tot vota sunt, quot sunt bona meliora, quæ Deo promitti pos-

poſſunt, Virginitas ſcilicet, paupertas Evangelica &c. forma voti eſt, modus ipſe quo fit aut emittitur: ſicque gemina ejus diviſio eſt.

1. Aliud eſt votum *publicum*, aliud *privatum*.

2. Aliud eſt *ſimplex*, aliud *ſolemne*.

Publicum eſt, quod fit coram teſtibus, per quos probari & manifeſtari poſſit: *privatum* ſecreto, omnique amoto teſte emittitur.

Votum *ſimplex* eſt, promiſſio Deo facta abſque ſui traditione: *ſolemne* eſt, promiſſio Deo facta cum ſui ipſius traditione ad ea quæ promittuntur implenda; quando nimirum homo ſe ipſum Deo dat ad obedientiam, paupertatem, & continentiam: hæc autem ſolemnis ſui ipſius traditio non fit, niſi ſuſceptione ordinis ſacri, vel Religionis approbatæ profeſſione, prout a *Bonifacio VIII* Pontifice Max. definitum eſt, libro 6 Decretalium, cap. unico *de voto & voti redemptione*, ubi declarat, *illud ſolum debere dici votum ſolemne, quod ſolemnizatum eſt per ſuſceptionem ſacri ordinis, aut per profeſſionem*.

Q. 3. Quomodo inter ſe comparentur votum ſimplex, & votum ſolemne?

℟. Sic inter ſe conferri, quomodo ſponſalia de futuro, & ſponſalia de præſenti, ſive matrimonium: quemadmodum enim in ſponſalibus, futurarum nuptiarum equidem promiſſio fit, nondum tamen faciunt ſibimet ſponſi mutuam ſuorum corporum poteſtatem; in matrimonio vero, per verba de præſenti, actualis corporum tranſigitur hinc inde donatio: ita qui votum ſimplex emittit, ſpondet quidem Deo; ſed nondum dat; e contra vero ſolemniter voventis promiſſio cum ſui ipſius traditione conjuncta eſt.

Q. 4. An votum quodlibet, ſive ſit privatum aut publicum, ſimplex aut ſolemne, matrimonium dirimat?

℟. Negative, & dico ſoli hoc convenire voto ſolemni, quod ſacri ordinis ſuſceptioni annexum eſt, vel in aliqua approbata Religione emittitur: ſic definitum a *Bonifacio VIII* Pontifice Max. cap. unico *de voto & voti Redemptione*, ubi decernit, „ illud ſolum votum „ debere dici ſolemne quantum ad poſt con„ tractum matrimonium dirimendum, quod ſo„ lemnizatum eſt per ſuſceptionem ſacri or„ dinis, aut per profeſſionem . . . *idemque a* „ *Concilio Trid. ſancitum his verbis*: (*ſeſſ.* „ 24, *can.* 9) ſi quis dixerit, clericos in ſa„ cris ordinibus conſtitutos, vel regulares ca„ ſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matri„ monium contrahere, contractumque validum „ eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel „ voto; & oppoſitum nihil aliud eſſe quam „ damnare matrimonium, poſſeque omnes con„ trahere matrimonium, qui non ſentiunt ca„ ſtitatis, etiamſi eam voverint, ſe habere do„ num, anathema ſit: cum Deus id recte pe„ tentibus non deneget, nec patiatur nos ſu„ pra id quod poſſumus, tentari „.

§. QUARTUS.

De impedimento cognationis.

Quartum impedimentum naſcitur ex cognatione: eſt autem cognatio triplex, naturalis, legalis, & ſpiritualis: de quibus ſigillatim dicendum. Unde ſit

SECTIO I.

De cognatione naturali.

Cognatio naturalis, ſive conſanguinitas eſt, *Vinculum perſonarum ab eodem ſtipite propinquo deſcendentium, vel quorum una deſcendit ab alia, carnali propagatione contractum.*

E. Definitio: dicitur 1 *vinculum perſonarum*, ex ſanguinis ſcilicet communione proveniens: dicitur 2 *ab eodem ſtipite propinquo deſcendentium*: ut intelligas conſanguineos dici non debere, quorum remotus eſt truncus; alioquin enim omnes homines forent conſanguinei, quia omnes ab Adamo communi parente deſcendunt: dicitur 3 *vel quarum una deſcendit ab alia*: ne patris, & filii, aliorumque, progreſſu generationis, ſibimet recta linea ſuccedentium conjunctio videatur excludi.

In conſanguinitate tria attendenda ſunt: ſtipes, linea, & gradus.

Stipes eſt perſona ipſa unde aliæ originem ducunt, quarum conjunctio quæritur.

Linea eſt collectio ſeu ſeries perſonarum, quæ ab eodem ſtipite deſcendunt, ejuſdemque ſanguinis participes ſunt.

Gradus eſt generationis progreſſus, vel diſtantia conſanguineorum inter ſe, per unum generationis progreſſum: gradus porro in conſanguinitate dicuntur, ad ſimilitudinem graduum ſcalæ, quos ita decurrimus ut a proximo ad proximum aſcendatur.

Eſt autem linea duplex; recta una, collateralis ſive tranſverſalis altera.

Recta dicitur, juxta quam plures perſonæ ita ab uno ſtipite, carnali propagatione deſcendunt; ut una ſit ab altera genita, velut filius a patre, nepos a filio, a nepote pronepos &c.

Eaque iterum duplex; deſcendentium ſcilicet & aſcendentium: licet enim reipſa una eademque ſint, ratione tamen ſic diſtinguntur, ut aſcendentium linea eſſe dicatur, quando a

Aaa 2 geni-

genitis ad genitores progressus fit, donec perveniatur ad stipitem; descendentium vero nominetur, quando a genitoribus ad genitos fit descensus, puta a patre ad filium, a filio ad nepotem, & sic una serie ad ultimum pervenitur: sic in istis Matthæi verbis, (*Matt.* 1, *v.* 2, *& seqq.*) „ Abraham genuit Isaac: Isaac „ autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Ju„ dam: Judas autem genuit Phares &c. *linea* „ *est descendentium*: *in istis vero S. Lucæ*, „ 3, 23, *& seqq.*) Jesus erat incipiens quasi „ triginta annorum, ut putabatur, filius Jo„ seph: qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui „ fuit Levi, qui fuit Melchi &c. „ *linea est ascendentium*.

Linea collateralis sive transversalis est: secundum quam variæ personæ ab uno stipite mediate, vel immediate descendunt, ipsæ tamen a se invicem non descendunt: sic duo Isaac filii, Jacob & Esau, lineam inter se collateralem constituunt: uterque enim immediate ab Isaac, mediate descendit ab Abraham, neuter vero ab altero.

Linea collateralis duplex est, æqualis & inæqualis: æqualis est, quando gradus illorum quorum consanguinitas quæritur, æquali a communi stipite distant intervallo: sic duorum fratrum par consanguinitas est, uno namque gradu uterque distat a patre: inæqualis est, quando personarum a communi stipite diversa distantia est: sic frater & fratris filius sunt in linea inæquali: frater enim a patre, in quo stipitem ponimus, distat uno gradu; filius vero fratris, secundo.

Jam ut cognoscatur quo gradu consanguinei se contingant, aut distent ab invicem, triplex regula dari solet, una quidem pro linea recta, pro collaterali duæ.

REGULA PRIMA.

Pro linea recta.

In linea recta ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot personæ, una deducta, stipite nimirum a quo copulatio incipit: exemplum sit in genealogia Christi: Abraham genuit Isaac: Isaac genuit Jacob: Jacob genuit Judam: Judas genuit Phares: ecce tibi rectam lineam, quæ, ut prædiximus, vel ascendentium est, si a *Phares* incipiendo ad *Abraham* usque progrediare; vel descendentium, si ab Abraham ad Phares devenias: jam si quæris quanta graduum Abraham inter & Phares distantia sit, numera personas, quinque reperies, Abraham, Isaac, Jacob, Judam, & Phares: dempto stipite, scilicet Abraham, supersunt quatuor: igitur Abraham & Phares in 4 gradu conjuncti sunt: Abraham & Judas in 3, Abraham & Jacob in 2, Abraham & Isaac in 1: sicque filius primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum.

REGULA SECUNDA.

Pro linea collaterali æquali.

In linea collaterali æquali eodem gradu personæ distant ab invicem, quo a communi stipite: sic ergo fratrum filii secundo se gradu contingunt, quia 2 gradibus ab avo communi stipite distant: & sic deinceps; exemplum in Adamo sit: Adam genuit Cain & Seth: Cain genuit Henoc: Henoch genuit Irad: Irad genuit Maviael, &c. porro Seth genuit Enos: Enos genuit Cainam: Cainam genuit Malaleel, &c. ex regula præscripta manifestum est, Cain & Seth in primo gradu; Henoc & Enos in secundo; Irad & Cainam in tertio; Maviael & Malaleel in 4 consanguineos esse; quia totidem gradibus a communi stipite Adamo recedunt.

REGULA TERTIA.

Pro linea collaterali inæquali.

In linea collaterali inæquali eo gradu ab invicem personæ distant, quo remotior recedit a communi stipite: id quod facile intelliges in eodem Adami exemplo sistendo: Maviael & Malaleel 4, ut prædictum est, consanguinitatis gradu junguntur, quia ab Adamo communi stipite totidem gradibus separantur: crescat ex uno latere linea descendentium: Maviael Adæ abnepoti, Mathusael adjungatur, de quo scriptura, *Maviael*, inquit, (*Gen.* 4, 18) *genuit Mathusael*: quæritur quotus sit inter Mathusael & Malalel gradus consanguinitatis? respondeo quintum esse: Malaleel enim ex modo dictis, distat ab Adamo 4 gradu, Mathusael vero in gradu 5 ponendus est: ergo Malaleel & Mathusael in quinto gradu conjunguntur.

Monitum.

Postremæ duæ de lineis collateralibus regulæ in solo jure Canonico locum habent: jus namque civile in linea collaterali sive æquali sive inæquali eamdem regulam tenet, quæ pro recta linea juxta canones observatur; ut nimirum tot gradus sint, quot personæ, donec ad communem stipitem ventum fuerit: adeoque ubi secundum jus Canonicum duo fratres

tres

Digitized by Google

tres aut sorores in 1 consanguinitatis gradu locantur, quia uno gradu a stipite distant, juxta leges civiles in 2 gradu, pro personarum numero collocantur: Isaac enim e. c. Jacob & Esau tres personæ sunt: subducto Isaac in quo stipes est, remanent duæ personæ Jacob & Esau: sequitur ergo ut in 2 gradu junguntur: quod dictum de filiis, idem de nepotibus, pronepotibus &c. est intelligendum: ita ut graduum numerus ex lege civili, gradibus jure Ecclesiastico constitutis, semper duplo maior sit, nisi ubi linearum est inæqualitas, si nimirum ex una parte reperiatur pronepos, qui non extat ex altera; tunc enim consanguinitati pro unitate personæ, unus tantum gradus accedet.

Quod si quis hujus legum civilium a canonicis discrepantiæ causam quærat: Respondeo inde esse petendam, quod jus Canonicum ad numerum generationum, jus vero civile ad numerum personarum in gradibus computandis respexerit: jure Canonico quæsitum in qua generationum hinc inde distantia, essent matrimonia permittenda aut prohibenda: jure civili non generationum, sed personarum quæsitus est numerus, quibus paterna hæreditas obveniret. „ In legibus siquidem, *ait Alexander II* „ *undecimo sæculo Pontifex Max.* (*caus.* 35, „ *can.* ad Sedem Apostolicam *quæst.* 4) ob „ nihil aliud ipsorum graduum mentio facta „ est, nisi ut hæreditas vel successio ab una „ ad alteram personam inter consanguineos, „ deferatur: in canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, usque ad quotam generationem a consanguineorum sit nuptiis abstinendum: ibi præscribitur ut hæreditas propinquis modo legitimo conferatur: hic vero ut recte & canonice inter fideles nuptiæ celebrentur: in „ legibus distincte non numerantur gradus, „ nisi usque ad 6; in canonibus autem usque „ ad 7 distinguuntur generationem: hac igitur „ de causa, quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit sæcularis Imperator in singulis „ personis singulos præfigere gradus: quia vero „ nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu „ constituere personas ".

His positis,

Dico 1 consanguinitatem in quolibet gradu lineæ rectæ ascendentium & descendentium esse jure naturali impedimentum matrimonium dirimens.

Constat hæc assertio ex intimo reverentiæ sensu, qui filiis erga parentes, ipsa natura magistra insitus est: quo factum est ut hujusmodi concubitus aut patris cum filia, aut matris cum filio, natura rationalis semper exhorruerit: unde quovis tempore, ne ea quidem excepta ætate, in quo summa hominum raritas erat, ejusmodi copula turpis & nefanda habita est: *inter eas personas*, inquit Nicolaus I, 9 sæculo S. Pontifex, (*in resp. ad consulta Bulgarorum*) *quæ parentum liberorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, velut inter patrem & filium, & avum & neptem, matrem & filium, aviam & nepotem: & usque ad infinitum.*

Dico 2 consanguinitatem in 1 gradu lineæ collateralis similiter jure naturæ esse impedimentum matrimonium dirimens.

Veritatem hanc natura ipsa suggerit, quæ hujusmodi connubia aversatur, & conjunctionibus nefandis accenset: indeque est, quod nullum, aut saltem rarissimum, etiam inter barbaras Gentes tale reperiatur exemplum: *cum igitur*, inquit S. Aug. (*lib.* 15 *de civit. cap.* 16) *genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium fœminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent; viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, Religione prohibente... quod humano genere crescente & multiplicato, etiam inter impios Deorum multorum falsorumque cultores sic observari cernimus; ut etiam si perversis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere licentiam: & cum sorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic aversetur quasi numquam licere potuerit.*

Dico 3 consanguinitatem in 2 & ulteriori gradu lineæ collateralis, jure tantum Ecclesiastico matrimonium dirimere.

Idque evidenter supponit *Innocentius III* extra: de divortiis cap. 8, respondens, infideles qui in 2 aut 3 consanguinitatis gradu contraxerunt, si ad fidem convertantur, non esse separandos, *eo quod in præmissis gradibus a Paganis, quoad eos, matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus Canonicis non arctantur: quid enim ad nos*, inquit, *secundum Apostolum, de iis qui foris sunt judicare?* .... quid quod antiquitus hujusmodi non solum jure Romanorum civili, verum & Canonico in Ecclesia permittebantur? sic enim *Constantini* Magni ambæ filiæ *Constantina* & *Helena* nuptui datæ sunt, *Constantina* quidem primum *Annibaliano* filio *Dalmatii* fratris *Constantini*; deinceps *Gallo* filio *Constantii*, fra-

tris

tris alterius ejusdem *Constantini*: *Helena* vero *Juliano* alteri *Constantii* filio: adeoque tria hæc matrimonia inter patrueles, fratres ac sorores, Ecclesia probante inita sunt: unde sequitur Ecclesiam primis sæculis, consanguinitatis impedimentum ultra gradus a lege civili præfixos non extendisse. " Experti sumus, *ait ad* ,, *propositum S. Aug.* (*de civit. lib.* 15, *c.* 16) ,, in connubiis consobrinarum, etiam nostris ,, temporibus, propter gradum propinquitatis ,, fraterno gradui proximum, quam raro per ,, mores fiebat, quod fieri per leges licebat, ,, quia id nec divina prohibuit, & nondum ,, prohibuerat lex humana. . . . ,, quibus verbis videtur S. Doctor alludere ad legem latam a *Theodosio* Seniore, ne inter patrueles ac consobrinos connubia jungerentur: *nam Theodosius Imperator*, ait S. Ambrosius, (*Ep. lib.* 8, *Epist.* 66) *etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pignora*.

Dico 4. Consanguinitatis impedimentum in linea collaterali, olim ad 7 usque gradum protensum fuisse.

Id constat ex Ep. S. *Gregorii* M. ad *Felicem* Messanæ Episcopum: ex testimonio S. *Isidori*: ex canone *de consanguinitate*, qui *Nicolao II* tribuitur: ex rescripto *Alexandri II* Pontificis Max. aliisque multis canonibus, quorum magnam partem *Gratianus* decreto inseruit (*caus.* 35, *qu.* 5).

Dico 5. Juxta præsentem Latinæ Ecclesiæ disciplinam invalidum esse matrimonium inter personas in linea collaterali consanguineas, usque ad 4 inclusive gradum.

Ita sancitum in Concilio *Lateran. IV*, sub *Innocentio III* Pontifice Max. " prohibitio co- ,, pulæ conjugalis, *ait canon* 50, quartum con- ,, sanguinitatis & affinitatis gradum de cæte- ,, ro non excedat; quoniam in ulterioribus gra- ,, dibus jam non potest absque gravi dispendio ,, hujusmodi prohibitio generaliter observa- ,, ri . . . . cum ergo jam usque ad quartum ,, gradum prohibitio conjugalis copulæ sit re- ,, stricta; eam ita esse volumus perpetuam ,, non obstantibus constitutionibus super hoc ,, dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis, ut ,, si qui contra prohibitionem hujusmodi præ- ,, sumpserint copulari, nulla longinquitate de- ,, fendantur annorum, cum diuturnitas tem- ,, porum non minuat peccatum, sed augeat, ,, tantoque graviora sint crimina, quanto diu- ,, tius infelicem animam detinent alligatam. ,,

Ita patres Lateranenses, quorum decretum intactum hactenus, infractumque permansit, & ubique inviolabiliter in Latina Ecclesia observatur; ita ut nisi præcesserit dispensatio, connubia inter consanguineos ad quartum usque gradum contracta, irrita atque invalida ipso facto sint.

Respondendum modo quæstioni quæ ultro enascitur, quorsum Ecclesia impedimentum consanguinitatis præfixerit? hujus constitutionis causam triplicem fuisse affirmo: primo petitur ex reverentia quam parentibus cæterisque consanguineis exhibendam, natura ipsa præscribit: secunda ex caritate, quæ multiplicatis necessitudinum nexibus crescit, latiusque diffunditur: tertia ex necessitate refrænandæ concupiscentiæ, cui laxari habenæ viderentur, si illis indiscrete permitterentur connubia, quos propter consanguinitatem cohabitare & conversari plerumque necesse est: " in ,, usu consanguineorum vel affinium, *inquit S.* ,, *Thomas*, (2, 2, *q.* 154, *art.* 9, *in corp.*) ,, invenitur aliquid incongruum commixtioni ,, venereæ triplici ratione: primo quidem quia ,, naturaliter homo debet quandam honorifi- ,, centiam parentibus, & per consequens aliis ,, consanguineis, qui ex eisdem parentibus, ,, de propinquo originem trahunt; in tantum ,, quod apud antiquos, ut *Valerius Maximus* ,, refert, non erat fas filium simul cum patre ,, balneari, ne scilicet se invicem nudos con- ,, spicerent: manifestum est autem secundum ,, prædicta, quod in actibus venereis maxime ,, consistit quædam turpitudo honorificentiæ ,, contraria, unde de his homines verecundan- ,, tur: & ideo incongruum est, quod talis com- ,, mixtio venerea fiat talium personarum ad in- ,, vicem: & hæc causa videtur exprimi *Levi-* ,, *tici c.* 18, ubi dicitur: *mater tua est*, *non* ,, *revelabis turpitudinem ejus*: & idem postea ,, dicitur in aliis: secunda ratio est, quia per- ,, sonas sanguine conjunctas necesse est ad in- ,, vicem simul conversari: unde si non arce- ,, rentur a commixtione venerea, nimia oppor- ,, tunitas daretur hominibus venereæ commix- ,, tionis: & sic animi hominum nimis emol- ,, lescerent per luxuriam: & ideo in veteri le- ,, ge illæ personæ specialiter videntur prohi- ,, bitæ esse, quas necesse est simul commo- ,, rari: tertia ratio est, quia per hoc impe- ,, diretur multiplicatio amicorum: dum enim ,, homo uxorem extraneam accipit, junguntur ,, ei speciali quadam amicitia omnes consan- ,, guinei uxoris, ac si essent consanguinei sui: ,, unde Aug. dicit, 15 *de civ. Dei*, c. 16, ,, *habita est ratio rectissima caritatis*, *ut ho-* ,, *mines quibus esset utilis atque honesta con-* ,, *cordia*, *diversarum necessitudinum vinculis* ,, *necterentur*, *nec unus in una multas habe-* ,, *ret*, *sed singulæ spargerentur in singulos*. ,,

Lege in fonte totum illud S. Aug. caput, ubi multa in hanc rem præclarissime dicta reperies:

peries: lege pariter S. Ambrs. in Ep. ad *Paternum* paulo ante cit.

SECTIO II.

De cognatione legali.

Cognatio legalis est, *propinquitas personarum, ex adoptione consurgens*: est autem adoptio, *personæ extraneæ in filium & hæredem gratuita assumptio*.

Legalis cognatio contrahitur 1 inter adoptantem & adoptatum, atque adoptati posteros usque ad quartum gradum: 2 inter uxorem adoptantis & adoptatum, & inter uxorem adoptati & adoptantem: 3 inter filios naturales adoptantis, & adoptatum.

Cum autem legibus ideo inducta probataque esset adoptio, ut is qui natura filius non erat, per gratuitam assumptionem, in filii locum reciperetur, sive, ut verius dixerim, potestate legum naturæ defectui aliquatenus succurrente, filius fingeretur; consequens fuit ut nec inter eos posset vinculum matrimonii intercedere.

Itaque jam pridem civilis illa cognatio, etiam soluta per emancipationem adoptione, matrimonii impedimentum fuit inter adoptantem & adoptatum, & generaliter inter omnes personas, quæ propter adoptionem, liberorum parentumque loco sunt: nititur hoc principio *Nicolaus* I Pontifex Max. in responsis ad consulta Bulgarorum, *c.* 2, ad probandum cognatione spirituali dirimi matrimonium.

„ Unde, *inquit*, inter eos non arbitramur „ esse quodlibet posse conjugale connubium; „ quandoquidem nec inter eos qui natura, & „ eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Ro„ manæ leges matrimonium contrahi permit„ tunt . . . *legibus porro Romanis quas citat* „ *Pontifex sic sancitum*, (*Digestor. libr.* 23, „ *tit.* 2, *de Ritu nuptiarum*) Adoptivus fi„ lius si emancipetur, eam quæ patris ado„ ptivi uxor fuit, ducere non potest, quia no„ vercæ locum habet: item, si quis filium „ adoptaverit, uxorem ejusdem quæ nurus lo„ co est, nequidem post emancipationem fi„ lii, ducere poterit, quoniam aliquando ei „ nurus fuit. „

Hoc ipsum impedimentum leges extendunt ad adoptatum, & filias naturales adoptantis, quasi jure fraternitatis quod inter adoptatum, tamquam filium legalem adoptantis, & filios ejus naturales intercedit: cum hoc tamen discrimine, quod soluta vel per mortem patris legalis, vel per emancipationem adoptione, nuptiarum ostaculum cessat, quia, inquiunt leges, post emancipationem adoptatus extraneus efficitur: *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit*, ait Nicolaus I, ib. *quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt* . . . . " per adoptionem „ quæsita fraternitas, *inquiunt civiles leges* „ (*in digest. ib.*) eo usque impedit nuptias, „ donec manet adoptio: ideoque eam quam „ pater meus adoptavit & emancipavit, pote„ ro uxorem ducere: æque, etsi me emanci„ pato, illam in potestate retinuerit, poteri„ mus jungi matrimonio. „

Si causa hujus discriminis quæritur, cur nimirum adoptatus post emancipationem possit nubere cum filia adoptantis, nequeat vero post mortem ejus, cum illius uxore vidua contrahere matrimonium? Respondeo non aliunde esse petendam quam ex publica honestate, & reverentia quæ major sane esse debet erga eos qui nobis patris matrisve loco fuere; quam erga eos qui fratrum aut sororum nomen, propter adoptionem aliquando habuerant.

Circa hoc impedimentum quod legibus civilibus constitutum, quondam Ecclesia acceptavit, suæque disciplinæ accommodavit, nihil hactenus neque a summis Pontificibus, nec a Synodis, nec nominatim a Concilio Trident. mutatum: itaque vigere etiamnum iisdemque limitibus contineri, quos ei *Nicolaus* I sæculo IX præscripserat, communis Theologorum & jurisperitorum sententia est.

SECTIO III.

De cognatione Spirituali.

Ad normam legalis cognationis, spiritualis est instituta; eamdemque debere esse matrimonii contracti & contrahendi impedimentum, decretum est: de ea sic loquitur *Nicolaus* I, in responsis ad consulta Bulgarorum sæpe laudatis, c. 2. *Ita diligere debet homo eum, qui se suscipit ex sacro Fonte, sicut patrem: quin imo quanto præstantior est spiritus carne* . . . . *tanto magis spiritualis pater in omnibus est a spirituali filio diligendus* . . . . *nulla vero inter eos & filios eorum consanguinitas est*, *quoniam spiritus ea quæ sanguinis sunt*, *nescit: caro enim secundum Apostolum concupiscit adversus spiritum*, *& spiritus adversus carnem*; *hæc enim invicem adversantur*: *est tamen alia inter eos gratuita & Sancta communio*, *quæ non est dicenda consanguinitas*, *sed potius habenda spiritualis proximitas*: *unde inter eos non arbitramur esse quolibet posse conjugale connubium*; *quando quidem nec inter eos qui natura*, *& eos qui adoptione filii sunt*, *venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt*.

Est

Digitized by Google

Est autem cognatio spiritualis, ut ex modo dictis facile potest colligi, *conjunctio, seu propinquitas personarum, orta ex quodam spirituali officio, quod quis alteri exhibuerit.*

De ea quæri potest,

1. Quænam spiritualia officia talem cognationem importent?

2. A quibus personis & inter quas contrahatur?

3. Quo jure matrimonii sit impedimentum? Quæ ut breviter diluam,

Dico 1. Spiritualia officia e quibus sequitur cognatio; duo esse, baptismum & confirmationem: eorum enim duntaxat canones meminerunt: nec immerito: qui enim baptismum & confirmationem administrant, vel qui baptizandorum & confirmandorum susceptores sunt, aut patrini, spiritualem eis censentur generationem conferre: quemadmodum igitur carnalis cognatio oritur ex generatione carnali, ita spiritualis ex spirituali resultat: *si ergo*, inquit Nicolaus I, ib. *inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio jungit; quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum regeneratio Sancti Sp. vincit? longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus esset elegit; prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernimur, quoniam Sp. Sanctus sua nos caritate coadunavit, quam si vel carnalis necessitudo, vel invicem nos mutabile cujusdam corruptibilis hominis arbitrium copulasset.*

Idem longe ante in Synodo quini-sexta (*anno* 692) legimus constitutum: " in nonnullis „ autem locis, *inquiunt patres can.* 53, cognovimus, quosdam qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere: statuimus ut in posterum nihil fiat hujusmodi: si qui autem post præsentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem ab illicito matrimonio desistant: deinde & fornicatorum pœnis subjiciantur. „

Quin & civilibus principum sanctionibus hunc obicem nuptiis fuisse oppositum, ex legibus *Justiniani* Imperatoris est manifestum, (*lib.* 26 *cod. de nuptiis*) ubi *ea persona omnino ad nuptias venire prohibenda decernitur, quam aliquis, sive alumna sit, sive non, a sacro sucepit baptismate: cum nihil aliud sic inducere possit paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.*

Nec cuiquam scrupulum moveat, quod in antiquis canonibus ubi de spirituali cognatione tractatur, solius fere baptismi, non confirmationis mentio fiat: eadem enim in utroque Sacramento vis spiritualiter regenerandi a majoribus agnoscebatur, ita ut in *baptismo* spiritualis nativitatis exordium, in *confirmatione*, ejusdem consummatio atque perfectio esset: quo sensu dictum a patribus Laodiceni concilii, can. 48, *oportet eos qui illuminantur post baptisma inungi supercœlesti chrismate, & esse regni Christi participes* .... & a S. Cypriano: (*Ep.* 72) *parum est eis* (*neophytis*) *manum imponere ad accipiendum Sp. Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum: tunc enim plene sanctificari, & esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur*... qua itaque ratione ex baptismo, pariter ex confirmationis officio oriri spiritualis cognatio putabatur.

Dico 2. Utroque hoc officio ab iis tantum contrahi cognationem spiritualem, qui Ecclesiæ legibus subditi sunt: cognatio enim spiritualis est impedimentum Ecclesiastico jure inductum: ergo ad eos tantum pertingit, qui Ecclesiæ legibus subjacent: unde sequitur,

1. Infideles & catechumenos, qui in casu necessitatis baptizant, cognationem hanc non contrahere, quia de Ecclesia non sunt.

2. Hæreticos qui Baptismum & confirmationem administrant, aut in alterutro sunt sponsores sive patrini, cognationem hanc, & ex illa sequens impedimentum contrahere: quamquam enim extorres ab Ecclesia sint, & propter suam perfidiam excommunicati, non ideo quia rebelles sunt, putari debent ab ejus jurisdictione immunes; sed ei semper subditi manent, propter Characterem baptismi, quem in hæresi indelebiliter gerunt.

3. Catholicos cognationem hanc & impedimentum ex illa resultans sine dubitatione contrahere, etiam si in casu necessitatis baptizaverint: cum enim canones talem exceptionem non faciant, sequitur spiritualem cognationem casu necessitatis non impediri: excipiendus tamen est casus, quo quis proprium filium impellente necessitate baptizaret: nullam enim ab illo cum uxore sua cognationem iniri, a *Joanne VIII* Pontifice Max. definitum: *si supra dictus genitor*, inquit apud Gratianum in decreto, (*caus.* 30, *qu.* 1) *filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda baptisimi lavit;* .... *bene fecisse laudatur; & idcirco suæ uxori sibi jam legitime sociatæ, impune, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum, nec ob hoc aliquatenus separari debere. Ita Pontifex. Attende, lector, ad* ver-

Digitized by Google

verba: *suæ uxori sibi jam legitime sociatæ*: unde facile colliges eum qui prolem illegitimo concubitu susceptam in necessitate baptizaret, cognationem spiritualem cum matre fornicaria contracturum; adeoque invalide cum illa nuptias initurum.

4. Infidelem qui fidem amplectitur, posse validas & licitas nuptias obire cum persona quam baptizarit, cum adhuc in infidelitate esset: idemque de Catechumeno sentiendum, qui nondum sacro fonte expiatus, Sacramentum baptismi alteri contulerit.

5. Hæreticum quando redit ad unitatem, separari debere a conjuge quam baptizarit, vel cujus sponsor fuerit in baptismo.

Casus hic occurrit, multorum judicio difficilis: sæpe contingit, inter magnates præsertim ac principes, ut quis a parentibus ad prolem de sacro fonte suscipiendam electus, non per se ipsum, sed per procuratorem hoc munere defungatur: quæritur a quo spiritualis cognatio contrahatur, an ab eo quem parentum voluntas elegit, an ab illo quem ipse delegavit, ut tale officium suo nomine adimpleret?

Quidquid aliqui in contrarium sentiant; Respondeo non a procuratore sive delegato contrahi cognationem, sed ab eo cujus nomine agit: ita declaratum a sacra Cardinalium congregatione, testatur *Navarra*: (*lib. 5 consiliorum*) & merito quidem. Procurator enim non suo, sed mittentis nomine agit: item procurator causa mere instrumentalis, mittens vero est principalis. *Deinde*, ad hoc officium non procurator, sed qui eum misit, electus est: quidquid ergo cognationis spiritualis ex tali officio sequitur, non in procuratorem, sed in mittentem redundat.

At, *inquis*, ad contrahendam spiritualem cognationem, contactus baptizati requiritur. Porro infantem baptizatum non tangit nisi procurator, ejus a quo est delegatus, nomine agens: ergo &c.

R. Dist. maj. contactus requiritur, vel *immediatus* vel *mediatus*, conc. *immediatus*, n. maj. jam planum est, electum a parentibus susceptorem, quamquam per se ipsum (quippe absens) immediate infantem non tangat; mediante tamen procuratoris manu vicaria tangere: quidquid enim procurator in hoc negotio agit, ex mittentis voluntate facit atque imperio.

Rursum disputas: si quis parochus, ais, alterum Sacerdotem ad baptizandum vice sua substituat; spiritualem cognationem, non parochus contrahit, sed ab eo delegatus sacerdos: ergo a pari non in mittentem susceptorem, sed in eum qui missus est, spiritualis cognatio recidit.

R. Nego conseq. & paritat. qui enim parochi vice baptizat, non baptizat parochi nomine, sed solius Christi cujus est immediatus minister, cujusque personam gerit: adeoque ad illum, non ad parochum spiritualis cognatio pervenit: e contra vero qui infantem de fonte levat, non suo, sed mittentis nomine agit, unde non illum sed mittentem cognatio afficit.

Dico 3. Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam spiritualem cognationem intervenire, 1 Inter patrinum & matrinam cum baptizato, simulque cum baptizati patre & matre: 2 inter baptizantem & baptizatum: 3 inter baptizantem, & Patrem ac Matrem baptizati: in confirmationem vero inter patrinum ac matrinam cum confirmato, & patre ac matre confirmati, cæteras vero antiqui juris spirituales cognationes a Concilio Trid. esse abolitas. *Docet experientia*, ajunt Patres, (*sess. 24 de Ref. matr. c. 2*) *propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur: volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur . . . . ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Dico 4, nec naturali nec divino jure, sed humano tantum Ecclesiastico ac civili, cognationis spiritualis impedimentum esse invectum: quod enim per hujusmodi cognationem matrimonium vel impediatur vel irritetur, nec scriptura, nec traditio, nec denique lex naturalis insinuat: ergo juris tantum humani hoc impedimentum est, legibus Ecclesiasticis & civilibus institutum: unde sequitur quod auctoritate Ecclesiæ tolli possit.

Contra opponitur decretum quoddam summis Pontificibus *Deusdedit*, & *Zachariæ* a Gratiano attributum, (*caus. 30, qu. 3, can. 3*) ubi legitur, *quod non oporteat filiam quam quis de Sacro fonte susceperit, filio suo in matri-*

Digitized by Google

trimonium tradere, *quia in divina sententia Germani esse inveniuntur*: ergo in jure divino impedimentum hoc continetur.

R. Dato ant. n. conseq. & dico a sum. Pontificibus non eo sensu *divinam* hanc dici sententiam, quasi vel in scriptura vel in traditione reperiatur, cum in sacris his fontibus nullibi extare certissimum sit; sed eo tantum sensu quo Ecclesiæ decreta ad Sanctitatem & severitatem disciplinæ spectantia, propter Sp. Sanctum a quo dirigitur, *divina* dicuntur: si enim decretum illud in rigore *Divinum* foret, quomodo *divinas* vocamus Evangelii sanctiones; numquam illud mutare aut invertere Ecclesia præsumpsisset: atqui auctoritate Ecclesiæ impedimentum illud in Concilio Trid. sublatum est; ita ut libere modo possit susceptoris filius, cum ejus suscepta contrahere matrimonium: ergo &c.

§. QUINTUS.

De impedimento criminis.

5. Dirimens impedimentum est, *crimen*, quantum ad præsens attinet, genere duplex, homicidium scilicet & adulterium: ita tamen ut secundum canones non semper matrimonium resolvant, sed certis tantum in casibus, quos juvat breviter explicare.

1. Est, quando conjux conjugis mortem efficaciter est machinatus, post adulterium cum ejus consorte commissum, stare enim non posse hujusmodi matrimonium, ab Alexandro III Pontifice Max. definitum, cap. *super hoc*: extra: *de eo qui duxit in matrimonium*, *quam polluit per adulterium*. *Tibi respondemus*, inquit, *quod si adulter est in mortem uxoris aliquid machinatus*, *sive fidem dedit*, *sive non*, *quod ea defuncta hanc esset ducturus*, *secundum canones ab ejus consortio prohibetur*: *& hæc prohibitio perpetuo est servanda*.

2. Est, cum ex amborum consensu, etiam non interveniente adulterio, alter conjugum occiditur. Regulam hanc tradit *Cœlestinus III* S. Pontifex, cap. *laudabilem*: extra: *de conversione infidelium*. *Interrogasti*, inquit, *de Saracenis*, *qui dum in captivitate essent*, *quarumdam Christianarum viros*, *earum insidiis & machinationibus occiderunt*; *utrum quia postea per ipsas ad fidem Christianam conversi sunt*, *eas de jure possint accipere in uxores*; *vel*, *si duxerint*, *conjugium teneat eorumdem*? *hic Triburiensis Concilii regula contenti sumus*, *asserentis quod si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatæ*, *licet earum studio ad fidem accesserint*; *tamen nec eis adhærere debent*, *nec sunt*, *si adhæserint*, *tolerandi*.

3. Est, quando committitur adulterium cum promissione reciproca matrimonii post conjugis obitum ineundi: ita definitum a patribus Concilii Triburiensis, (*anno* 895) can. 40. *Audivimus*, inquiunt, *rem execrabilem*, *quemdam nefario fornicationis opere*, *alicujus uxorem*, *vivente eo commaculasse*, *& in augmentum iniquitatis juramento confirmasse*, *si legitimum supervixissent ambo maritum*, *ut ille fornicator*, *illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret Thoro & legitimo matrimonio* .... *tale connubium anathematizamus*: *non licet ergo*, *nec Christianæ Religioni oportet*, *ut ullus ea utatur in matrimonio*, *cum qua pollutus est adulterio*.

4. Est, cum quis vivente legitima conjuge, init & consummat cum altera matrimonium: hanc enim mortua uxore ducere nequit. Ita Alexander III, cap. *ex Litterarum*: Extra: *de eo qui duxit in matrimonium*, *quam polluit per adulterium*. Patitur tamen hæc regula exceptionem, si nimirum bona fide putaverit mulier, virum cui nubebat, ab omni præcedente conjugio esse liberum, aut si postquam fraudem præcise rescivit, ab adulteri cohabitatione cessaverit: ita ab eodem Pontifice definitum ib. cap. *Propositum*. *Propositum est nobis*, inquit, *quod vir quidam uxorem habens*, *sibi aliam hujusmodi rei insciam copulavit*: *sed prima mortua nititur discedere a secunda* .... *licet autem in canonibus habeatur*, *ut nullus* (*sibi*) *copulet matrimonio*, *quam prius polluerat adulterio*, *& illam maxime cui fidem dederat*, *uxore sua vivente*, *vel quæ machinata est in mortem uxoris*: *quia tamen præfata mulier erat inscia*, *quod ille aliam haberet uxorem viventem*, *nec dignum est*, *ut prædictus vir*, *qui scienter contra canones venerat*, *lucrum de suo dolo reportet*: *consultationi tuæ taliter respondemus*, *quod nisi mulier divortium petat*, *ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi*.

Idem sancitum ab *Innocentio* III, cap. *veniens*. (*Extra*: de eo qui duxit in matrimon. quam polluit per adulterium.) ubi: *veniens*, inquit, *ad præsentiam nostram N. laicus*, *humili insinuatione monstravit*, *quod cum in civitate Lemovicensi quamdam sibi matrimonialiter copulasset*, *ab ea recedens Messanam advenit*, *ubi M. mulierem insciam*, *quod aliam haberet uxorem*, *sibi solemniter copulavit*: *verum cum eidem pœnitentia fuisset injuncta*, *ut ad legitimam rediret uxorem*, *& ipse propter hoc in suam patriam redisset*, *uxorem suam inveniens carnis debita persolvisse*, *ad Messa-*

nam

Digitized by Google

nam rediit civitatem, & supradicta M. tamquam legitima cohabitavit uxori . . . licet autem vivente uxore legitima, prædictam M. sibi copulare nequiverit in uxorem: quia tamen uxore defuncta, utpote a lege ipsius solutus, in eamdem M. de novo potuit matrimonialiter consentire, dummodo non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris: mandamus quatenus si est ita, eidem N. ut supradictæ M. affectu adhæreat conjugali licentiam concedatis.

Quæritur quo jure criminis impedimentum nitatur?

R. Juris positivi, civilis & Ecclesiastici esse: quod enim divini non sit, ex matrimonio Davidis cum Bethsabee certo colligitur: merito autem legibus principum & canonibus Ecclesiæ institutum, ut hoc saltem fræno adulteria, & iniquæ contra legitimos conjuges machinationes cohiberentur, dum scirent homines his criminibus non posse ad matrimonium perveniri.

§. SEXTUS.

De Impedimento disparitatis cultus.

Cultus disparitas non debet in præsenti intelligi de quavis Religionis diversitate, sed de ea tantum, quam baptismus, & carentia ejusdem inducit: quando nimirum alter conjugum est baptizatus, alter vel Judaismum, vel Idololatriam, vel quamvis alteram falsam profitetur Religionem nomini Christiano contrariam: atque hoc impedimentum est, de quo modo agimus, pro cujus explicatione

Dico 1. Neque naturali, neque positivo divino, sed solo Ecclesiastico jure esse inductum. Nam

1. Cultus disparitas nihil habet matrimonii naturæ contrarium: tam enim definitio matrimonii connubio convenit gentilem inter & Christianum contracto, quam nuptiis quas ineunt, Christianam utrimque profitentes Religionem.

2. Hujusmodi matrimonia in scripturis nullibi irrita declarantur: quin e contra in sacris Litteris legitur, Salomonem duxisse in matrimonium filiam Pharaonis, a veri Dei cultu alienam, & Sanctam fœminam Esther Assuero Gentili nupsisse. In ipsis Ecclesiæ primordiis præcipit Apostolus, ne conjux fidelis discedat ab infideli, nisi prior ipse discesserit. (1 *Cor.* 7) Idemque multis exemplis ostendi potest: nam S. Monica Augustini mater cum Patricio viro Ethnico matrimonium contraxit, ut testatur ipse S. Aug. lib. 9 confess. cap. 9; S. Clotildis Christiana, Clodovæo Francorum Regi idololatriæ nexibus adhuc implicato; S. Anastasia Publio falsorum numinum cultori; S. Cæcilia Valeriano nondum Christiano; & alii denique multi, viris aut fœminis a vera Religione remotissimis connubio juncti sunt.

Quod igitur hujusmodi matrimonia pro irritis jam pridem habita sint, hodieque habeantur in causa fuit, non jus divinum aut naturale, sed Ecclesiasticum, non tam canone aliquo, quam more populi Christiani, & prisca consuetudine, vim legis habente, inductum: cujus quidem moris tam antiqua origo est, ut jam ante Gratiani & Magistri sentent. tempora baptizatorum cum non baptizatis connubia pro irritis per universam Ecclesiam haberentur: quo factum est, ut S. Thomas, omnesque deinceps Theologi, & canonici juris interpretes secundum majorum doctrinam & populi Dei consuetudinem assueverint, disparitatem cultus esse impedimentum matrimonium dirimens.

Dico 2. Causis justissimis nubendi libertatem hoc obice fuisse arctatam; tum quod indignum videretur, misceri membra Christi cum membris Diaboli; tum quod matrimonium a Christianis non aliter suscipi debeat, quam ut est legis Evangelicæ Sacramentum, cujus capaces non sunt, quos nondum baptismus regeneravit; tum ut fidelium connubia, & quæ de iis oboriri poterant quæstiones, ad Ecclesiasticum tribunal omnino revocarentur, quod quomodo fieret, si conjugum alter infidelis esse permitteretur? Ecclesia enim de iis qui foris sunt, & intus numquam fuerunt, non habet ferendi judicii potestatem, ut docet Apostolus, tum ad vitandum subversionis periculum, quod tum fideli conjugi, tum proli nasciturae præsentissimum immineret: *qui tetigerit picem*, ait scriptura, (*Eccli.* 13, 1) *inquinabitur ab ea*: decebat ergo ut locum haberet in Ecclesia Christiana Dei edictum, quo Israelitis olim prohibuerat, ne cum gentilibus in contrahendis nuptiis miscerentur. (*Exod.* 34) *Ne ineas pactum*, inquiebat, *cum hominibus illarum regionum . . . nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos, in Deos suos.* Hinc ab Apostolo dictum, 1 ad Cor. 7: *cui vult nubat, tantum in Domino.* Et 2 ad Cor. 6, v. 14: *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate*, &c. ergo &c.

Q. De Matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis quid sit sentiendum?

R. Vel de Græcorum vel de Latinorum disciplina quæstio ista movetur.

Digitized by Google

Ad Græcos quod attinet, videntur apud illos hujusmodi matrimonia, non illicita tantum, sed & invalida pridem fuisse: in synodo enim quini-sexta (*anno* 692) canone 72 constitutum, „ non licere virum orthodoxum cum „ muliere hæretica conjungi, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari; & si quid „ ejusmodi a quoquam factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium debere dissolvi: nec enim (*addunt*) „ ea quæ non sunt miscenda, misceri, nec „ ovem cum lupo, nec peccatorum sortem „ cum Christi parte conjungi oportet ".

Quo canone hæreticorum cum Catholicis matrimonia non modo prohiberi, sed & irrita fieri, juris orientalis interpretes observarunt. „ Qui enim simul ita vivunt, *ait Zonarus in hunc locum*, ut eorum animi in iis quæ ad „ fidem pertinent contrario modo affecti sint, „ quo pacto in aliis rebus convenire posse quispiam arbitretur? & quorum sensus in iis quæ „ sunt fidei, quorum prima est atque præcipua ratio, minime congruunt, quo pacto inter se æquis animis, in reliqua vitæ societate communicabunt?

Ad Latinos vero quod spectat, equidem illicita sunt hæreticorum cum catholicis matrimonia, nec nisi gravibus de causis permittenda; irrita tamen nec olim fuerunt, nec modó sunt: quod quidem invalida non sint, Concilii Trid. canon demonstrat. „ Si quis dixerit, „ *inquit*, (*Sess.* 24, *can.* 5) propter hæresim . . . dissolvi posse matrimonii vinculum; „ anathema sit. " Idemque adstruit præsens quæ observatur disciplina, in iis locis ubi catholici permixtim cum hæreticis vivunt: hic enim hujusmodi matrimonia, quia plerumque sine Reipublicæ, & civilis commodi perturbatione impediri non possent, ab Ecclesia tolerantur ac conceduntur. *Prohibemus* (ajebat non ita pridem Castoriensis Episcopus, per confœderatas Bataviæ provincias Vicarius Apostolicus, in decreto de hac relato) *prohibemus sub pœna suspensionis ab officio missionis, omnibus missionariis, ne quis personas quarum altera est Acatholica, nobis inconsultis, & sine speciali nostro consensu præsumat conjungere*.

Cæterum generatim hujusmodi nuptias, nullo prævio Ecclesiæ consensu fœderatas, illicitas esse, antiqui canones probant, quibus Latina Ecclesia inviolabiliter hæsit: & vero si hæreticus Ecclesiam non audiens haberi debet sicut Ethnicus & publicanus, ut præcipit Christus in Evangelio: si ab ejus consortio fugiendum juxta Apostoli sententiam: *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*: (*ad Tit.* 3, 10) si jugum cum infidelibus ducere, eodem monente Apostolo nefas est: manifesto sequitur catholicorum cum Hæreticis matrimonia illicita esse, nec posse sine gravi peccato iniri: quocirca in iis locis ubi catholici cum hæreticis permiscentur, nihil magis pastoribus cordi esse debet, quam ut fideles ab hujusmodi nuptiis contrahendis deterreant.

§. SEPTIMUS.

De Impedimento Violentiæ.

Quia vis metum generat, metus vero non potest cum voluntario consensu consistere, quem absolute matrimonii contractus requirit; ideo impedimentis matrimonium dirimentibus violentia accensetur. Sciendum porro metum, quem violentia incutit, vel esse gravem, vel levem.

Gravis est, *trepidatio mentis, propter imminens malum arduum*: ut si quis timore mortis, mutilationis, servitutis, carceris, aliorumque id genus, quæ averti aliter non possint malorum, cogatur matrimonio cum illa quam summopere aversatur, præbere consensum: metus hic dicitur, *cadens in constantem virum*.

Levis est, *hominis se ipsum male torquentis trepidatio, propter leve quodvis malum*: ut si quis malit matrimonio consentire, quam nummorum aliquot, vel pallii facere jacturam: illeque dicitur *cadere in virum imbecillem & inconstantem*.

Matrimonium metus levis non dirimit, quia non impedit consensum; gravis, jure naturæ dissolvit. Nam si in cæteris de quibus pacisci homines solent, plena libertas requiritur: quanto id magis necessarium est putandum in nuptiis, ubi corporum animorumque conjunctio fit, quæque semel initæ indissolubiles sunt, nec ad instar aliorum contractuum rescindi facile possunt? ita a sum. Pontificibus, *Alexandro III* cap. *cum locum*: Extra: *de sponsalibus & matrim.* & cap. *veniens*: & cap. *significavit*: extra: *de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*: & ab *Innocentio III* cap. *consultationis*: extra: *de sponsalibus & matrim.* non constitutione arbitraria, sed ex ipsius naturæ præscriptione decretum.

Notandum tamen debere metum certis conditionibus circumscribi, ut vere censeatur rescindere matrimonium.

1. Est, ut a causa extrinseca inferatur: hinc si quis sanitati suæ metuens, de consilio medici iniverit matrimonium; stat vinculum nu-

nuptiarum, quia metus ille causam naturalem & intrinsecam habuit.

2. Est, ut injuste metus inferatur: cui enim juste incutitur, ut ab eo consensus obtineatur, nulla injuria fit: hinc valide nubit, quem judex damnavit laqueo, nisi malit constupraptam puellam ducere; quod facile intelliget qui advertet tales nuptias, etsi actu involuntariæ sint, voluntarias tamen in causa fuisse, quia libere vitiavit virginem, eoque crimine meruit ad eam ducendam compelli.

3. Est, ut metus inferatur ad obtinendum consensum in matrimonium, sive eo fine, ut nuptiæ fiant: quamobrem si parentes vel consanguinei puellæ, cum illa in stupro deprehensum pudicitiæ invasorem trucidare velint; ipse vero ut eorum mitiget animos, sponte se ad matrimonium offerat, nuptiæ valent, quia mortem inferre ei volebant exacerbati parentes, in ultionem dedecoris puellæ illati, non ad extorquendum consensum in matrimonium, cujus exigendi penes judices est potestas.

Quia vero haud infrequentes moveri solent de illata violentia, & metu ex illa secuto quæstiones, eoque prætextu plerique petunt nuptiarum rescissionem; cavendum judicibus ad quos harum litium discussio, ac decisio pertinet, ne nimium festinanter sententiam ferant, sed serio ac mature quæ vis facta fuerit, quis metus inde secutus expendant: deinde conditionum, personarum, ac sexuum habeant rationem: potest enim metus aliquis in viro levis censeri, qui in muliere propter minorem animi vigorem atque constantiam gravis haud immerito putaretur: pariter in triviali ac plebejo homine, potest timor levis judicari, qui in nobili gravis esset, & viceversa. Itaque a judicibus, quando occurrunt hujus generis quæstiones, accurate circumstantiæ omnes pensandæ sunt, nec facile nuptiarum solutionem hac de causa petentibus est credendum: alioquin enim dissolvendorum matrimoniorum numquam finis futurus esset.

§. OCTAVUS.

De Impedimento ordinis.

Ordinem sacrum esse impedimentum matrimonium dirimens ex antiquis Ecclesiæ legibus certum est, ad quarum mentem sacra Trid. Synodus, *si quis dixerit*, inquit, (*sess.* 24, *can.* 9) *clericos in Sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto; & oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium . . . anathema sit.*

De Clericorum cœlibatu relegat studiosus Theologus, quæ libro præcedente de Sacramento ordinis dicta sunt.

Si quis vero causam quærat cur Ecclesia clericis nuptias interdixerit? Respondemus ita statutum, ne rerum temporalium sollicitudine, & carnalibus desideriis implicati, a Dei cultu, & Ecclesiasticis ministeriis retraherentur: ad Clericos enim Apostolica sententia præcipue pertinet: *volo vos sine sollicitudine esse: qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.*

§. NONUS.

De Impedimento Ligaminis.

Ligamen est, indissolubile matrimonii vinculum, quo ita sibi conjuges sunt conjuncti, ut utroque superstite, neuter cum altero valide contrahere valeat; eo namque vinculo quodvis aliud matrimonium jure naturali & divino rescindi, constat ex prædictis de unitate & indissolubilitate matrimonii, quæstionibus 3, & 4.

§. DECIMUS.

De Impedimento Honestatis.

Publicæ honestatis nomine intelligitur, propinquitas ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato non consummato contracta ex instituto Ecclesiæ robur habens, ideoque ejus auctoritate inducta, ut honestati consuleretur, & decorum in nuptiis servaretur: quemadmodum enim sacris canonibus cautum est, ne inter filium adoptatum, & uxorem adoptantis, etiam soluta adoptione, nuptiæ fierent, quia turpe visum est, inter personas quæ aliquando sibi parentum & filiorum loco fuissent, matrimonia intercedere: ita res inhonesta putata est, si filius mulierem per verba de futuro a patre suo desponsatam, uxorem duceret; aut si vir de facto contraheret, cum sorore conjugis suæ, quæ nondum consummato matrimonio obiisset: licet enim carnalis copula non intervenerit, atque adeo nulla orta fuerit veri nominis consanguinitas, tamen quia per matrimonium mulier facta est vera mariti uxor, & per sponsalia vir & mulier imperfecte saltem conjuncti sunt; cum in sponsalibus nuptiarum præambulum ac veluti incboatio sit: hinc aliquatenus contrarium reverentiæ atque pudori putatum est, si maritus cum consanguinei suæ uxoris, nondum licet carnaliter co-

Digitized by Google

cognitæ, aut ſponſus cum conſanguineis ſponſæ ſuæ nuptias fœderaret: quam quidem opinionem ab ipſa inſinuatam eſſe natura, inde patet, quod non ſolis conciliorum canonibus, aut decretis Pontificum, ſed & civilibus legibus hoc impedimentum inductum ſit. In Digeſtis enim ſic legitur: (*digeſt. lib.* 23, *Tit.* 2, de Ritu nuptiar.) *inter me & ſponſam patris mei nuptiæ contrahi non poſſunt, quamquam noverca mea non proprie dicatur: ſed & per contrarium ſponſa mea patri meo nubere non poterit, quamvis Nurus non proprie dicatur.*

Q. 1. Ad quem gradum publicæ honeſtatis impedimentum extendatur?

Reſpondeo, ante Concilii Lateran. IV tempora tantum patuiſſe, quantum conſanguinitatis ipſius impedimentum, atque adeo ad ſeptimum uſque gradum productum eſſe: ab an. vero 1215, quo ſynodus Lateranenſis coacta eſt, publicæ honeſtatis, ſicuti & conſanguinitatis impedimentum, ad 4 incluſive gradum arctatum fuit: verum a Concilii Trid. temporibus ad quæſtionis ſolutionem diſtinctione utendum.

Si enim ex ſponſalibus matrimonii impedimentum obortum ſit, primum gradum non excedit: ita a S. Synodo conſtitutum. (*in decr. de Ref. matrim. c.* 3) *Publicæ honeſtatis impedimentum*, inquit, *ubi ſponſalia, quacumque ratione, valida non fuerint, S. Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat; quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.*

Si vero ex matrimonio rato, non conſummato enatum ſit, ſecundum præſentem diſciplinam tantum extenditur, quantum ante Concilii Trid. celebrationem patebat: nihil enim a S. Synodo in hac parte mutatum eſt. Atque adeo conſentanee juri antiquo ad 4 uſque gradum porrigitur; ita ut qui nuptias inivérit cum Catharina e. c. ſi ea ante matrimonii conſummationem obierit, non poſſit ſine diſpenſatione valide contrahere cum altera, quæ Catharinam in 4 conſanguinitatis gradu contingat: ita Reſponſum a *S. Pio V* Pontifice Max. in conſtitutione quæ incipit, *ad Romanum*, anno 1568 publicata, ad quorumdam dubium compeſcendum, qui putabant verba Concilii Trid. *ſponſalia primum gradum non excedant*: debere etiam de matrimonio rato, non conſummato intelligi. *Ad aures noſtras pervenit*, inquit, *multos eſſe qui dubitent, an decretum œcumenici Concilii Trid. ſeſſ.* 24, *de Reform. matrimonii, c.* 3, *quo cavetur, impedimentum publicæ honeſtatis, ubi ſponſalia valida non fuerint, prorſus tolli; ubi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in ulterioribus non poſſit hujuſmodi prohibitio ſervari; de ſponſalibus per verba (ut ajunt) de futuro tantum conceptis intelligatur: vel etiam matrimonia, per verba de præſenti contracta, non tamen conſummata, quæ interdum ſponſalia appellantur, comprehendat; ita ut etiam in eo caſu impedimentum inde proveniens ſublatum fuerit: nos itaque ut omnis difficultas dubitationis tollatur, attendentes quod ſponſaliorum appellatione, qua dictum concilium utitur, non niſi improprie matrimonium, verbis de præſenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione juris veteris, quo caſu ſecundum proprietatem verborum duntaxat procedendum eſt, præſertim cum longe majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præſenti contracto, quam in ſponſalibus de futuro vigere a nemine dubitetur: idcirco motu proprio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus & definimus, decretum concilii hujuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio ſic (ut præfertur) contracto; ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum concilii decretum introductum erat* .... Ita S. Pontifex: nihil ergo quantum ad matrimonium, impedimento publicæ honeſtatis detractum eſt in Concilio Trid. ſolaque ſponſalia de futuro decretum ejus reſpexit: atque adeo cum ante ſynodi tempora impedimentum publicæ honeſtatis, ex matrimonio rato obortum, ad 4 uſque gradum porrigeretur, eadem hodie conſtitutio perſeverat.

Q. 2. Utrum diſſolutis mutuo conſenſu contrahentium ſponſalibus, quæ valida ab initio fuerant, *honeſtatis* impedimentum ceſſet & evaneſcat?

℞. Negative: cum enim ſponſalia, ut ſupponitur, ab initio valida fuerint, impedimentum publicæ honeſtatis, ex decreto Eccleſiæ neceſſario intulerunt: quamvis ergo deſponſi poſſint conſenſu mutuo ſponſalia ſolvere, quod in ſua habent poteſtate, non propterea impedimentum *honeſtatis* auferre queunt quod eſt in Eccleſiæ ſolius arbitrio: ita ab Eminentis. Card. Concilii Trid. interpretibus ſæpe reſponſum, idemque ab *Alexandro VII* Pontifice Max. declaratum.

Quæritur 3. Numquid ſaltem hoc impedimentum morte tollatur?

R. Negative. Mors enim interveniens quod factum eſt, infectum non reddit. Manet ergo ex ſponſalibus de futuro, vel ex matrimonio rato, contracta propinquitas: adeoque morte interveniente impedimentum juſtitiæ publicæ hone-

honeſtatis non tollitur. Quocirca ſi hodie frater meus Catharinæ per verba de futuro fuerit deſponſatus, & ante promiſſi matrimonii tempus objerit, non potero ego cum Catharina contrahere nuptias, propter publicæ honeſtatis impedimentum. Ita definitum can. *ſi quis deſponſaverit:* caus. 27, qu. 2.

§. UNDECIMUS.

De Impedimento affinitatis.

Affinitatis eſt, *vinculum ſive propinquitas, ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.*

Explicatur definitio. Dicitur 1 *propinquitas ex carnali copula proveniens:* quia ad affinitatem contrahendam, quæcumque carnalis copula ſufficit, ſive licita per actum legitimum matrimonii; ſive illicita per adulterium. Dicitur 2 *omni carens parentela ſive conſanguinitate*; quia conſanguinitas per ſe affinitati non convenit, licet aliunde qui affines ſunt, conſanguinei eſſe poſſint.

Dicitur porro *affinitas*, propter diverſarum familiarum conjunctionem, licito aut illicito concubitu glutinatam: quemadmodum enim agri affines dicuntur, qui limitibus ſe contingunt, ita affines perſonæ aut familiæ dici debent, quarum una per, aut propter carnalem copulam ad alteram proxime accedit, & in ejus veluti confinio eſt.

Affinitas proprie gradus non habet: gradus enim ex generationum ſerie computantur; atqui affinium nullæ ſunt generationes, quæ ſolis conſanguineis competunt. Proprie ergo loquendo affinitatis nulli ſunt gradus, nec aliter quam juxta conſanguinitatis gradum cenſeri ſolent. Unde fit ut uxoris conſanguinei eodem gradu marito affines ſint, quo uxori conſanguinitate junguntur.

Affinitatis tria olim genera diſtinguebantur, matrimonio obicem ex æquo ponentia. Horum autem generum origo in triplicato matrimonio erat; uti exemplum ſequens aperiet: fratri meo nuptui *Catharina* datur: hoc matrimonio *Catharina* & mihi & conſanguineis meis, primo genere affinitatis adjungitur. Mortuo fratre meo, ad ſecunda vota *Catharina* tranſit: erit ergo novus ejus maritus mihi & conſanguineis meis in genere ſecundo affinis. Quod ſi *Catharina* objerit, & ſuperſtes ſecundus ejus maritus, aliam in uxorem acceperit, erit illa mihi, meiſque conſanguineis in tertio genere affinis.

Tribus, inquam, his generibus olim continebatur affinitas, & impedimentum matrimonii contrahendi, quod cum amplitudine ſua difficultates innumeras pareret, & multis peccandi occaſio eſſet, a patribus *Later.* IV Concilii ad primum genus arctatum eſt, liberumque factum fidelibus in ſecundo & tertio affinitatis genere, ſine obice matrimonia copulare. *Conſtitutiones ſuper hoc editas*, ajunt c. 8, *ſacri approbatione Concilii renovantes, præſenti conſtitutione decernimus, ut ſic contrabentes de cætero copulentur.*

Secundum præſentem diſciplinam contrahitur affinitas inter maritum & conſanguineos uxoris, ſimiliter inter uxorem & conſanguineos mariti; non vero inter conſanguineos utriuſque: ducit e. c. Petrus Mariam conjugem: conſanguinei Mariæ Petro affines fiunt, & viciſſim: ſed conſanguineos inter Petri, & conſanguineos Mariæ nulla ex ipſorum matrimonio affinitas naſcitur. Ita ab *Innocentio III* Pontifice Max. definitum. *Super eo igitur*, inquit, (*cap. quod ſuper his: Extr. de conſanguinitate & affinitate*) *quod pater & filius cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, Avunculus & nepos cum duabus ſororibus contrabunt matrimonia: taliter tibi diximus reſpondendum, quod licet omnes conſanguinei uxoris ſint viri affines; inter conſanguineos tamen uxoris & viri, ex eorumdem, ſcilicet viri & uxoris conjugio nulla prorſus affinitas eſt contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.*

Affinitas non ſecus ac conſanguinitas matrimonium inter aſcendentes & deſcendentes, in quocumque gradu lineæ rectæ impedit, dirimitque: quod ipſo videtur jure naturæ ſtatutum. Unde bene moratæ gentes inceſtas id genus conjunctiones, velut immania ſcelera execratæ ſunt. *Auditur inter vos fornicatio*, ait Apoſtolus ad Cor. ſcribens, (1 *Corint.* 5, 1) *& talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.*

Affinitas ex copula licita proveniens, in linea collaterali matrimonium impedit ac dirimit, uſque ad 4 gradum incluſive. Ita ſtatutum can. *non debet*: Extra: *de conſanguinitate & affinitate*. Hinc vir defunctæ uxoris conſanguineam in 4 aut primiori gradu uxorem ducere ſine diſpenſatione non poteſt. Idem de uxore viciſſim dicendum erga viri mortui conſanguineos.

Affinitas ex illicita copula nuptias non dirimit, niſi ad 2 incluſive gradum. Ita ſancitum a Concilio Trid. ſeſſ. 24, in decreto *de Ref. matrimonii*, cap. 4. *Præterea*, inquiunt Patres, *eiſdem & aliis graviſſimis de cauſis adducta S. Synodus, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum qui in* 1, *&* 2 *gradu conjun-*

junguntur, *restringit*: *in ulterioribus vero gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere*.

Quia vero ubi de affinitate dubia oriuntur, an matrimonium dirimat nec ne, in ejus assignandis gradibus potest difficultas exurgere, monendi sunt Theologiæ candidati, ex gradibus consanguinitatis affinitatem esse judicandam: ita ut quo gradu mihi vir consanguineus est e. c. eodem gradu uxor ejus mecum affinitatem certissimo habeat. Regulam hanc *decreto* Gratianus intexuit, Papæ *Gregorii* nomine, can. *Porro*. (*caus.* 35, *qu.* 5) *Porro*, ait Pontifex, *de affinitate quam dicitis parentelam esse*, *quæ ad virum ex parte uxoris*, *seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet*, *manifestissima ratio est*, *quia si secundum divinam sententiam*, *ego & uxor mea sumus una caro*, *profecto mihi & illi mea suaque parentela propinquitas una efficitur*. *Quocirca ego & soror uxoris meæ in uno & 1 gradu erimus*: *filius vero ejus in 2 gradu erit a me*, *neptis vero in 3*: *idque utrimque in cæteris agendum est successionibus*. *Uxorem vero propinqui mei*, *cujuscumque gradus sit*, *ita me oportet attendere*, *quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua fœmina propriæ propinquitatis sit*. *Quod nimirum uxori de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus convenit observari*. *Qui vero aliorsum sentiunt*, *Antichristi sunt*, *a quibus tanto fortius vos oportet cavere*, *quod apertius deprehenditis illos divinis legibus repugnare*.

§. DUODECIMUS.

De impedimento Raptus.

Duplicem *Raptus* speciem, utrumque jus, canonicum & civile admittit: Raptum scilicet commissum in fœminam, cui vis infertur, & raptum in parentes puellæ, quibus invitis consentiens ipsa abducitur. *Violentia*, inquit S. Thomas (2, 2, *qu.* 154, *art.* 6) *quandoque infertur tam ipsi virgini*, *quam patri*: *quandoque autem infertur patri*, *sed non virgini*, *puta cum ipsa consentit*, *ut per violentiam de domo patris abstrahatur*. . . . *qualitercumque violentia adsit*, *salvatur ratio raptus*.

Pari sensu Concil. *Aurelian.* I, (*an.* 508) can. 2: *de Raptoribus autem*, inquit, *id constituendum esse censuimus*, *ut si ad Ecclesiam Raptor cum Rapta confugerit*, *& fœminam ipsam violentiam pertulisse constiterit*, *statim liberetur de potestate Raptoris*, *& Raptor mortis vel pœnarum impunitate concessa*, *aut ad serviendum subjectus sit*, *aut redimendi se liberam habeat facultatem*: *si vero quæ rapitur*, *patrem habere constiterit*, *& puella Raptori consenserit*, *potestati patris excusata reddatur*, *& Raptor patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius*.

Impedimentum de quo agimus in præsenti ad primam raptus speciem principaliter pertinet; quamquam enim antiqui can. & leges civiles utramque confundere, & utrique par nuptiarum impedimentum opponere videantur; certum tamen est, plus obstare nuptiis puellæ dissensum, quam genitorum renixum, cum earum veritas & essentia non a parentum, sed a contrahentium voluntate principaliter, prout jure sancitum est, pendeat. *Sufficiat secundum leges*, ait can. alibi cit. *solus eorum consensus*, *de quorum conjunctionibus agitur*: indeque est, quod multi cum *glossa* contendunt, absolute non esse Raptum, ubi puella consentit.

De parentum consensu aut dissensu qui & quatenus in matrimonium influat, §. sequente dicetur: interim ut ad primam Raptus speciem sermo convertatur.

Raptus est, *abductio puellæ invitæ aut seductæ*, *matrimonii contrahendi causa*: quæ definitio nihil habet difficultatis: est vero Raptus impedimentum matrimonium dirimens, tamdiu perdurans, quamdiu puella in potestate Raptoris est. Sic olim definitum in Concilio Romano, sub *Gregorio II*, Pontifice Max. (*anno* 721) & in Synodo Meldensi, (*anno* 845) can. 66. *Quicumque*, inquit, *deinceps rapere virgines vel viduas præsumpserint*, *secundum synodalem Beati Gregorii definitionem*, *ipsi & complices eorum anathematizentur*: *& Raptores sine conjugii spe perpetuo maneant*.

Quin & legum civilium tanta olim videtur fuisse severitas: ut Raptam inter & Raptorem matrimonium admitti nullatenus posset, etiam ejus quæ rapta foret accedente consensu: nam in codice Justiniani Imperatoris, (*Tit. de Raptu virginum vel viduarum*) lex ab illo lata sic legitur: *nec sit facultas Raptæ virgini vel viduæ*, *vel cuilibet mulieri*, *Raptorem in suum sibi maritum exposcere*, *sed cui parentes voluerint*, *excepto raptore*, *eam legitimo copulent matrimonio*: *quoniam nullo modo*, *nulloque tempore datur a nostra severitate licentia eis consentire*, *qui more hostili in Republica matrimonia student sibi conjungere*: *oportet etenim ut quicumque uxorem ducere voluerit*, *sive ingenuam*, *sive libertinam.*, *secundum nostras leges & antiquam consuetudinem*, *parentes vel alios quos decet*, *petat*, *ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium*.

Idem antiquis Regum Galliæ decretis declaratum: nam Capitularia *Caroli* M. sic statuunt: (*lib.* 6 *cap.* 69) *si quis alterius virginem aut viduam necdum desponsatam rapuerit*, *vel furatus*

vatus fuerit, placuit *ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, sive cum parentum ejus voluntate, quocumque commento ipsam accipere vel tenere potuerit, numquam illam ut uxorem habeat: sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis, alii viro, tempore congruo, si ipsa in hoc malum non consenserit, nuptura, eumque legibus acceptura tradatur.*

Eumdem in sensum antiqui quidam can. allegantur, quibus cautum fuerat ne puellæ, eorum a quibus raptæ forent, legitimæ uxores nullatenus esse possent.

Quidquid sane de antiqua ætate sit, certum est, undecimo & posterioribus sæculis disciplinam hanc relaxatam, & Raptorum cum Raptis puellis matrimonium acceptatum, modo earum consensus accederet. *Rapta puella*, ait Innocentius III Pontifex Max. (*Extr. de Raptoribus c.* 7) *legitime contrahet cum Raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere.*

Accidit huic impedimento nova ex Concilii Trid. decreto mutatio: attendens namque S. Synodus, incertum admodum esse, dubiumque consensum quem puella quamdiu a Raptore velut captiva tenetur, ineundo matrimonio adhibet, aut adhibere videtur; statuit (*sess.* 24, *in decr. de Ref. matr. c.* 6) *inter Raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium: quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat: & nihilominus Raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: &, si clerici fuerint, de proprio gradu decidant: teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

§. DECIMUS-TERTIUS.

De impedimento matrimonii clandestini.

Matrimonium *Clandestinum* est, quod clanculum & secreto contrahitur, semotis arbitris, sive testibus; quo fit ut in foro Ecclesiæ probari non valeat: vel quod præsentibus quidem testibus initur, sed prætermissis solemnitatibus, quæ jure, vel consuetudine Ecclesiæ observari debent; cujusmodi sunt denunciationes contractui præmittendæ, & sacerdotis benedicentis præsentia.

Hujusmodi matrimonia semper Ecclesia detestata est, atque prohibuit: id quod multis modis probari potest.

Sic *Tertullianus: penes nos*, inquit, (*libr. de pudic. c.* 4) *occultæ quoque conjunctiones, idest, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.*

S. Ambrosius Ep. ad Vigilium Episcopum (*Ep.* 19) *conjugium*, inquit, *velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oportet.*

Concilium *Forojuliense* (*an.* 791) sub Adriano I Pontifice Max. can. 8, idem præscripsit.

Concilium *Lateran.* IV, can. 51: „ prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis, *inquit*, clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito, ut infra illum qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat. . . Si qui vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserint in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta, prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo, non expertes scientiæ, aut saltem affectatores ignorantiæ videantur . . . Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus si culpæ qualitas postulaverit: sed & iis qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concesso, condigna pœnitentia injungatur. “

Idem reperies in plerisque aliis Synodis constitutum, ipsisque Principum sæcularium constitutionibus approbatum. Hujus autem ferendæ legis multæ eæque gravissimæ causæ fuerunt.

1. Namque ad Ecclesiam pertinebat, uti & nunc pertinet, polygamiam simultaneam, quæ crimen horrendum est, radicitus extirpare; atqui huic malo aliter occurri non poterat, quam clandestinas nuptias districte vetando. Cum enim furtiva matrimonia nec in Ecclesiastico, nec in civili foro probari possent, sæpe contingebat ut conjuges leves, inconstantes, libidinosi, prioris matrimonii rupta fide, divortium facerent, & nova impune inirent conjugia; atque ita in perpetuo adulterio

terio viventes, & reatum damnationis æternæ incurrerent, & filios spurios procrearent.

2. Contingebat, aut saltem evenire poterat, ut post matrimonia clanculum & fraudulenter inita, ad sacros ordines aliqui avaritiæ stimulis incitati, irreperent, & cum uxoribus Ecclesiastica beneficia possiderent.

3. Non poterant hujusmodi matrimonia sine nefario Sacramenti contemptu consistere: cum enim nuptiæ ad Sacramenti dignitatem a Christo evectæ sint, ille profecto contemnere beneficium divinum convincitur, qui matrimonium clanculum celebrat sine interventu Sacerdotis, qui solus, ut libro sequente dicetur, Sacramenti minister est.

4. Non potuissent incestæ conjunctiones, vel aliis de causis illegitimæ impediri, si unicuique licuisset, semotis arbitris matrimonia fœderare: merito itaque clandestina conjugia fuerunt antiquis legibus interdicta.

Decet vero, inquiebat 2 ineunte sæculo S. Ignatius Martyr, (*in Ep. ad Polycarpum*) *ut ducentes uxores & nubentes, cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta Domini præceptum sint, non autem ad concupiscentiam.*

Prius conveniendus est Sacerdos, ajunt antiqua Regum Francorum capitularia, (*lib.* 7, *cap.* 179) *in cujus Parochia nuptiæ fieri debent in Ecclesia coram populo: & ibi inquirere una cum populo ipse Sacerdos debet, si ejus propinqua sit, an non, aut alterius uxor, vel sponsa, vel adultera: &, si licita & honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium & benedictionem Sacerdotis, & consultu aliorum bonorum hominum, eam sponsare & legitime dotare debet.*

Porro ut antiquo decreto novum robur accederet, censuit Trid. Synodus, quæ antehac simpliciter prohibita fuerant matrimonia clandestina, in posterum pro nullis & irritis habenda fore. *Qui aliter*, inquit, (*sess.* 24, *in decr. de Ref. matr. c.* 1) *quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.*

Itaque ubicumque Concilii Trid. decretum promulgatum est & acceptatum, non illicita tantum, sed & irrita sunt clandestina conjugia.

Proponitur & resolvitur quæstio de parentum consensu utrum sit nuptiis necessario præmittendus?

Ut perspicue quæstio resolvatur,

Dico 1. Matrimonia a filiis-familias invitis aut insciis parentibus contracta, communi omnium judicio illicita esse: & merito quidem. Quam enim debent filii parentibus reverentiam non in externis tantum officiis & obsequii otiosis significationibus consistit, sed obedientiam in primis requirit, quam tenentur illis in omnibus exhibere, in iis præsertim quæ gravioris momenti sunt, & unde eorum perpetuus status dependet. Peccant ergo & contra legem naturalem agunt, qui nuptias obeunt inconsultis aut repugnantibus parentibus, quorum maxime interest filiorum statui providere.

Deinde, nuptias de quibus agitur Deus ipse prohibuit, in iis scripturæ locis ubi locandi in matrimonium filios curam præcipuam parentibus demandavit. Sic in *Exodo* omnem cum gentilibus societatem Israelitis interdicens: *nec uxorem*, inquit, (*Exod.* 34, 16) *de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos . . . . . .* & alibi (*Deut.* 7, 3) *filiam tuam non dabis filio ejus* (Chananæi nimirum aut gentilis) *nec filiam illius accipies filio tuo . . .* Immo in Genesi legitur (*Genes.* 28) Isaac expresse filio suo Jacob præcepisse, ut non acciperet conjugem de genere Chanaam, sed ex filiabus Laban avunculi sui: quod & ab illo factum narratur: e contra peccavit Esaü, & parentum suorum animos exasperavit, quod contra eorum voluntatem uxores de infidelium genere sibi elegisset: hinc illi quorum scriptura pietatem commendat, penes omnes leguntur de consilio & consensu parentum uxores sibi elegisse, ut de Isaac, Jacob, Rebecca, Samsone, & aliis certum est.

Præterea hoc ipsum patrum auctoritas adstruit.

Nec in terris, inquit Tertullianus, (*lib.* 2 *ad Uxor.*) *filii sine consensu patrum recte & jure nubunt.*

S. Ambrosius de Rebeccæ nuptiis agens: *Consulitur puella*, inquit, *non de sponsalibus, nam illa judicium expectat parentum; non est enim virginalis pudoris eligere maritum: Unde illud Euripidis, quod mirantur plerique . . . .* Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit: hoc enim non est meum. *Ergo quod & ipsi Philosophi mirati sunt, servate virgines. Sed etiam mulieres, si qua* amiſ-

amiſſo cito marito adoleſcentula . . . vult nubere, nubat, tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat.

S. Leo Pontifex Max. (*Epiſt. ad Ruſticum Narbonens.*) *paterno*, inquit, *arbitrio viris junctæ, carent culpa*.

Antiqua Regum Francorum capitularia: *Aliter legitimum non ſit conjugium*, inquiunt, (*lib.* 7, *cap.* 463) *niſi ab his qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur, & a parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur . . . . taliter enim & Domino placebunt, & filios non ſpurios, ſed legitimos atque hæreditabiles generabunt.*

Plura afferre ſuperfluum fuerit. Conſulat qui volet *Natalem Alex.* in Theologia dogmatica & morali, ubi longam Conciliorum & Sum. Pontificum idem atteſtantium ſeriem laudatam reperies. Merito ergo Concilium Trid. de clandeſtinis matrimoniis affirmat, (*Seſſ.* 24, *in Decr. de Reform. matr. c.* 1) *quod S. Dei Eccleſia, ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.*

Naſcitur hic nova controverſia pluſculum habens difficultatis, utrum non illicita tantum, verum etiam irrita hæc matrimonia ſint, & quo jure naturali an divino, civili aut Eccleſiaſtico?

Putavit *Calvinus* jure divino irritas eſſe nuptias ſine conſenſu parentum contractas. Libro enim 4 *inſtitutionum* c. 19, Romanorum Pontificum leges enumerans, quas in Deum impias, vel iniquas erga homines ſacrilego ore deblaterat, primo loco ponit matrimonia de quibus quæſtio eſt: *quales ſunt*, inquit, *ut conjugia inter adoleſcentulos parentum injuſſu contracta, firma rataque maneant.*

Lutherus diſtinctione uſus eſt, (*in Serm. de matrimonio*) matrimonia invitis parentibus contracta, jure divino irritari poſſe affirmans, ſi proles ex iis ſuſcepta non fuerit; ſi vero filii ſint nati, non poſſe.

Eraſmus in colloquio de matrimonio Calvino & Luthero præiverat. *Definiunt quidam*, inquiebat, *matrimonium eſſe ratum, quod inſciis aut etiam invitis parentibus, inter puerum & puellam per verba de præſenti contractum eſt; atqui illud dogma nec naturæ ſenſus approbat, nec veterum leges, nec Moyſes ipſe, nec Evangelica aut Apoſtolica doctrina.*

Contra illos

Dico 2. Nec jure naturali, nec lege Dei poſitiva irrita eſſe matrimonia, quæ filii-familias invitis aut inconſultis parentibus ineunt.

Ita Concilium Trid. *Eos*, inquit, (*de Ref. matrim. c.* 1) *anathemate damnat S. Synodus, qui falſo affirmant, matrimonia a filiis-familias, ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.*

De jure quidem naturali facilis probatio eſt. Si enim hujuſmodi matrimonia naturæ lex irritaret, contractus nuptialis ſubſtantia ſive natura a parentum conſenſu penderet; atqui natura matrimonii a conſenſu parentum, prorſus eſt independens: ut enim ſuis partibus conſtet, tria requiruntur & abunde ſufficiunt. 1 Mutuus contrahentium conſenſus: 2 ejuſdem externa ſignificatio: 3 Dominium reciprocum in corpora contrahentium; atqui ſive interveniat, ſive non, parentum conſenſus, tria hæc vere abſoluteque ſubſiſtunt. Quod enim opponi poſſet, filios-familias quamdiu ſub parentum tutela ſunt, corporum ſuorum dominium non habere, adeoque nec poſſe illud in alteram perſonam transferre: hoc, inquam, tum abſurde diceretur, tum legi naturali prorſus contrarium eſſe convincitur. *Nam*, inquit S. Thomas, (2, 2, *qu.* 104, *art.* 5, *in c.*) *in his quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo, quia omnes homines natura ſunt pares: puta, in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem, unde non tenentur, nec ſervi Dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda, aut in aliquo alio hujuſmodi.*

Ita S. Doctor. Cujus quidem doctrinæ baſis in eo eſt, quod in iis diſponendis & eligendis, e quibus dependet vitæ curſus ac ſeries, cujuſmodi ſunt, matrimonium, cœlibatus, & vita monaſtica, liberum unumquemque eſſe convenit, ſolique Deo ſubjectum: quæ ſane libertas tolleretur, aut ſaltem plurimum imminueretur, ſi ex conſenſu parentum ita matrimonium dependeret, ut ejus defectu non illicitum tantum, ſed & irritum redderetur. Hinc *S. Ambroſius*: *ſi hominem*, inquit, (*lib.* 1 *de Virginib. c.* 10) *vellent amare filiæ veſtræ, per leges poſſent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? . . .* Et alibi, (*lib. de Virginit. cap.* 5) *an indignum*, ait, *videtur, ut Sacratæ Virgines a Sacroſanctis altaribus non abducantur ad nuptias? & quibus licet ſponſum eligere, non licet Deum præferre?*

Hinc etiam ſcriptura nuptiarum validitatem non ex parentum conſenſu, ſed ex libera voluntate contrahentium repetit. *Vocemus puellam*, inquiunt Rebeccæ parentes, (*Gen.* 24) *& quæramus ipſius voluntatem . . . Nubant quibus volunt*, inquit Moyſes de filiabus Salphaad,

phaad, (*Num. ult.*) *tantum ut suæ tribus hominibus*..... & Apostolus: (1 *Cor.* 7) *cui vult nubat*, *tantum in Domino*. Certum itaque sit, lege naturali irritari matrimonia non posse, quæ filii familias invitis,aut inconsultis parentibus iniverint.

De Lege autem Dei positiva, quod nulla contra has nuptias lata fuerit, tum inde patet quod nullibi in scripturis irritæ declarentur, tum multis exemplis probatur. Sic enim *Genesis* 26, Esau inconsultis parentibus duas dicitur duxisse uxores, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ. Jacob Patriarcha unam quidem parentum consilio uxorem duxit (*Gen.* 28), tres tamen alias iis ignorantibus habuit. Tobias junior insciis similiter parentibus matrimonium contraxisse, haud obscure innuitur (*Tob.* 7). Judas Patriarcha cum muliere chananæa nupsisse narratur; (*Gen.* 38) quod parentum petierit expectaveritque consensum, non dicitur; atqui nihilominus uxorum nomine in divinis litteris appellantur, quas Esau, Jacob, Judas, & Tobias sibi matrimonio junxerant: quamquam igitur hæc antiquorum exempla imitari non deceat, ne a debita parentibus reverentia recedatur; iis tamen ostenditur, vera esse, adeoque non solvenda connubia, quæ insciis aut invitis parentibus contracta fuerint, neque hoc posse prætextu irritari, quasi divinis legibus contradicant.

Dico 3, posse, olimque potuisse Ecclesiam canonem condere, quo irrita fierent matrimonia filiorum familias inconsultis vel invitis parentibus copulata.

Etsi enim matrimonium sit contractus civilis & naturalis, quia tamen dignitatem Sacramenti adjunctam habet; dubium non est, hac ratione subjici Ecclesiæ legibus: unde fide certum est, ut c. 1 prædiximus, potuisse olim Ecclesiam, & posse etiamnum constituere impedimenta matrimonium dirimentia: quod si in cæteris hanc habuerit, & habeat facultatem, cur non valuerit pariter irritare nuptias de quibus modo agitur, non apparet.

Deinde, nemo dubitat quin Ecclesia potuerit matrimonia clandestina irrita declarare; alioquin enim hanc auctoritatem in Concilio Trid. temerario usurpasset: potuit ergo pariter in irritum mittere matrimonia contra voluntatem parentum contracta.

Præterea; hac potestate olim usam esse Orientalem Ecclesiam, multorum judicio certum est. S. enim Basilius in Ep. ad Amphilochium sæpe laudata sic loquitur: „ quæ sine iis qui habent potestatem fiunt matrimonia, sunt fornicationes: nec ergo viventes patre nec Domino ii qui conveniunt, „ sunt ab accusatione liberi, donec conjugio „ annuerint Domini: tunc enim accipit firmitatem conjugium ... " eamdemque disciplinam in Oriente labente sæculo 12, & ineunte 13 viguisse, testatur ejus ætatis Scriptor *Balsamon*, in suis ad *Photii* nomocanonem commentariis.

Insuper, non desunt qui eamdem antiquitus Latinæ Ecclesiæ legem fuisse, argumentis non contemnendis adstruere enitantur.

1 Enim, *inquiunt*, Evaristus Papa, sive quisquis alius in Epist. 1 ad Episcopos Africanos: „ similiter, *inquit*, custoditum & tra„ditum habemus, ut uxor viro legitime jun„gatur: aliter enim legitimum non fit con„jugium, nisi ab iis qui super ipsam fœmi„nam dominationem videntur habere, & a „ quibus custoditur, uxor petatur, & a pa„rentibus aut propinquioribus sponsetur ... „ aliter vero præsumpta non conjugia, sed „ aut adulteria, aut contubernia, aut stupra „ vel fornicationes potius quam legitima con„jugia esse non dubitatur. "

Quamquam vero ea Ep. *Evaristo* Pontifici Max. falso supposita sit, de quo nemo tantisper eruditus nunc dubitat; nonoque sæculo vel fabricata fuerit, vel ab obscuris scriniis eruta: disciplinam tamen repræsentat quæ tunc in Ecclesia Latina vigebat.

2. Huc facit canon: *videtur nobis*: sub Cælestini Romani Pontificis nomine, a Gratiano laudatus, (*caus.* 31, *qu.* 6) quo præcipitur, ut cum de matrimonii confirmatione aut rescissione tractatur, præter cætera exploretur, utrum intervenerit parentum consensus. *Qui enim*, inquit, *melius recipi debent*, *quam illi qui melius sciunt*, *& quorum est interesse*, *ita ut si non interfuerint*, *& consensum non adhibuerint*, *secundum leges nullum fiat matrimonium?*

3. Nicolaus I in responsis ad consulta Bulgarorum, inter matrimonii sanciendi leges, contrahentium & parentum consensum ex æquo requirit: *matrimonia*, inquit, *consensu eorum qui hæc contrahunt*, *& eorum in quorum potestate sunt celebrentur*.

4. Concilium Aurelianense IV (*ann.* 541) can. 22 matrimonium contra parentum voluntatem impie contrahi asserit: *Nullus*, inquit, *per imperium potestatis filiam petere audeat alienam: ne conjugium quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur: sed sicut est prohibitum, non admittatur, & his qui perpetraverint, excommunicationis severitas, pro modo piaculi imponatur*.

Dico 4, hujusmodi canonem condendum non judi-

judicaſſe Concilium Trid. atque adeo matrimonium quantum ad ſubſtantiam validum eſſe, in iis ſaltem Provinciis ubi decreta Sanctæ Synodi ad diſciplinam ſpectantia promulgata ſunt.

Primæ partis fidem facit Card. Pallavicinus in hiſtoria Concilii Trid. (*lib.* 22, *cap.* 1) ubi narrat,

1. Oratores Gallos petiiſſe, ut conjugia hujuſmodi irrita declararentur. *Idcirco*, inquit, *oratores Galli a Concilio, Regis nomine ſolemniter petierunt, ut redderentur irrita matrimonia, contracta a filiis abſque parentum conſensu, quia plerumque noxia ſunt, & familiis indecora, & odiorum potius quam amoris fomes inter conjuges.*

2. Narrat, privatim a ſelectis Patribus, ut petitioni Regis Chriſtianiſſimi ſatisfieret, formatum de hac re fuiſſe decretum, hoc verborum tenore: *præterea eadem Synodus irrita facit ea matrimonia quæ contrahuntur a filiis familias, ante annum 18 completum, & a filiabus ante annum 16 completum, abſque genitorum conſenſu.*

3. Addit decretum ab aliis, ſelectis utique, Patribus, revocatum ad incudem correctum in aliquibus, mutatumque fuiſſe. *De filiis familias*, inquit, *ita variatum, ut marium conjugium abſque conſenſu parentum eſſet irritum ante annum 20, fœminarum vero ante 18 completum, niſi ubi parentes rogati conſenſum ad nuptias honeſte expetitas a filiis, iniquo judicio diſſentirent; filii vero obtenta a præſule facultate matrimonium contraherent.*

4. Denique refert Concilium ab hac ſententia penitus receſſiſſe, & decretum, ut nunc jacet, tuliſſe, his verbis conceptum: (*in dec. de ref. matrim. cap.* 1) *Tametſi dubitandum non ſit, clandeſtina matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant; quique falſo affirmant, matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe: nihilominus S. Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.*

Conſtat ergo nullum in Concilio Trid. conditum canonem, quo declaratum fuerit, matrimonia filiorum familias parentum non interveniente conſenſu inita, reſcindenda eſſe; cum e contrario rata veraque matrimonia dicta ſint: unde probata manet altera pars aſſertionis qua diximus valere quantum ad ſubſtantiam matrimonia invitis aut inſciis parentibus copulata, in iis ſaltem provinciis, in quibus decreta Trid. Concilii ad diſciplinam pertinentia, promulgata & acceptata ſunt.

Q. 1. Quæ cauſa Trid. Patribus fuerit, petitionis Regis Chriſtianiſſimi non acquieſcendi?

R. Non unam, ſed plures graveſque fuiſſe.

1. Libertatem nuptiarum, ſine qua earum ſubſiſtere nequit natura, magis reſpexerunt Patres, quam conditionem conſenſus a parentibus expectandi, quæ, ut prædiximus, quamquam propter debitam genitoribus reverentiam obſervanda ſit, ne peccetur, matrimonio tamen extrinſeca & acceſſoria eſt.

2. Etſi communiter parentes propter majorem experientiam, judiciumque maturius, filiis ſint prudentiores; contingit tamen, nec admodum raro, ut ab iis prudentia & maturitate judicii ſuperentur, adeoque tutius ſibi ipſis de uxoris delectu proviſuri ſint, quam ſi in manu parentum cura illa relinqueretur: æquum ergo non erat, ut inita inſciis parentibus matrimonia irrita fierent.

3. Æquum quidem foret, immo neceſſarium, propter parentum diſſenſum matrimonia irritari, ſi tales ſe omnes, quales jubente natura debent eſſe, præſtarent; ſi nimirum filios ſuos vere amarent, iiſque in nuptiarum conventionibus bene vellent eſſe proviſum; atqui in contrarium ſæpe contingit, ut parentes vel odio in filios, vel pravæ avaritiæ ſtimulis concitati locare eos in matrimonio renuant, nuptias prætextibus falſis procraſtinent, uxores filiis ſuis quærant temporalibus bonis, quam virtute ditiores, aut denique imparibus conjugiis, unde innumerabilia mala naſcuntur, velint filios ſuos & filias copulare. Ergo haud immerito a tali ferendo decreto ſibi temperandum duxere Patres.

4. Quid ſi aut falſæ religionis vinculis irretiti, aut ſuſpectæ fidei parentes fuerint; numquid æquum erit talium arbitrio, filiorum nuptias ita committi, ut niſi conſenſerint, irritæ ipſo facto futuræ ſint? cum e contrario eo magis videantur parentum arbitrio ſubtrahendi, filiis ſuis & filiabus maritos uxoreſve quærant, per quos a vera Religione abduci poſſent.

5. In his quæ ad ſtatus vitæ delectum pertinent, homo ubi ad uſum rationis pertigit, ita ſui juris eſt, ut a ſolo Deo pendeat: non ergo decuit in voluntate parentum matrimonii validitatem reponi.

His, ſimilibuſque rationibus moveri Concilium Trid. potuit, ut Gallorum votis non reſponderet.

Q. 2. Utrum in Gallia irrita ſint matrimonia neſciis aut repugnantibus parentibus copulata?

R. Irrita eſſe quoad effectus civiles, non quoad

Digitized by Google

quoad rationem Sacramenti, neque quantum ad contractus naturalis substantiam, quæ proxima Sacramenti materia est: equidem Regum Christianissimorum edictis, invalida sæpe declarata sunt matrimonia a filiis familias invitis parentibus fœderata: verum invaliditas hæc effectus civiles non est prætergressa; nec ad Sacramentum usque, aut naturalem contractum pertigit, quæ duo intacta illibataque Reges æquissimi voluerunt.

Sic *Henricus* II Galliarum Rex edicto suo, an. 1556 publicato, art. 1 decrevit: *quod filii familias qui contraxerint, aut contraxerint in posterum matrimonia clandestina, invitis, aut insciis patre & matre, poterunt propter commissam hanc ingratitudinem, vituperium, & contemptum suorum dictorum parentum, transgressionem legis divinæ, & læsam honestatem publicam a suis respective parentibus exhæredari, & excludi ab eorum successione absque spe alicujus querelæ adversus hujusmodi exhæredationem recipiendæ: quin & liberum sit parentibus, revocare omnes & singulas donationes liberis suis factas: insuper liberi sic juncti matrimonio in casu hujusmodi exhæredationis declarantur incapaces omnium jurium & emolumentorum, vi matrimonialium contractuum & testamentorum, legumve aut consuetudinum municipalium beneficio, illis alias quærendorum.*

Statuit insuper, *ut liberi insciis aut invitis parentibus juncti, & quicumque operam aut consilium hujusmodi matrimoniis perficiendis præstiterint, subjiciantur pœnis arbitrariis, statuendis pro casus exigentia, per judices Regios, ad quos horum cognitionem pertinere vult, & quorum conscientiam onerat.*

Nihil hic, ut vides, est quod Sacramenti, contractusque substantiam tantillum attingat. Affero ejusdem rei convincens argumentum: an. 1629 cum Rex Christianissimus *Ludovicus* XIII constitutionem *Henricii II* de qua prædictum est, itemque alteram *Henrici III* Biesis an. 1579 editam, nova sanctione firmasset, clerus Gallicanus tum temporis Lutetiæ Parisiorum ad comitia congregatus, Regi justissimo super hac re libellum supplicem obtulit, his verbis conceptum: *Rex, humillime supplicatur, ut considerare non pigeat, quantum sit momentum in hoc articulo, qui eget expositione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima est, ut non aliter intelligantur hæ voces,* valide *aut* invalide *contracti matrimonii, quam per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti. Secunda, ut non adstringantur Ecclesiastici, ad judicandum secundum hujus edicti, simulque* Blesensis *articulos, sed juxta sacros canones & Ecclesiastica decreta, quæ sunt unica Regula & norma judicii Ecclesiasticorum: hi enim non possunt aut debent jurisdictionem quam a solo Deo collatam habent, circa res spirituales ab ipsis laicis mutuari: quapropter necesse est, ex isto articulo hæc verba resecare:* & obligabantur Ecclesiastici judices in causis istiusmodi matrimoniorum judicare ad hujus articuli normam.

Ad supplicem Cleri libellum a magno Regni Cancellario, aliisque sanctioris consilii officialibus, Regia auctoritate sic scripto responsum est: *commonitio cleri, quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta fuit: verba ista,* valide aut invalide contracta matrimonia, *non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem, per laicos judices; altera pariter difficultas justa & rationi congrua visa fuit.*

Constat ergo Regiis Galliarum edictis matrimonia filiorum familias invitis parentibus contracta, non in ratione contractus naturalis & Sacramenti, sed sola ratione contractus civilis, & effectuum ejus irrita fieri.

§. DECIMUS-QUARTUS.

De impedimento impotentiæ.

Impotentiam quæ concubitum & matrimonii officium impedit, si vera sit & perpetua, nuptiasque præcesserit, jure ipso naturæ esse impedimentum matrimonium dirimens, tum ratio convincit, tum jure civili canonico constitutum: quod enim substantiæ matrimonii penitus adversatur, illud sine dubio destruit; atqui impotentia vera, perpetua, & contractum nuptialem præcedens, substantiæ matrimonii penitus contraria est: non enim possunt fieri una caro, & duo in carne una, quorum alter ad officium conjugale absolute est impotens. Ergo &c.

Sequitur

CAPUT TERTIUM.

De impedimentis impedientibus.

IMpedimenta matrimonium prohibentia, etsi non dirimentia contractum, magno olim numero erant: omnia namque crimina publicæ pœnitentiæ subjecta, interdictum matrimonii inferebant pro eo saltem tempore quo pœnitentia agebatur: nec enim putabat Ecclesia, iis permittendas nuptiales delicias, quos fletibus & macerationibus in ultionem scelerum addicebat: hodie impedimenta ex criminibus oborta pene nulla supersunt, eaque tan-

tantummodo vigent, quæ hujus quæstionis initio recensuimus.

I.

Ecclesiæ vetitum.

Hoc nomine intelligitur, nubendi prohibitio a legitimo judice, servato juris ordine intimata: locum imprimis hæc prohibitio habet; quando de nupturientibus suspicio est, ne aliquod inter illos contrahendi matrimonii sit impedimentum: tunc enim ad Episcopum, Parochum aliumve judicem pertinet, nuptiarum dilationem decernere, donec excussa dubitatio fuerit: quod si superioris mandato posthabito, nuptias accelerare præsumpserint; graviter quidem peccabunt, sed non ideo matrimonium dissolvetur, nisi reperti fuerint aliquo impedimento dirimente obstricti: ita ab *Alexandro III* Pontifice Max. declaratum, l. 4 decretalium, tit. 16, *de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*: *licet enim*, (*inquit*, *de quadam puella scribens*, *quæ desponsata uni viro*, *nupserat alteri post prohibitionem Archiepiscopi Cantuariensis*) *licet contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit*; *non est tamen conveniens*, *ut ob id solum*, *Sacramentum conjugii dissolvatur*: *alia tamen pœnitentia eis debebit imponi*, *quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.*

I I.

Tempus feriatum.

Tempus *feriatum* sive *clausum* dies comprehendit pœnitentiæ & luctui consecratos: quemadmodum enim olim pœnitentes contrahere nuptias non permittebantur; ita nec licebat dies pœnitentiæ ab omnibus generaliter fidelibus observandos, nuptialium gaudiorum festivitatibus perturbare.

Quam antiquum illud impedimentum sit, Concilii Laodiceni (*sæc.* 5) demonstrat auctoritas: *non oportet*, inquit can. 52, *in quadragesima nuptias vel natalitia celebrare*: porro in hac re uti in cæteris, pro locorum temporumque diversitate, varia disciplina fuit: canon Laodicenus modo citatus nuptiarum celebrationem in sola quadragesima interdicit: e contra Concilium *Ilerdense* a Gratiano laudatum (*caus.* 33, *qu.* 4, *can.* 8) *non oportet*, inquit, *a septuagesima usque in octavas Paschæ*, *& tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Joannis Baptistæ*, *& ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit*, *separentur* . . . . ideo autem ibi tres ante S. Joannis Baptistæ festivitatem hebdomades, *feriato* sive *clauso* tempori accensentur, quia consuetudine apud Hispanos antiqua ætate recepta, Natalem Præcursoris diem quædam quadragesimæ species & jejuniorum observatio prævertebat.

Una eademque hodie in omnibus Latinæ Ecclesiæ partibus, circa hoc impedimentum disciplina servatur, ex quo a Concilio Trid. sic constitutum: (*Ses.* 24, *in decr. de ref. matr. cap.* 10) *ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque ad diem Epiphaniæ*, *& a feria* 4 *Cinerum*, *usque in octavam Paschatis inclusive*, *antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari*, *S. Synodus præcipit*: *in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit*, *quas Episcopi ut ea*, *qua decet modestia & honestate fiant curabunt*: *sancta enim res est matrimonium*, *& sancte tractandum.*

Rident hoc impedimentum hæretici, eamque ob rem Romanam Ecclesiam superstitionis accusant: verum hoc maledicendi pruritu, quid aliud nisi crassam antiquitatis inscitiam & sanctioris disciplinæ contemptum produnt? ab ipso enim 4 sæculo impedimentum hoc non in Occidente solo, sed & in Oriente nuptiis fuisse oppositum, can. Laodicenus demonstrat. Non ergo solam Romanam, sed universam Ecclesiam talis accusatio impedit. *Deinde* numquid pietati veræque Religioni dissentaneum videri potest, iis temporibus nuptias interdicere, quibus tenentur fideles ad Christi mysteria contemplanda totam aciem mentis & cordis intendere? *Quando novæ sponsæ traducuntur*, ait S. Thomas, (*in* 4 *sent. dist.* 32, *qu.* 1, *art.* 5) *animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur*: *& ideo in nuptiis consueverunt signa multa lætitiæ dissolutæ ostendi*: *& propter hoc illis temporibus*, *in quibus homines præcipue debent se ad spiritualia elevare*, *prohibitum est nuptias celebrari.*

Merito ergo in Concilio Trid. Lutheranorum damnata impietas: *si quis dixerit*, inquit, (*sess.* 24, *can.* 11) *prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus*, *superstitionem esse tyrannicam*, *ab ethnicorum superstitione profectam*, . . . *anathema sit.*

I I I.

Catechismus.

Varias inter cæremonias quæ baptismo solemniter conferendo præmittuntur, enumeratur *Catechismus*, sive instructio baptizandi, quæ præ foribus Ecclesiæ fit, antequam ad baptismum procedatur: quod si contigerit, infantem

Digitized by Google

fantem domi, propter imminens mortis periculum, baptizatum, deinceps ad Ecclesiam deferri ut baptismi solemnes cæremoniæ suppleantur; inter infantem ipsum, & eum a quo in catechismo suscipitur, spiritualis cognatio nascitur: affinitas hæc antiquo Ecclesiæ more impediebat matrimonium contrahendum, contractum non dirimebat: sunt qui velint impedimentum hoc etiam num perdurare: alii probabilius sentiunt, a Concilio Trid. esse sublatum: postquam enim sess. 24, in decreto de Ref. matrimonii, c. 2, declaravit, spiritualem cognationem contrahi tantum inter eos, qui baptizatum de sacro fonte suscipiunt, & baptizatum ipsum, illiusque patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem, statim subjicit: *omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*; atque ita a sacra Congregat. Concilii interprete responsum esse, graves Scriptores affirmant.

IV.

Sponsalia.

Sponsalia cum aliquo contracta, nisi ipso jure, aut Ecclesiastici judicis sententia resoluta sint; impedimentum afferunt matrimonio contrahendo, contractum tamen non dirimunt; quia, ut alibi dictum est, fortius est nuptiarum, quam sponsalium vinculum.

V.

Votum.

Ultimum hoc impedimentum de voto simplici Religionis & castitatis intelligi debet, quod nimirum in approbata Religione professio, vel sacri ordinis susceptio, per voluntariam sui ipsius traditionem a vovente factam solemne non reddidit: illud, inquam, votum impedit matrimonium contrahi, contractum non dirimit, ut sæpe est a Sum. Pontificibus declaratum.

Sequitur

CAPUT QUARTUM.

Utrum, & a quo, & quatenus possint nuptiarum impedimenta laxari?

QUæritur 1. Quid sit dispensatio super matrimonii impedimentis?

R. Esse relaxationem juris, ab eo factam penes quem potestas est, qua aliqui, non obstante impedimento, ex causa legitima, nubere permittuntur. Sic e. c. Petrus & Joanna, in quarto gradu consanguinei, a nuptiis contrahendis jure arceatur: at iidem tamen obtenta dispensatione legitime contrahunt.

Q. 2. Utrum omnia quæ recensuimus matrimonii impedimenta possint sine discrimine relaxari?

R. negative. Matrimonii enim impedimenta, alia jure ipso naturæ, alia jure divino positivo, alia jure Ecclesiastico, ut prædiximus, constituta sunt: porro Ecclesia in jus naturale & divinum potestatem non habet. Ergo nec potest ea impedimenta laxare, quæ jure naturali & divino præfixa sunt; sic quia *impotentia*, naturale impedimentum est nuptiarum, tam non potest Ecclesia Eunucho nubendi facultatem concedere, quam non potest ei virtutem generandi largiri: pariter quia simultaneæ polygamiæ indulgentia, jure divino in Evangelica lege sublata est, super hac dispensandi auctoritatem nullam Ecclesia habet: restat ergo ut ea tantum impedimenta laxare queat, quæ matrimonio ipsa apposuit.

Q. 3. Unde probetur posse Ecclesiam impedimenta a se constituta laxare?

R. Hoc inde probari, quia qui legem tulit, potest illam vel penitus abrogare, si expediens judicaverit, vel, circumstantiarum habita ratione, in quarumdam personarum gratiam justis de causis suspendere: quemadmodum ergo auctoritatem habet Ecclesia matrimonii impedimenta constituendi; ita dispensandi potestatem habere, dubium nullum est: *Si quis dixerit*, ajunt Patres Trid. (*Ses. 24, can. 3*) *eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant: anathema sit.*

Dispensationis modus, ait Paschalis II ineunte 12 sæculo Pontifex Max. (*Ep. 42 ad S. Anselmum Cantuariensem*) *sicut B. Cyrillus in Ep. Ephesinæ Synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuit: novimus SS. Patres nostros, & ipsos Apostolos pro temporum articulis, & qualitatibus personarum dispensationibus usos.*

Q. 4. Utrum quacumque de causa possint hæ dispensationes concedi?

R. Negative. Non enim dispensatio, sed derisio & dissipatio legis futura esset, si quocumque, quantumvis levi prætextu concederetur; itaque licitæ & inculpabilis dispensationis duæ duntaxat causæ censentur, necessitas, & notabilis utilitas: *ubi necessitas urget*, ait S. Bernardus (*de considerat. lib. 3; c. 10*) *excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat*,

tat, *dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Sicuti publice expedit, inquit Synodus Trid. (*sess.* 25, *in decr. de Ref. c.* 18) *legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire: quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos: quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita, ac summa maturitate atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio, surreptitia censeatur: & alibi*, (*Ses.* 24, *de Ref. matr. cap.* 5) *de matrimonio specialiter agens: in contrahendis matrimoniis*, ait, *vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro: idque ex causa, & gratis concedatur.*

Q. 5. Quandonam necessitas aut utilitas notabilis exigat dispensandi facilitatem?

R. A Theologis & Canonistis hos casus legitimæ dispensationis censeri.

1. Est, incompetentia dotis: 2 magnæ litis extinctio: 3 angustia loci, si nimirum incolæ pene omnes affinitate aut consanguinitate conjuncti sint: 4 sedatio discordiarum, sive præsentium, sive quæ prævidentur in posterum inter affines & consanguineos excitandæ, nisi iis per matrimonium occurratur: 5 conservatio pinguis patrimonii in eadem familia: 6 matrimonii male contracti diuturnitas: 7 copula cum consanguinea vel affine, modo non eo fine inita sit, ut facilius dispensatio obtineretur: 8 indotatæ puellæ conditio, vel ad pudicitiæ periculum, vel ad summæ egestatis discrimen adducens: 9 scandalum grave aut peccatum præcavendum: 10 excellentia meritorum.

In his, inquam, & similibus casibus conceditur dispensatio, nubendi intra prohibitos affinitatis aut consanguinitatis gradus.

Q. 6. Utrum dispensationum in causa matrimonii antiqua exempla sint?

R. Vel quæstio est de dispensatione super matrimonio jam contracto, vel super matrimonio contrahendo. Hoc posito,

Dico, Ecclesiam ab antiquo faciliorem fuisse in relaxandis impedimentis matrimonii jam contracti, quam matrimonii contrahendi: idque perquam merito: cum enim malum infracti canonis, præsertim in materia matrimonii, vix possit sine gravi scandalo sanari aut resarciri; hujusmodi infractores satius putavit Ecclesia indulgenter tolerare, quam inita perperam matrimonia rumpere, ne videlicet pax ipsa familiarum aut Rerumpublicarum, quæ maximum bonum est, disciplinæ rigore servato abrumperetur.

Verum circa matrimonia contrahenda, rarissima hujusmodi dispensationum, præsertim in gradibus affinitatis aut consanguinitatis, exempla occurrunt. In hac enim materia, uti & in cæteris, can. semel constitutos volebant majores nostri inviolabiliter observari, nec ab iis facile recedi patiebantur. Hinc pro summa & insolita gratia habita est dispensatio quam *Othoni* Imperatori concessit *Innocentius III*, cum *Philippi* decessoris sui filia, quarto consanguinitatis gradu sibi conjuncta nuptias ineundi. *Othonis IV, & Philippi pro Germanico Imperio horrenda bella quis ignorat?* ait Arnoldus Abbas in Chronico Sclavorum. *Post Philippi cædem lucidum erat Othonis jus: verum Philippi filia obviabat: hinc omnibus pacificandis, Othonis cum ista filia conjugium convenire censuerunt imperii proceres ac Episcopi, quin & ipsi Apostolicæ sedis Cardinales Legati: sed obstabat quartus consanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius imperialis Cleri & populi preces dispensavit laudatus Pontifex*, (*Innocentius III*) *ea tamen lege, ut duo amplissima monasteria Otho fundaret, omneque imperium largis eleemosynis & ferventibus orationibus istud Ecclesiæ disciplinæ vulnus compensaret.*

Quæritur 7. Cui competat auctoritas super impedimentis matrimonii dispensandi?

R. 1. Si de impedimentis dirimentibus agatur, *Regulariter* loquendo, potestatem hanc soli Sum. Pontifici convenire. Quamquam enim hoc nullibi legatur antiquis canonibus constitutum; usus tamen invaluit, & generali disciplina receptum, ut pro hujusmodi gratiis obtinendis solus Pontifex Max. adiri communiter deberet ac posset: & merito quidem, tum propter debitam Sedi Apostolicæ reverentiam, cui potissimum can. observatio & dispensatio divinitus est commissa; tum quia cum impedimenta matrimonium dirimentia, vel a Conciliis generalibus, vel a Sum. Pontificibus fuerint instituta: in quorum decreta potestatem non habent Episcopi; consequens fuit ut solis Sum. Pontificibus deberet eorum relaxatio Regulariter reservari.

R. 2. Ex speciali locorum consuetudine, aut indulto Apostolico nonnullos Episcopos sibi auctoritatem vindicare, super aliquibus impedimentis dirimentibus dispensandi; eaque aucto-

ritate, non inscio, nec improbante Pontifice Max. persæpe uti.

R. 3. Quandoque contingere ut Episcopi, etiam speciale privilegium non habentes dispensare legitime possint in impedimentis jure Canonico constitutis. Quando enim matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, bona fide, ex juris aut facti ignorantia contractum est, si occultum impedimentum sit, nec facilis sit ad Sedem Apostolicam aditus, propter conjugum paupertatem, locorum distantiam, aliasve similes causas; nec possent sine scandalo conjuges avelli, aut urget periculum Dei offendendi: tum sane posse Ordinarium quoad forum conscientiæ dispensare, Theologorum communis sententia est. Reservatio enim dispensationum, ad ordinem caritatis & bonum Ecclesiæ Regimen pertinet. Porro violaretur ordo caritatis, si in tali casu quo non possunt conjuges ad Sum. Pontificem recurrere, sine opportuno remedio relinquerentur. Credibile ergo non est, velle Sum. Pontificem impedimentorum relaxationem sibi soli in his angustiis, cum tanto animarum periculo reservari. Testatur *Zerola* (*1 par. verbo*, *dispensatio*) sibi in pari casu ab urbe Roma responsum, illius dispensationis potestatem esse penes ordinarium, quando sex circumstantiæ sequentes concurrunt. 1 Ut jam fuerit contractum matrimonium. 2 Ut ignoratum a contrahentibus fuerit, sibi aliquod impedimentum obstare. 3 ut matrimonium consummatum sit 4 ut impedimentum sit occultum. 5 ut partes sint adeo inopes, ut non possint ire aut mittere ad Papam aut legatum. 6 ut si fieret separatio scandalum verosimiliter oriretur.

R. 4. In impedimentis jam contracto matrimonio supervenientibus, qualis est e. c. affinitas ex incestu, aut spiritualis cognatio ex baptismo vel confirmatione proveniens, jure suo Episcopos, inconsulto Pontifice Max. dispensare: ita docent communiter Canonistæ.

R. 5. Posse pariter Episcopos in impedimentis non dirimentibus dispensare; solo voto castitatis perpetuæ, aut Religionis excepto. Hæc enim duo Sum. Pontifici tam stricte sunt reservata, ut nec in Jubilæis universalibus ab illis dispensandi facultatem alicui faciat.

Quæritur 8. Utrum cuicumque petenti debeant dispensationes super matrimonium contrahendo indiscriminatim concedi?

R. Negative: Concedi namque non debent, ut prædictum est, nisi vel propter urgentem necessitatem, vel propter summam utilitatem; atqui privatis quibuslibet talem gratiam fieri, plerumque nec urgens necessitas est, nec summa inde potest utilitas expectari. Habenda ergo personarum est ratio. Hinc Concilium Trid. (*sess.* 24, *in decr. de Ref. c.* 5) *in secundo gradu*, inquit, *numquam dispensetur*; *nisi inter magnos Principes*, *& ob publicam causam*.

Quæritur ultimo. Utrum valida dispensatio sit, falso prætextu extorta?

R. Ad hoc tantum valere, ut supplicantium animas oneret, & peccati gravissimi reas faciat. *Mendax enim peccator*, ait *Innocentius III* Pontifex Max. (*cap. super litteris*: *Extr. de Rescriptis*) *carere debet penitus impetratis*: „ Dispensationes quacumque auctoritate concedendæ, *ait Concilium Trid. sess.* 22, *de* „ *Ref.* c. 5, si extra Romanam curiam committendæ erunt, committantur ordinariis illorum, qui eas impetraverint; eæ vero quæ gratiose concedentur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem tamquam delegatis Apostolicis, summarie tantum & extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere. „

Quam impudenter, ait Coloniense Concilium, (*ann.* 1536) *plerique diplomatis ac dispensationibus apud Sedem Apostolicam extortis*, *præter Sum. Pontificis mentem*... *abutantur*, *nullus est qui ignoret*... *nemo sibi de dispensatione Apostolica blandiatur*, *cujus conscientiam divina sententia tenet alligatam*. *Sed quia pauci sunt*, *in quorum conspectu est Deus*, *plerique vero qui Sacra auctoritate*, *pro sua libidine passim abutuntur*: *fit ut Lugdunensis Concilii sub Gregorio X celebrati non insalubre Decretum adversus insolentiam ejuscemodi hominum in usum revocare cogamur*: *quo subnixi*, *cunctis qui talibus diplomatis sibi blandiuntur*, *necessitatem imponimus*, *litteras suas nobis exhibendi*, *visuris num vere impetraverint*, *aut recte impetratis utantur*.

De contractu matrimonii dictum satis.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER

LIBER DECIMUS

DE

SACRAMENTO MATRIMONII.

Restat ad coronidem ut dicamus de matrimonii Sacramento, quod uti & cætera divinæ gratiæ symbola novi hæretici despiciunt, atrociterque conculcant; supra cæteros vero Calvinus in *institutionibus* (*lib.* 4, *cap.* 19, §. 34) affirmans, non magis nuptiis rationem Sacramenti, quam agriculturæ, vel arti sutoriæ convenire: ita enim solet ritus Ecclesiæ sanctissimus sine pudore & reverentia deridere.

Igitur in præsenti demonstrandum, non modo in humanis civilibusque contractibus præcipuum nuptias habere locum; non tantum a Deo esse institutas, adeoque bonas; quod nobiscum contra Marcionitas & Manichæos Lutherani & Calvinistæ admittunt: verum etiam Sacramenti novæ legis honore a Christo esse donatas: quod ut exequamur, quæremus.

1. *Possit ne Matrimonio Sacramenti veritas vindicari?* 2 *Quis sit ejus minister necessarius & legitimus?* 3 *Quæ materia ejus & forma?* 4 *Quos sortiatur effectus?* 5 *Et ultimo, quibus debeat ritibus consecrari?*

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum possit matrimonio Sacramenti veritas asseri?

SAcramentum novæ legis est, *res sensibus subjecta, ex institutione Dei sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habens*: unde sequitur tribus potissimum debere conditionibus affici ac circumscribi; debere videlicet esse sensibus subjectum, divinitus institutum, & gratiæ efficax: de prima & secunda conditione controversia nulla est: ultro namque fatentur hæretici divinam de nuptiis esse sanctionem: concedunt pariter contractum matrimonii rem esse sensibilem: sed negant esse signum gratiæ, quod est in Sacramento præcipuum, quodque unum si desit, penitus corruit ratio Sacramenti.

Contra illos sit

§. PRIMUS.

Ostenditur matrimonium in Evangelica lege, gratiam ex opere operato producere: adeoque omnes veri Sacramenti conditiones habere.

Divinum illud est dogma, quod quisquis audet inficiari, hæreticus est: „ si quis dixerit, „ *ajunt Patres Trid.* (*sess.* 24, *can.* 1) matrimonium non esse vere & proprie unum „ ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a „ Christo Domino institutum; sed ab homini- „ bus in Ecclesia inventum; neque gratiam „ conferre: anathema sit. “

PROBATIO PRIMA.

Ex præscriptione.

Primum ex præscriptione petitur argumentum, quod est probationis genus contra hæreticos validissimum.

Longe antequam Lutherus & Calvinus adversum Ecclesiam rebellarent, pervulgatum erat atque testatum per omnes Orientis & Occidentis Ecclesias dogma quod modo defendimus: communis Græcorum passim & Latinorum confessio erat, nuptiarum ritu in Ecclesia consecrato gratiam dari; atqui quo primum tempore nata hæc doctrina sit, qua ætate inoleverit, qua ratione omnium animos occuparit, ab hæreticis præscribi non potest: ergo matrimonium in Evangelica lege esse signum efficax gratiæ, semper & ubique creditum est; ac proinde non potest hoc dogma non esse verum: nisi universam velimus errasse Ecclesiam, quod sine impietate dici non posset; cum insimulare erroris totam Ecclesiam, idem sit ac Ecclesiam tollere, ipsumque Deum mendacii accusare.

Singulas argumenti partes sigillatim demonstrare, operæ pretium est: prima propositio est bipartita: affirmat enim multo ante Lutheri ætatem dogma quod defendimus, tum in Occidente tum in Oriente, communi consensione receptum.

De Occidentali Ecclesia certa res est: nam 1. Concilium Trid. præter canonem modo

Digitized by Google

cit, in decreto de Sacramento matrimonii, sess. 24, sic statuit: „ cum matrimonium in „ lege Evangelica, veteribus connubiis per „ Christum gratia præstet; merito inter no„ væ legis Sacramenta annumerandum, Sancti „ Patres nostri, Concilia, & universalis Ec„ clesiæ traditio semper docuerunt. “

2. Ne vero putetur Patres Tridenti congregatos dogma novitium temerario approbasse, ut calumniantur hæretici: hoc ipsum concilii Florentini temporibus (*anno* 1439.) ab *Eugenio IV* Pontifice Max. definitum fuerat: decretum enim *pro inst. Armenorum*, matrimonium veris novæ legis Sacramentis accenset, de quibus ibidem pronunciatur, quod gratiam continent, & digne suscipientibus conferunt.

3. Concilium Constantiense ab an. 1414 ad an. 1418 habitum, pro certo & explorato principio posuit, septem esse Sacramenta, iisque proinde matrimonium accenseri: quando nimirum 8 *Joannis Hus* articulum sessione 15 proscripsit, quo asserebat, *sacerdotes quomodolibet criminose viventes, sacerdotii polluere potestatem, & sicut filios infideles sentire infideliter de Sacramentis Ecclesiæ*.

4. Idem confirmat constitutio *Martini V* Pontificis Max. quæ ad calcem Concilii Constantiensis habetur: hac enim præcipitur, ut si quis hæresis suspicionem incurrerit, interrogetur: *an credat quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, vel solemnizationis matrimonii peccet mortaliter?*

5. Idem evincit *Lucii* Papæ III auctoritas: vixit ille versus finem sæculi 12: decretum edidit, his verbis conceptum: (*extra: de hæreticis: cap. ad abolendam.*) „ universos qui „ de Sacramento Corporis & Sanguinis Chri„ sti, vel de baptismate, seu de peccatorum „ confessione, matrimonio, vel reliquis Ec„ clesiasticis Sacramentis, aliter sentire vel „ docere non metuunt, quam Romana Eccle„ sia prædicat & observat, vinculo perpetui „ anathematis innodamus. “

Ex his igitur momentis, aliisque quampluribus quæ brevitatis gratia reticemus, evidentissimum est, multo ante quam nascerentur Lutherus & Calvinus, fidem de Sacramento matrimonii in Latina Ecclesia viguisse.

Nec minus de Orientali Ecclesia certum est: nam

1. *Simeon* Thessalonicensis, qui paulo ante Concilium Florentinum vixit, libro *de initiat.* c. 33, *septem sunt*, inquit, *dona Sp. Sancti, ut dicit Isaias: septem quoque sunt Ecclesiæ Sacramenta, quæ per spiritum operantur, videlicet baptismus, chrisma, communio, ordinatio, nuptiæ, pœnitentia, & sanctum oleum*: ecce tibi testem veritatis, doctrinæ opinione & publica existimatione, nulli suæ ætatis secundum: quis vero credat Simeonem Sacramentis quæ per spiritum operantur nuptias annumeraturum, nisi communis hæc fuisset Orientalis Ecclesiæ fides? quis in animum inducat, errorem dissimulaturos cæteros qui eodem tempore in Oriente degebant, sive Episcopos, sive sacerdotes, si putavissent matrimonium per Sp. Sanctum gratiam non operari?

2. Vix resoluto Florentino Concilio, cui *Joannes Palæologus* Orientis Imperator, & *Josephus* Patriarcha Constantin. cum numeroso Græcorum Episcoporum comitatu interfuerant, publicavit *Eugenius* IV decretum pro inst. Armenorum, in quo, ut prædiximus, matrimonium inter vera legis Evangelicæ Sacramenta recensuit: porro nemo Græcorum qui hoc tempore adhuc in urbe Florentia aderant, intercessit, nemo oblocutus est: licet vero paulo post in suas quique reversi Ecclesias, concordiæ fœdus Florentiæ initum resciderint, multaque contra Concilium Florentinum & Romanam Ecclesiam scripserint, acerbitatis plena volumina; præsens tamen de quo agitur caput, non attigerunt: quorsum vero? nisi quia in admittendo septenario Sacramentorum numero Latinis consentiebant, & Ecclesiæ fidem in decreto Eugenii agnoscebant?

3. Sed esto quæstionem de Sacramentis, eorumque numero, aliis distenti difficultatibus eo tempore prætermiserint; at certe debuerant suam ab Ecclesia Romana in hac parte dissensionem tunc publice significare, quando ab iis quæsitum est, quoto numero crederent divina Sacramenta censeri: atqui de hac re Græci & Orientales interrogati, septem esse novæ legis Sacramenta, nominatimque nuptias sacro catalogo contineri, aperte & sine tergiversatione confessi sunt: nam versus finem sæculi 16, Wittembergenses Theologi, Lutherani scilicet, ut Orientalem Ecclesiam in suas partes pertraherent, Augustanam confessionem ad *Jeremiam* Patriarcham Constantinop. miserunt, omnique industria apud illum egerunt, ut doctrinæ novæ suum calculum adderet: male cessit VVittembergensibus astutum perniciosumque consilium: confessionem enim Lutheranam nedum probaverit; gravi censura confixit Constantinopolitanus Antistes: *Orthodoxi in Catholica Ecclesia Christiani*, inquit (*resp. Jerem. c.* 7) *Sacramenta seu cæremonias sacras numero septem admittunt, baptismum scilicet, unctionem divini chrismatis, divinam communionem, ordinationem, matrimonium, pœnitentiam, & oleum sanctum: quemadmodum septem sunt dona Sp. Sancti, ut*

ut dicit Isaias; ita septem Sacramenta a Sp. Sancto constituta ..... Sacramenta ideo dicuntur, quia sub externis sensibilibusque symbolis arcanum & spiritualem effectum continent.

Ita Jeremias, cujus magna in præsenti controversia auctoritas est; tum quia diligentissime doctrinam Lutheranorum expenderat; tum quia cum esset Patriarcha & caput Græcorum, censuram hanc nisi prius communicato cum sacerdotibus suis consilio non emisit.

4. A Jeremiæ temporibus ad nostram usque ætatem, eamdem doctrinam Græci & Orientales, data occasione qualibet confirmarunt: ita censuit *Gabriel* Philadelphiæ metropolita, in tractatu de Sacramentis Venetiis edito, an. 1600. Ita *Meletius Piga* Patriarcha Alexandrinus: ita *Coressius*, & *Gregorius* Protosyncellus, *Coressii* discipulus, in epitome divinorum mysteriorum, quam an. 1635 in lucem dedit: ita Synodus Constantinopolitana an. 1638 ad profligandos *Cyrilli Lucaris* errores coacta: fuit ille Constantinopolitanæ Ecclesiæ post Jeremiam, de quo paulo ante dictum est, Patriarcha, ejusdem sedis, non ejusdem doctrinæ Antistes: veritatem enim quam Jeremias contra Novitios Lutheranorum errores animose graviterque defenderat, turpiter prodidit, inito cum Lutheranorum pseudo-ministris secreto commercio: in hac, inquam, Synodo præter cæteros contra Cyrillum editos canones, de numero Sacramentorum sic legimus constitutum: *anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, & credenti non esse ex institutione Jesu Christi, Apostolorum traditione, praxique perpetua, septem Ecclesiæ Sacramenta, baptisma videlicet, chrisma, pænitentiam, Eucharistiam, sacerdotium, extremam unctionem, & matrimonium: sed falso asserenti duo tantum a Christo in Evangelio data esse aut instituta, baptismum & Eucharistiam.*

Nec putandum hujus Græcorum concilii levem aut parvi ponderis auctoritatem fuisse: ei siquidem *Cyrillus Beroensis Cyrilli* hæretici in patriarchatu Constantinop. successor, *Metrophanes* Patriarcha Alex. *Theophanes* Hierosolymitanus pariter Patriarcha, 21 diversarum provinciarum Episcopi, & plerique alii sacerdotes secundi gradus interfuerunt, unaque omnes sententia *Cyrilli* nefaria dogmata confixerunt.

Nec multo post, an. videlicet 1640, notetur altera Synodus *Jassi* in Moldavia congregata, ubi denuo proscripta Cyrilli confessio est, eo quod art. 15 sacerdotium, sanctum chrisma, extremam unctionem, confessionem, & honorabile conjugium rejecisset, quæ antiqua traditio, velut sacra Symbola, gratiam divinam in nobis efficientia commendavit.

Eidem doctrinæ suffragatus est *Meletius Syrigus* insignis ea ætate inter suos Theologus, qui Cyrilli pseudo-dogmata egregie confutavit.

Idem sancitum in altera Synodo Hierosolymis congregata versus finem sæculi 17, nostra nimirum ætate, præside *Dositheo* ejusdem Ecclesiæ Patriarcha: *credimus*, inquit, *septem in Ecclesia esse Evangelica Sacramenta, nec plura, nec pauciora: huncque numerum additione vel imminutione mutare, insanum hæreticæ pravitatis commentum esse asserimus.*

5. Denique eamdem esse Coptorum, Jacobitarum, Syrorum, aliorumque Orientalium fidem certo inde conficitur, quod ex omnium quæ ubivis asservantur eorum Euchologiis, sacerdos nubentibus assistens, eisque precum sacrarum fusione benedicens, identidem repetat, gratiam nubentibus, per hanc benedictionem infundi.

Certum itaque, omnique ex parte confectum est, quod primo loco suscepimus demonstrandum, multo antequam Lutherus & Calvinus exorti essent, dogma de matrimonii Sacramento, tum in Occidente tum in Oriente fuisse universali consensione receptum.

Venio nunc ad alteram *primi* argumenti propositionem his verbis conceptam; atqui quo primum tempore hoc dogma inventum fuerit, qua ætate inoleverit, quo sive casu sive artificio omnium animos occupaverit, præscribi ab hæreticis non potest: quam propositionem etsi in libris præcedentibus, cætera vindicando Sacramenta, sæpe demonstravimus, probare denuo opus est.

E duobus unum eligant adversarii: vel sibi credi volunt, contra communem gentium omnium opinionem, sine teste, sine judicio aliquid affirmantibus; vel hoc ipsum quod affirmant, possunt voluntque, uti par est, ratione & auctoritate adstruere: primum si postulant, hominum insulsissimos se se produnt, quod nemo præsumpsit unquam sibi temerario arrogantes: ecquis enim adeo fatuus vel aliquando fuit, vel aliquando futurus est, qui in quæstionibus sive dogmaticis sive historicis dissolvendis, sibi soli contra fidem omnium, sine instrumento, sine testimonio obloquenti credi voluerit? restat ergo ut alterum eligant, rei quam adeo præfidenter affirmant, argumenta proferendo.

Quam modo versamus quæstionem, tota historica est: nos Catholici dicimus matrimonium pro vero Sacramento ubique hodie (solis exceptis Lutheranis & Calvinistis) in Oriente & Occidente haberi, semperque habitum esse: in contrarium hæretici fatentur quidem opinionem hanc hodie inter Græcos & Latinos communem esse; sed volunt novellam esse:

se: fuit enim tempus, *aiunt*, quo matrimonium verum esse Sacramentum, in Ecclesia Christi nemo credebat; & etiam num antiqua fides subsisteret, nisi curiosorum ac superstitiosorum hominum adinventionibus foret dogma Catholicum abdicatum: ita equidem Lutherani; sed nisi quod affirmant probaverint, nihil consequentur: age ergo, edant, si possunt, qui tandem illi fuerint perversæ, ut dictitant, doctrinæ authores? quo nomine appellati? quibus terris oriundi? cujus instituti professores? qua demum auctoritate valentes, ut veram religionem exstirpare ubique & abolere in Oriente & Occidente potuerint? aperiant qui contigerit, ut tot inter qui ætate qualibet vixerunt verbi Divini præcones, & sanctorum dogmatum defensores, nec unus repertus fuerit, qui ausus sit errori gliscenti resistere? dicant qua incantatione contigerit, ut gentes tam dissitas, tam moribus discrepantes, tantis contra se invicem odiis exasperatas, novitius error tanta facilitate pervaserit? ipsi explicent qua via, quibus machinis aut præstigiis subversio illa tam generalis in omnibus catholicorum, schismaticorum, & hæreticorum sectis, nemine reclamante contigerit? numquid impetu subitaneo? numquid paulatim lentoque progressu? edisserant denique quo pacto potuerit populis superstitio nova persuaderi, ut crederent matrimonium esse Sacramentum, quod antea non credebant? est enim res communissima, matrimonium: si igitur putatum olim fuerit, nuptias nihil esse præter civilem & naturalem contractum; debuit persuasio hæc communis omnium esse, ne ipsis quidem exceptis de plebe infima mulierculis.

Atqui ad hæc nihil habent adversarii quod reponant: certum ergo constitutumque maneat, sententiam quam defendimus niti divina traditione, & matrimonium esse signum gratiæ efficax ex opere operato: *quod enim universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est*, ait S. Aug. sæpe laudatus, *non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*: & pari sensu Tertullianus: *quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Græcorum Euchologiis & ritualibus Latinorum.

Quid vero opus est hujus veritatis argumenta operosius quærere, præsertim cum ritualium omnium Græcorum, Orientalium & Latinorum consensio, ad obstruenda hæreticorum ora, & mendacium refellendum satis superque sufficiat?

1. Enim apud Græcos sacerdos sacro fungens ministerio, sic Deum precatur: *Benedic, Domine, præsentia tua invisibili, istud servorum tuorum matrimonium, da illis pacificam conversationem, vitæ diuturnitatem, temperantiam, caritatem mutuam &c. .... Benedictus es Domine Deus noster, qui matrimonium mysticum & immaculatum ordinasti, quemadmodum matrimonii corporei sanxisti legem, qui custos es incorruptibilitatis, bonorumque hujusmodi dispensator munificus .... mitte ergo nunc, Domine, gratiam tuam cœlestem super servos tuos: & da huic quidem puellæ, ut viro suo in omnibus subdita sit; & huic servo tuo, ut caput sit uxoris suæ, ut vitam ducant voluntati tuæ conformem: benedic eos, quomodo benedixisti Abraham & Sara: emitte Domine manum tuam de loco sancto tuo, & conjunge N. servam tuum, & N. servam tuam, quia per te uxor viro copulatur.*

His, aliisque finitis precibus, sacerdos utrique conjugi coronam imponens, sacram cæremoniam his verbis concludit: *coronatur servus Dei N. propter ancillam Dei N.* sive, quod idem est: *servus Dei N. ancillam Dei N. ducit in matrimonium.*

2. Idem præscribunt Ritualia Orientalium, in quibus hæc & similia leguntur: „ Domine, tu creasti Adam patrem nostrum, & „ constituisti eum super opera manuum tuarum: dedisti ei mulierem adjutorium simile „ sibi: benedixisti eis, & dixisti: *crescite & multiplicamini* ... dixisti in Evangelio tuo: „ *propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; &: *quod Deus conjunxit, homo non separet*: rogamus te, Domine, ut „ secundum multitudinem misericordiæ tuæ benedicas servis tuis N. N. qui veniunt in templum sanctum tuum, ut in caritate spirituali uniantur, & auxilio gratiæ tuæ nostrique ope ministerii corona nuptiali donentur: effunde super illos bona in omni vita „ sua, ut glorificent nomen Sanctum tuum „ &c. “

Deinde *ad sponsos sermonem dirigens sacerdos*: „ Impleat vos Deus, *inquit*, benedictionibus suis: det in cordibus vestris fidei firmitatem .... Dies vestros in felicitate & „ concordia transigatis. Descendant super vos „ benedictiones cœlestes .... det vobis Deus „ filios benedictionis & puritatis; ita ut ex „ eorum numero Sacerdotes, & ministri Sancti Altaris eligantur ... benedic illis Domine .... Confirma illos in spe, caritate, „ & fide, & in operibus justitiæ & filios benedicas „ ne-

Digitized by Google

„ nedictionis . . . Vere sponse animarum sanctarum, concede famulis tuis matrimonium obeuntibus, ut bonos mores virtutesque sectando, odorem suavitatis emittant; sit inter ipsos vera caritas, pax, concordia, tranquillitas, quam impetus passionum turbare non possint: corrobora illos, ut simul perfectam animæ & corporis custodiant castitatem. “

3. Plane similes in Latinis Ritualibus precum formulæ præscribuntur. Sic antiquum missale sub *Gelasii* Pontificis Max. nomine: *benedic*, inquit, *eis Domine*, *ut quod te auctore*, *jungitur*, *te auxiliante servetur: ut quod generatio ad mundi ediderit ornatum*, *Regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum*: *videant filios filiorum suorum*, *usque in tertiam & quartam progeniem*; *& te benedicant omnibus diebus vitæ suæ*.

„ Eodemque sensu in alio antiquissimæ ætatis Sacramentario: Benedicat & custodiat vos Deus Pater, ostendatque Dominus faciem suam vobis, & misereatur vestri. Convertat Dominus vultum suum ad vos, & det vobis pacem, impleatque vos Christus omni benedictione spirituali, in remissionem peccatorum, ut habeatis vitam æternam. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, ipse vos conjungat, impleatque benedictionem suam in vobis. “

Hinc sic informatur argumentum. Ritus ille novum est Legis Evangelicæ Sacramentum, cui gratiæ producendæ virtus est divinitus attributa; atqui ad sensum ritualium omnium gratiæ producendæ vis, Ritui matrimonii quod Ecclesia conciliat, creditur attributa. Est itaque legis novæ Sacramentum.

PROBATIO TERTIA.

Ex traditione.

Accedit perpetua Ecclesiæ traditio, quam patres luculentissimis testimoniis attestantur. *Tertullianus* (*l.* 2 *ad Uxor.*) „ Unde sufficiamus, *inquit*, ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet? . . . “ Frustra porro felicitatem matrimonii ex Ecclesiæ benedictione repeteret, nisi Sacramentum esse putaret.

Siricius Pontifex Max. matrimonium rebus Sacris, sive signis gratiæ efficacibus annumerat, declarando sacrilegii reum esse, qui priore uxore relicta novum matrimonium contrahit. *Hoc*, inquit, (*Ep.* 1, *cap.* 4) *ne fiat*, *omnibus modis inhibemus*, *quia illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit*, *apud fideles cujusdam sacrilegii instar est*, *si ulla transgressione violetur*.

Innocentius I: „ statuimus, *inquit*, (*Ep.* 9) fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum; conventumque secundæ mulieris priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum. “ Quid vero aliud est matrimonium gratia divina fundatum, nisi signum gratiæ efficax?

S. Cyrillus Alex. (*l.* 2 *in Joann. c.* 22) docet Christum cum adfuit nuptiis in cana celebratis sanctificasse conjugium, & gratiam nuptiis præparasse, ut aditus hominum in hanc vitam benedicerentur.

S. Epiphanius. „ Quomodo, *inquit*, (*Her.* 67) non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes Regnum cœlorum; cum vocatus sit Salvator ipse ad nuptias, ut nuptiis benediceret. “.

S. Aug. (*de fide & oper. c.* 7) „ in civitate Dei nostri, *ait*, in monte sancto ejus, hoc est Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere. “

Et alibi: (*de bono conjugali c.* 18, *&* 24) „ in nostrorum nuptiis, *inquit*, plus valet sanctitas matrimonii, quam fœcunditas uteri... Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est, etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit. “

S. Leo: (*Ep.* 92 *ad Rusticum Narbonensem*.) „ Cum societas nuptiarum, *ait*, ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem, habeat in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum; dubium non est, cam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. “

Sæculo 13, ad an. 1274 celebratum est II Concilium Lugdunense, Præside *Gregorio* X Pontifice Max. Ad magnam Synodum convenerunt, præter Patriarchas Constantinopol. & Antiochenum, Episcopi 500, Abbates & inferiores Prælati magno numero. Sessione IV lectæ sunt *Michaelis Palæologi* Græcorum Imperatoris Litteræ, in quibus præter cæteros fidei articulos, de Sacramentis sic legebatur: „ Tenet etiam & docet eadem Sancta Romana Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta. Unum est baptisma . . . Aliud est matrimonium &c. in supra scripta fidei ve-

„ veritate, veram, Sanctam, Catholicam & „ Orthodoxam fidem cognoscimus & acceptamus & ore ac corde confitemur, quod vere tenet, & fideliter docet & prædicat S. Romana Ecclesia."

Huc redeunt omnia quæ in prima ac secunda probatione attulimus tum Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, tum ritualium omnium Græcorum ac Latinorum testimonia.

Jam sic contraho argumentum: illud est fide tenendum, quod a primis temporibus ad nostram usque ætatem Ecclesia docuit, velut ab Apostolis, ipsoque Christo acceptum; atqui matrimonium esse Sacramentum proprie dictum, sive signum gratiæ efficax, a primis temporibus Ecclesia docuit, velut dogma a Christo præscriptum, & ab Apostolis promulgatum: ergo &c.

§. SECUNDUS.

Diluuntur Hæreticorum objectiones.

Opponunt: dogma illud ad fidem non pertinet, quod scripturarum auctoritate defendi nequit; atqui matrimonium esse verum & proprie dictum legis novæ Sacramentum, nullo potest Scripturarum testimonio adstrui: ergo &c.

Refutatur quorumdam ad hoc argumentum Responsio.

Sunt qui contendunt, de qua agitur, veritatem expresse in Sacris Litteris contineri: unde negant minorem propositionem syllogismi, in sui defensionem afferendo testimonia quæ sequuntur.

1. Est, ad Ephesios c. 5, v. 32. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

2. Mathæi 19, 6: *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

3. 1 Tim. 2, 15: *Salvabitur* (mulier) *per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.*

4. 1 Cor. 7, 7: *volo vos omnes esse sicut me ipsum* (a mulieribus continentes:) *sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic.*

Verum, ut ingenue fatear, hæc & similia testimonia, quæ vulgo afferri solent, fidem quidem juvare possunt, & rem de qua agitur aliquatenus suadere, persuadere non possunt, neque præstare hanc firmitatem quæ necessaria est ad dogma fidei adstruendum: quod ut sigillatim ostendam:

Primum, ex Ep. ad Ephesios: *Sacramentum hoc magnum est, &c.* hoc unum docet, matrimonium, ex quo institutum est, fuisse Sacramentum, sive mysterium, unionem Christi cum Ecclesia speculative, ut loquuntur, significans: hoc enim Apostoli effatum, tum ad statum innocentiæ pertinet, tum ad statum naturæ lapsæ, etiam ante Christi adventum; atqui nec in statu innocentiæ, nec in statu naturæ lapsæ, antequam Christus venisset, matrimonium fuit signum practicum gratiæ. Ergo hoc Testimonio uti efficaciter in præsenti disputatione non possumus.

Secundum vero: *quod Deus conjunxit, homo non separet*: in Adamo innocente, & in homine lapso, ante Messiæ adventum certissime locum habuit; cum matrimonium institutione sua indissolubile sit. Ergo per illud minime significatur, gratiæ efficaciam matrimonio esse conjunctam.

Tertium pariter insufficiens est: quod enim dicitur, *salvandam mulierem per filiorum generationem*, generale est, & de quolibet hominis officio dici potest. Nam & agricola salvatur per opus suum bene & pie factum; & Doctor per doctrinam suam; & dives per eleemosynam; & judex per æquitatem &c. quod igitur Apostolus mulieri fidem, sobrietatem, & caritatem sectanti, æternam salutem promittat; hinc minime sequitur matrimonium esse Sacramentum & gratiæ efficax.

Quartum denique qua ratione significet matrimonium esse legis Evangelicæ Sacramentum, prorsus non apparet: si enim ex eo quod Apostolus castitatem conjugalem, donum Dei esse dicat, matrimonium esse Sacramentum infertur; quid obstat quominus id ipsum de virginitate dicatur, quam pariter eodem loci, donum Dei esse affirmat? immo eo magis virginitas eo titulo digna erit, quo in comparatione castitatis conjugalis excellentius Dei donum est.

Igitur ex iis aliisque similibus Scripturæ sententiis confici certo non potest, matrimonium Sacramentorum numero comprehendi: quamquam enim Apostolus forte ad gratiam Sacramenti respexerit; fatendum tamen hanc veritatem ex ejus verbis erui certo non posse: unde nec Concilium Trid. in doctrina de Sacramento matrimonii, nec catechismus *ad Parochos* ad mentem ejusdem Concilii editus, ejusmodi probatione utendum putarunt.

Digitized by Google

Affertur vera ad Argumentum responsio.

℟. Itaque negando majorem: ut enim aliquod dogma ad fidem pertineat, satis est quod in verbo Dei contineatur; atqui matrimonium esse Sacramentum novæ legis, veritas est in verbo Dei expressa: verbum enim Dei, ut sæpius diximus, aliud est scriptum, aliud traditum: utriusque par & indefectibilis veritas; atqui licet in verbo Dei scripto conceptis terminis non legatur matrimonium esse Sacramentum, verbo ejus tradito affirmatur. Ergo &c.

Inst. 1. Atqui non magis ex traditione quam ex Scriptura probari potest matrimonium esse Sacramentum. Ergo &c. prob. subseq. Testes traditionis vel ex Græca & Orientali, vel ex Latina Ecclesia allegantur: atqui nulla ex parte occurrit aliquod testimonium, quo matrimonium, Sacramentum legis Evangelicæ affirmetur. Ergo &c.

℟. nego subs. ad probat. concessa maj. n. min. Qui enim affirmant per matrimonium, non secus ac per baptismum, chrisma, & alia sacra symbola gratiam digne suscipientibus conferri, ii sane sentiunt matrimonium ex traditione divina esse Sacramentum; atqui ita Græci omnes atque Latini testantur, idemque tenuerunt longe ante quam Lutherus & Calvinus in perniciem Ecclesiæ nati essent. Ergo &c.

Inst. 2. probando minor. Quantum ad primam partem: ideo affirmamus matrimonium esse signum gratiæ efficax, sive Sacramentum proprie dictum; quia Græci dicunt nuptias divinum esse mysterium; atqui hæc ratio nulla est: vox enim Græca *μυστήριον*, non idem significat quod Latini nomine Sacramenti intelligunt, sed illud omne quod arcanum & sacrum quacumque de causa est: porro matrimonium etsi nullam gratiam conferat, rem tamen arcanam & sacram significat, Christi videlicet cum Ecclesia unionem: ergo ad probandum matrimonium esse Sacramentum proprie dictum, frustra Græcorum testimonia congeruntur.

R. dist. maj. ideo affirmamus matrimonium esse Sacramentum, quia a Græcis annumeratur divinis mysteriis, *gratiam efficaciter operantibus*, conc. præcise quia dicitur *divinum mysterium* esse, n. maj. distinguo pariter min. quod aliquid *generali significatione* mysterium appelletur, non sequitur quod sit Sacramentum, conc. si dicatur mysterium *gratiæ efficax*, n. min. & conseq.

E. D. Si Græci hoc unum affirmarent, matrimonium esse mysterium, nec plus aliquid dicerent, equidem certo idem non probaretur esse Sacramentum proprie dictum, quia vox *μυστήριον*, ut bene in objectione notatum est, latissimam significationem habet: verum ita dicunt divinum esse mysterium; ut etiam signum esse affirment, gratiæ efficax, divinitus impressa virtute: uno verbo, quemadmodum Græci baptismum, Eucharistiam &c. mysteria divina appellant; ita dicunt matrimonium mysterium esse: *septem sunt*, inquit Simeon Thessalonicensis supra laudatus, *Ecclesiæ mysteria, quæ per Spiritum operantur: mysteria ideo dicuntur*, ait Jeremias Patriarcha Constantinopol. *quia sub externis sensibilibusque symbolis, arcanum & spiritualem effectum continent*. Idemque passim Græci alii attestantur.

At, inquiunt, vox Græca *μυστήριον*, latissimam significationem habet; cum de re qualibet arcana & sacra dicatur: ita sane; sed quid inde? eadem enim vocis latinæ (Sacramentum) conditio est, quæ res omnino dissimiles comprehendit, ut multis scripturæ exemplis ostendi potest: sic Tobiæ 12, 7: *Sacramentum regis abscondere bonum est*: Sapientiæ 2, 22: *nescierunt Sacramenta Dei*: Danielis 2, 30: *Sacramentum hoc revelatum est*: ad Ephesios 1, 9: *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*: Apoc. 1, 20: *Sacramentum septem stellarum*: ib. 17, 7: *ego dicam tibi Sacramentum mulieris*: quemadmodum igitur ridiculum se præberet qui probare vellet matrimonium in Latina Ecclesia non esse proprie Sacramentum, quia vox Latina non solum signa gratiæ efficacia, sed & rem quamlibet arcanam ex usu significat; in idem pariter vitium Lutherani incurrunt, quorum ineptas cavillationes puderet refellere, nisi eas summa ostentatione jactarent.

Inst. 3. Atqui etsi mysteriis sive Sacramentis proprie dictis matrimonium a Græcis videatur annumerari, hinc minime sequitur quod sit signum gratiæ efficax: ergo &c.

Prob. subs. professio monastica a viris inter Græcos præcellentissimis in mysteriorum numero ponitur: sic inter cæteros magnus ille *Dionysius* Areopagita, postquam quatuor mysteria numeravit (*lib. de Eccl. Hierarch.*) baptismum, confirmationem, Eucharistiam, & ordinem, iis accenset *monasticam consecrationem, & ea quæ erga defunctos peragi solent*: eaque duo non secus ac quatuor præcedentia, *mysteria* nominat.

Hancque revera Dionysii mentem fuisse, colligitur ex *Theodori Studitæ* Ep. ad *Gregorium* filium, ubi, „ Monachorum habitus, „ *inquit*, virginitatis est professio, myste- „ rium-

„ riumque monasticæ perfectionis, secundum „ vocem divini & doctissimi Dionysii. Quod „ vero nonnulli dicunt: undenam traditum „ est, abrenunciare sæculo, & fieri monachum? nihil aliud est, quam: undenam „ traditum est, fieri aliquem Christianum? „ qui enim primum instituit, tradidit & secundum; sex Sacramenta exponens; primum illuminationis, secundum communionis, tertium consecrationis unguenti, quartum Sacrorum ordinum, quintum monasticæ professionis, sextum eorum qui sancte „ obierunt: quid igitur dicendum est? Eum „ nimirum qui de uno dubitat, de aliis quoque dubitare, utrum divinitus tradita sint; „ & unius obliteratione necessario reliqua obliterari: & sic neque illuminationem, neque communionem, neque divinum unguentum, neque Sacerdotalem consecrationem „ constare posse, si non adsit Monastica professio."

Inde sic eruunt argumentum.

Non magis matrimonium Sacramentum dici potest, sive signum gratiæ efficax, tametsi a Græcis in mysteriorum numero reponatur, quam monastica professio, in eadem serie collocata: atqui ad monasticam professionem Sacramenti titulo decorandam nemo Dionysii, Theodori, & aliorum ejusdem opinionis auctoritate movebitur. Ergo idem de matrimonio est dicendum.

℟. Nego subs. ad probationem

1. Nego suppositum, nego, inquam, id quod in argumento quasi certum ponitur, librum *de Eccles. Hierarchia* verum esse Dionysii Areopagitæ fœtum. Quam opinionem multis possemus momentis refellere, si hujus loci hæc quæstio foret: legi de hac re poterunt ætatis nostræ critici, qui libros Dionysio Areopagitæ attributos, eo authore, & primorum Ecclesiæ temporum simplicitate indignos multis modis demonstrarunt. Ruit ergo vis argumenti, quod Dionysii auctoritate potissimum nitebatur.

2. Nego maj. matrimonium enim credimus esse signum gratiæ efficax, quia dogma illud ab antiquis patribus, a Conciliis Œcumenicis, & omnium Ecclesiarum consensione accepimus; quia in hanc confessionem nobiscum Græci omnes & Orientales conspirant, quam unanimem cum Ecclesia Latina consensionem, non vis aliqua, cum extra imperium nostrum sint; non Reverentia Romanæ Ecclesiæ, quam summopere oderunt atque despiciunt, sed solum veritatis robur extorsit. Professionem vero monasticam, etsi aliqui ita senserint, negamus signum esse gratiæ efficax; quia peculiaris quorumdam opinio, vocem & sensum Ecclesiæ repræsentare non potest. In adstruendis fidei dogmatibus, ut bene sapienterque admonet *Vincentius Lirin.* (*commonit. c.* 3) sequi debemus universitatem, antiquitatem, consensionem. Iis innixi regulis monasticam professionem numero Sacramentorum excludimus; quia huic opinioni nec universitas, nec antiquitas, nec consensio suffragatur. Quod autem dictum de Monastico habitu, de cæremoniis erga mortuos observari solitis pariter intelligi volumus.

Inst. 4. Librum *de Eccles. Hierarchia*, genuinum S. Dionysii Areopagitæ fœtum esse, mordicus Græci & Orientales contendunt; adeoque volunt Apostolica ipsa ætate descriptum esse. Sed esto Dionysio falso suppositus sit; negari certe non potest, magna antiquitate vigere. Constat enim, an. 533 opus illud in solemni quadam collatione, Catholicos inter & Hæreticos Constantinopoli habita, velut publicæ traditionis monumentum fuisse citatum. Inde sic inferunt argumentum:

Non potest illa sententia antiquitate defendi, quæ nondum 6 sæculo obtinebat; atqui sententia asserens matrimonium esse signum gratiæ efficax, 6 sæculo incognita erat; cum de illa nec verbum faciat liber de Ecclesiastica Hierarchia, illa ætate omnium applausu receptus: ergo &c.

℟. 1. Fateor librum de Eccles. Hierarchia magnam antiquitatem habere, & 6 ad minus sæculo exaratum. Sed nego ea antiquitate gaudere, quæ Apostolicis temporibus adæquetur. Nam si revera Dionysii opus esset, a patribus 1, 2, 3, 4, & 5 sæculi, alicubi laudatum reperiretur. Atqui de illo ad 6 usque sæculum penitus silent Scriptores Ecclesiastici; ergo &c.

2. Ad argumentum concessa maj. n. min. quæ enim hæc est species argumenti? liber de Ecclesiastica Hierarchia, sæculo 6 laudatus, matrimonium Sacramentis Ecclesiæ non accenset. Ergo sæculo 6 nondum erat hoc dogma receptum. Nam si legitima hæc illatio sit, hoc erit omne negandum, quod tacuit Ecclesiasticæ Hierarchiæ liber; atque adeo mirum in modum symbolum fidei nostræ arctatur.

At, *inquiunt*, nemo Dionysio contradixit, nemo illum imperitiæ accusavit, quod Ecclesiæ Sacramenta recensendo, matrimonium prætermiserit: bona verba! nemo contradixit, quia nemini in mentem venit, quia de Sacramentorum numero lis nulla hoc tempore fuit; quia nemo judicavit privati hominis sententiam, Universalis Ecclesiæ fidei detrimentum aliquod illaturam; & quia denique Græci facile intellexerunt, scriptorem libri *de Eccles. Hierarchia*, non omnia Sacramenta, sed ea quæ ad fun-

functiones Hierarchicas præcipue pertinent, tractatu suo complexum esse: uno verbo nihili est argumentum petitum ex alicujus scriptoris silentio, præsertim si universalis Ecclesiæ voce dogma aliquod defendatur; atqui matrimonium esse Sacramentum, palam & aperte prædicat Ecclesiæ vox, in Euchologiis omnibus & Ritualibus resonans, quorum eo authoritas major est, quod librum de Ecclesiastica Hierarchia antiquitate præcedant: prædicant Græci omnes & Orientales ætatis recentioris, qui a pristina sententia nedum abduci potuerint artificio Lutheranorum, publice e contra testati sunt, septem se Sacramenta ab ipsis Ecclesiæ primordiis custodire, & in hoc numero nuptias collocari. Cujus argumenti vim nisi Lutherani & Calvinistæ evertant, poterunt quidem plebem imperitam deludere; at sapientes & cordatos veritatis sectatores sibi conciliare non poterunt.

Instab. 5. Atqui conjecturis gravissimis expugnari potest argumentum a Catholicis ex præscriptione petitum: ergo &c.

Prob. subs. multis modis.

1. *Inquiunt*, sæculo 13 quando Constantinopoli Latini dominabantur, magnam suorum rituum partem, in Græcorum Ecclesiam invexerunt. Fieri ergo potuit, ut Græci antiqua fide abdicata, matrimonium cœperint Sacramentis Ecclesiæ accensere.

2. Conjecturæ vim auget, quod Græci hodierni, demptis baptismo & Eucharistia, negant Sacramenta divinam institutionem habere: quam sententiam *Jeremias* ipse Constantinopolitanus tenuit. Censent igitur matrimonii Sacramentum canone tantum Ecclesiastico institutum, atque adeo non esse verum legis Evangelicæ Sacramentum.

3. Communis fuit non ita pridem scholasticorum in Latina Ecclesia persuasio, Græcos matrimonium Sacramenti loco non habere.

4. Demum Ritus quo apud Græcos matrimonium celebratur, cum meris precationibus & Benedictionibus impleatur, neque formam habeat, ut in scholis loqui solent, absolutam seu indicativam: hoc unum videtur sufficere ad probandum, nuptias in Oriente, albo Sacramentorum excludi: ergo conjecturis minime levibus expugnatur argumentum præscriptionis quod tanto verborum strepitu venditant.

℞. Nego subsumptum, & adjuncta argumenta sigillatim diluo.

Ad 1. Nego ant. nego, inquam, Latinos quo tempore Constantinopoli tenebant imperium, ritus suos in Græcorum Ecclesiam invexisse: numquam enim majoribus odiis Latinos sunt insectati: quì vero fieri potuisset, ut ab iis novam Religionem, & hactenus incognita sibi Sacramenta susciperent, quos velut hæreticos & Dei hostes execrabantur?

Deinde, si hæc tum temporis mutatio contigisset, factum adeo memorabile minime prætermisissent illius ætatis historici: atqui ne unum quidem Lutherani & Calvinistæ scriptorem laudare hactenus potuerunt, qui sic suspicandi occasionem scriptis suis dederit.

Præterea, si Latini Ritus suos in Græcam Ecclesiam introduxissent, summa foret orientis & occidentis in ritibus sacris consensio & æqualitas: atqui Græci in administrandis Sacramentis ritus observant nostris dissimillimos: quo factum est, ut Latini Theologi orientalis disciplinæ plerumque rudes & imperiti, Græcos violatæ fidei sæpe accusaverint, quasi Evangelica Sacramenta contaminassent.

Denique, non Constantinopoli solum, sed quam late patet oriens, & in dissitissimis Regionibus, omnes ubivis sint sectæ Christianorum, nuptias pro vero Sacramento habent, ut ex omnibus generatim Euchologiis manifestum est: numquid vero asserere audebunt adversarii, opinionem hanc in his gentibus Tyrannide Latinorum esse acceptam? ergo orientalium omnium tam plena nobiscum consensio, non, ut gratis fingunt, a sæculo decimo-tertio, sed ab ipsis Apostolicis temporibus originem habet.

Ad 2. nego ant. cujus falsitatem evincunt prolata superius Græcorum testimonia: docet quidem Jeremias Patriarcha baptismum & divinam communionem reliquis Sacramenti præcellere, cætera vero Ecclesiam tradidisse: verum traditionem hanc non humanam, sed divinam esse contendit: qui enim affirmat septem novæ legis Sacramenta Spiritum Sanctum habere authorem, & spiritualem in se continere effectum, procul dubio matrimonii institutionem non hominibus, sed Christo acceptam refert: atqui ita sentit & asserit Jeremias: ergo &c.

Quam vero constans firmaque fuerit hæc Græcorum persuasio, vel hinc facile probatur quod *Simeon* Thessalonicensis libro *de initiatis*, c. 43, ut ostendat Christum omnia Sacramenta instituisse, multis modis adstruere nititur, salvatorem omnia in se suscepisse Sacramenta, id est tinctum fuisse aqua baptismali, confirmatum &c. quo vitio laborat aliquatenus *Gabriel* Philadelphiensis, eadem a *Simeone* mutuatus: quæ quidem etsi falsa opinio sit, convincit tamen, ex Græcorum sententia, Christum omnium Sacramentorum esse authorem.

Ad 3. Distinguo anteced. communis non ita pridem fuit Theologorum in Latina Ecclesia opinio, Græcos matrimonium pro vero Sacramento non habere, communis, inquam, *&*

falsa, concedo: communis *& vera*, nego ant. & conseq.

E. ℞. Scholasticorum magna pars, cum antiquam perscrutari disciplinam negligerent, varias sacramentorum definitiones pro arbitrio confinxerunt, primitivis ritibus minime consentientes: quo factum est, ut cum arbitrarias hujusmodi definitiones, non possent cum Ritu Græcorum conciliare, audacter pronuntiaverint, Græcos veris Sacramentis, nominatimque nuptiarum carere mysterio: longe vero aliter melioribus Theologis visum est, qui merito judicarunt, non ex definitionibus recens excogitatis, Sacramenta; sed ex antiquis ritibus novellas definitiones, bonæ an malæ forent, dijudicandas: ad quam Regulam si, uti par erat, attendissent scholarum Theologi, non adeo fuissent ad Græcos accusandos præcipites, neque eos temere in multis reprehendissent, quæ penitus culpa vacant.

Ad 4. Dato ant. quod scilicet apud Græcos Ritus matrimonii benedictionibus & piis precationibus absolvatur, nego hinc sequi Sacramentum omnino non esse: si enim tali judicio acquiescimus, dicendum pariter erit, nuptias in Latina olim Ecclesia locum inter Sacramenta non reperisse: antiqua enim Ritualia in matrimonii officio celebrando, præter preces nihil exhibent, quæ sub his fere titulis continentur: *Benedictio nuptialis*, *ordo ad sponsum & sponsam benedicendam*: *benedictio super sponsum & sponsam*: *benedictio nubentium*: *officium in benedictione sponsi & sponsæ*: hinc a Siricio Pontifice Max. dictum, loco superius citato: *Benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur*. Itaque quod Sacramentum matrimonii juxta hodiernam occidentalis Ecclesiæ disciplinam, verbis, ut loquuntur, absolutis administretur, minime hinc sequitur Græcos matrimonium in Evangelicis Sacramentis non numerare: de hac re recurret inferius sermo, ubi de matrimonii forma dicetur.

Inst. 6. Probando min. superioris argumenti, scilicet ex occidentali Ecclesia testimonia proferri non posse, unde constet doctrinam, quam defendimus, ad Traditionem pertinere.

Si Traditionis dogma sit, inquiunt, matrimonium esse Sacramentum, qui fieri potuit, ut ab antiqua fide in re adeo facili deflexerint multi inter Latinos magni nominis doctores? Nam

1. *Magister sentent.* vim gratiæ producendæ videtur matrimonio denegasse: libro enim quarto statim ab initio Sacramenta ita distinguit, ut quædam velit remedium contra peccatum, simulque gratiam adjutricem conferre, quædam vero præbere gratiam & virtutem, quædam denique remedium contra peccatum afferre: in 1 ordine, baptismum; in 2 Eucharistiam; in 3 matrimonium collocat: adimit ergo matrimonio vim gratiæ producendæ.

2. *Durandus* a S. Porciano, magnæ vir existimationis, statuit (*in* 4, *dist.* 26, *quæst.* 3) de matrimonio duo esse fide tenenda: primum est, matrimonium rem esse bonam & licitam: *unde*, inquit, *qui nuptiis detrahunt, censentur Hæretici*. Secundum est, matrimonium esse Sacramentum, eo modo quo rei sacræ signum dicitur Sacramentum: *unde*, ait, *oppositum dicere, similiter est hæreticum. Verum*, subdit, *præter duo prædicta, sunt alia duo circa quæ sine periculo hæresis, licitum est contraria opinari; quorum unum est Theologicum, scilicet utrum in matrimonio conferatur gratia ex opere operato, sicut in aliis Sacramentis novæ legis? secundum est logicum, videlicet utrum matrimonium habeat plenam invocationem cum aliis Sacramentis?* . . . qua semel facta distinctione, ultro eorum opinionem amplectitur, qui volunt matrimonium largo tantum modo esse Sacramentum, seu signum rei sacræ, non autem stricte & proprie.

3. Juris canonici doctores quorum non spernenda auctoritas, volunt quidem matrimonium naturalem & civilem esse contractum, divina auctoritate fundatum: de efficientia vero gratiæ vel altum silent, vel contra communem Romanæ Ecclesiæ doctrinam sentiunt.

4. Sed esto in quæstione quæ Theologorum propria est, venialiter cæspitaverint canonistæ; non idem dicere possumus de S. Bonaventura, Scoto, ipsoque S. Thoma Theologorum facile principe: illi vero equidem catholicum dogma defendunt: sed quibus tandem argumentis? nimirum, probabilibus, ex ratione magis, quam ex auctoritate deductis: nam nec ad universalis Ecclesiæ sensum, neque ad traditionis, neque ad Ritualium auctoritatem recurrunt, sed solam philosophiam ad sui præsidium invocant, hocque solo munimine suam sententiam vallant, ut credere videantur, quæstionem hanc de earum numero esse, quæ possunt in utramque partem salva fidei integritate resolvi: indeque est, quod S. Thomas probabilius eos sentire dicit, (*suppl. qu.* 42, *art.* 3) qui putant per matrimonii Sacramentum gratiam dari: igitur a primo ad ultimum consequens est, ex Occidentalis Ecclesiæ traditione erui argumenta non posse, quibus matrimonio Sacramenti proprie dicti virtus & dignitas asseratur.

R. Generatim ad argumentum, variis fluctuantium Theologorum opinionibus incertum fieri non posse quod certum est: cum igitur

ma-

Digitized by Google

matrimonium esse signum gratiæ efficax, apertissime traditio, & omnium ætatum geutiumque consensio doceat; paucorum dubitatio veritati nequaquam nocet: non enim propter Theologos Ecclesiam, sed Theologos propter Ecclesiæ auctoritatem audimus: quod autem de matrimonio perperam aliqui senserint, in causa fuit, (bona pace dixerim) multorum negligentia, qui gravissimas quæstiones non ex sensu Ecclesiæ, non patrum & conciliorum definitionibus, sed frivolis ratiunculis absolventes, obscurarunt aliquatenus antiquam traditionem, & pessimam in scholas consuetudinem invexerunt, de rebus certissimis probabiliter disputandi.

Ab hoc sane numero exceptum volumus Angelicum præceptorem S. Thomam, qui de Deo rebusque divinis, apte, prudenter, solide, sacris litteris & majorum documentis instructus semper pronunciat; quemque, si commentaria quæ in libros sententiarum junior scripserat, maturiore ætate recognovisset, priorem de matrimonio opinionem correcturum non dubitamus.

Jam vero Lutheranis & Calvinistis importune quærentibus qui fieri potuerit, ut multi in hac quæstione Theologi ancipites hæserint? respondemus ideo factum, quia errare & dubitare humanum est: neque putandum fluctuationibus hujusmodi causam hæreticorum juvari: hoc enim ipso tempore quo Theologi de Sacramento matrimonii vel perperam sentiebant, vel probabiliter disputabant; fidem suam Latina Ecclesia palam aperteque prædicabat, in libris ritualibus, in decretis summorum Pontificum, in conciliis œcumenicis, quorum agmen clausit Trid. generalis Synodus, & iniqua loquentium hæreticorum ora obstruxit, sub pœna anathematis decernendo matrimonium esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutis.

Inst. 7. Unum Sacramentum non pugnat cum altero; atqui matrimonium cum Sacramento ordinis pugnat: indeque est, quod a nuptiis arceantur, qui ad sacros ordines sunt promoti: ergo &c.

R. Concessa maj. distinguo min. matrimonium cum Sacramento ordinis pugnat, *absolute* n. min. nam in Græca Ecclesia sacerdotes, ante ductas uxores servant, & conjugati in presbyteros ordinantur: pugnat *secundum quid*, ratione status, qui non bene cum sacris ordinibus convenit, propter varias ei adjunctas sollicitudines, a quibus æquum est ministros rerum divinarum liberos esse, conc. min. solutio ex dictis alibi certa est.

Inst. Denique: si matrimonium esset Sacramentum, virginitate præstaret, quæ quantumlibet sancta in se & laudabilis, non eo tamen dignitatis provecta est, ut Sacramentis accenseretur; atqui absurdum consequens dicente Apostolo: *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*: ergo &c.

R. 1. Nego maj. non enim ex rei excellentia petitur dignitas Sacramenti, sed ex institutione Dei, qui in arbitrio suo habet, quæ voluerit, & in quibus elementis voluerit sua Sacramenta sancire: unde non minus est ineptum hoc argumentum, quam si quis ita cavillaretur: si extrema unctio Sacramentum esset, martyrio foret melior; atqui absurdum, consequens: ergo & ant.

R. 2. Dist. maj. si matrimonium esset Sacramentum, virginitatem præcelleret, *quantum ad rationem divini mysterii & gratiæ conferendæ virtutem*, conc. *habita ratione status in quo hominem collocat*, n. maj. pariterque intellecta min. n. conseq.

E. R. Si status virginitatis cum statu matrimonii conferatur, ultro fatemur, imo contendimus meliorem esse virginitatem: *& certa ratione*, inquit S. Aug. (*lib. de virginit. c.* 39) *& sanctarum scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus*: at si in matrimonio dignitas Sacramenti spectetur, quam in Evangelica lege a Christo accepit, ut gratiam conjugatorum statui congruam conferat, qua onera & difficultates conjugii facilius perferant, & contra rebellem concupiscentiam muniantur: hoc sane sensu contendimus matrimonium virginitate præstare.

Sequitur

QUÆSTIO SECUNDA.

Quis sit Sacramenti matrimonii minister necessarius & legitimus?

INter Catholicos quæstio ista movetur, nec ad Lutheranos & Calvinistas ullatenus respicit: illi enim cum matrimonium esse Sacramentum negent, sequitur ut nullum ejus ministrum agnoscant: porro in præsenti controversia Theologi, uti in cæteris quas hactenus Ecclesia expresse dirimendas non censuit, diversis opinionibus abstrahuntur: alii volunt hujus Sacramenti solos contrahentes esse ministros; & pro hac sententia tanto animorum æstu decertant, ut doctrinam contrariam pene pro hæresi habeant: plerique in contrarium sentiunt non alium hic quærendum ministrum, quam

qui

Digitized by Google

qui Christi & Ecclesiæ sit minister, sacerdotem scilicet: cum quibus sit

§. PRIMUS.

Ostenditur solum Sacerdotem Sacramenti matrimonii legitimum esse ministrum.

Rogamus æqnum condidumque lectorem, ut mente ab omni præjudicio libera, doctrinæ quam defendimus momenta expendat: rogamus pariter sacerdotes, ut ne irascantur nobis, si causam eorum defendimus, nec moleste ferant sibi auctoritatem consecrandi matrimonii vindicari, quam in laicos nova, ut putamus, opinio transferre conatu inutili nititur.

PROBATIO PRIMA.

Ex consensu omnium ætatum & Ecclesiarum.

Solus ille legitimus Sacramenti matrimonii est minister, cujus solius est eam nubentibus benedictionem impendere, unde necessario gratia Sacramenti pendet; atqui ex omnium ætatum & Ecclesiarum consensione ad solum sacerdotem pertinet, eam nubentibus benedictionem impendere, quæ est signum gratiæ efficax: cujus quidem consensus fidem faciunt ritualia omnia Orientis & Occidentis quæstione præcedente laudata, a quibus de novo citandis, ne actum agamus, in præsenti abstinemus: ex iis vero manifestum est:

1. Solos sacerdotes a prima Ecclesiæ ætate sacris benedictionibus nuptias Græcos inter atque Latinos consecrasse.

2. In his benedictionibus vim fuisse recognitam ejus gratiæ producendæ, quæ necessaria est conjugatis, ad vitam caste agendam, prolem pie educandam, & matrimonii molestias ac sollicitudines perferendas: non enim aliter orationes illæ efficaces putatæ sunt, quam quæ in confirmationis, pœnitentiæ, ordinationis & aliorum Sacramentorum administratione effundebantur: hinc a *Tertulliano* dictum lib. 2 ad uxorem: *unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio?* hinc etiam illud *Siricii* 4 sæculo Pontificis Max. præclarum effatum: *illa benedictio quam nupturæ sacerdos imponit, cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur*: hinc denique communis exorta sententia, *matrimonium non posse confici nisi precibus sacerdotum: actum conjugalem non fieri licitum, nisi præmissa sacerdotis benedictione: eosque fornicariis annumerandos, qui preces sacerdotum contemnerent & prætermitterent.*

Ad hujus argumenti vim quisquis libera mente attenderit, facile persuasum habebit, communem olim fuisse doctrinam, non posse nisi a sacerdote Sacramentum matrimonii ministrari; atque utinam attenderent illi contra quos agimus, qui dum mordicus disputant, matrimonii ministros non alios esse quam contrahentes, faciunt incauti ut hujus Sacramenti veritas contra Lutheranos & Calvinistas antiquitate defendi vix possit: sic enim hæreticis disputandi ansam præbent.

Si aliquo modo probari queat, matrimonium esse Sacramentum gratiæ efficax, maxime ex antiquis Euchologiis & ritualibus, preces & benedictiones ad nuptiarum consecrationem necessarias exhibentibus; atqui ex hujusmodi benedictionibus frustra probare tentatis, matrimonium esse signum gratiæ efficax: has enim benedictiones & preces fundunt soli sacerdotes, qui vobis ipsis judicibus Sacramenti nuptiarum non sunt ministri: nullam ergo habent gratiæ ex opere operato producendæ vim: verba enim quæ Sacramentalem effectum efficaciter exerunt, solus ille proferre debet & potest, qui est Sacramenti minister: unde vero ex traditione habetis, quod a sacerdote non potest fieri, a contrahentibus effici, prophanis videlicet hominibus de gratia nequidem cogitantibus dum mutuum sibi præbent consensum? quæ ista opinio est, sacerdotis nuptias consecrantis preces, nihil ad gratiæ productionem conducere; ad eam vero infundendam solum efficaciter operari consensum contrahentium, qui nuptias ineundo, nihil aliud plerumque agunt vel intendunt, quam quod ab ipsis Gentilibus intendi solet?

Ab hoc argumento aliisque similibus viderint quomodo se expediant illi, qui non modo confidenter pronunciant, contrahentes esse Sacramenti ministros; sed & contrarium dogma novitatis ac temeritatis insimulare non dubitant.

PROBATIO SECUNDA.

Ex Ecclesiæ & Patrum decretis.

Ut autem plenius veritas demonstretur, juvat decreta Ecclesiæ & Patrum proferre, quibus aperte significatur, non alios quam sacerdotes hujus Sacramenti esse ministros.

Concilium *Cartagin.* IV versus finem sæculi 4, can. 13 præscribit, sponsum & sponsam a sacerdote esse benedicendos, & propter reverentiam huic benedictioni exhibendam debere sponsos prima nuptiarum nocte in virginitate permanere.

Epistola decretalis *Evaristo* Papæ adscripta, affir-

affirmat, " hunc eſſe morem, ut uxor a pa-
„ rentibus dotetur, & cum precibus & obla-
„ tionibus a ſacerdote benedicatur. „

S. *Ambroſius* Ep. 70, ait, *debere ſanctificari conjugium benedictione ſacerdotali*.

Concilium *Lateran*. IV. ſub Innocentio III, can. qui refertur in decretalibus, tit. *de ſimonia*: cap. *cum in Eccleſia*: definit, *horribile eſſe, quod pro ſepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis aliquid requiratur. . . . ne igitur*, inquit, *hæc de cætero fiant, vel pro perſonis Eccleſiaſticis introducendis in ſedem, vel pro ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu aliis Sacramentis conferendis aut collatis aliquid exigatur, strictius prohibemus* . . . . manifeſtum porro eſt, eo decreto benedictionem nubentium quæ a miniſtris Eccleſiæ fit, aliis Sacramentis æquiparari: unde gloſſa ejuſdem decreti: *pro benedictionibus nubentium*, inquit, *aliquid accipi prohibetur, quia per eas gratia confertur*.

Concilium Vienneſe, (*anno* 1311) canone qui refertur in *Clementinis* cap. *Religioſi*: in eodem ordine ponit extremæ unctionis, Euchariſtiæ, & matrimonii adminiſtrationem: cum igitur ſacerdos ſit Euchariſtiæ & extremæ unctionis miniſter legitimus; idem de matrimonio eſt dicendum.

Martinus V quæſtione ſuperiore laudatus ſolemnizationem matrimonii quæ a ſacerdote fit, vocat *Sacramentum*.

Eugenius IV in decreto pro inſt. Armenorum definit omnia Sacramenta tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: miniſtrum autem Eccleſiæ ſive ſacerdotem certiſſime his verbis ſignificat: cum enim Sacramentorum adminiſtratio ſit a Chriſto Eccleſiæ demandata; agat vero Eccleſia per ſuos miniſtros (excepto caſu neceſſitatis in baptiſmate) manifeſtum eſt Sacramentum matrimonii ita eſſe inſtitutum, ut ab Eccleſiæ miniſtro conferri debeat.

Concilium *Colonienſe* (*anno* 1536) docet, in matrimonio, *accedente ſacerdotali precatione, dari donum Sp. Sancti quo vir diligat uxorem amore caſto* . . . . & in Enchiridio quod ejuſdem concilii mandato promulgatum eſt, cap. penultimo, de matrimonio hæc leguntur: *quanto magis putandum eſt, in nova lege ſacerdotes, qui legatione pro Chriſto funguntur, legitimos hujus Sacramenti miniſtros eſſe?*

Concilium Trid. (*ſeſſ.* 24, *de Ref. c.* 2)
„ Parochus, *inquit*, viro & muliere interroga-
„ tis, & eorum mutuo conſenſu intellecto,
„ vel dicat: *ego vos in matrimonium conjungo*,
„ *in nomine Patris* &c. vel aliis utatur ver-
„ bis, juxta receptum uniuſcujuſque provin-
„ ciæ ritum. „

Inde ſic efflorescit argumentum: ſacerdos verbis ſuis id efficit, quod ſe facere teſtatur, alioquin enim falſum aſſeveraret: atqui affirmat ſe virum & mulierem conjungere in matrimonium, quatenus videlicet Sacramentum eſt: nam in quantum eſt naturalis contractus mutuo contrahentium conſenſu firmatur: ergo a ſacerdote in ratione Sacramenti perficitur.

Concilium *Cameracenſe* (*anno* 1567) cap. 1, de matrimonio, " cum conſtet, *ait*, in
„ matrimonio habendam eſſe rationem, non
„ ſolum divinæ inſtitutionis, ſed etiam Sacra-
„ menti & gratiæ, quam in illo conſequuntur
„ fideles, ideo duximus admonendos eſſe Paro-
„ chos hujus Sacramenti miniſtros &c. . . . „
notandum vero hujus Synodi Patres pene omnes Concilio Trid. paucis ante annis celebrato interfuiſſe; atque adeo ex ejuſdem concilii mente eſſe locutos.

S. *Carolus* in actis Eccleſiæ Mediolanenſis (*part.* 4, §. 1) ejuſdem ſententiæ eſt: " cum
„ vero, *inquit*, Sacramenta quinque tantum,
„ nempe baptiſmum, Euchariſtiam, pœniten-
„ tiam, matrimonium, & extremam unctionem,
„ Parochus ex officio adminiſtrare poſſit; eorum
„ cæremoniæ quas recte ſervet, locis propriis
„ præſcriptæ ſunt. „

Idem probant diverſarum Eccleſiarum antiqua & nova ritualia.

Sacerdotale Romanum ab Alberto Caſtellano Ordinis Prædic. profeſſore, an. 1494, collectum, ſic præſcribit: " ſacerdos pronuntiet
„ verba, quæ ſunt forma Sacramenti, cum
„ conſenſu utriuſque: de quo conſenſu ſpecia-
„ liter eos moneat, qui ſi deſit, nihil omni-
„ no agitur: & dicat ſponſo: *Domine Petre*,
„ *vel N. placet vobis accipere Dominam Ca-*
„ *tharinam, vel N. in veſtram legitimam ſpon-*
„ *ſam, per verba de præſenti, ſicut præcipit*
„ *S. Romana & Apoſtolica Eccleſia?* quo di-
„ cente: *places Domine*: ſacerdos dicit ſpon-
„ ſæ: *Domina Catharina, vel N. placet vobis*
„ *accipere Dominum Petrum, vel N. in ve-*
„ *ſtrum legitimum ſponſum, per verba de*
„ *præſenti, ſicut præcipit ſacroſancta Roma-*
„ *na & Apoſtolica Eccleſia?* & illa dicente:
„ *Domine placet mihi*: ſacerdos dicat: *& ego*
„ *auctoritate qua fungor, conjungo vos in ma-*
„ *trimonium, in nomine Patris* &c. „

Manuale Ypreſe paulo poſt celebrationem Trid. Concilii promulgatum: (*anno* 1576) præſcribit pariter ut ſacerdos utriuſque ſponſi explorato conſenſu dicat: *& ego tamquam Eccle-*

Digitized by Google

Eccleſiæ miniſter vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris &c.

Manuale Mechlinienſe sub iisdem temporibus editum, (*anno* 1589) " stante viro, *inquit*, „ ad dexteram, muliere vero ad sinistram, „ sacerdos hujus Sacramenti minister sponsum „ ac sponsam aspergat aqua benedicta . . . . „ Sacramenti minister interroget de consen„ su . . . . . data sic utrinque fide, dicat sa„ cerdos: *& ego tamquam Dei miniſter, vos* „ *in matrimonium conjungo, in nomine Patris* „ &c. „

Rituale Romanum jussu *Pauli* V Pontificis Max. ineunte sæculo 17 editum, matrimonium Sacramentis annumerat, quorum administratio ad Parochos pertinet: in ipsa enim præfatione sic legitur: " cæterum illorum tantum Sacra„ mentorum, quorum administratio ad Paro„ chos pertinet, ritus in hoc opere præscri„ buntur: cujusmodi sunt, baptismus, pœni„ tentia, Eucharistia, extrema unctio, & ma„ trimonium. „

Accedit denique auctoritas S. Thomæ: " ma„ trimonium, *inquit*, (*lib.* 4 *cont. gent. cap.* „ 78) in quantum ordinatur ad bonum Ec„ clesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ec„ clesiæ: ea autem quæ populo per ministros „ Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicun„ tur . . . . . unde & quædam benedictio nu„ bentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur . . . „ *& alibi*: (*in* 4 *ſent. diſt.* 1, *art.* 3, *ad* 5) docet, *matrimonium, ſicut & pœnitentiam, quatenus utrumque eſt Sacramentum in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, habere aliqua verba quibus perficiatur*: & alio in loco: (2, 2, *q.* 100, *art.* 3) *affirmat*, *dare pro matrimonio pecuniam, in quantum eſt Eccleſiæ Sacramentum, illicitum eſſe: & ideo*, inquit, *jura prohibent, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur*.

Ex his, aliisque longe pluribus, quæ brevitatis gratia reticemus, sic infertur argumentum: is est Sacramenti matrimonii minister legitimus, cui soli Ecclesia tribuit jus nuptias consecrandi, in quantum sunt aliquid sanctum, gratiam spiritualem importans; atqui jus illud soli sacerdoti vindicant patres, Concilia, ritualia: ergo &c.

PROBATIO TERTIA.

Ex Theologica ratione.

Occurrit & ratio multiplex ex Theologiæ principiis deducta.

1. Petitur ex novitate doctrinæ quam impugnamus: matrimonium esse verum legis novæ Sacramentum, ab antiquo Ecclesia docuit, ut tota qu. 1 probatum est; atqui in tanto veterum doctorum numero nec unus allegari potest, qui dixerit hujus Sacramenti ministros, ipsos esse contrahentes: e contra vero quotquot de matrimonii Sacramento dixerunt, ejus administrandi potestatem solis sacerdotibus vindicarunt: ergo doctrina illa tenenda est, quia antiqua; & rejicienda contraria, quia nova.

2. Dicitur ab exemplo aliorum Sacramentorum, quorum consecratio ad solos sacerdotes, lege ordinaria pertinet; quia illi soli sunt dispensatores mysteriorum Dei; & pro Christo legatione funguntur; atqui nulla esse causa potuit, cur unum matrimonii Sacramentum, contra communem legem, hominum laicorum dispensationi & arbitrio, seclusis sacerdotibus traderetur: imo absurdum prorsus videtur dicere sacerdotem qui in Sacramentis conferendis, Christi & Ecclesiæ est minister, necessario a matrimonii consecratione repelli; ita ut invalidum sit futurum, si ab Episcopo, aut presbytero conferatur: validum vero, sanctum, & gratiæ efficax, in quantum a viro Laico confertur, & a simplici muliere, cui Apostolus loqui in Ecclesia non permittit: cum itaque sacerdotes, ministri Christi & dispensatores divinorum mysteriorum, in scripturis sine exceptione dicantur; fatendum tam ad illos matrimonii, quam aliorum Sacramentorum ministerium pertinere.

3. Huic proxima est: Ubi de Sacramentis agitur, ridiculum est, quod eorum administratio præcipuum habet, laicis vindicare, sacerdotibus vero hoc unum relinquere, quod secundarium est, minimeque essentiale; atqui juxta doctrinam quam impugnamus, sacerdos in solemni Sacramenti matrimonii consecratione, vel nudus testis, vel ad summum meræ cæremoniæ est minister, benedictionis scilicet sine qua plene Sacramentum consisteret: laicus vero, id quod est principalius operatur, Sacramentum videlicet, hocque non clanculum, aut in casu necessitatis, sed velut ordinarius solusque minister; & in Ecclesiæ facie: ergo &c.

4. Ad Sacramenti cujuslibet administrationem unus sufficit, omnium consensu, minister; atqui in adversariorum sententia ad matrimonium duo requiruntur, & sunt absolute necessarii, sponsus nimirum & sponsa; ergo &c.

5. Personæ contrahentes, matrimonii Sacramentum recipiunt: ergo ejus conferendi non sunt ministri: nemo enim potest sibimet conferre aliquod Sacramentum, eorum scilicet quæ in actione transeunti consistunt, qualia omnia sunt, si solam Eucharistiam demas, quæ in

re

Digitized by Google

re permanente poſita eſt: ſic nemo poteſt ſe ipſum baptizare, confirmare, abſolvere &c.

At, *inquiunt*, non ſibimet ſponſi, ſed alter alteri Sacramentum matrimonii conferunt.

Futilis reſponſio: nam in ſententia adverſariorum, ita ambo contrahentes conſenſu ſuo Sacramenti miniſtri ſunt; ut ambo ſimul non niſi unum miniſtrum totalem, ut loquuntur, conſtituant: ergo uterque ſibimet Sacramentum, ſaltem partialiter adminiſtrat: ponamus enim ſolum Petrum Catharina diſſentiente, habere contrahendi matrimonii voluntatem, ac dicere: *accipio te in meam*: in hac hypotheſi quæro utrum Petrus Catharinæ conferat Sacramentum? negabunt prorſus adverſarii, & merito quidem: ubi enim ne matrimonii quidem contractus eſt, nec eſſe poteſt, nec intelligi Sacramentum: eatenus ergo Catharina a Petro recipit matrimonii Sacramentum, quatenus conſentit in nuptias; atqui conſenſum facit ipſa & elicit: dat ergo ſibi ipſi, ſaltem partialiter Sacramentum.

Ajunt inſuper, equidem lege communi neminem poſſe ſibi eſſe miniſtrum Sacramenti; verum ab hac lege matrimonium excipi a Chriſto potuiſſe, reverâque fuiſſe exceptum.

R. Quin Chriſtus potuerit a lege generali matrimonium excludere; ita ut hujus Sacramenti miniſter idem eſſet, qui & ſubjectum, dubitatio nulla eſt: mirum namque foret, ſi id quod poterat in omnibus univerſim Sacramentis præſcribere, in ſolo matrimonio ſancire non potuiſſet: ſed adverſariis incumbit probandum, Chriſtum id quod poterat, revera feciſſe, conſtituendo ut Sacramenti nuptiarum ii ipſi eſſent miniſtri qui nuberent: porro probatio hæc non ex humanæ rationis penuria, ſed ex penu ſcripturarum aut verbi Dei traditi eſt petenda: age vero edant, ſi potis eſt, adverſarii, locum aliquem ſcripturarum, patrum, Synodorum, Pontificum ſententiam aliquam qua declaratum fuerit, nubentibus tale privilegium a Chriſto conceſſum, ut ſacerdotum miniſterio non agerent, ſibique mutuo Sacramentum, & gratiam, ejus effectum, conferrent.

At, importune regerunt, hoc tametſi revelatum expreſſe non fuerit; revera tamen ita debuiſſe aut potuiſſe conſtitui, ipſa matrimonii natura inſinuat, quæ cum a contrahentium conſenſu dependeat; conveniens erat, ut ii ipſi Sacramentum facerent, qui & contractum, nec præter ſe ipſos, ullius miniſterio indigerent.

Verum multis aliis prætermiſſis quæ ad hujus oppoſitionis refutationem afferri poſſent, hoc unum obſervo: ſi ideo quia nubentes matrimonii contractum efficiunt, conveniens fuit, ut ab iis ipſis Sacramentum matrimonii fieret; idem erit de Sacramento pœnitentiæ affirmandum: quemadmodum enim contractus nuptiarum in conſenſu contrahentium; ita pœnitentia ſive quatenus virtus eſt, ſive quatenus præbet Sacramento materiam, in actibus pœnitentis tota conſiſtit: qua ergo ratione probatur contrahentes eſſe Sacramenti miniſtros, eadem adſtruitur, Sacramentum pœnitentiæ in ſolis pœnitentis actibus reponendum.

6. Eſt, ſi miniſtri matrimonii ſint ipſi contrahentes, cum aliquando contingat nuptias a mutis iniri ac celebrari; dicendum erit poſſe ſine ullo apparatu verborum, verum novæ legis Sacramentum conſiſtere; atqui hæc opinio communi Eccleſiæ ſenſui contraria eſt: *accedit verbum ad elementum*, ait ſæpe laudatus S. Aug. *& fit Sacramentum*.

7. Eſt, Sacramentum eſt opus religionis: in Sacramentis enim profitemur nos quærere ſalutem a Deo ſalutari noſtro: hæc vero profeſſio, fidei interioris externa teſtatio eſt, ad eam virtutem pertinens, qua cultum Deo debitum exhibemus: unde peccata quæ in Sacramentorum abuſu committuntur, virtuti religionis adverſantur. Jam ſic ſubſumo.

Atqui matrimonium ſolis verbis viri & fœminæ prophane civiliterque contractum, opus religionis dici non poteſt: quod enim fidelibus infidelibuſque commune eſt, quatenus in religione ſacrum queat intelligi, non apparet; atqui matrimonium præciſe ſumptum, quatenus ſolis verbis viri & fœminæ, ſine ſacris cæremoniis, & ſine Eccleſiæ miniſtro contrahitur, fidelibus infidelibuſque commune eſſe, nemo eſt qui non videat: ergo &c.

Nec eſt quod reponatur, fideles quando nubunt, in Domino nubere, qua de re infideles nec cogitant quidem: adeoque fidelium matrimonium opus religionis bene intelligi, quamquam de infidelium nuptiis hoc dici non poſſit.

Hæc, inquam, nihili exceptio eſt: hæc enim fidelium nubentium recta intentio nuptiis extrinſeca eſt; cum ſive adſit, ſive non, matrimonium vere in ſe, formaliterque conſiſtat: ergo ex eo quod debeant fideles in Domino nubere, non magis ſequitur matrimonium fidelium opus eſſe religionis, quam ſi quis inde deduceret, manducare & bibere religionis opera eſſe, quia hæc debent fideles, ex præſcripto Apoſtoli, in nomine Domini facere.

8. Eſt, cum Sacramentum ſit ſignum ſupernaturale, gratiæ efficax per virtutem divinitus inſitam; forma ejus debet ſpiritualem effectum ſignificare, cujus cauſa eſt ipſum Sacramentum: Sacramenta enim illud facere quod ſignificant, ab omnibus conceſſa res eſt: aliunde vero vis ſignificandi formæ magis quam materiæ

riæ convenit; atqui hæc verba: *accipio te in meam: accipio te in meum*: nullius spiritualis gratiæ signa sunt. Ergo &c.

9. Et ultima, fideles non se existimabant esse sacrilegos, quando in statu peccati mortalis, ante tempora Trid. Concilii privatim & clanculum matrimonia fœderabant: eorum ergo animis inscriptum erat, contractum ejusmodi non esse Ecclesiæ Sacramentum.

§. SECUNDUS.

Diluuntur Objectiones.

Refellenda modo, quæ partim ex auctoritate, partim ex ratione congerunt adversarii argumenta: quo autem facilius resolvantur, habenda præ oculis distinctio, quam superius diximus matrimonium inter quatenus contractum, & matrimonium quatenus Sacramentum intercedere: in quantum contractus est, suis conditionibus coercetur, divinam habet auctoritatem, bonum est, unum est, indissolubile est: in quantum vero est Sacramentum gratiæ efficax, Ecclesiæ jurisdictioni subjicitur, debetque a Sacerdote ministro Ecclesiæ consecrari: unde liquet posse aliquem in nova lege vere paeisci de matrimonio, illudque contrahere, licet non suscipiat matrimonii Sacramentum: quomodo potest virtus pœnitentiæ sine Sacramento subsistere. Jam ut ad adversariorum argumenta veniamus:

Objiciunt auctoritatem Concilii *Neocæsariensis* (*an.* 314) can. 7 sic decernentis: *presbyteris in nuptiis bigami prandere non convenit: quia cum pœnitentia bigamus egeat; quis erit presbyter qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum?*

Inde sic concluditur argumentum:

Negari, *inquiunt*, non potest, secundas nuptias esse verum ac proprium Sacramentum; atqui hæc illis conditio convenit, etiam sine benedictione & præsentia sacerdotis; cum illis benedicere Presbyteri Neocæsariensi decreto prohibeantur: falso ergo dicitur sacerdotem esse necessarium hujus Sacramenti ministrum.

℟. admitto auctoritatem, & dist. maj. negari non potest nuptias esse verum Sacramentum, *quando a sacerdote consecrantur*, conc. *secus*, n. maj. unde n. absolute min. & conseq.

E. ℟. Videndum quæ causa Neocæsariensibus Patribus fuerit prohibendi ne sacerdotes secundis nuptiis interessent: existimabant nimirum non posse matrimonium sine gravi impotentis libidinis suspicione iterari: hinc bigamos pœnitentia plectendos duxerunt: unde rursus consequens fuit, ut statuerent duplicatis nuptiis intervenire presbyteros non debere, ne videlicet approbare hoc ipsum viderentur, quod intemperantiæ arguebant: ex illo itaque canone nostra sententia robur accipit, nedum infringatur. Censebant enim Patres Neocæsarienses, oportere primas nuptias a presbyteris benedici. Ergo necessarium existimabant eorum ministerium ad matrimonii Sacramentum, quod ideo bigamis denegabant, tum quia eos propter ipsorum incontinentiam tanto beneficio indignos putabant; tum quia cum bigami ad pœnitentiam damnarentur, donari ullo Sacramento, ex recepta hoc tempore disciplina, non poterant: illud itaque argumentum inde perperam infert fuisse secundas nuptias Sacramentum, unde necessario eruitur, non fuisse.

Inst. 1. Ex auctoritate *Eugenii* IV in decreto pro inst. Armenorum sic loquentis: *causa efficiens matrimonii regulariter, est mutuus consensus per verba de præsenti*,

Inde sic disputant:

Ille est minister matrimonii, qui est ejusdem causa efficiens; atqui contrahentes sunt matrimonii causæ efficientes: matrimonium enim ex Pontifice Max. facit ille ipse qui consentit; atqui consentire non ad sacerdotem, sed ad contrahentes spectat, quorum res agitur. Ergo &c.

℟. admitto auctoritatem: & concessa maj. dist. min. contrahentes sunt matrimonii causæ efficientes, *quatenus ad legem naturalem pertinet*, & *est civilis contractus*, conc. *quatenus pertinet ad legem Christi*, & *est Sacramentum*, n. min. & conseq.

E. R. Eadem semper æquivocatione aut ludunt adversarii, aut illuduntur: matrimonium quatenus naturæ officium, & civilis contractus est, ab iis effici, qui contrahunt, ultro assentimur. Sed quatenus Sacramentum est, ab eo tantum fieri, qui Christi & Ecclesiæ est minister, illud vero est quod, nisi fallimur, momentis validissimis demonstramus, quæ ab adversariis non solvenda confidimus.

At, *inquis*, quæstio hic est de mente Eugenii. Bene est: sed quid tandem dixit Eugenius, unde probari certo queat, sacerdotem non esse ministrum Sacramenti matrimonii, cum voce æquivoca usus sit, quæ non Sacramentum tantum, sed præcipue contractum ipsum naturalem significat? quam autem immerito Pontificii decreti auctoritate opinionem suam adstruere adversarii moliantur, vel hinc manifestum fit, quod in laudato decreto quæstionem de ministro Sacramenti matrimonii consulto Eugenius prætererit, quam sciebat scholarum libertati esse relictam: de aliis equidem Sacramentis agendo, eorum sigillatim ministros nota-

notavit. Sic: *primum*, inquit, *omnium Sacramentorum locum tenet baptismus . . . . minister hujus Sacramenti est Sacerdos*, &c. postquam vero ad matrimonium ventum est, *septimum*, ait, *est Sacramentum matrimonii ... causa efficiens matrimonii regulariter est, mutuus consensus*: non dicit: *causa efficiens hujus Sacramenti*: quod in præcedentibus dixerat; sed: *causa efficiens matrimonii*: quæ vox Sacramentum & contractum perinde significat: nihil ergo ex hoc decreto erui potest, quo nobis probetur Eugenius esse contrarius: huc etiam facit adducta superius dum conclusionem exponeremus, ex eodem decreto auctoritas.

Inst. 2. Concilium Trid. *tametsi*, inquit, (*sess.* 24, *in decr. de ref. matr. cap.* 1) *dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde jure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui vera ac rata esse negant . . . nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.*

Hinc sic conficiunt argumentum: matrimonia clandestina quæ sine sacerdote contrahebantur, valida fuerunt, quamdiu Ecclesia irrita illa non fecit; sed valida esse non potuissent, si sacerdos sit necessario matrimonii minister. Ergo &c.

℞. admitto auctoritatem, & dist. maj. matrimonia clandestina valida fuerunt, quamdiu Ecclesia irrita illa non fecit, valida, inquam *in ratione contractus*, conc. *quantum ad rationem Sacramenti*, n. maj. eademque distinctione ad min. facta, n. conseq.

E. R. Matrimonium quatenus naturæ officium est, tunc est validum cum habet conditiones ab ipsa natura præscriptas. Porro stultum foret dicere, eam matrimonii ineundi conditionem a natura positam esse, ut adsit præsens sacerdos, & verbis suis nuptias consecret. Merito itaque dictum a Patribus Trid. matrimonia clandestina libero contrahentium consensu facta, rata & vera fuisse, etiam in Ecclesia Dei quamdiu ejus sententia irrita dicta non sunt: ratum enim bonumque est, quod suis legibus continetur; atqui hæc matrimonia juris naturalis habita ratione, ad legis præscriptum fiebant. Rata ergo erant & valida.

Quod autem hæc fuerit Trid. Synodi mens, testatur Card. Pallavicinus, historiæ ejusdem Synodi *l.* 23, *c.* 9, affirmans, numquam declarasse concilium matrimonia clandestina olim fuisse Sacramenta.

Inst. 3: Atqui ex Concilio Trid. matrimonia clandestina valida olim fuerunt, etiam quantum ad rationem Sacramenti. Ergo &c. prob. subs. ex can. 11 ejusdem sess. ubi sic decernitur: *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur damnaverit: anathema sit.* Hinc sic informant argumentum:

Non potest defectu cæremoniæ alicujus Sacramentum irritum fieri; cæremoniæ enim ad substantiam Sacramenti non pertinent: atqui ex Concil. Trid. benedictio quam sacerdos impendit nubentibus, mera cæremonia est. Ergo ea prætermissa matrimonii Sacramentum subsistit: atque adeo ad mentem Patrum, matrimonia clandestina valida olim fuerunt, etiam quantum ad Sacramenti rationem.

℞. Nego subs. ad prob. admitto auctoritatem & dist. maj. non potest defectu cæremoniæ *accidentalis, & ex sola Ecclesiæ institutione pendentis*, Sacramentum irritum fieri, conc. defectu cæremoniæ *essentialis, & a Christo ad gratiam producendam institutæ*, n. maj. dist. pariter min. & n. conseq.

E. R. Nomen cæremoniæ latissimam habet significationem: tribui namque solet omnibus indifferenter sacris ritibus, sive essentiam Sacramentorum constituant, sive mere accidentarii sint: nihil ergo vetuit quominus Concilium Trid. benedictionem sacerdotalem, & ritum omnem matrimonii conferendi communi cæremoniarum nomine appellaret: nec satis graviter in re seria adversarii disputant.

Inst. 4. Atqui ex Concilio Trid. matrimonium vere Sacramentum est, etiam cui nulla accesserit benedictio sacerdotis. Ergo &c. prob. subs. ex can. 1 ejusdem sess. *Si quis dixerit*, inquit, *matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum: anathema sit.*

Inde sic argumentum intorquent: in hoc canone loquitur S. Synodus de quolibet fidelium matrimonio, nullum enim excipit; atqui matrimonium sine præsentia & benedictione sacerdotis contractum, verum matrimonium est. Ergo & verum ex mente Concilii Sacramentum.

R. Nego subs. ad probat. admitto auctoritatem, & disting. maj. loquitur S. Synodus de quolibet fidelium matrimonio, *quod Ecclesia conciliat, & obsignat benedictio*, conc. de omni matrimonio *quod ritu civili, & secundum naturam initur*, n. maj. & concessa min. n. conseq.

E. R. Aliud est matrimonium, aliud, matrimonii Sacramentum; sicut alia res est pœniten-

Digitized by Google

nitentia, alia Sacramentum pœnitentiæ: quemadmodum igitur ex eo quod Concilium Trid. sess. 14, can. 1, Anathema dixerit negantibus pœnitentiam in Ecclesia Catholica esse vere & proprie Sacramentum, inferri non potest, ad mentem Concilii pœnitentiam quamlibet, etiam excluso sacerdotis ministerio esse Sacramentum; ita nec dici potest ex laudato can. sequi, quodlibet matrimonium esse Sacramentum.

Inst. 5. Atqui ex Concilio Trid. matrimonium quodlibet a fidelibus, etiam sine sacerdotis ministerio celebratum, verum est novæ legis Sacramentum. Ergo &c.

Prob. subs. ex can. 12 ejusdem sess. *si quis dixerit*, inquiunt Patres, *causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos*, *anathema sit*. Unde sic vitilitigant:

Ante Concilium Trid. quando matrimonia clanculum & sine præsentia sacerdotis communiter contrahebantur, ad Ecclesiasticos judices causæ matrimoniales deferebantur, quomodo hodie deferuntur, etiam in iis locis ubi promulgatum non fuit Concilium: atqui hæ causæ ad Ecclesiam pertinere non poterant, nisi quia in matrimonio clandestino agnoscebatur & modo agnoscitur vera ratio Sacramenti. Ergo &c.

R. Nego subs. ad probat. recipio canonem, & concessa maj. n. min. Multis de causis.

1. Enim judicat Ecclesia de sponsalibus, vera ne ac legitima fuerint: quis porro inde inferat sponsalibus veri Sacramenti naturam inesse? pariter ergo licet Ecclesia de quolibet fidelium matrimonio summo jure judicet ac pronunciet, minime hinc sequitur quodlibet matrimonium esse Sacramentum.

2. Potest Ecclesia fidelium nuptias impedimentis dirimentibus coercere, ut superius contra hæreticos demonstratum est. Igitur si de iis impedimentis quæstio nata fuerit, judicium ad Ecclesiam necessario pertinebit: ubi enim de legibus controvertitur, ad quem magis quam ad legislatorem recurri debet?

3. Matrimonium in quantum civilis est & naturalis contractus, Sacramento nuptiarum materiam præbet: quemadmodum igitur ad Ecclesiam pertinet, de materia aliorum Sacramentorum ferre judicium, utrum propria ac legitima sit; de matrimonio idem est dicendum.

Falsum itaque est, ideo causas matrimoniales judicio Ecclesiæ subjici, quia in quolibet matrimonio verum Sacramentum agnoscit: idipsum confirmant adducti canonis verba: non enim dixere Patres judicium de Sacramento matrimonii ad Ecclesiam pertinere, quasi contractus ipse nuptiarum ab ejus tribunali foret independens; sed generatim pronuntiarunt causas matrimoniales ad judices Ecclesiasticos pertinere.

Inst. 6. Christus hoc Sacramentum instituens, nihil aliud fecit, nisi quod contractui matrimonii, qui mere civilis ante fuerat, virtutem gratiæ producendæ adjunxit: voluit ergo eosdem Sacramenti esse ministros, qui sunt causæ effectrices contractus: adeoque presbyteros ab ejus ministerio esse exclusos.

R. concesso ant. n. conseq. & dico non minus hoc argumentum esse absurdum, quam si quis diceret: Christus Sacramentum baptismatis instituendo nihil aliud fecit, nisi quod ablutionem qua sordes corporis eluuntur, eo dignitatis extulit, ut etiam animæ sordes purgaret; atqui ablutionis quatenus corporis sordes eluit, homo quilibet quantumvis prophanus, minister est. Ergo a pari ejusdem ablutionis in quantum peccatum originale expiat, quilibet homo jure suo ordinarius est minister. Dicendum itaque matrimonium hoc ipso quod est Sacramentum, sacro & Religioso ritu debere, sicut alia Sacramenta, consecrari: quemadmodum igitur aliorum Sacramentorum celebratio ut Sacra & Religiosa censeatur, debet a ministris Christi & Ecclesiæ fieri, idem de matrimonio affirmandum.

Inst. 7 & ultimo. Nova est opinio quam tuemur, ipsaque sua novitate suspecta: hanc enim primus omnium sæculo 16 *Melchior Canus*, eruditus quidem homo, sed, ut norunt omnes, paulo audacior, contra scholarum auctoritatem invexit: quamobrem a viris doctissimis graviter est pro merito reprehensus, a Bellarmino præsertim, qui præter cætera observavit, (*Vide Bellarm. lib. 1 de matr. cap. 6, & seqq.*) *Canum* dum totis viribus probare conatur, matrimonium sine forma verborum a ministro Ecclesiæ prolata celebratum, non esse Sacramentum, illud etiam evincere quantum ad se est, nullum revera esse in Ecclesia matrimonii Sacramentum: Cardinali doctissimo tantus scholarum consensus accessit; ut pene nullus repertus sit, qui singularem *Melchioris Cani* opinionem amplecteretur: hærendum ergo antiquæ sententiæ, & fatendum Sacramenti matrimonii ministerium laicis ipsis nubentibus Christi auctoritate concessum.

℟. Hoc argumentum quod tanto ambitu verborum exaggeratur, hoc habere eximium & singulare quod nulla sui parte sit verum.

1. Falsum est, quam tuemur sententiam esse novam, & a *Melchiore Cano* inventam: hoc enim ut probaretur, aliqua saltem adducenda forent ex antiquis Patribus testimonia, quibus nuptiarum Sacramenti ministerium contrahentibus ipsis assereretur: atqui hoc nedum valeant

leant

Digitized by Google

leant assequi adversarii, certum e contrario est, Sanctos Doctores in iis ipsis locis ubi de matrimonii Sacramento loquuntur, sacerdotum ministerium velut necessarium absolute requirere; quod ultro fatebitur quisquis ad probationes superius adductas attendet.

2. Ut de Patribus sileamus, falsum est *Melchioris Cani* sententiam fuisse anterioribus scholasticis inauditam. „ Hanc opinionem novam profecto non dicet, *ait doctissimus Jacobus Hiacynthus Serry, in Melchioris Cani vindiciis, Patavinæ ejus operum editioni præfixis*, (*Cap.* 7) quisquis eam a *Guillelmo* Parisiensi traditam noverit, lib. de Sacramentis cap. 9, quæst. 1, & cap. 1 de baptismo, a *Petro Paludano*, in 4 sent. dist. 5, q. 2, a *Simone Vigorio* Theologo Parisiensi, in suffragio Tridenti dato, cujus meminit Card. Pallavicinus l. 22 historiæ c. 9, n. 5. Addam etiam a D. Thoma (etsi illum suas in partes vel invitum cæteri trahunt) in 4 sent. dist. 1, q. 2, art. 3, ad 5, ubi inquit, matrimonium secundum quod est in officium, & pœnitentia secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est Sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba, sicut in matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ: in pœnitentia autem est absolutio sacerdotis verbo tenus facta . . . " ac tandem a Synodi Coloniensis anno 1536 celebratæ Patribus in enchiridio Christianæ institutionis. „ Videmus, *inquiunt*, & in veteri lege quosdam fuisse qui Dei vice conjuges jungerent: quanto ergo magis putandum est, in nova lege sacerdotes, qui legatione pro Deo funguntur, legitimos hujus Sacramenti ministros esse? in lege quidem veteri pater, aut defuncto patre, proximus puellæ agnatus, seu tutor Dei loco conjuges jungebat: ad eumdem modum ab Apostolorum temporibus matrimonii Sacramentum in facie Ecclesiæ celebrandum est, ministris sacerdotibus Christi.

3. Falsum est, *Melchioris Cani* sententiam communi deinceps Theologorum suffragio fuisse desertam & a scholis ablegatam. „ Qui patronos præeuntes habuit, *ait ibidem clarissimus Scriptor*, sequaces, eosque magni nominis adstipulatores invenit, Dominicum Bannez in 1 part. D. Thomæ q. 1, art. 8, ubi contrariam magistro suo Melchiori Cano sententiam a multis improbari ait, illiusque opinionem a multis jam absque ulla temeritate defendi, *Franciscum Card. Toletum*, l. 7 inst. diserte statuentem, efficientem causam matrimonii esse ipsos contrahentes, in quantum est contractus quidam, at vero ut Sacramentum, Deum esse causam principalem, & ministros esse causam instrumentalem, sicut in aliis Sacramentis, *Guillelmum Estium* in 4 sent. dist. 26, §. 10, & seqq. *Franciscum Sylvium* in suppl. qu. 42, art. 1, *Joannem Marium Scribonium*, disp. 9 de matrim. *Vincentium Contensonium*, l. 11 Theologiæ mentis & cordis, *Combefisium* ad orationem Damasceni in Constantinum Caballinum, n. 8, *Gasparem Jueninum* in comment. Historico-dogmatico de Sacramentis, *Claudium Frassenium* in Scoto Academico, *Natalem Alex.* in Theologia dogmatica & morali, apud quos quidem magni nominis Theologos, quisquis Melchioris Cani quam tuentur sententiæ, fundamenta ex Patribus atque Conciliis petita legere voluerit, nimiam profecto in ea vellicanda Bellarmini aliorumque licentiam deprehendet... illud etiam notissimum, sententiam hanc frequentius in Academia Parisiensi defendi, nec ab ea abhorrere Romanos publicarum illic conclusionum censores, quibus probantibus Cani sententiam defendi quandoque publice, & vidi ipse Romæ dum degerem, & ab aliis, ex quo discessi, non semel accepi ".

Falsum denique est, quod *Bellarminus* contendit, *Canum* dum totis viribus probare conatur, matrimonium sine forma verborum a ministro Ecclesiæ prolata celebratum, non esse Sacramentum, illud etiam evincere quantum in se est, nullum revera esse in Ecclesia matrimonii Sacramentum: e contra enim hæc duo in documentis, serieque traditionis sic indivulse conjuncta sunt, quod matrimonium Sacramentum sit, quodque non possit nisi a Sacerdote ministro Ecclesiæ consecrari; ut si secundum negetur, primum inficiari proclive sit: fere namque omnes quorum testimonio nitimur ad dogma Catholicum de veritate Sacramenti matrimonii adstruendum, iisdem in locis confici affirmant precibus & benedictionibus sacerdotum; ita sane prædicant Græcorum euchologia, & ritualia Latinorum, ita Tertullianus, Ambrosius, Basilius, Siricius, aliique supra laudati; mirum ut sit & prodigio simile, laicos contrahentes velle pro ministris Sacramenti habere, quod in tota retro antiquitate nec unus reperitur qui dixerit; illos vero a sacro ministerio exclusos contendere, a quibus solis posse ac debere nuptias benedici, rituales libri, Sancti Doctores, & concilia consensu unanimi affirmarunt: hoc porro, uti non semel observavimus, quid aliud est, nisi dogma Catholicum de veritate Sacramen-

men-

menti infringere? nam si non credimus Patribus, quando affirmant debere a solis sacerdotibus nuptias benedici; quæ erit iisdem credendi causa, nuptias in numero Sacramentorum novæ legis ponentibus? (1) Sequitur

QUÆSTIO TERTIA.

De materia & forma Sacramenti Matrimonii.

HOC jacto fundamento,

Dico 1. Materiam Sacramenti matrimonii esse matrimonium ipsum, quatenus contractus civilis est & legitimus.

Illud enim Sacramenti materia est, quod forma accedente fit Sacramentum: sic ideo aqua naturalis est baptismi materia, quia accedente verbo: *ego te baptizo, in nomine Patris &c.* spiritualem effectum ex opere operato producit; atqui matrimonium quatenus contractus civilis est & legitimus, adveniente sacerdotis mystica benedictione fit Sacramentum, & spiritualem effectum exerit, ad quem divina institutione est ordinatum: quemadmodum enim in Sacramento pœnitentiæ, materia, aut quasi ma-

(1) *Ne quispiam hanc N. A. sententiam, quam plures alii doctissimi viri propugnant, censura aliqua notare audeat; paucis referam, quæ de hac controversia animadvertit Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV in Opere sæpius laudato* de Synodo Diœcesana *C. 12. Narrat ille in primis ex Pallavicino, hujusmodi sententiam, dum de Matrimoniis clandestinis inter Tridentinos Patres ferveret dissensio, in medium fuisse productam a Simone Vigorio ex Guillelmo Parisiensi, veluti ad componenda dissidia admodum idoneam. Sic enim ajebat Vigorius:* Minister Sacramenti Matrimonii est Sacerdos, qui solus potest contractum conjugii de se mere civilem, & prophanum, sua benedictione consecrare, & efficere, ut per eam tanquam formam elevetur ad causandam gratiam ex opere operato: eo pacto quo aqua elementaris, quæ est materia Sacramenti Baptismi, per verba a Ministro prolata, quæ sunt ejusdem sacramenti forma, virtutem acquirit abluendi interiores animæ sordes, producendique gratiam.

Pergit porro Sum. Pontifex, neque probat, quod Sotus dictitavit in 4 dist. 26, qu. 2, art. 3, hanc sententiam paucos habuisse sectatores. Siquidem, *inquit*, præter Guillelmum, eamdem tradiderat Paludanus *in 4 dist.* 5, *q.* 2, eidemque adstipulati fuerant Patres Concilii Provincialis Coloniensis anni 1536, *q.* 7, *C.* 40, ubi non obscure insiuuarunt contractum matrimonii nonnisi per Sacerdotis benedictionem sacramentum effici .... Et clarius id ipsum expressit, qui eidem Concilio præfuit ... Præterea paulo ante quam Vigorius Guiellelmi opinionem Tridentinis Patribus exponeret, anno nimirum 1562, publici juris factum fuerat, etsi forsan nondum omnibus innotuisset, celeberrimum opus Melchioris Cani *de locis Theologicis*, ubi *lib.* 8 doctissimus Author Guillelmi sententiam instaurat, & validissimis sustentat argumentis. *Quibus fuso sermone commemoratis, subdit n.* 3: Melchioris Cani argumenta etsi totis viribus convellere studuerit Bellarminus *cit. lib.* 1, *C.* 7, non ideo tamen a Cani opinione omnes retraxit. *Siquidem eamdem sunt postea sectati* Silvius *in* 3 *p. D. Th. T.* 4, *dist.* 42, *art.* 1, *q.* 1, Estius *in* 4 *sent. dist.* 26, §. 10, Juenin *de Sacram. Dissert.* 11, *q.* 3, Serry *cit. Præf. ad Opera Melchioris Cani C.* 7, Duhamel *Theol. T.* 7, *Tract. de Matr.* Tournelii *de Sac. Mat. q.* 120, *& seq. Edit. Paris.* l'Herminier *tract. de Sac. T.* 3, *Cap.* 5, Piette *part.* 6 *quæst. Theol. q.* 13, Gibertius *consult. Can. de Matrim. T.* 1, *Cons.* 55, & alii. *Hanc subinde Pontifex Summus* Melchioris Cani Sententiam tot Doctorum suffragiis communitam *vocat* valde probabilem, *additque* cuique liberum esse absque ulla erroris nota eam amplecti, uti fatentur Habert *in Theol. Dogm. Mor. tract. de Matrim. cap.* 4, Natalis Alexander *Theolog. Dogm. Mor. de Sacram. Matrim. art.* 5, & Gennet *Theolog. Mor. T.* 5, *Tract.* 9, *cap.* 4. *Lubens quidem illud concedit*, communiorem esse contrariam aliorum opinionem, qui constanter defendunt Solos contrahentes esse ministros Sacramenti matrimonii, *cujus etiam argumenta profert, urgetque. Non inde tamen inferendum putat gravi probabilitate destitui, quam N. A. tuetur, Sententiam. Quamobrem* N. 9 *concludit*: utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus, non animo quemquam inducendi ad unam, aut alteram amplectendam: Sed ut Episcopis sit persuasum, utramque esse probabilem, suosque habere magnæ authoritatis Patronos, atque inde non decere discant, ut ipsi judicis partes assumant, quæstionemque definiant, de qua Ecclesia nihil hactenus pronunciavit, sed Theologorum disputationi permisit. Quare acturi in synodis de Matrimonio, proponant quidem, explicentque doctrinam a Conciliis Florentino, & Tridentino de ejusmodi Sacramento diserte traditam: sed caveant, ne aut Parochum, aut ipsos contrahentes ejusdem ministros appellent. *Hæc ille. Quis autem post hæc ausus fuerit notam aliquam inurere sententiæ ab A. N. propugnatæ?*

si materia sunt actus pœnitentis, qui per verba ad sacramenti dignitatem provehuntur; ita verissime dicatur, consensum mutuum contrahentium, verbis sive signis externis declaratum, esse hujus Sacramenti materiam vel quasi materiam, quæ deinde ad gratiæ productionem sacerdotis verba mystica proferentis ministerio fœcundatur.

Ita sentit S. Thomas. " Sacramentum matrimonii, *inquit*, (*in 4 sent. dist.* 46) ,, perficitur per actum ejus, qui Sacramento ,, illo utitur, sicut & pœnitentia: & ideo sicut pœnitentia non habet aliam materiam, ,, nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt ,, loco materialis elementi: ita est de matrimonio: *& alio in loco*: (3 *p. qu.* 84, *art.* 1, *ad* 1) in aliis Sacramentis, *ait*, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ,, ut accidit in pœnitentia & matrimonio: " ergo &c.

Dico 2. Formam hujus Sacramenti esse, verba Sacerdotis: *ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris* &c. vel similia, juxta peculiarem cujusvis Ecclesiæ morem: ad quorum valorem nihil interest, sive absoluta, sive deprecativa sint. Probatur assertio.

1. Auctoritate librorum Ritualium Orientis & Occidentis, quos supra laudavimus, quorum summa consensio est, matrimonium verbis Sacerdotis consecrari & fieri Sacramentum.

2. Illud Sacramenti forma est, quod principalem ejus effectum practice significat: atqui hujusmodi sunt verba Sacerdotis: *ego vos in matrimonium conjungo*; vel similia: non enim significant matrimonii effectum, quatenus civilis contractus est; cum hujusmodi vinculum nectere ad solos nubentes spectet: significant ergo Sacramentalem effectum, ita ut sensus sit: *ego minister Christi Sacramentum conjunctionis vobis impartior, & potestate mihi concessa, non corpore solum, sed & animo vos conjungo, ut Sanctam in matrimonio vitam ducatis*.

Hinc Concilium *Coloniense* supra laudatum: ,, hoc Sacramentum, *inquit*, si quis, sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum spiritus quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus ,, dilexit Ecclesiam: mulierque vicissim propter Christum, amet revereaturque virum ,, suum, uti Dominum: & uterque liberos, ,, si dentur, summa cura instituant ad Christianam pietatem:,, ergo &c.

3. Nisi verba Sacerdotis formam Sacramenti constituerent, frustra ministerium ejus ad matrimonium benedicendum requireretur: censetur enim minister Sacramenti, qui formam materiæ applicat, & verbum mysticum profert, quo ad elementum accedente fit Sacramentum, ut loquitur S. Augustinus; atqui Sacerdotem esse necessarium Sacramenti matrimonii ministrum, ex prædictis probatum manet: ergo hæc verba: *ego vos in matrimonium conjungo &c.* aut æquivalentia, formam Sacramenti constituunt.

Nec vero ad efficaciam formæ necessum est, ut mystica oratio verbis, ut ajunt, indicativis, sive imperativis concipiatur, quæ communis scholarum opinio est: si enim hoc verum foret, nec in Latina, nec in Orientali Ecclesia septennarius numerus Sacramentorum subsisteret: nam Græci & Orientales, ut sæpe in hujus tractatus decursu notatum est, pleraque Sacramenta meris precibus consecrant atque conficiunt: nec minorem in his orationibus quam Latini in indicativis formulis virtutem agnoscunt: idemque in Latina olim Ecclesia observatum, ex antiquis Ritualibus notum est: unde antiquo loquendi more, *orare super aquam baptismatis*, *orare super panem*, *super oleum*, *super pœnitentes*, idem erat ac baptisma, Eucharistiam, confirmationem, pœnitentiam consecrare: quantumvis ergo in matrimonii administratione, diversa pro Ecclesiarum diversitate formæ Sacramentalis, quantum ad enuntiationis modum, & numerum syllabarum textura sit; dubium tamen non est, eumdem ubique sensum, eamdemque virtutem esse: de forma Latinorum Latini non dubitamus: de Græcis cæterisque Orientalibus, cum nec Romana Ecclesia aliarum judex & arbitra unquam dubitaverit; neque nos profecto æquum fuerit ambigere: nec eorum de schola probari agendi ratio potest, qui Ecclesiæ dogmata, non ex antiquis definitionibus, nec ex veteri disciplina dijudicantes, quidquid propriis præjudiciis contrarium repererint, illico velut fidei adversum vellicant ac rejiciunt.

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Sacramenti matrimonii.

Quibus momentis superius demonstravimus, matrimonium esse Saacramentum, iisdem probatum est, specialis gratiæ producendæ, ex divina institutione habere virtutem: quæritur in quo gratia illa consistat, quosve effectus obtineat in iis qui bene dispositi honorabile conjugium ineunt: pro cujus quæstionis resolutione,

Dico, gratiam quam matrimonii Sacramentum ex opere operato producit, iis malis af-

ferre

ferre remedium, quibus, protoparentum peccato, vitiatæ nuptiæ erant.

1. Enim ex Adami & Evæ peccato nata concupiscentia est, quæ nuptias enormiter deturpavit, quaque fit, ut conjugati re bona male utantur: atqui pessimo huic malo medetur gratia Sacramenti, per quam conjugibus virtus datur, caste & modetate conjugale officium exercendi, fidem conjugii inviolate servandi, omnemque immunditiam fugiendi: hinc Sacerdos nuptias benedicens Deum precatur. *Ut det sponsis temperantiam .... ut benedicat in illis matrimonium mysticum & immaculatum .... ut custodiat in illis incorruptibilitatem ... ut confirmet illos in spe, in caritate, & in operibus justitiæ & æquitatis, ut corroboret illos, ut simul perfectam animæ & corporis custodiant castitatem &c.*

2. Ex quo primi parentes rebelles in Deum fuerunt, nuptias perturbavit discordia: ex illa enim rebellione secutum est, ut vir potestate sua abutendo uxorem non ut adjutorium simile sibi respiceret, sed famulæ loco haberet; uxorque vice sua maritum contemneret, eique subjici recusaret: Hinc rixæ ionumerabiles & querelæ domesticæ natæ sunt, quæ non familiis modo, sed & imperiis fatale exitium importarunt: atqui malo huic occurrit matrimonii Sacramentum, pacem conciliando & caritatem, qua vir uxorem diligat, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & uxor viro subdita sit, sicut Ecclesia subjecta est Christo: hinc Sacerdos sic Deum precatur: *Benedic, Domine, præsentia tua invisibili istud servorum tuorum matrimonium ..... da illis pacificam conversationem, caritatem mutuam ... sit inter ipsos vera caritas, pax, concordia, tranquillitas, quam impetus passionum turbare non possint* &c.

3. Graves ærumnæ matrimonium comitantur, quæ nonnisi juvante Deo possunt patienter perferri: hæque sunt infaustæ primi peccati appendices, in cujus ultionem dictum Adamo a Deo est; *in sudore vultus tui vesceris pane*: & mulieri: *in dolore paries*: hucque Apostoli sententia pertinet, (1 *Cor.* 7) *tribulationem carnis habebunt hujusmodi*: atqui contra has ærumnas præsens est in matrimonii Sacramento remedium, quo fit ut patienter tolerentur, & levius grave nuptiarum jugum feratur: hinc Sacerdos matrimonium administrans: *effunde*, inquit, *Domine, super illos bona in vita sua, ut glorificent nomen Sanctum tuum ... ut dies suos in felicitate transigant .... descendant super illos benedictiones cœlestes &c.*

4. Demum peccatum primorum parentum, non in eos tantum qui ex fornicatione, sed & in eos qui nascuntur ex legitimis nuptiis, generatione traducitur: *sicut per unum hominem*, inquit Apostolus, (*Rom.* 5, 12) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt .....* (*Ib. v.* 18) *igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes hominem in justificationem.*

Atqui gratia quæ matrimonii Sacramento confertur, huic malo adhibet medicinam: facit enim ut conjuges veræ Religionis cultores pro liberis a se carnaliter genitis, Spiritualem baptismi regenerationem ab Ecclesia sollicite flagitent, eosque verbo & exemplo Dei legem edoceant, & ab Ecclesiæ ministris doceri procurent: hinc sacerdos nuptias consecrans: *det vobis*, inquit, *Deus filios benedictionis & Sanctitatis, ut ex eorum numero Sacerdotes & ministri Sancti altaris eligantur ... Benedic eis Domine, ut quod te auctore jungitur, te auxiliante servetur: ut quod generatio ad mundi ediderit ornatum, regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum.*

Hinc etiam S. Aug. *in nuptiis*, inquit, (*lib.* 1 *de nupt. & concup.*) *bona nuptialia diligantur, proles, fides, sacramentum; proles, non ut nascatur tantum, verum etiam ut renascatur* ... & S. Fulgentius: *Deo dicandam*, inquit, (*Ep.* 1, *cap.* 3) *conjugalis exhibet fæcunditas prolem, ut Redemptoris sibi homo jam natus, reformetur baptismatis Sacramento ... & illum habeat humana natura beneficio secundæ nativitatis patrem, quem in ipsa nativitate suæ conditionis agnoscit auctorem.*

Quod si cujuspiam animum de his Sacramenti effectibus dubitatio subeat, propterea quod experimento pene quotidiano compertum sit, plerosque in facie Ecclesiæ conjugatos, omnibus quæ recensuimus bonis carere, sæpeque infelicius ac sceleratius ipsis gentilibus vivere: discat ille non Sacramentum conjugii, quod se ipso Sanctum est, sed conjugatos debere accusari; qui vel impie ad Sacramentum accedunt, vel acceptam in ejus susceptione gratiam nefarie violant. Nam si ideo de Sanctitate ac veritate Sacramenti dubitare fas est, quia multi eo recepto non sunt meliores, nullum erit Sacramentum de quo par difficultas moveri non possit, ne excepto baptismo & Eucharistia, quorum Sanctitatem quotidie videmus a malis Christianis infringi. Dicendum igitur Sacramentum matrimonii, uti & reliqua novæ legis sacra mysteria, se ipsis quidem ad gratiam ex opere operato producendam efficacissima esse; sed gratiam tamen

men nisi in bene præparatis non producere: nec debere, si gratia desit, ipsa Sacramenta, sed susceptores redargui.

Sequitur

QUÆSTIO QUINTA.

De Ritibus matrimonii conferendi.

De solemnitatibus contractus matrimonialis dictum est libro præcedente: superest ut cæremonias in hujus Sacramenti celebratione observari solitas breviter perstringamus.

§. I.

Describuntur Cæremoniæ inter Latinos solemnes.

Apud Latinos matrimonium hoc ritu perficitur:

1. Sacerdos sponsis Benedictionem impartitur, ut ex supra dictis constat.

2. Matrimonium confirmat oblatio, ut loquitur Tertullianus, Missæ scilicet sacrificium pro sponsis oblatum.

3. Velamine sponsi obnubuntur.

4. Vitta partim candida, partim purpurea conjunguntur.

5. Sponsus sponsam donat annulo a Sacerdote benedicto.

6. Minister Sacramenti recens contractum matrimonium prece multiplici commendat Deo.

7. Sponsum & sponsam hortatur, ut honeste & Christiane se gerant in matrimonii, aliisque sui status officiis obeundis.

§. II.

De Græcorum Cæremoniis.

Ea, inquam, apud Latinos observantur, a quibus non multum discrepant Græci.

1. Namque conjugio copulandi præ sacris templi foribus consistunt, vir quidem a dextris, & mulier a sinistris: sunt vero repositi in dextra sacræ mensæ parte duo annuli, aureus & argenteus, argenteus quidem dextrorsum respiciens, aureus sinistrorsum: tum sacerdos sponsorum capita tertio signat, traditque illis cereos accensos, in templum illos adducit, & Thus adolet: sequuntur variæ preces.

2. Acceptis annulis sacerdos, primum quidem viro aureum, tum argentum dat mulieri, & dicit viro: *subarrhatur servus Dei N. propter Ancillam Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Sp. Sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Deinde dicit mulieri: *subarrhatur Ancilla Dei N. propter servum Dei N. in nomine Patris &c.* quod ubi ter repetiit, Crucem super eorum capita facit annulis, & utrumque dextris eorum digitis immittit: deinde nuptorum annulos commutat paranymphus, sponsæ nimirum aureum, sponso argenteum donat: tum ut intelligat sponsa, se omnium mariti bonorum consortem deinceps fore; tum ut hac annulorum commutatione agnoscant sponsus & sponsa, suorum se corporum possessioni renuntiare, & non propriæ sed alienæ potestatis futuros in posterum: est autem paranymphus, nuptiarum fœderisque conjugalis mediator. Sequitur oratio quam statim sacerdos pronunciat.

Et hæc quidem ad celebrationem sponsalium pertinent.

3. Si eodem tempore voluerint coronari, id est, matrimonii Sacramentum accipere; denuo ingrediuntur in templum, cum accensis cereis, præcedente Sacerdote cum Thuribulo, & canente psalmum 27: *Beati omnes qui timent Dominum, &c.* sequuntur variæ preces.

4. Sacerdos acceptis coronis, coronat sponsum dicens: *coronatur servus Dei N. propter Ancillam Dei N. in nomine Patris, &c.* deinde coronat sponsam dicens: *coronatur Ancilla Dei N. propter servum Dei N. in nomine Patris &c.*

5. Sequuntur variæ preces, aliæque cæremoniæ, de quibus consulatur *Jacobus Goarius*, in Euchologio sive Rituali Græcorum, editionis Parisiensis pag. 390, & seqq.

§. III.

Immerito matrimonii cæremonias Hæretici reprehendunt.

Rident more suo matrimonii cæremonias recentiores Hæretici, & superstitionis accusant: quod quam immerito & inique agant, multis momentis evincitur.

1. Enim unde oriri potuit orientalium & occidentalium in hujusmodi Ritibus admittendis adeo plena consensio, nisi quia disciplina hæc ab antiquissimis temporibus, ipsaque Apostolica institutione profecta est?

2. Accusatio hæc in ipsos Sanctos patres recidit, a quibus ritus matrimonii expresse legimus memoratos. Sic conjunctionis dexterarum meminit *S. Gregorius Nazianz.* in Ep. ad *Anysium*, (*Ep.* 57) ubi postquam se se excusavit, quod ægritudine detentus ad ejus filiæ nuptias venire non posset: *animo*, in-

quit, *& voluntate adsum*; *simulque festum celebro*; *juveniles dextras inter se*, *& utrasque Dei manui jungo*.

Annuli quem sponsus sponsæ dabat meminit *Tertullianus* in lib. *de cultu fœminarum*.

Veli purpurei quod in signum pudoris super sponsum & sponsam expandebatur, præclara apud *S. Ambrosium* memoria est. *Utinam*, inquit, (*lib. de virginit. c.* 15) *possem revocare nupturas! utinam possem flammeum nuptiale pro integritatis mutare velamine!* & alibi: (*Ep.* 19) *ipsum conjugium*, ait, *velamine sacerdotali*, *& benedictione sanctificari oportet* . . . pari sensu *Siricius* Pontifex Max. *nos sane*, inquit, (*in ep. ad Mediolanensem Ecclesiam*) *nuptiarum vota non aspernanter accipimus*, *quibus velamine intersumus*; *sed virgines quas nuptiæ creant*, *Deo devotas*, *majore honorificentia honoramus*.

Denique antiquos Ecclesiæ ritus, in nuptiarum celebratione observari solitos, ex integro describit & repræsentat *Nicolaus I* medio circiter 9 sæculo Pontifex Max. in responsis ad consulta Bulgarorum, c. 3.

Quando igitur Hæretici sacras vellicare cæremonias, & maligno dente mordere præsumunt, non hodiernam tantum, sed antiquam & universalem Ecclesiam erroris accusant: eaque de causa merito ipsi damnantur a Concilio Trid. cujus de matrimonio canones, uti in præcedentibus libris actum est, juvat uno tenore describere.

Canones Tridentini de contractu & Sacramento matrimonii.

„ I. (*Sess.* 24) Si quis dixerit, matrimo-
„ nium non esse vere & proprie unum ex se-
„ ptem legis Evangelicæ Sacramentis, a Chri-
„ sto Domino institutum, sed ab hominibus
„ in Ecclesia inventum, neque gratiam con-
„ ferre: anathema sit.

„ II. Si quis dixerit, licere Christianis plu-
„ res simul habere uxores, & hoc nulla lege
„ divina esse prohibitum: anathema sit.

„ III. Si quis dixerit, eos tantum consan-
„ guinitatis & affinitatis gradus, qui in Le-
„ vitico exprimuntur, posse impedire matri-
„ monium contrahendum, & dirimere con-
„ tractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis
„ illorum dispensare, aut constituere, ut
„ plures impediant & dirimant: anathema
„ sit.

„ IV. Si quis dixerit, Ecclesiam non po-
„ tuisse constituere impedimenta matrimo-
„ nium dirimentia, vel in constituendis er-
„ rasse: anathema sit.

„ V. Si quis dixerit, propter hæresim, aut
„ molestam cohabitationem, aut affectatam
„ absentiam a conjuge, dissolvi posse matri-
„ monii vinculum, anathema sit.

„ VI. Si quis dixerit, matrimonium ratum,
„ non consummatum, per solemnem Religio-
„ nis professionem alterius conjugum non di-
„ rimi: anathema sit.

„ VII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare,
„ cum docuit & docet, juxta Evangelicam
„ & Apostolicam doctrinam, propter adulte-
„ rium alterius conjugum, matrimonii vincu-
„ lum non posse dissolvi; & utrumque, vel
„ etiam innocentem, qui causam adulterio
„ non dedit, non posse altero conjuge viven-
„ te, aliud matrimonium contrahere; mœ-
„ charique eum, qui dimissa adultera aliam
„ duxerit, & eam quæ dimisso adultero alii
„ nupserit: anathema sit.

„ VIII. Si quis dixerit, Ecclesiam errare,
„ cum ob multas causas separationem inter con-
„ juges, quoad thorum, seu quoad cohabita-
„ tionem, ad certum incertumve tempus fieri
„ posse decernit: anathema sit.

„ IX. Si quis dixerit, clericos in sacris or-
„ dinibus constitutos, vel regulares castita-
„ tem solemniter professos, posse matrimo-
„ nium contrahere, contractumque validum
„ esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel
„ voto, & oppositum nil aliud esse, quam
„ damnare matrimonium; posseque omnes con-
„ trahere matrimonium, qui non sentiunt se
„ castitatis, etiamsi eam voverint, habere do-
„ num: anathema sit, cum Deus id recte pe-
„ tentibus non deneget; nec patiatur nos su-
„ pra id quod possumus tentari.

„ X. Si quis dixerit, statum conjugalem
„ anteponendum esse statui virginitatis, vel
„ cœlibatus, & non esse melius ac beatius
„ manere in virginitate aut cœlibatu, quam
„ jungi matrimonio: anathema sit.

„ XI. Si quis dixerit, prohibitionem solem-
„ nitatis nuptiarum certis anni temporibus,
„ superstitionem esse tyrannicam, ab ethnico-
„ rum superstitione profectam, aut benedi-
„ ctiones & alias cæremonias, quibus Eccle-
„ sia in illis utitur, damnaverit: anathema
„ sit.

„ XII. Si quis dixerit, causas matrimonia-
„ les non spectare ad judices Ecclesiasticos:
„ anathema sit. "

Finis Libri Decimi & totius Operis.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM,

Quæ in hoc quarto Tomo continentur.

A

Acolythi nomen quid significet. 146. Acolythorum officia quæ sint. *ibid.*

Ætas ad Subdiaconatum & alios majores ordines requisita. 163.

Ætiopes cæterique Orientales, Apostoli verba *unius uxoris virum* stricte accipientes, unam tantum uxorem Ministris suis toto vitæ tempore concedunt. 176.

Affinitas quid sit. 383. Cur sic vocetur. *ibid.* In affinitate tria olim genera distinguebantur. *ibid.*

Archidiaconus a Diacono quid differat. 190.

B

Bannorum nomine quid significetur. 66.

Beneficium Ecclesiasticum quid sit; ejusque origo. 135. Beneficiorum divisio multiplex. 136. Plura Beneficia utrum, & quatenus ab uno & eodem haberi possint. 137. An dispensatio Papæ in pluribus Beneficiis retinendis excuset a peccato mortali. 141.

Bigami incurrunt irregularitatem, & cur. 112. Bigamia triplex est. *ibid.* Bigami an ab omnibus Ordinibus tam minoribus, quam majoribus arceantur. 113.

C

Canones Tridentini de Sacramento Ordinis. 245. Canones ejusdem Concilii de Sacramento Matrimonii. 418.

Chorepiscopatus nomen & antiquitas. 36. Numquam pro vero Ordine aut Sacramento habitus est. *ibid.* Chorepiscopatus munus a quibus & quando exercebatur. *ibid.* Chorepiscopi aliquando quidem veri Episcopi, communiter vero simplices presbyteri fuerunt. 242. Eorum officia quæ. 243. Chorepiscopos abrogandi quæ causa fuit. 244.

Clandestina conjugia cur antiquis legibus fuerint interdicta. 385.

Clericus etsi ad continentiam ab uxore propria, ejus consensu, ante Ordinationem adigatur, vinculum tamen matrimonii integrum & inviolabile manet. 172. Ei, qui continentiam Deo semel voverit, nunquam concupiscentiæ remedium in matrimonio licitum esse potest. 178. Clerici eo ipso quod in aliqua Ecclesia olim Beneficio potirentur, eidem Ecclesiæ perpetuo addicebantur, & ad residentiam tenebantur. 52. Quando irrepsit abusus. 51. Clericis in Sacris ordinibus constitutis judicium sanguinis agitare non licet. 116. Clerici cur sic vocentur. 227. Clericorum vestis propria quæ. 133. Cur ab Episcopo superpelliceo induantur. *ib.* Clerici tenentur ad divinum Officium recitandum, & ubi fundata sit talis obligatio. 162. Clericis majoribus a matrimonio abstinendum sanctitas ipsa sacri ministerii persuadet. 169. Clerici uxorati postquam ad Ordines majores promoti sunt, quid observare teneantur. 180.

Clinicus quid significet. 110.

Cognatio sive naturalis, sive consanguinitatis quid sit. 375. Cognatio legalis quæ sit. 377. Spiritualis quæ sit. *ibid.* Cognatio spirituals an contrahatur a procuratore, vel ab eo, cujus nomine missus est. *ibid.*

Cœlibatum Sacri Ordinis etsi juris divini non sit, tamen in Sacris Litteris Apostolorum, virorum Apostolicorum Exemplis, ipsaque ratione certissimum tenet fundamentum. 166, 174, 175.

Communionis Sanctorum nomine quid intelligatur. 385.

Concilium Cæsaraugustanum super Arianos ab Hæresi redeuntes, benedictionem, quæ mere sit reconciliatoria, non ordinatoria & consecratoria, præscripsit. 61. Ante Concilium Tridentinum nec Episcopo, nec Prælatis Regularibus licebat suspendere suos subditos ab ordinibus, gradibus, & dignitatibus jam susceptis. 121.

Concupiscentia a Deo non est. 281.

Consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ ascendentium & descendentium, jure naturali est impedimentum matrimonium dirimens. 374. Consanguinitatis impedimentum in linea collaterali olim ad septimum usque gradum protensum fuit. *ibid.*

Controversia de aquæ in sanguinem Christi conversione, ad fidei dogma non pertinet. 195.

Cultus disparitas quare sit impedimentum. 379. Quo jure inducta sit. *ibid.* Diaconatus & Presbyteratus a Christo Domino immediate constituti fuere. 33. Diaconi quo numero ordinandi. 190. Stola Diaconorum quid innuat. *ibid.* Diaconi nomen unde. 181. Diaconatus veri Sacramenti naturam habet. 183. Diaconatus tradendi ritus qui. 188. Diaconorum officia quæ. 181. Eucharistiæ communionem olim fidelibus dispensabant. *ibid.* Episcoporum fiducia olim in Diaconis quanta. 182.

D

Diaconi ministerium quando cœpit. 368. Sola manus impositio orationi conjuncta essentiam Diaconatus constituit. 188. Quando statutum

tutum fuit ut Diaconus Evangelium, Subdiaconus Epistolam legeret. *ib.*

Diaconissæ erant in Ecclesia priscis temporibus, ut erga cæteras mulieres religiosa charitatis officia exercerent. 91. Diaconissarum ordinatio exteriori licet apparatu Diaconorum ordinationem æquaret, efficacia longe tamen diversa fuit. 92.

Differentia inter Judæos & Gentiles doctrina imbuendos ante Baptismum. 41.

Dispensatio super matrimonii impedimentis quæ sit. 392. Casus legitimæ dispensationis qui censendi sint. *ibid.* Cui competat auctoritas super matrimonii impedimentis dispensandi. 393.

Dispensatus a Papa ad plura Beneficia retinenda, an sit excusatus a peccato mortali. 142.

Divortium quid sit. 333. Quot modis fieri possit. *ib.* Causæ separationis faciendæ quot sint. *ibid.*

Doctrinæ necessitas in eo qui ad Presbyteratus ordinem vult promoveri. 226.

Domicilii titulus ut valeat quæ requirantur. 48. Titulo domicilii, originis titulus valde præcellit. 49. An titulus domicilii ubique vigeat. *ib.*

Dotes quæ sint necessariæ ut quis ad Presbyteratus Ordinem possit contendere. 122.

E

Ecclesia. In primitiva Ecclesia duo tantum fuerunt Ordines Sacri, Presbyteratus, & Diaconatus. 26, 27. Ecclesia, crescente numero fidelium auxit etiam Ministros, ut divini Officii decori consuleret. 35. Ecclesia Græca & Orientalis, Lectoratu excepto, minores Ordines non habuit. 24. In utraque Ecclesia Episcopis usus matrimonii semper interdictus fuit. 179. Ecclesiæ diversæ ritus proprios observant in Presbyterorum consecratione. 198. In ipsis Ecclesiæ incunabulis, sub Episcoporum jurisdictione, secundi ordinis Prælati regebant Ecclesias. 205. Ecclesia potuit, & potest etiamnum impedimenta dirimentia matrimonium constituere. 359. Fidem Ecclesiæ non privata quorundam existimatio, sed consensio, universalitas, perennitas demonstrant. 140.

Episcopus. Solus Episcopus est Diaconatus Minister, nec ab alio extra ordinem conferri potest. 44. Non a quolibet Episcopo, licet catholico, sed a proprio tantum, ordinatio legitime recipienda est. 47. Nomine proprii Episcopi quis intelligatur. 50. Episcoporum vigilantia olim supra Clericos. 49, 50. An a proprio Episcopo Regulares ordinari debeant. 52. Quis sit proprius Episcopus. *ib.* Episcopali sede vacante an possit Capitulum intra annum laicos ad Tonsuram, vel ad majores Ordines, datis litteris, dimittere. 54. Episcopus proprius in foro exteriori compelli communiter non potest ad conferendam Clerico sacram Ordinationem. *ib.* Solis Episcopis jus consecrandi Presbyteros ex institutione Christi ita convenit, ut nullo casu possit simplicibus Presbyteris arrogari. 41. Ad Episcopatum electus non debet necessario uni uxori esse conjunctus; sed non potest eligi qui plures successive uxores habuit. 22. Episcopis usus matrimonii in utraque Ecclesia semper fuit interdictus. 177. Episcopus quid sit. 209. Episcopi nomen. 224. An & quo jure Episcopi simplicibus Presbyteris superiores. 211. Episcopi habent aliquam sibi propriam potestatem, quam Ministri inferiores non habent. 212. Episcopi nomen priscis temporibus commune erat solis Presbyteris. 218. Et in unaquaque communiter civitate idem qui Presbyter, Episcopus constituebatur. *ib.* Episcopi simplicibus Presbyteris jure divino præcellunt. *ibid.* In ipsis duplex potestas. 220. Quo tempore cœperunt esse supra Presbyteros. 222. In Episcopis tria sunt distinguenda. *ib.* Episcopatus vere est ac proprie Sacramentum, a sacerdotio nova consecratione distinctum. 226, *& seq.* Episcopatus materia in sola manuum impositione consistit. 230. Forma vero oratio est. 232. Episcopatus Minister quis. *ib.* Episcopus a quibus & quatenus eligendus. 233. Quæ erat Ecclesiarum consuetudo priscis temporibus. 234. In Episcoporum electionibus quomodo antiquitus populorum præsentia requirebatur. 236. Formæ diversæ in Episcopis eligendis non ad fidem sed ad disciplinam spectantes pro temporum varietate immobili fide manente, variæ fuerunt. *ib.* Episcoporum officia & virtutes quæ. 237. Vestes & insignia. 238. Episcoporum gradus diversi. 239.

Eusebius Samosatensis militarem habitum sumens, & Sorism, Phœniciam ac Palæstinam peragrans, multos ordinavit Presbyteros & Diaconos. 44.

Exorcistatus materia quæ sit. 28.

F

Forma apud Latinos & Græcos in Ordinibus conferendis quæ sit. 30.

Fornicatio sola non est causa propria matrimonium dissolvendi quoad vinculum. 335. Casus qui jure divino & naturali sunt excipiendi. *ib.*

Fossariorum munus numquam in Ecclesia pro Ordine habitum fuit. 14.

G

Græci Acolythatum nec habent, nec habuerunt. 30. Græci & Orientales reprehensibiles

Digitized by Google

sibiles non sunt si Minores Ordines, Lectoratu excepto, non habeant. 144. Græcorum & Orientalium disciplina in promovendis ad Episcopatum. 158. Ex Græcis & Orientalibus Clericali militiæ adscriptis soli Lectores & Cantores uxorem ducere possunt. 177. Inter Monachos & Clericos discrimen. 180. Græci & Orientales etiam quoad vinculum propter adulterium matrimonium dirimunt. 327.

Gratia prima & gratia secunda quid sit. 85.

Gregorii Magni sententia de non iterum ordinandis his qui ab hæreticis ordinati sunt. 78.

H

HEbræis comedere agnum Paschalem cum azimis & lactucis agrestibus quare imperatum fuit. 86. An exeunte, aut ineunte decimaquarta die, ab ipsis agnus Paschalis immolaretur. *ib.* Quæ causa Deo fuit præcipiendi ut per septem dies continuos azimos panes comederent. *ib.*

Hieronymus (S.) tres tantum Clericorum ordines distinguens, quomodo intelligendus. 13.

Homicidium semper inter gravissima crimina reputatum fuit. 99.

I

IMpedimentum matrimonii revelare cur teneantur fideles. 353. In impedimentis matrimonii statuendis quid sæcularis auctoritas valeat. 365. Erroris impedimenta in matrimonio quæ sint. 367. Conditionis. 369. Voti. 370. Cognationis naturalis. 371. Cognationis legalis, spiritualis. 375. Impedimentum criminis 378. Quo jure nitatur. *ib.* Impedimentum matrimonii clandestini quid sit. 385. Impedimentum impotentiæ. 390. Impedimenta impedientia quæ sint. 391. Disparitatis cultus. 379. Violentiæ, ordinis. 380. Ligaminis. 381. Honestatis. *ib.* Affinitatis. 383. Raptus. 384. Consanguinitatis impedimentum in linea collaterali olim ad septimum usque gradum protensum fuit. 383. In impedimentis statuendis legum Civilium a Canonicis discrepantiæ causa. 372. In impedimentis consanguinitatis ponendis usque ad quartum gradum, triplex causa fuit. *ib.*

Infantia quotuplex sit. 98.

Infideles & Catechumeni in casu necessitatis baptizantes, cognationem spiritualem non contrahunt, quia de Ecclesia non sunt. 376.

Innocentiæ status qualis in Adamo erat. 281. An in tali statu libido & concupiscentia fuit vel futura erat. 286.

Innocentius II Summus Pontifex falso ab hæreticis dicitur characteris Sacramentalis inventor. 332.

Interstitia cur instituta sint. 148. Justis de causis ab Episcopis remitti possunt. 149.

Joannes VIII Pontifex Maximus in sua Epistola ad Græcorum Imperatorem Acolythatus nomine quid innuat. 18.

Joannis Papissæ fabula, & ejus origo. 94.

Irregularitas quid sit. 95. Duplex est. *ib.* Pro irregulari non habetur qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit & mutilat invasorem. 98. Quæ tamen conditiones requirantur. *ib.* Irregularitas an contrahatur ex fortuito homicidio. 100. Irregularitas ex defectu septem habet species. 103. Irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis, quæ sit. 114. Irregulares an sine exceptione fiant omnes, qui mortis alteri inferendæ causa vel occasio sunt. *ibid.* Irregularitas quælibet an humana dispensatione tollatur. 118. Et per solam dispensationem auferatur. 119. Penes quos sit auctoritas super irregularitatibus dispensandi. *ib.*

Jubilæum. Indulgentia Jubilæi quid sit. 47.

Jus divinum duplex est, aliud naturale, aliud positivum. 294. Insuper aliud variabile, aliud invariabile. *ib.*

L

LEctores a legendo dicti, eorum munus. 144.

Lectoratus materia quæ sit apud Græcos & Latinos. 30.

Lutherus, stupente orbe christiano, maximo omnium scandalo, ereptam e claustro sanctimonialem virginem publice uxorem conduxit. 176.

Lutherani & Calvinistæ novique Reformatores Ministris suis Polygamiam successivam sine scrupulo ullo permittunt. 177.

M

MAnichæi nuptias damnabant. 275.

Mannum impositio tam a Græcis quam a Latinis semper observata fuit in sacra Presbyterorum & Diaconorum ordinatione. 29.

Matrimonium quid sit, sive in quo ejus natura consistat. 246. Matrimonii causa efficiens quæ sit. 248. Matrimonium an valeat sola expressione verborum sine exteriori consensu. 253. Matrimonii causa formalis. 266. Matrimonii causa materialis & finalis. *ib.* Matrimonium tribus modis intelligi potest. 260. Matrimonium natura sua prius contractus quam Sacramentum 255. Matrimonium sine interno consensu ac intentione non fit quatenus est contractus, non vero quatenus est Sacramentum. 257. Matrimonium an sit res bona & licita. 270. Matrimonium in lege gratiæ fuit novo decreto sancitum. 271. Matrimonium Beatæ Virginis cum Sancto Joseph fuit verum matrimonium. 267. Causa ineundi tale matrimonium. 268. Matrimonii solutio duplex. 318. Matrimonium aliud est ratum non consummatum, aliud ratum &

consummatum. *ib.* Matrimonium clandestinum quid sit. 385. Matrimonia an valida & licita sint cum hæreticis. 379. Matrimonium utrum contrahi possit nullo casu sine præviis proclamationibus, & non obtenta ab Episcopo dispensatione. 356. Matrimonium an irritum sit defectu proclamationum *ib.* Matrimonium differre in plures menses, factis proclamationibus, an liberum sit. *ib.* Matrimonia a filiis familias, inita invitis aut insciis parentibus an sint illicita & irrita, & quo jure. 386. Causæ cur Tridentini Patres matrimonia filiorum familias irrita non declararunt. 389. An in Gallia talia matrimonia sint irrita, & qua ratione. *ibid.* Matrimonii impedimenta impedientia quæ sint. 390. Matrimonium est verum Sacramentum. 395. Sacramenti Matrimonii Minister legitimus, & necessarius qui sit. 399. Matrimonium dupliciter considerari potest. 410. Materia matrimonii, & ejus forma quæ sit. 414. Sacramenti Matrimonii effectus qui. 415. Matrimonii impedimenta quæ sint. 357. *& seq.* In impedimentis ponendis quid natura, quid lex civilis, quid Ecclesia valeat. *ibid.* Consanguinitas in quolibet gradu recto ascendentium & descendentium, jure naturali est impedimentum dirimens matrimonium. 372. Matrimonii Sacramentum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. 110. Ne adulterii quidem causa matrimonium ratum & consummatum abrumpi potest. 319. Mala quæ sequerentur si posset abrumpi Matrimonium 322. De indissolubilitate matrimonii quæstio quæ in Concilio Florentino cœpta est, tandem in Tridentino finita. 327. Matrimonium etiam quoad vinculum propter adulterium Græci & Orientales dirimunt. 328. Matrimonium non est ratum sine Sacramento Baptismi. 329. Matrimonii vinculum utrum nullo casu, quoad vivunt conjuges, abrumpi possit. 328. Matrimonium antequam sit consummatum, licet alteri conjugum, altero inconsulto, ad Religionem transire. 339. In matrimonio duplex vinculum considerandum. *ib.* Matrimonium ratum quando possit dirimi. 341. Matrimonium ratum non consummatum sequente voto an dirimi possit. 344. Voto simplici Religionis amplectendæ obstrictus, si postea contraxit Matrimonium, ante ejus consummationem profiteri vitam monasticam tenetur. 345. Quid si simpliciter castitatem vovisset de amplectenda Religione non cogitans. *ib.* An per Sacri Ordinis susceptionem matrimonium non consummatum dirimi queat. 346. Utrum per aliam quamlibet gravem causam Matrimonium ratum non consummatum saltem auctoritate Pontificis solvi possit. *ib.* Ad Matrimonii contractum quæ solemnitates requirantur. 347. Matrimonio sponsalium præmittendorum causæ. *ib.* Matrimonii proclamationum origo & antiquitas. 353. Bannorum sive proclamationum scopus quis sit. *ib.* Si vagi homines matrimonio jungi petant, Parochi quid agere teneantur. *ib.* Matrimonii impedimenta tenentur infideles revelare. *ib.* Et si juridice nequeunt probari, an sint revelanda. *ib.*

Metropolitani qui sint, & eorum jura. 239.

Ministri Ecclesiæ instrumentaliter ex D. Thoma operantur in Sacramentis. 56. Ministrorum improbitas & infidelitas Sacramentorum virtuti non nocet. *ib.*

Minorum Ordinum conferendorum Minister quis esse debeat 146. Inter Minores Ordines quanti temporis interstitia observanda sint. 147. Minorum Ordinum exercitium usumque restitui, Ecclesia in votis maxime habet. 149.

Moniales cur ad recitationem Divini Officii teneantur. 161.

Monogamiam, teste D. Augustino, Romani sic coluerunt, ut numquam sibi uxorum pluralitatem permiserint. 295.

Mulier statum subjectionis habet. 90. Mulieres nulla ratione ordinari possunt. 88.

N

N*Omen* Episcopi priscis temporibus erat commune etiam solis Presbyteris. 218.

Nuptiæ ab ipso Mundi exordio divinitus institutæ fuerunt. 267. Parentum consensus utrum sit nuptiis necessario præmittendus. 386. Nuptias iterari quamvis persuasum sit sine crimine posse; tamen canonica pœnitentia plectendos iterantes, olim a Patribus judicatum est. 111. Nuptias duplicans, vel cum vidua matrimonium contrahens, an pro bigamo & irregulari habendus sit. 113. Nuptiæ in Lege Mosaica fuerunt confirmatæ, & in Lege gratiæ novo decreto sancitæ. 271. Nuptiæ repetitæ, improprio quodam & hiperbolico sensu, fornicationis nomine cur a Sanctis Patribus notatæ fuerint. 314. Quæ causa fuit Neocæsariensibus Patribus prohibendi, ne Sacerdotes secundis nuptiis interessent. 410.

O

O*fficii* Divini recitandi obligatio quando cœperit, & ubi fundetur. 161.

Opus Ministri ab opere Sacramenti distinguendum est. 62.

Ordo qui proprie dicitur. 18. Ordo utrum vere & proprie dictum sit Sacramentum. 3. Ejus definitio. *ib.* Tres conditiones importat. 4. In nova lege verum Sacrificium est. *ib.* In Ecclesia Latina septem antiquitus fuerunt

Digitized by Google

runt Ordines 9. Ordo cur præcipue sit institutus. 86. Ordo quot modis possit spectari. 73. Ordines Ecclesiasticæ Hierarchiæ sunt tres. 80. Ordines Regulares cur & quandonam a Sede Apostolica approbari cœperunt. 344. Ordinis potestas dupliciter consideranda est. 11. A Græcis & Orientalibus quatuor tantum Ordines observantur. 16. Multiplicato populo fideli, Ordines augere potuit Ecclesia. 26. In Ordinibus conferendis apud Latinos & Græcos quæ forma servetur. 29. Ordines Diaconatu inferiores in radice spectati, a Christo Domino immediate sanciti sunt. 36. Sacræ Ordinationis Ministri ordinarii sunt soli Episcopi. Non a quolibet Episcopo, licet catholico, sed a proprio tantum Ordinatio legitime recipienda est. 48. Nomine proprii Episcopi quis intelligatur. *ib.* Illegitimus Ordinationis Minister quis sit. 50. Ejus Ordinatio an sit valida. 55. De Ordinatione ab hæreticis facta. 55. & *seq.* An Ordinatio a schismaticis, depositis, & excommunicatis accepta, valida sit. 58. & *seq.* Quid de intrusis & simoniacis. 46. Ordinatione cæremoniali & reconciliatoria, non sacramentali, Ordinatos ab hæreticis, Concilium Nicænum intellexit, ad Ecclesiam revertentes, iterum ordinari. 61. In Ordinatione tria sunt distinguenda. 87. Ordinati per saltum cur non reordinentur. 107. Schismaticorum Ordinationes non quantum ad substantiam seu characterem, irritæ declaratæ fuerunt, sed solum quod executionem, honorem, & privilegia. 66. Per sacram Ordinationem gratia Sanctificans confertur. 83. Ordinationis impedimenta quæ sint. 97. Ecclesiæ praxis & disciplina varia in impedimentis ponendis. 98. Minorum Ordinum nomen. 143. In Latina Ecclesia numerus & antiquitas. *ib.* Inter majores & sacros Ordines a minoribus & non sacris, quæ differentia. 152. Minores Ordines an Sacramentum dici possint. 144.

Ostiariatus, Exorcistatus, & Acolythatus Ordines nec olim, nec modo habet Græca Ecclesia. 23. Ostiariatus materia quæ sit. 30.

P

Paræciarum origo & antiquitas. 205.

Parochorum dependentia ab Episcopis quæ esse debeat. 206. Parochi quid agere debeant si vagi homines matrimonio jungi petant. 363. Potestatem jurisdictionis, quam Parochi exercent, ab ipso Christo Domino immediate acceperunt. 208.

Patres (Sancti) characterem velut proprium Sacræ ordinationis effectum agnoverunt. 240.

Patriarcharum dignitas. 240. Patriarchæ numero quinario concluduntur, etsi hoc nomen, honoris causa, aliis Episcopis sit attributum, tamen acquisito nomine nil plus auctoritatis sunt consecuti. *ibid.*

Pelagianorum hæresis circa nuptias. 279.

Percussio levis in maxilla, Confirmati percussio, item pax ab Episcopis data, quid significent. 187.

Photio non in omnibus fides neganda. 174.

Polygamia duplex est. 295. Polygamiæ origo & progressus. *ibid.* Polygamia simultanea jure naturali & divino illicita est. 296. Deus tamen peculiari dispensatione Abrahæ, ejus Filiis, ac nepotibus, illam concessit. 303. Geminam dispensandi causam Sancti Doctores insinuant. *ibid.* Polygamia successiva nil habet juri divino, aut matrimonii naturæ contrarium. 310.

Pontifex Summus in universa Ecclesia, non ab hominibus, sed jure divino Primatum habet. 240.

Potens majus an possit minus. 39.

Potestatem jurisdictionis quam Parochi exercent, ab ipso Christo Domino immediate acceperunt. 207.

Presbyteratus nomen & officium. 191. Presbyterorum excellentia. 199. Presbyteratus verum est legis Evangelicæ Sacramentum. 200. Presbyteratus conferendi ritus quis. 192. Ejus materia & forma. *ibid.* Presbyteratus ritus essentialis in secunda manuum impositione consistit, quæ adjunctam habet Orationem Episcopi, porrectioque instrumentorum nil facit. *ibid.* Quæ virtutes in Presbytero desiderentur. 200. Presbyterorum diversi gradus. 204. Presbyteri Pœnitentiarii munus. 203. Presbyteri Theologi officium. *ibid.* In Presbyteratu duo sunt attendenda. 225. Etiam solis Presbyteris nomen Episcopi priscis temporibus erat commune. 218. Simplex Presbyter non potest esse Minister extraordinarius Presbyteratus. 41. An aliquo casu tamen possit. 42. Ecclesia autem sic volente, potest esse minorum ordinum, & Subdiac. Minister. 46.

Primates quis sint. 240.

Privilegium in solius Christi nomine baptizandi numquam Apostolis concessum fuit. 19.

Proclamatio. Super proclamationibus dispensare ad quem pertineat. 355. Quæ dispensandi causæ legitimæ sint. 356.

Pseudo-Episcopi qui sint. 38.

R

Ratus quid sit. 384.

Raptor an possit cum virgine rapta inire matrimonium. 384.

Regulares Ordines quando a Sede Apostolica cœperunt esse approbati, & cur. 344.

Regu-

Regulares quo jure teneantur ad divini Officii recitationem. 161.

Residentiæ obligatio pro Beneficiis simplicibus quando desiit. 52.

Ritus primæ Tonsuræ. 129. Presbyteratus conferendi ritus, qui. 191. Non omnis Presbyteratus conferendi ritus ex æquo ad ejus essentiam pertinet. 192. Ritus Episcopatus conferendi. 209. Ritus & cæremoniæ in matrimonii Sacramento observari solitæ, quæ sint apud Latinos & Græcos. 417. Ritus in electione Pontificum, sedendi in Sella stercoraria, cur abrogatus fuit. 94.

S

Sacer Ordo non semper fuit. 154. Sæculo duodecimo Sacer Ordo cæpit esse in Latina Ecclesia impedimentum matrimonii. 179.

Sacerdos. An plus valeat Sacrificium a bono, quam a malo Sacerdote oblatum. 400. Sacerdotum vestis propria quæ. 201. Sacerdotum dignitas quanta. 199.

Sacerdotii origo. 34. Sacerdotium solum est Sacramentum, etsi septem sint Ordines. 26.

Sacramenti vox apud Græcos & Latinos quid importet. 400. Sacramentorum Minister. Vid. *Ministri*. De Sacramento Ordinis canones Tridentini. 245.

Sacrificium novæ legis immediate a Christo Domino sancitum fuit. 34.

Servilitas an sit impedimentum matrimonium dirimens. 369.

Servitus duplex est. 369.

Sponsalia quæ sint. 347. Matrimonio Sponsalia præmittendi quæ causæ fuerint. 347. In sponsalibus contrahendis quæ forma tenenda. 348. Ad Sponsaliorum solemnitatem quid observandum. 349. Impuberum Sponsalia an sint valida. 350. An sponsalia pariant obligationem matrimonii contrahendi. *ibid.* Renuentibus matrimonium inire, Sponsalibus celebratis, an expediens sit Censuris Ecclesiasticis ad illud compelli. *ibid.* Causæ legitimæ sponsalium solvendorum quæ esse possint. *ibid.* Sponsalia an dirimantur voto simplici castitatis. 352. Utrum nequeant resolvi nisi judicis sententia interveniente. *ib.*

Sponsus & Sponsa an ante matrimonii celebrationem possint in eadem domo cohabitare. 352. Sponsi an unus sit servus & alter liber. 369. Sponsus coronandi apud Græcos & Gentiles mos antiquissimus. 247.

Stola Diaconorum quid significet. 190.

Subdiaconatus nomen unde. 149. Subdiaconatus materia & forma diversa inter Latinos & Græcos. *ibid.* Subdiaconatus vestes quæ. 151. Subdiaconatus officia. 152. Subdiaconatus antiquitas. *ibid.* Subdiaconatus & Minores Ordines in origine spectati divinæ institutionis dici possunt & debent. 22. Divisim in se & formaliter considerati Sacramenta dici nequeunt. 23. Subdiaconatus & Minores Ordines ab Ecclesia decursu temporis instituti fuerunt. 26. In Subdiaconatus Ordine tradendo manuum impositio vetita est. 29. Subdiaconatus materia quæ sit. 30.

Subdiaconi quo tempore ad perpetuam continentiam adacti fuerunt. 158. Subdiaconorum obligationes quæ. 154. Castitatis. 155. Officii Divini recitandi. 161.

Superpelliceo cur ab Episcopo Clerici induantur. 133.

T

Titulus. Ut Titulus Domicilii valeat quæ requirantur. 49. Originis Titulus Titulo Domicilii longe præcellit. 50.

Titus Imperator, Titi Flavii Vespasiani filius, Summum Pontificatum suscepit, ut liceret sibi neminem morte damnare, & ab omni effusione sanguinis abstinere. 114.

Tonsura prima quid sit. 128. Ejus Minister quis. 129. Primæ Tonsuræ ritus. *ibid.* Cur in modum coronæ disposita. 131. Primæ Tonsuræ definitio propria Ordini non convenit. 14. Tonsuræ antiquitas. 128. Quo sæculo in usu erat. 129. Ejus origo. *ibid.* Qua ætate prima Tonsura conferri possit. 134. Ejus Clericalis effectus. *ibid.*

Tridentini Patres affirmantes Ordinem esse Sacramentum, non intellexerunt septem esse Ordinis Sacramenta. 26. Alia quæ est Sacramenti, alia quæ est Ordinis ratio. *ibid.*

V

Virginitas an melior sit quam nuptiæ. 287.

Vocationis divinæ necessitas in eo qui ad Sacerdotii gradum vult conscendere. 122.

Votum quid sit. 370. Quotuplex sit. *ibid.* Quodlibet votum an simplex vel solemne matrimonium dirimat, 371. Votum aliud solemne, aliud simplex. 372. In voto duo sunt necessario distinguenda. *ibid.* Voto simplici Religionis amplectendæ obstrictus, si postea contraxit matrimonium, ante ejus consummationem vitam Monasticam profiteri tenetur. *ibid.*

Uxorum genera duo olim fuerunt apud Hebræos. 305. Plures uxores simul habere, quo tempore inculpate antiquis Patriarchis concessum fuerit. 306. Uxoris expulsio cur Judæis concessa. 324.

F I N I S.

MAG 525

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google